ARIAS
MONTANO

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE VARIA

REPVBLICA,

SIVE

COMMENTARIA

IN LIBRVM IVDICVM,

Benedicto Aria Montano Hiſpalenſi

Deſcriptore.

BIBLIOTECA NAZIONALE VE ROMA
FACULTAD DE TEOLOGIA
BIBLIOTECA NAZIONALE VE ROMA
BIBLIOTECA PUBLICA DEL ESTADO

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Viduam, & Ioannem Moretum.
M. D. XCII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AD

SANCTISS. MATREM ECCLESIAM ROM. CATHOLICAM, EIVSDEMQVE PONTIF. MAX. ET MINISTROS OMNES,

Benedicti Ariæ Montani Præfatio.

ROMA

POST primam antiquiorum vatum partem, hoc est, Iosuæ historiam, nunc secundam quoque explicatam exhibemus, cui vetus nomen, IVDICES, iam pridem factum, hactenus celebratũ constat: Verum ac viuum exemplum tam rectè ac bene, quàm malè ac perperam institutæ Reip. & vtriusq; generis euentorum; qualia ex diuinæ prouidentiæ iudicio expectari conueniat. Atque hunc laborem, vti ceteros omnes, in sacris libris enarrandis positos, non proprij aut priuati vllius commodi, compendij, nominísve causa, sed communis ac publicæ vtilitatis, quo ardemus, incenso studio susceptum, & hac in parte exantlatum, vni tibi, sacrosancta mater Ecclesia, dicamus. Namque Deo spirituum omnium auctori vnico, ac per illum tibi nos nostraque omnia deberi agnoscimus, & vtrique probari exoptamus. quin diuina ex benignitate, atque ex tua, sponsum & caput proprium imitata, probatum iri speramus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& nobis promittimus; magis adeò ſedulitatis nomine, quàm rei ipſius; quæ ſi vt noſtra cenſeatur, quàm exigua æſtimatione digna ſit, ſatis agnoſcimus: ſin verò vt minimi diſcipuli, atque ex puſillo grege poſtremi, & omnia quę nobis ſunt aut inſunt, Deo accepta referentis; extra omnem inuidiam candidis ac probis, Chriſtianæque ſimplicitatis amatoribus, nos pro modulo noſtro ſatisfeciſſe confidimus. detrahendi verò atque eleuandi quibuſcumque animus fuerit, copiam liberam, quantũ ad nos attinet, permittimus: vt qui perpetuò hac mente fuerimus futurique ſimus, vt nulli noſtræ conſulamus gloriæ, nulli alienæ vllo pacto inuideamus aut inſidiemur; omnibus autem hominibus, itidemque nobis, illud diuinæ ſapientiæ beneficium exoptemus, perpetuóque voto poſcamus; quod vbi contigerit, contentionis, inuidentiæ, aut arrogantiæ nullus relinquetur locus à Deo edoctis, & extra omnem ignorationis, ambiguitatis, controuerſiæ, atque ſimultatis, æmulationisque ſuſpicionem, in perfectiſſimi ac ſimpliciſſimi veri cognoſcendi lumen ex tenebris ac mortis vmbra traductis. Datum Hiſpali in ſeceſſu noſtro, Idibus Decembris, cIↃ. IↃ. xc.

B. ARIÆ

B. ARIÆ MONTANI HISPALENSIS IN LIBRVM IVDICVM COMMENTARIVS.

בעורה יהוה

ITA natura comparatum eſt poſt primam illam humani generis labem, vt nulla reſpublica ſine lege teneri & ſine Magiſtratu gubernari poſſit. Namque vitę huius mortalis cùm priuatos tramites, tum publicas communeſque vias lex munit, cuius rectum vſum, æquabilemque conſuetudinem curare, Magiſtratuum munus officiumque eſt. Niſi enim, qui hoc legitimè curet, adſit aliquis (vt hominum ingenium eſt ad pernicioſæ libertatis inſolentiam promptum) cum primis leges conténuntur, deinde verò ſilent ac dormiunt, demumque obliuione contritæ iacent: poſt hoc autem phas atque nephas miſcentur, & in exitialem licentiam, ex licentia in perniciem, humana ſoluitur vita. S.S.E. In diebus illis non erat Rex in Iſrael; & vnuſquiſque, quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat. Infer. 21.

Triplex autem conſtituendi Magiſtratus forma omnium regionum, nationum, ac ſeculorum exemplis obſeruata eſt, atque ſingularum formarum decoris & commoditatis periculum variis euẽtibus eſt factum, adeò verò variis, vt, cùm à ſapientiæ ſtudioſis diu quæſitum controuerſumque fuerit, quodnam ex illis generibus, cæteris planè præſtaret, iudicium tamen ex illorum ſententiis hactenus maneat incertum. Secus verò dicendum fuerit, cùm ex diuinis oraculis, in quibus verum conſtat, ratio hæc petatur. Sed hæc diſputatio nec loci nec otij huius eſt; ſatis autem fuerit, ſingularum huiuſmodi formarum nomina ac modos indi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

care, quæ ad horum commentariorum explicandum argumentum oportuna arbitramur.

Prima itaque gubernationis forma popularis est, sæpe à Græcis Demarchia, sæpius Democratia dicta, cùm populus sua sponte viuit & agit, vel ipse sibi ministros & Magistratus vltro optatos ad arbitrium legit & creat, & cùm libuerit, derogat aut abdicat: quem morem apud populum Rom. aliquando seruatum legimus;

Iuuenalis Sat. 10. ——*Qui dabat olim*
Imperium, fasces, legiones, omnia.

Atque hanc ferè formam ij qui apud Germanos Heluetiorum Circuli appellantur, bis illac peregrinantibus nobis tenere visi sunt.

Secunda verò forma, quam Græci Aristocratiam vocant, iis in locis obtinetur, in quibus res non per populum vel Magistratus populi prensatione creatos, verùm per optimates geritur, constituitur & geritur: qualis Venetorum nunc status est.

Tertium autem communissimum atque vsitatissimum genus definitur, cùm rerum summa omnis penes vnum Principem est, siue is Rex, siue Imperator, siue Dictator perpetuus, siue Dux, seu quocumque nomine, pro loci, temporis ac linguæ ratione, saluetur: quæ forma notissimo iam cunctis Græco verbo Monarchia dicitur. Atque horum trium generum exempla apud varios authores illustria reperiuntur; in sacris verò antiquorum temporum libris longè illustrissima: quippe cùm Israëlitæ omnibus his formis variè vsi, commoda atque incommoda singulorum manifestis experti sunt periculis, qualia ad posteritatis memoriam ac doctrinam, diuini Spiritus consilio & au-
„ thoritate, literis mandata sunt, scripta inquam propter nos,
„ in quos fines seculorum deuenerunt. Atque superioribus illis duobus voluminibus, maiore videlicet legis totius à Mose conscriptæ, & minore altero per Iosuam concinnato, non tam Reipub. summa aliqua, quàm institutio tradita nobis videtur. Quippe Moses vltra magni Vatis munus, quod præteritis & futuris temporibus indicandis expleuit, Legislatoris quoque officio functus, qualem populum, quales populi magistratus & ministros esse oporteret, definiebat, exponebatque genti suæ, certas promissasque sedes nondum possidenti, cuique nec agri, nec vrbes, nec fines, nec pascua, nec vicini aut finitimi erant. Iosuæ verò præcipuus labor in deducendo populo, hostibus bello ac pugna pellendis, locis occupandis, hæreditatibusque diuidundis consumptus est; quibus in rebus ille vir optimi, prudentissimi, piissimi atque innocentissimi & integerrimi Imperatoris expressit imaginem. Iam verò Israelitis in promissa antè, ac iam accepta regione habitantibus, & Reip. populique formam planè obtinentibus, cuiusmodi status porrò fuerint; & duobus iis quos explicare aggredimur, & quatuor proximis narrantur libris: ostenduntur que tria illa gubernationis genera fuisse alio atque alio tempore apud Israelitas, varium in singulis commodorum & incommodorum euentum expertos, pro diuinæ legis ac disciplinæ vel obseruatæ vel neglectæ forma & vsu. demum verò illud ad legentium vtilitatem conficitur; nullum ex illis generibus ineptum aut inutile esse, dummodo diuinorum præceptorum atque institutorum normis ac regulis fuerit informatum: vbi verò conditio hæc disciplinaque desideretur, nullum tutum, nullum apprimè vtile, nullum beatum ac stabile planè esse posse. S.S.E. Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificãt eam. „ Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Tanti refert à Dei præscripto ac verbo vel duci „ vel abduci, per quod omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil, quod factum est. Vt enim naturæ omnis author

Psal. 126.

&

Universidad de Deusto
Biblioteca

& conseruator Dei sermo est, ita etiam publicarum priuatarumque rerum doctor, institutor, assertor & columen esse probatur. S. S. E. En propono in conspectu vestro ho-
Deut. 11. » die benedictionem & maledictionem. Benedictionem, si
» obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego hodie
» præcipio vobis; maledictionem, si non obedieritis manda-
» tis Domini Dei vestri, & recesseritis de via quam ego nunc
» ostendo vobis, & ambulaueritis post Deos alienos, quos
» ignoratis. Itaque bene aut secus constitutæ Reipub. rationes & exempla ex sacris libris petenda sunt; ex quibus quales nam vtramq. partem exitus maneant, viuis ostenduntur imaginibus. Atque huius tertij voluminis, in quo popularis & optimatum gubernationis continetur summa, nos interpretationem aggressuri, diuinam opem ex more implorabimus.

Humani rector generis veraxq́, Magister,
Æternum cuius gloria firmat opus;
Da, tua simplicibus monumenta probare volenti
Nosse mihi, certo dicere & indicio.
Nam sine te insana est miseri prudentia mundi:
Te monitusq́, tuos qui tenet, ille sapit.

PRIMI AC SECVNDI CAPITIS ARGVMENTVM.

EOS, qui declaratum sibi expulsioneque damnatum hostem expellere studeant, auxiliarem Dei manum præsentem cognoscere & laudare historia indicat: Eos verò qui à diuini Spiritus præceptis ac monitis desciscunt, atque ex humano consilio fœdere cum hostibus paciscendo compendium facere studeant, magnum sibi malum parare, nullamque huiusmodi culpæ excusationem habere, præsertim non obscuris, sed manifestis Dei monitis ac reprehensionibus obiurgatos.

CAPVT PRIMVM.

POST mortem Iosuæ consuluerunt filij Israel Dominum, dicentes: Quis ascendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli?

POSTQVAM *Israelitis à Deo monitis ac promotis tantum locorum, agrorum atque vrbium occupatum esset, quantum illi qui tunc viuebat populo ad habitationem & culturam satis superq́, esse putabatur; ea quæ supererant promissæ regionis spatia, non vnicæ tantùm expeditionis impetu, sed maturè ac paulatim expugnanda restabant, ad futuræ etiam numerosæ sobolis commoditatem & vsum. Interim verò, ne cultore prorsus deserta loca sylue scerent aut vastarentur, hostis ità sinẽdus erat, vt hostiliter tamen tractaretur, hoc est, vt exterminij damnatus haberetur, & nunquam in amicitiam admissus, pium populum pestifera superstitionum atque morum consuetudine contaminaret, nec sibi vnquam ex fœdere perpetuas cõcessum iri sedes arbitraretur, sed magis in metu semper & suspicione positus, Israelitas horreret, & se, suasq́. vrbes vt tueretur, armis operibusq́. muniret; quare Israelitæ minimè desides aut negligentes redderentur, sed continuandis bellis tam diu se exercerent, quoad hostis omnino pulsus, regionem rebus omnibus oportunis instructam, & populi sancti religionem nullo commercio violatam relinqueret. Quàm diu enim bella atque inimicitiæ gerebantur cum Gentibus, magnas non modò studiorum & morum, sed religionis etiam simultates retineri necesse erat. Atque huius obseruationis summa ratio ex ipsa diuina lege petenda fuit, in qua scriptum est: Ecce ego* Exodi 23.
mittam Angelum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in »
locum quem præparaui. Obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet cùm peccaueris, & est nomen meum in illo. »

Universidad de Deusto
Biblioteca

» *Quòd si audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero*
» *inimicis tuis, & affligam affligentes te: præcedetq; te Angelus meus, & in-*
» *troducet te ad Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, Chananæum,*
» *& Heuæum, & Iebusæum, quos ego conteram. Non adorabis Deos eorum,*
» *nec coles eos: non facies opera eorum, sed destrues eos, & confringes statuas*
» *eorum: seruietisq; Domino Deo vestro, vt benedicã panibus tuis & aquis,*
» *& auferam infirmitatem de medio tui. Non erit infœcunda nec sterilis in*
» *terra tua: numerum dierum tuorum implebo. Terrorem meum mittam in*
» *præcursum tuum, & occidam omnem populum ad quem ingredieris, cun-*
» *ctorumq; inimicorum tuorum coram te terga vertam, emittens crabrones*
» *priùs, qui fugabunt Heuæum, & Chananæum, & Hethæum antequam*
» *introeas. Non eiciam eos anno vno, ne terra in solitudinem redigatur, &*
» *crescant contra te bestiæ. Paulatim expellam eas à conspectu tuo, donec au-*
» *gearis, & possideas terram. Ponam autem terminos tuos à mari rubro vsq;*
» *ad mare Palæstinorum, & à deserto vsque ad fluuium. Tradam in manibus*
» *vestris habitatores terræ, & eiciam eos de conspectu vestro. Non inibis*
» *cum eis fœdus, nec cum diis eorum. Non habitent in terra tua, ne fortè pec-*
» *care te faciant in me, si seruieris diis eorum; quod certè tibi erit in scanda-*
lum. Itaq; Israelitis, quamquam suas vrbes tutò possidentibus, tamen quoad
cæteræ omnes hostè expellendo protinus expugnarentur, perpetua bellicæ
disciplinæ meditatio exercitatioq; restabat: id quod primi illi patritij maio-
resq; natu, qui Iosue vita functo superstites fuerant, probè tenentes obser-
uarunt; non in vnicã tantùm expeditionẽ parati, verùm continuatis bellis
operam daturi. Atque primam illam Iosue duce inuasionem, quoad satis
loci omnibus iis, qui tunc viuerent, oportuni occuparetur, omnibus totius
gentis copiis pariter coniunctis fieri oportuit; &, quod consentaneum fue-
rat arbitrari, propugnationem omnium incolarum viribus & opibus fœde-
ratis susceptum iri, vt certè euenit: quod ita vt fieret, diuino oraculo fuerat
imperatum. Nunc verò illa opum atque potentiæ mole iam fracta ac penè
dissipata, interiectisq; iam per diuersa loca Israelitis, per quos eiusmodi fœ-
deratio & communicatio interturbari posset, res ita gerẽda erat, vt, quam-
quam Dei iussu ac miraculo cum primis niteretur (id quod Israelitis per-
suasum certumq; esse debuit) apud Gentes tamen, quæ non solùm diuinæ ef-
ficientiæ, sed humanæ etiam industriæ ac virtuti plurimum tribuere solẽt,
Israelitarum fortitudinis opinio, quæ primis illis bellis facta fuerat, perpe-
tuis successibus confirmaretur ac duplicaretur etiam, cum magna admira-
tione industriæ, quæ fortitudinis caput esse creditur. Consilium igitur fuit,
vt singulæ tribus finitimos sibi, id est, sua in sorte degentes hostes oppugna-
rent. Siquidem diuisis hostis minori negotio ac labore impeti debellarique
poterat, quàm si coalescere sineretur. Vnaquæque verò hostiũ pars vbi victa
esset, ei tribui, à qua vincebatur, gloriam augebat; ex eoq; in omnẽ terram
fama permanabat, Israelitas vnà coniunctos, insuperabiles fore, cùm se-
iunctos

iunctos etiam vincere non esset. Quòd si vna superaretur ab hoste tribus,
vndecim tamen integras adhuc constare, singulas quidem nec ignauas, nec
desides; omnes verò simul coniunctas vehementer metuendas. Atque hoc
pacto hostium animos perpetuò consternatos fore conueniebat. Quamobrem
primum hoc ex diuino monitu constitutum fuit, vt suæ à singulis tribubus
ad bellum gerendum susciperentur partes. Verùm quænam ex omnibus ex-
peditionum initium facturа esset, nondum illis (vti res ipsa docet) ex sin-
gulari Dei responso declaratum fuerat; itaque oraculum petere expediuit,
diuinumq; de ea re consiliũ summo Sacerdote interprete rogari. Hoc autem
curatum est ritu illo arcano, quem in VRIM & THVMIM *sacrum*
constitutumq; esse, & soli Sacerdoti maximo patere Deus voluit. Quam-
quam enim Iosue, quo tempore rem gessit, vatis etiã officio ac munere fun-
geretur sæpissimè, vt qui Mosis spiritum Deo donante acceperat, atque ipse
etiam Deum compellans, oportuna responsa referret; tamen ab initio, cùm
Magistratus & ministrorum ratio in Arabiæ montibus constituta fuit, il-
lud eum primis sancitum decretumq; est, vt nihil magni ac noui Rempub.
spectantis negotij vel obiretur, vel deponeretur, nisi Deo primùm per Sa-
cerdotis procurationem consulto. quod quidem præceptum viuente etiam
Iosue viguit & valuit, vt in sortibus ducendis manifestè ostensum fuit.
Huiusmodi verò mandati ac iuris Pontificij adscribendi illa fuit lex: Tolle Num. 27.
» *Iosue filium Nun, virum in quo est spiritus; & pone manum tuam super*
» *eum: qui stabit coram Eleazaro sacerdote & omni multitudine, & dabo ei*
» *præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, vt audiat eum omnis*
» *synagoga filiorum Israel. Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar sacerdos*
» *consulet Dominum. Ad verbum eius ingredietur & egredietur ipse, & omnes*
» *filij Israel cum eo, & cætera multitudo. Itaque Iosue, quamquã du-*
» *ctus diuino Spiritu, quamquam publicis authoramentis à Deo atque à Dei*
ministro Mose ornatus, & manifesta authoritatis ac muneris traditione
amplificatus, quamquam porrò singularibus Dei allocutionibus appellatus
& monitus, tamen summum Sacerdotem agnoscendi & obseruandi, &,
cùm opus esset, consulendi lege tenebatur. Ipse, inquit diuina lex, ipse quem
tot partibus amplificandum suscepi, amplificatumq; ostendam, quem non
rarò vt Prophetam alloquar, ad verbum Eleazari ingredietur & egredie-
tur. Quod si ipse sic actурus est, & omnis Israel cũ eo, & cætera multitudo
eodẽ modo aget. Duobus itaq; muneribus Iosue præditus, altero vaticinan-
di populi deducendi ac gubernandi altero, quod ad Propheticum officiũ per-
tinebat, cùm ipsemet diuina responsa sæpè acciperet, non iubebatur Sacerdo-
tem consulere: quod verò gubernationem spectabat, vbi quicquam magni
atque ardui consilij incidisset, Pontificem petere ex religione debuit. Illo au-
tem vita ac muneribus defuncto: quamquam gubernandæ rei ius & autho-
ritas ad successores deferretur legitimè, tamen singularis illa vaticinandi
prærogatiua non omnibus gubernatoribus à Deo data est; sed ea authoritas

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad publicarum rerum vsum apud Sacerdotem hæsit; quem nunc petentes Israelitæ, consuluerunt Dominum: Quis ascendet ante nos cõtra Chananæum, & erit dux belli? *Non de singulari aliquo capite atque omnibus tribubus imperaturo Duce consulitur hoc loco Deus, verùm de ea tribu quæ instaurandi in Chananæos belli initium factura erat, vt ex responsõ, ex re ipsa, atque ex Hebraica lectione apertè declaratur:* Quis ascendet nobis ad Chananæũ initio ad prælianduũ cum eo? Ad Chananæum, *eum videlicet, qui nondum expugnatus pulsusq; fuerat. Namque, vt sæpè iam legimus, omnis illa regio, quamuis multis regnis antea diuisa esset, vnico nomine Chananæa, ab vno Chanaano, totius gentis quondam parente, dicta habebatur.*

Dixitq́ue Dominus, Iudas ascendet: Ecce tradidi terram in manibus eius.

DIVINA *responsa, quocumque loco, quocumq; tempore, quocumq; pronuntientur ministro, quamquam oratione aliquando varient, sententiis tamen ac rebus perpetuò sibi ipsa constant. Apud Ægyptum moribundus*
Genesis 49. *ille senex, diutnusq; vates, ita de Iudæorum tribu vaticinatus fuerat. Manus tua in ceruicibus inimicorum tnorum: adorabũt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti vt leo,*
» *& quasi leæna: quis excitabit eum? Idem etiam alia elocutionis forma Mo-*
Deut. 32. *ses, peregrinationis ac vitæ suæ fini proximus, prædixerat: Audi Do-*
» *mine vocem Iudæ, & ad populum suum introduc eum. Manus eius pugna-*
» *bit pro eo, & aditor illius contra aduersarios eius eris. Omnia hæc quisquis diligenter expensa intellexerit, tertio hoc respondentis Dei oraculo cõfirmata præstitaq; cognoscet. Nam quod Iacob dixerat, Manus tua in ceruicibus inimicorum; & Moses interpretatus declarauerat, Manus eius pugnabit pro eo; hoc Deus euenturum esse ait, dũmodo ipse non segnis otióve torpens cesset, sed, diuino fultus promisso, hostes expugnaturus petat.* Ecce tradidi terram in manu eius. *Quod verò à Iacobo dictum est, Adorabunt te filij patris tui; illud significabat, in rebus gerendis omnibus Iudam primas laturum, quas hoc in responso à Deo datas, & à fratribus concessas videmus. Atque omnia hæc volentis Dei consilio ac proposito Iudæ conditura, & ex hoc vno sperandæ ac petendæ fonte, vaticinium indicabat: Audi Do-*
» *mine vocem Iudæ, & ad populum suum introduc eum. Idem verò declarauit hoc loco responsum Israelitis relatum,* Iudas ascendet. *Præterea regionem mõtanam ac totius terræ illius editissimam, Iudæis tum ad expugnandum, tum ad habitandum cessuram, verbum tertiò iam repetitum ostendit: Ad prædã ascendisti fili mi; & quis ascendet nobis primus; & Iudas ascendet. Primam enim illam partem inuadi voluit Deus; quæ, quòd mõtibus frequens erat, cæterarum omnium tanquam arx videbatur: hanc verò nisi priùs occupandam diuina prouidentia tradidisset, ex cæteris locis pulsi hostes petere ac munire sibi possent, non ita facilè postea fundendi, præsertim si præsi-*

præsidia sibi opportunè constituere sinerentur. Demum Iudæis Dei consilium & propositum facessentibus certum fore diuinum auxilium, prædixerat Moses: Aditor illius contra aduersarios eius eris. & idem hoc promittitur oraculo: Ecce tradidi terrã in manibus eius. *Atqui huiusmodi felicitatem perpetuò experti Laudabunt, quicumque iussis ac monitis Dei parentes, quamuis maxima atque difficillima subierint negotia. Animaduertendum verò est, in hoc aliisq; huiusmodi responsis effatum simul atque iussionem contineri: quorum alteri fides, alteri verò obsequium ab hominibus debetur. Est autem effatum, siue promissum hoc in loco appellare placeat,* Ecce tradidi terram in manibus eius. *iussio verò illa,* Iudas ascendet. *Non enim caperet Iudas terram, nisi Deus traderet. hoc primum fidei fundamentum tactum oportuit: verùm illi non traderet Deus otioso, cessanti, aut negligenti, sed alacriter satagenti. Iam verò vtriusque virtutis periculum Iudæ studio atque conatu ipso factum est, cui libenter & intrepidè bellum fuit quàm primum susceptum, adeoq; fidenter, vt ad gloriæ & commodorum partem vicina sibi & charissima tribus fuerit inuitata.*

Et ait Iudas Simeoni fratri suo, Ascende mecum in sortem meam, & pugna contra Chananæum, vt & ego pergam tecum in sortem tuam. Et abiit cum eo Simeon.

BELLVM *hoc à Iuda magna fide fuisse susceptum, res ipsa indicat, nullius cunctationis aut exceptionis mentione facta, & euentus apertè declarauit: atque illud etiam confirmat, quòd ille nihil hæsitans, verùm certissima spe fultus, vicinam Simeonis gentem sibi sociam adscisceit, non solùm victoriæ ex illo bello reportandæ certus, verùm etiam illius quam Simeon postea suo tempore assecuturus erat:* Vt & ego pergam tecum in sortem tuam. *Victorem atque adeò integrum vnà cum socio se ex illo bello redituru Iudas credit, & pari fide atque studio fraternas quoque partes adiuturum pollicetur. Cùm autem ab initio cõstitutum fuerit, vt singulæ tribus finitimos hostes, ac permixtos sorti suæ, inuaderent atque expugnarent; cur Iudas Simeonem secum deducendum curaret, in causa fuit antiqua & vetus amicitia, inter has tribus iam inde à primis parentibus constata & culta, cum communione ac societate periculorum commodorumq; omnium, adeò vt non modò coniunctas regiones ambæ tribus fuerint sortitæ, verùm in ipso Iudæ latiùs patente agro, ac veluti intra proprium sinum inclusas vrbes obtinuerit Simeon. Quamobrem hunc fidei, virtutis, ac felicitatis suæ socium nunc etiam habere Iudas vult, idem (vt par erat) officium se repensurum pollicitus. Hanc adeò rationem ipsa nobis lectio indicat, quòd, cùm cæteræ tribus omnes Iudæ quoque fratres essent, hutc tamen singulari charitatis coniunctionisq; pacto fratris nomen fuerit adscriptum:* Et ait Iudas Simeoni fratri suo. *Magno ac probando exemplo societatis nunquam deserendæ, sed officiis omnibus fouendæ & excolendæ: quæ coniunctis animis mutuatisq; opibus facilitatem, alacritatem, & felicitatem generat, & ad-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

uersariæ parti terrorem incutit, opinionemq; serit insuperabilis fortitudinis. Nec verò in Simeone minor quàm in Iuda fides & virtus spectatur: qui & fratri & sibi suas regiones debellatum iri credidit, & charitatem suam officio prompte ac sedulò faciendo ostendit. Non enim ille fratri quicquã respondisse, verùm se ipsum continuò pro responso præbuisse narratur.

Ascenditque Iudas, & tradidit Dominus Chananæum & Pherezæum in manus eorum, & percusserunt in Bezec decem millia virorum.

FIDEM *diuino responso habitam, certissimum euentum consecutum fuisse, versus hic ostendit, qui totius gestæ rei summam complexus, diuinis effatis credere manifesto boni successus exemplo docet. Vt, inquit, Iudas promisso diuino animatus, nihilq; hæsitãs, hostem sibi expugnandum continuò petiuit, nullaq; locorum difficultate detentus ascendit, atque ipsum cum primis regni caput aggressus est: ita veracem agnouit Deum, cuius præsidio ac beneficio victoriam est adeptus. id verò quemadmodum gestum, expeditum, confectumq; fuerit, mox diserta narratione exponitur.*

Inueneruntque Adoni-Bezec in Bezec, & pugnauerunt contra eum, & percusserunt Chananæum & Pherezæum.

CONIVNCTARVM *Iudæ ac Simeonis copiarum consilium, Chananæum Principem illum non potuit latère, præsertim fortem, strenuum, & cautum, atque ex finitimi hostis vicinitate in suspicione & cura positum, sibiq; ipsi per excubias & exploratores haud ignauè prospicientem. Oportet enim bellicæ rationis non modò studiosum propter timorem, sed peritissimum etiam ex longo vsu fuisse eum, à quo septuaginta, vt minimum, Reges antè fuerant superati & capti. Is igitur vel diu ante Iudæ inuasionem, vel eodem tempore quo inuasum iri se intellexerat propugnatione deliberata & constituta, præsidium comparauerat ex duabus gentibus loci ac sanguinis affinitate sibi propinquis, Chananæa & Pherezæa: quod præsidium intra regiæ vrbis mœnia collocatum, firmissimum propugnaculum fore putauerat. Nam locus natura regioq; opere munitus, copioso etiam strenui propugnatoris apparatu, omnibusq; opportunis instructus rebus, validiùs propugnari, & obsidionẽ diutius ferre valet, atq; opportunitates obseruare ad inuadendum vel turbandum hostem. Quamobrem Princeps ille, cui nomen non proprium, sed ex dignitate ac dominatione factum, Adoni Bezec erat, collectis strenuorum virorum Chananæorum & Pherezæorum auxiliaribus copiis, venientis hostis impetum in vrbe sua expectare & sustinere constituit: cætera autem oppida non tanti fecit, dummodo maximum ac firmissimum suæ ditionis præsidium tueretur. Hoc autem consilium ex bellicæ artis ratione & illi, & iis, quos sibi asciuerat, probatum fuit. Contrà verò Iudæus, diuini promissi fide innixus, minoribus ac infirmioribus locis contemptis, conficiendæq; quàm celerrimè rei cupiditate ac spe impulsus, caput ipsum initio petendum sibi proposuit, hoc est, regionis Principẽ, quem quæsitum*

situm inuenerunt in Bezec: atque hoc pacto duo maxima propugnationis firmamenta, Principem, & regiam vrbem, eadem opera tanta celeritate atq; alacritate inuaserunt, vt occisis Chananæorum ac Pherezæorum decem millibus, quorum summam proximè tenebamus, Principem ipsum ad fugam coëgerint.

Fugit autem Adoni-bezec, quem persecuti comprehenderunt, cæsis summitatibus manuum eius ac pedum.

NON *satis esse vincere, sed oportere scire victoria vti, prudentium ac strenuorum virorum præceptis & exemplis declaratum est. Sæpè enim eos quos fugientem hostium ducem (maximè verò quem latibula aut subsidia non longè habere constaret) insequi piguerit, pœnituisse comperimus. Accidit autem hoc vel ex ignauia, vel ex imperitia, vel ex contemptione Ducis, vel ex cupiditate aut socordia militum, qui laborem refugientes, vel prædæ inhiantes, diducuntur, & moras trahunt, adeò vt hostis fuga suæ interim saluti consulere, &, vt ille aiebat, inter fugiendum de instauranda pugna cogitare possit: id quod summo belli duce capto vel occisò agere non licet. Igitur Iudæ quamquam parta iam ex tot millibus hostium victoria, regeq; fugato, nulla tamen de diripienda spoliandaq; vrbe cogitatio incidit; sed fide fultum illud consilium perstitit insequendi hostium Principem, quoad capere contingeret, ex oraculo illo,* ECCE tradidi terram in manibus eius. *Namque ex illo promisso Regem etiam, terræq; caput in suas manus tradendum sperare phas fuit: atque id ipsum agere oportuit, quod secundo euentu confirmatum est, capto videlicet Principe. Cui comprehenso, ex bellici iudicij sententia, manuum ac pedum digiti præcisi fuère; non omnes quidem, sed pollices tantùm, qui ceterorum firmissimi, vsuq; commodissimi, & significatione habẽtur honestissimi; in opprobrium ignauiæ ac fugæ. Minimè enim decet Principem fugere, regnumq; suum deserere, sed vel ditionem dignitatemq; suam tueri, vel propugnando ac dimicando defendere; atque ita vel vincere, vel capi, vel fortiter occumbere oportet, pastoris optimi exemplo, qui animam suam pro ouibus ponit propriis. Sunt verò manuum ac pedum extremi digiti ij, qui, quod polleant, pollices Latinè dicuntur, fortitudinis ac virtutis symbola, vt in libro Ioseph inscripto docebamus: ijdem Hebraicè* BOHENOTH *appellati, ex simili etiam Latinæ significationis verbo. Euenit autem, vt, quod bellici iudicij consuetudine factum erat, diuina sententia confectum ex ipsius Principis confessione intelligeretur.*

Dixitque Adoni-Bezec: Septuaginta Reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Adduxeruntque eum in Ierusalem, & ibi mortuus est.

PROVIDENTIÆ *ac iustissimi iudicij Dei exempla quàm plurima & illustrissima opportunis temporibus edi solere, ijs constat, qui vel vitæ ac rerum longiore vsu, vel attentiore sacrarum ac prophanarum historiarum lectio-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

lectione, sapientiæ partem aliquam consecuti sunt. Ex huiusmodi exemplis vnum etiam in Principe hoc statutum, & ad posteritatis memoriam literis cõsignatum fuit; quo manifestè docemur, nullam quamuis minimam mortalium actionem diuinum iudicium latère aut effugere posse; imò quàm sæpissimè hominum quorundam facinora, in aliorum contumeliam peracta, simili pœnarum genere iudicari ac redargui. Simul etiam indicatur qualis nam superbiæ, arrogantiæ, fastus, ac luxuriæ, insolentiæq; exspectandus sit exitus. Oportet enim opulentum, superbum, ac secundis rerum successibus elatum fuisse existimare Principem illum, cui septuaginta Reges in pugna capti fuerint: id quod non vnico prælio factum arbitramur; verùm, sicuti res indicare videtur, variis temporibus, aliis atque aliis manũum consertionibus: eundem verò insolentem crudelemq; euasisse, excogitatum ac toties vsurpatum opprobrij & contumeliæ genus, omnibusq; à se captis Regibus impositum declarat, famoso atque audientibus omnibus detestando exemplo, quo victor fortitudinis suæ, & Regum quos vicerat, ignauiæ ac dedecoris, assiduum quotidie spectaculum præberet. Oblitũ quoq; humanitatis omnis credere licet eum, qui mensæ tempore, cùm ex labore membra, animum verò ex curis releuari ac refici natura voluit, tamen illa magna magnorum hominum miseria vsque adeò delectaretur, vt ludi ac ioci materiam duceret, tot Reges, manibus ac pedibus resectis, pollicibúsque præcisis, decidua ciborum fragmenta, ac proiectas reliquias, in canum vel simiarum morem, festinè tenere, & contentiosè colligentes ac deuorantes spectare. Ad hæc quem nam luxuriæ epularúmque modum illi fuisse credendum est, cuius mensæ reliquiæ septuaginta Regibus alendis esse potuere satis? Atqui omnia hæc Deum nec ignota, nec impunita præterijsse, tandem ipse pœnis dandis declarabat Tyrannus manifesta prouidentiæ confessione. Quippe qui regno atque honore amissis, pollicibus præcisis, propriæ conscientiæ impulsu, sui ipsius supplicij præco esse, atque exempli in se editi præconium ita claudere coactus est: Sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Hebraica verba omnia grauissima sunt, atque ex legali ac forensi sermone petita. Dei etiam nomen ELOHIM hoc loco appellatur, quod prouidentiæ ac iudicij spectare rationes iam sæpius docuimus. Intellexit nempe Tyrannus hic, Israelitis victoriam diuino beneficio, sibi verò pœnas diuino constare iudicio: nec tamen vitam, quamquam illa conditione miserrimam, diu prorogare potuit, sed conscientiæ propriæ fastidiosa ægrimonia vulnerum (quæ aliàs non erant letalia) dolorem adeò exacerbauit, vt mortẽ non multo pòst attulerit homini capto, et à victoribus deducto ad castra quæ in Ierosolymorum obsidionẽ posita fuerunt. Deductus autẽ fuerat ad exemplum promulgandum, tum victoriæ Iudæis ex Dei ope ac volũtate partæ, tum iustissimi iudicij Dei omnibus patefaciendi iis quibus Tyranni illius insolentia & superbia nota fuerat. Iam verò primum in hac expeditione victoriarũ initiũ secundis rerum successibus auctum promotumq; fuisse, historia declarat.

Oppu-

Oppugnantes ergo filij Iudæ Ierusalem, ceperunt eam, & percusserunt in ore gladij, tradentes cunctam incendio ciuitatem.

DIVINI consilij ac iudicij iam diu aduersum Chananæos pronuntiati satellitem sese Iudæ tribus præbet, munitissima illa vrbe vastata, quæ totius regionis caput erat. Nam fidẽtes Iudæi illi Dei promisso, Ecce dedi terram in manibus eius, vrbem aggrediuntur & inuadunt; habitatoribusq; ferro interfectis, mœnia ædificiaq; cætera igni incendunt. Erat verò Ierusalem magna vrbs, cui, post interiectã vallem, vicinus assurgebat mons Sion, firmissimæ arcis præsidio insignis: qui locus eodem tempore captus non fuit, quòd non ad Iudæ, sed ad Biniamini sortem pertineret, cum parte etiam populi secundùm arcem habitantis. Itaq; altera pars, Ierosolyma, inquam, quæ antea capta non fuerat, Iudæorum adscripta tribui, nunc primùm expugnata, capta, & incensa fuit: deinde verò cætera Chananæorum loca pari felicitate superata sunt & expugnata.

Et postea descendentes, pugnauerunt contra Chananæum, qui habitabat in montanis, & ad meridiem in campestribus.

POST Bezec expugnatam, quidquid à filijs Iudæ petitum est, debellatum planè fuisse narratur, ad fidei efficacitatem significãdam. Namque vbi diuino promisso ac præcepto fides obseruatioq; adhibetur, non multum refert magnúmne an paruum sit quod initur negotium, multis an paucis humanis viribus & opibus conficiendum suscipiatur: nam demum oportunè conficitur & perficitur volentis ac promittentis Dei virtute ac numine, quia non est impossibile apud Deum omne verbum. Id verò quàm certum explo- Lucæ 1.
ratumq; sit, rerum à tribu Iudæ gestarum narratione paulo altiùs repetita demonstratur. Primo enim loco ea commemorantur, quæ tribus illa coniunctis copijs gesserit, nempe Bezec expugnatio, victoria de Principe reportata, Ierosolymorum cædes & incendium, cæterorum deinceps locorũ omnium, quacumque in parte sitorum, siue in montano & arduo, siue in plano campestriq; tractu. Nam difficillima quæq; primùm inuasa & feliciter confecta fuerunt, vt Bezec & Ierusalem, in editis naturaq; munitis montibus posita: ex qua ad alias omnes vrbes, quamquam non mediocri ex parte montanas & asperas, tamen descendendum fuit, idq; breui admodum tempore, vt nec tempestatum varietas (quæ alio atque alio modo in editioribus ac frigidioribus, atque in planis aridioribus calidioribusq; regionibus pugnare cogit) quicquam illis negotij exhibuerit, quo minùs omnia feliciter atq; celeriter caperentur. Qui habitabat in montanis, & ad meridiem in campestribus. Iam verò his posterioribus bellis in summa narratis, priora omnia recensentur quæcumq; Iudæ tribui adscribi iure possunt, cum comparatione cæterorum quæ ab aliis tribubus vel suscepta sunt, vel suscipi & confici facilè potuere, eadem tamen fide, qua Iudæi niterentur, instructis & animatis, aliàs enim nihil pari successu euenire poterat.

Pergensque Iudas contra Chananæum, qui habitabat in Hebron

Universidad de Deusto
Biblioteca

(cuius nomen fuit antiquitus Kiriath-Arbee) percussit Sesai & Ahhiman & Tolmai. Atque inde profectus, abiit ad habitatores Debir, cuius nomen vetus erat Cariath-Sepher, id est, ciuitas literarum. Dixitque Caleb: Qui percusserit Cariath-Sepher, & vastauerit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem. Cumque cepisset eam Othoniel, filius Chenes, frater Caleb minor, dedit ei Axam filiam coniugem: quam pergentem in itinere monuit vir suus, vt peteret à patre suo agrum. Quæ cùm suspirasset, sedens in asino, dixit ei Caleb: Quid habes? At illa respondit: Da mihi benedictionem: quia terram arentem dedisti mihi, da & irriguam aquis. Dedit ergo ei Caleb irriguum superius, & irriguum inferius.

In *superiore proximo libro ea omnia bella narrata sunt, quæcumq; Iosue summo Duce, & publicam rem curante, gesta fuerant. Oportuit enim id ita scribi, tum ad optimi Ducis virtutem & præstantiam significandam, sine cuius vel consilio vel monitu, vel voluntate ac munere denique, memorabile nihil actum est: tum etiam ad historiam suis temporibus aptè & commodè distinguendam. Itaq; omnium rerum à Calebo Ghathnieleq; confectarum causas, modos, extremosq; exitus, cum cæteris memoratu dignis circumstantiis, illo in libro legebamus, & quatenus licuit, perspicuè exponebamus. Atqui eadem illa hoc loco repetita esse, nonnulli ex lectoribus interpretibusq; mirati, rationibus excusare laborant, nõ satis iudicio nostro idoneis, imò neque postulandis, dummodo auctoris historiæ huius pernoscatur consilium, ab omni pugnantiæ vel repetitionis nota alienum, atque eò solummodo intentum, vt vel vnico Iudæ tribus cum aliis comparato exemplo, rerum Fide duce gerendarum cognoscatur felicitas, & Spes omnibus confirmetur credentibus optimi euentus in quouis negotio, quamuis natura sua difficillimo, tamen ex Dei voluntate ac iussione ineundo & explicando. Quamobrem, vbi quid quantumq; ab omni Iudæorum tribu, Simeonitis coniuncta, quàm celerrimè peractum fuerit, hoc libro narratum est: quid etiam & quantum initio ab eiusdem tribus non omnibus, sed quibusdam viris Fide ac Spe incensis, breuissimè etiam fuerat confectum, commodè recensetur, vt id demum ostendatur apertè, non temporum, non naturæ rerum difficultate, sed hominum ipsorum vitio stare, quo minùs maxima quæq; à Deo promissa & iussa præstentur, & plenè cumulateq; constent. Est itaq; huius loci sententia, nulli mirũ videri debere, si Iudas Simeone adscito, Bezecam cum Principe suo, Ierosolymam munitissimam, omnesq; alias Chananæorum in sua sorte sitas vrbes, tam montanis quàm campestribus locis, tanta celeritate & felicitate expugnasse narretur, cùm non minores victoriæ non multo antè eidem tribui contigerint, singularibus ac propemodum priuatis opibus tum Calebi, viri iam senis, cuius virtuti maxima, fortissima, & celeberrima, antiquis nouisq; fortitudinis nominibus commendata Hebron vrbs, cum tribus horrendis Principibus expugnata cesserit: tum etiã Ghathnieli*

nieli ætate longè minoris, cui proposito solummodo vnius puellæ sine dote coniugio, dos ipsa quæsita fuit, vrbem non minùs difficilem, nec minoris fortitudinis fama antiqua ac veteri celebrem, bello atque armis inuadenti & obtinenti. Singularum itaq; partium & vocum narrationis huius explicationes, ex Commentariis nostris in Iosuen petere lectori, si placeat, licebit; hic tantùm satis fuerit, rationem recensitæ historiæ indicare. Quæ verò illa quoque narratio subtexitur, de irriguis locis Axæ arte à patre impetratis, eodem etiam refertur, videlicet partem non modicam agri, natura & cultorum industria fertilissimi, non minore facilitate Calebo ad donandũ constitisse, quàm Kiriath-Arbagh: quæ cùm nondum capta esset, tamen optimo viro dotis nomine capienda proponebatur. Perinde enim duo irrigua loca, superius & inferius, filiæ suspiranti donata sunt, ac si pomorum canistrum, vel florum donaretur calathus. Hanc verò felicitatis rationem ipsa narrationis conclusio indicat: Dedit ergo irriguum superius, & irriguum inferius. *Irriguum tantummodo postulanti, duplex irriguum datum est. Itaq; omnia hæc eò pertinent, vt pernoscamus quantum vnica tribus, dum promissis iussisq; diuinis fidem & obsequium præstabat, assecuta sit. Nõ enim ea tantùm occupauit, quæ sibi satis abundeq; magna & commoda essent, atque etiam quæ Simeoni fratri porrigi poterant; sed alia quoque amicis & hospitibus iuuandis, alendis, fouendisq; idonea.*

Filij autem Cynęi, cognati Moysi, ascenderunt de ciuitate Palmarum cum filiis Iuda in desertum sortis eius, quod est ad meridiem Arad, & habitauerunt cum eo.

Connexionem *historiæ huius, & rationem quamobrem Recabitarum mentio hoc potissimùm loco inducta fuerit, satis apertè indicasse nobis videmur. Illud etiam addemus, huius gentis honestam olim nõ solùm commemorationem, verùm etiam tractationem semper fuisse, idq; tum patris ipsorum Iethrus merito, tum eorundem quoque fidei ac virtutis ex paterna disciplina perpetuæ obseruatæ ergô. Fuisse verò Iethro, Mosis socero, plura nomina (vt multis etiam aliis antiquorum) frequenti testimonio nouimus. Namq; hoc loco Kini commemoratur nomen; apud Ieremiam verò* Ierem. 35. *idem Recab appellatur, cuius posteri ex antiqua gentis consuetudine non vrbes aut domos, verùm tentoria habitauère, pecoribus armentisq; alendis intenti, atque religionis & commerciorum communione amicitiæq; officio Israelitis coniuncti. Hi initio cùm exiguo numero adhuc essent, hoc est, quo tempore Israelitæ, Iordane transmisso, terram inuasere, eam partem ponendis tabernaculis optarunt, quæ secundùm Ierichontis agros latiùs porrecta extendebatur in dictione vrbis, cui nomẽ Vrbs Palmarum fuit, ex illarum arborum copia impositum. Post diuisam etiam inter Israelitas hæreditatem, illum locum huic Cynæorum familiæ omnium tribuum calculis concessum mansisse, lectio ipsa indicat. Sed Iudæorum tribus ingenio & consuetudine liberalior, eademq; ad amicitias fouendas promptior, vbi satis superq; sibi*

Universidad de Deusto
Biblioteca

atque Simeonitarum partibus loci definiuit, ſpatia vrbibus vacua & pecuariæ rei curandæ opportuna, Cinæorum genti proſpexit, atque hoc pacto amicorum commodis, atque ſuæ etiam ipſius ſecuritati conſulendum duxit. Non enim in vltimis Iſraelitarum terminis Cynæus ita commodè degere poterat, vt intra vnius tribus agrum, vbi locus ad vitæ genus aptus erat, videlicet deſertum, ſiue ſolitudo nullis vrbibus aut oppidis occupata, quæ Iudæis ipſis vrbium cultoribus nulla ex parte prodeſſe poterat, cæterùm poterat obeſſe, vel multo ac vario ferarum genere procreando, vel hoſtibus nonnullis locum ad habitationem patefaciendo, vel ad prædas & graſſationes cõmoditatem creando; quas res Iudæis citra perpetuum negotium atq. ſumptum vitare aut impedire non erat; amicis verò illa loca tradere, vtriq. parti vtile atque honeſtum eſſe, multis nominibus iudicabatur: atque tractum illum ex hoc tempore vſque ad Saulis Regis ætatem habitatum fuiſſe intelleximus. Namque Rex ille, incenſis vndique ac latè flagrantibus Palæſtinorum bellis, gentis huius tutelæ ac ſalutis rationem habendam duxit, regiamq. curam & grati animi officium erga illos oſtendit, vtpote quos de Iſraelitis iam inde à Moſis exilio bene ſemper nouerat promeritos. Itaque Iudas in expeditione illa ſibi atque amicis commodi oportuniq. loci ſatis magnam copiam fecit, deinde verò fidem Simeoni datam perſoluendam cenſuit.

Abiit autem Iudas cum Simeone fratre, & percuſſerũt ſimul Chananæum, qui habitabat in Sephat, & interfeceruunt eum: vocatumque eſt nomen vrbis Horma, id eſt, anathema.

Ivdæ fides tam fratri data, quàm Deo habita, his porrò commendatur narrationibus, felicibusq. geſtarum rerum ſucceſſibus prædicatur: præclaro exemplo promiſſi officij, opportuno tempore vltrò tribuendi, quod nunquam ei etiam à quo tribuitur, inutile euadit. Siquidem Iudas adiuuando Simeone fratre ſecuritatem ſibi quoque parabat ex hoſtibus iis quos è fraterna ſorte pepuliſſet. Atqui nomen illius regionis primæ vrbi mutatum rei geſtæ magnitudinem indicabat, & monumentum ad poſteritatis memoriam conſtituebat. Namque anathematis ſiue deſolationis verbum idem illi vrbi ac Ieroſolymis factum docebat. Atque illud animaduertendum eſt, interpretationem verbi cum exponente oratione, vel ex margine in contextum irrepſiſſe, vel ab interprete Latino ad ſententiæ ſignificationem addi aliquando: cuius generis alias complures voces in ſacris libris, præſertim iis in quibus hiſtoriæ narrantur, reperire eſt. Hæc igitur à Iuda & Simeone geſtarum rerum initia progreſſus habuere ſecundos.

Cepitque Iudas Gazam cum finibus ſuis, & Aſcalonem atq. Acaronem cum terminis ſuis.

Fertilitas ſoli. Felicitas gentis. Culpæ exitus.

Has vrbes, atque harum vrbium agros, vt fertiles & cultoribus ac propugnatoribus frequenteis, ita etiam commemoratione dignos, pari felicitate cum ſuperioribus Iudas expugnaſſe & occupaſſe dicitur; quas vrbes ipſorum poſſidentium culpa amiſſas, & in Palæſtinorum poteſtatem poſtea redactas

redactas legimus. Fuerunt verò tres non apud eos tantùm qui Aſiam incolebant, ſed apud Græcos etiã & Latinos valde celebres, Gaza, Aſcalon, & Accaron, *ipſis etiam nominibus commendatæ; quæ nomina nos aliàs interpretabamur. Harum verò tantarum victoriarum planè explicata cauſa, earum calamitatum & iacturarum, quæ poſtea vice verſa acciderunt, culpam arguit.* Gaza, Aſcalon, & Accarõ inſignes.

Fuitque Dominus cum Iuda, & montana poſſedit: nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant.

Nostri in exponendis ſacris libris inſtituti illud proprium cum primis fuit, ſingulorum locorum, quæ offendere aliàs poſſe viderentur, difficultates ita complananda ſententia mollire, vt vel nullus vel perquam exiguus quæſtionibus & controuerſiis alendis relinquatur locus. Verùm enimuerò nonnullæ lectionum partes, vel propter orationis breuitatem, vel propter ſacræ linguæ ſtylum, quem Latina verſio imitari perſæpè conatur, eius generis deprehenduntur eſſe, vt, ſi non quæſtione, tamen interrogatione ſaltem egeant, ad eam difficultatem indicandam, in quam vel alij fortaſſis interpretes incurrerint, vel ſimplex lector, niſi moneatur, delabi facilè poſſit. Ex his autem vnus nobis occurrit locus, in quo cùm omnia quæ à Iudæorum tribu ſuſcepta ſunt bella, feliciſſimè confecta fuiſſe narrentur, illud tamẽ ſubiũgitur: Nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant. *Nam ſi illa omnium de montanis locis victoriarum vera, vnica, & manifeſta cauſa fuit, quòd fuerit Dominus cum Iuda; num Dominus idem vel non potuit, vel noluit, vel demum deſiit cum Iuda eſſe, quòd hoſtes plana tenentes loca* falcatis *curribus abundabant? An ne Deo fauenti ac fouenti falcati currus obeſſe potuerunt, quo minùs Iudæorũ res promouerentur, magis quàm montana & aſpera loca, atque illarum gentium & vrbium, quas expugnatas legimus, virtus, induſtria, artes & munitiones? Verùm enimuerò dubitatio hæc duobus modis prorſus tollitur: altero videlicet, rerum ipſarũ natura & vi conſiderata; altero verò, lectionis contextu penitiùs inſpecto, tametſi nulla adhibeatur ſacræ linguæ cognitio. Namq. hac adhibita, planiſſimus apparet huius loci ſenſus. Primùm igitur meminiſſe oportet animaduerſionis illius, quam in Ioſuæ libro explicabamus cùm de ſingularum tribuum hæreditatibus ageretur, in qua apertè ſacra lectio indicabat, multa ab Iſraelitis non fuiſſe debellata, quæ debellari debuiſſent & potuiſſent, nec minori negotio quàm cætera conſtitiſſent; in cauſa verò fuiſſe exiguam ipſorum fidem, magnam ignauiam, & improbam pecuniæ cupiditatem; quamquam ipſi alias prætexuerint cauſas, quas tamen diuinæ virtutis magnitudo, & eorũ, quæ capta fuerant, locorum exẽplum vanas & confictas arguebant: demumq. illud conficiebatur, hominum culpæ nimirum adſcribendum, quidquid ex Dei promiſſis requiri aliquando poſſe videretur. Idem autem ipſum hoc loco Spiritus ſanctus, qui illius & huius libri primus atque vnicus auctor eſt, agit, idemq. docet; atque ex illa* Interpretationis facilitas & perſpicuitas. Negotiũ interpreti quid faciat. Lingua ſacra. Infelicis ſucceſſus origines.

Universidad de Deusto
Biblioteca

disputatione opportuna argumenta promit ad hãc euertendam exceptionem, aptißmoq; vtitur ſchemate, quod Rhetores Mimeſin vocant. Deinde verò argumentationem ex contentione ſeu comparatione ſtruit (quam Dialectici noſtri A minori ad maius dicere ſolent) eãdem repetitis confirmat exemplis. Atqui mimeſis hæc cauſam quidem continet, eam tamen minimè certam aut veram; ſed ex hominum commento ac prætextu ad diſſimulandum vel cauendum ignauiæ & exiguæ fidei crimẽ inuentam. Erat enim illorum promptum ac tritum reſpõſum, ſi quis peteret, cur nam hoſtis is, qui planam incolebat regionem, nõ fuiſſet pulſus? Quia, inquiunt, falcatis curribus abundabat. Hanc vulgarem atque ex humanæ imbecillitatis argutia productam rationem idem auctor, qui argumentando iugulaturus eſt, ex aduerſariorum perſona pronũtiat: nec verò opus fuit illud addere, Quia dicebãt, *vel reſpondebant, vel excuſabant; ſatis enim in huiuſmodi actionibus fuerit, alterius partis orationem ipſam referre, cum varietate quadam pronunciationis voce aut geſtu facta; quam ſi quis nõ audiat, ſed ſcriptam reperiat, iudicio atque animaduerſione vt excipiat, conſentaneum fuerit. Complura autem diſputationum huiuſmodi exempla in ſacris libris, & apud exteros etiam auctores, paſſim reperire eſt. Vt illud, Omnia mihi licent: quod Apoſtolus ex perſona hominis culpam defendentis refert: ex ſua verò illud ſubiungit, Sed non omnia expediunt. & illud ex querela eius qui ſub lege militat, necdum Chriſti virtutem & efficacitatem agnouit: Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius? cui Paulus ipſe, vt Chriſtianæ virtutis atque gratiæ compos, ita reſpondet: Gratia Dei per Ieſum Chriſtum. Huic affine illud apud prophanos auctores obſeruatur:*

Mimeſis.

1. Cor. 6.

Rom. 7.

Horat. in arte.

-Pictoribus atque Poëtis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.
Scimus, & hanc veniam petimusque damusque viciſſim,
Sed non vt placidis coeant immitia, &c.

Atq; illud apud Poëtam, totidem ferè partibus ac modis huic perſimile,

Æneid. 7.

-Méne incepto deſiſtere victam,
Nec poſſe Italia Teucrorum auertere Regem?

Hæc propoſitio eſt: cauſa verò illa ex defendentis perſonæ imitatione,

Quippe vetor fatis.-

Argumentatio autem ex contentione ita ſtruitur:

-Pallásne exurere claſſem
Argiuũm, atque ipſos potuit ſubmergere ponto,
Vnius ob noxam & furias Aiacis Oilei?
Ipſa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem,
Diſiecitque rates, euertitque æquora ventis.
Illum expirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit, ſcopuloque infixit acuto,
Aſt ego quæ diuũm incedo regina, Iouisque
Et ſoror & coniux, vna cum gente tot annos

Bella

Bella gero. & quiſquam numen Iunonis adorẽt
Præterea, aut ſupplex aris imponat honorem?

Ex hac rerum & perſonarum comparatione, atque ex conſecutis porrò calamitatibus ac detrimentis Troianorum, conſequitur, Iunonem non fuiſſe fatis prohibitam, ſed aliam fuiſſe cauſam quamobrem gens illa non periret funditus, id eſt, vt Poëtarum ipſorum Theologiam referamus, Dei mitius conſilium, & inſignem gentis, in primis verò Ducis ipſius pietatem, quam Poëta plurimis in locis commendat. Atque hoc totum diſputationis exemplum in hunc locum ad artem patefaciendam tranſtuliſſe non pigebit.

Prima itaque ex Rhetoricis obſeruationibus reperitur hac in oratione mimeſis: Quia falcatis curribus abundabant. *Hebraica lectio ſic habet,* Quia currus ferrei illis, *in vſu erant videlicet; vtpote quem vſum locorum admittebat planities: itaque nullam aliam præter curruum facultatem illis præcipuam præſtantiam defenſor culpæ adſcribit. Hanc verò rationem, ex hominum metu atque commẽto productam, vanam eſſe, ipſo huius carminis initio diuinus arguit Spiritus:* Fuit Dominus cum Iuda, & montana poſſedit: nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant. *Hebraicè ſic:* Et fuit Dominus cum Iuda, & expugnauit montem illum, quòd non ad expugnandum habitatores vallis, quia currus ferrei illis. *Argumentatio hæc planiſſima fiet, ſi ex poëtica atq; oratoria diſpoſitione ad dialecticum referatur modum, orationis membris trãſpoſitis, vt illud:*

Quippe vetor fatis, Pallásne exurere claſſem, &c. *In hanc formam:*

Quòd non ad expugnãdos habitatores vallis, quia currus ferrei illis. Et fuit Dominus cum Iuda, & expugnauit illum montem, *ſiue*, & montana poſſedit. *Cuius argumentationis pondera ſic examinanda ſunt. Earum difficultatum quæ in bellis faciendis maximæ habentur, illæ, quas locorum ac temporum natura affert, longè duriores eſſe deprehenduntur iis, quas hominum ars vel induſtria inuenit. Nam quæ ingenio ac labore tantum conſtant, ingenio etiam laboreq; pari vel tolli prorſus, vel molliri poſſunt. Verùm vbi humanæ vires, locorum, ſoli atque cæli natura fultæ, adiutæ atque additæ exercentur, tantum homo homini, quantum arti natura præſtat. Atqui ex locis ad bellum gerendum comparatis, montana difficillima habentur multis nominibus, præcipuè verò ad expugnationis oportunitatem, tum quòd aſcenſum arduum habeãt, quem ordinibus diſtinctæ acies vincere non valent (neceſſe enim eſt, vel temerè diſperſa, vel in anguſtum coacta hominum ſerie conſcendi) tum verò quòd facilius & commodius aggreſſor hoſtis impeti, offendi, ac retardari poteſt ex ſuperiore loco, non ſolum à ſtrenuis, propugnandiq; peritis, ſed ab imbecillioribus & rudioribus, atque adeo à mulieribus & pueris, præſertim habitandi, aſcendendi, deſcendendi, an fractusq; petendi vſu exercitatis. S.S.E. Quare acceſſiſtis ad murum vt prælìaremini? an ignorabatis quòd multa deſuper ex muro tela mittan-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

2.Reg. 11. mittantur? Quis percussit Abimelec filium Ierobaal: nonne mulier misit
» super eum fragmen molæ de muro, & interfecit eum in Thebes? Illud
2. Reg. 5. etiam ex hoc genere est: Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & clau-
» dos, dicentes: Non ingredietur Dauid huc. Hactenus argumentationis pro-
» positio explicata est. cui deinceps assumptio subiungitur: Iudas vrbes maxi-
mas in montibus positas, natura atque opere munitas, cum habitatoribus
suis, bello etiam strenuis, Deo propitio vicit, superauit, & possedit: con-
sequitur ergo, eundem plana loca, quæ tantùm arte, eaq; non valde expedita,
(cuiusmodi est ferreus currus) defendebantur, potuisse quoque debellare &
possidere. Nam ferrei currus tum ipsa sua mole graues impeditiq; sunt, &
equis indigent, quadrigis videlicet, vel vt minimum bigis, alias vsui inha-
biles futuri: equi verò etiam cùm singulares exercentur, nimium delassari
solent, nedum vbi bini aut quaterni coniuncti sese mutuo impediùt & fran-
Isaiæ 31. gunt. S.S.E. Et Ægyptij homines sunt, & non Deus; & equi eorum caro,
& non spiritus. Igitur si Iudæa tribus hanc gentem debellare non potuit, id
accidit, vel quòd Deum à se abalienauerat, vel quòd arte ac viribus minus
valebat: sed posterius hoc arripi non potest; quippe cùm iis qui ex montanis
ad plana pugnandi causa descendunt, materia & industria afferri possit,
qua curruum hostilium copia impedita & implicata contemnatur.
Iosue 17. S.S.E. Transibis ad montem, & succides tibi atque purgabis ad habitan-
» dum spacia, & poteris vltrà procedere, cùm subuerteris Chananæum, quem
dicis currus habere ferreos, & esse fortissimum. Itaque ex humanæ etiam
disciplinæ militaris definitionibus cõstat, eos, qui ex superiore loco inferio-
ra expugnãda adorti fuerint, longè commodiùs ac faciliùs expugnare posse.
Quamobrem non fuisse ferreos currus impedimento, quo minùs plana loca
à Iudæis caperentur, aperta argumentatione colligitur; ex eoq; intelligitur,
veram causam huius rei fuisse alienationem singularis prouidentiæ Dei ob
diffidentiam, ignauiam, animiq; fracti metum, quem fortasse stulta aliqua
opinio incusserat firmitudinis curruum illorum, quorũ efficaciam hi non-
dum fuerant experti; sicut nec Iosephitæ antea, cùm Iosue Duci illud excu-
Ibidem. sarent; Non poterimus ad montana conscẽdere, cùm ferreis curribus vtan-
» tur Chananæi, qui habitant in terra campestri: quos Iosue eo, quod proximè
referebamus, responso cõfutauit. Ita metus ex opinione, ex metu diffidẽtia,
ex diffidẽtia Dei sese subducẽtis neglectio profecta est: ex Dei neglectione,
timoris & ignauiæ incrementa consequuta, locũ alias captu non difficilem,
difficillimum reddiderunt illis, quibus montana omnia debellata cesserant,
Duce ac propitio Deo, bellatore summo, locorumq; omnium, tam sublimium
Amos 4. quàm depressorum, expugnatore strenuissimo. S.S.E. Quia ecce formans
» montes, & creans ventum, & annuncians homini eloquium suum, facies
» matutinam nebulam, & gradiens super excelsa terræ: Dominus Deus ex-
» ercituum nomen eius. Igitur argumentationis totius ad enthymema reducta
summa hæc est, Chananæos, qui ferreis curribus in campestri loco vtebãtur,
non

non fuisse à Iudæorum tribu expulsos, cui nuper, propitio ac præeunte Deo,
montes illi adeò magni & excelsi, totq; difficultatibus inexpugnabiles,
habitatoribus interfectis, subactis, occupati, ac possessi fuissent. Nullam verò
aliam certam causam afferri posse huius in Iuda exceptionis, quàm aliena-
tionem neglectionemq; Dei, qui eos, quos promouendos susceperit, quocum-
que ex loco, vel magnis vel exiguis copiis, tamen victores producit. id quod
altero etiam in eadem gente, aduersus eosdem hostes, in difficillimis locis
facti periculi exemplo confirmatur.

Dederuntque Caleb Hebron, sicut dixerat Moyses: qui deleuit
ex ea tres filios Enac.

EORVM qui Deum sibi per fidem & obseruantiam conciliatum obse- Fides.
quio retinere student, virtutis ac felicitatis in gerendis bellis, obtinendisque Obseruãtia.
victoriis, exemplum aliud hoc versu apponitur; vt argumentatio, quæ per
enthymema facta est, inductione quoque roboretur, adiuncta etiam rei am-
plificatione per incrementum. Nam si res rei, locus loco, personæ personis
conferantur, longè maior ac durior videri posset prouincia, quæ Calebo op-
tanti volentiq; vltro non ita pridem decreta fuerat, viro seni, octogenario
inquam, soli, suorum tantùm familiarium opibus armisq; adiuto. Fuit au-
tem illius prouincia Hebron, toties totq; nominibus decantata; quam ille,
quia fide ex diuino promisso concepta animatus, perpetuis quadraginta an-
nis perstiterat, non modò superatam in suam potestatem redegit, sed tribus
etiam fratribus concordia, potentia, & antiquæ auitæq; fortitudinis opinio-
ne celeberrimis interfectis, eorumq; familiis & opibus deletis, vacuã expe-
ditamq; reddidit. Cumq; vnius maximi & strenuissimi viri cura, opera &
felicitate magnæ res confici, magna & multa conseruari, & integra am-
plissimaq; regna teneri, eademq; omnia eodẽ deficiente pessundari & euerti
persæpe soleant; quantum ne præsidij Hebroni fuisse existimandum est in
tutela atque virtute tergeminorum fratrum, ex famatissima Enachitarum
familia illo tempore superstitum, ita vt Geryonis tricorporis victi laus,
Herculi suo à Poẽtis adscripta, huic veræ Calebi virtuti ac præstantiæ lon-
go interuallo inferior iudicetur. Quòd verò exemplũ hoc, ad inductionem
illatum, illis verbis pronunciatum sit, Dederuntque Caleb Hebron, sic-
ut dixerat Moyses; ad duo tempora referendum est: alterum quidem cùm
Calebus de iure suo ex Moysis declaratione coram Iosue actionem instituit,
Hebronemq; ex lege sibi adscribendam euicit; id quod magnum argumẽtum
fuerat fidei ac virtutis viri illius, qui rem tantam, tamq; arduam, sibi non
modò optasset, verùm etiam postulasset, exemplumq; esse oportuit Iudæorum
tribui, nihil vt dubitaretur aut metueretur, vbi Dei promissum vel iussum
constaret. Alterum verò tempus fuit, cùm, cæteris Iudæorum familiis sua
singulis loca adeuntibus, Hebronis ager omnis Calebo in vsum cessit. Nam-
que ea res fidei Dei responsis habendæ admonere contribules debuit; & du-
bitatione omni sublata, ad maximam quamq; hæreditatis suæ partem, Fide

Universidad de Deusto
Biblioteca

duce, adeundam, si mens non læua illis fuisset. Iam igitur quid quantumq; Iudæ tribus, vel communicatis contunctisq;, vel priuatis opibus, propter fidem atque obseruantiam assecuta fuerit; quid rursus ob fidei defectum atq; ignauiam infectum reliquerit, abunde declaratum est. Deinceps autem quid aliis etiam tribubus propter easdem causas vel contigerit, vel requisitum fuerit, sigillatim porrò exponitur.

Iebusæum autem, habitatorem Ierusalem, non deleuerunt filij Beniamin: habitauitque Iebusæus cum filiis Beniamin in Ierusalem vsque in præsentem diem.

Iebusæi. IEBVS ÆORVM *gens magnam regionis eius partem incoluit, in qua Ierusalem metropolis sita erat. Sed cùm in hæreditatum partitione alteram Ierosolymorum portionem, cum adiacente sibi vicorum, oppidorum, & vrbium numero Iudæis, alteram verò Beniaminitis adscripsisset sors; Iudæi ex ea vrbis parte quam sibi expugnauerant, atque adeò ex sua regione Iebusæos omnes pepulerunt, præter eos qui ad Sionis arcis munitionem sese receperant. Nam nec Sion vsque ad Dauidis tẽpora capta fuit. At verò Beniaminitæ in occupata à se vrbis ac regionis parte Iebusæos, qui ex bellis superfuerant, manere siuerunt, tributi nimirum cupiditate inducti: atq; hoc pacto vtrique Hierosolymis manserunt. Fuerat autem à Beniaminitis regio sua à tempore Iosuæ habitata, cum parte vrbis illis asserta. Sed ea pars, quam Iudæis tribuerat sors, nondum fuerat ab ipsis vendicata, vsque ad hanc expeditionem. Itaq; hoc loco nihil de iis quæ per Beniaminitas occupata fuerant, narratur; sed ea tantùm notantur, quæ illis ob negligentiam & cupiditatem tributi defuere: ideoq; nihil historia hæc cum iis quæ apud Iosuam leguntur, pugnat.* Vsque in præsentem diẽ. *Ad eius, qui hanc historiam conscripsit, ætatem referenda ratio est. Atque iis de Beniaminitica tribu commemoratis; quidnam duæ tribus ex Iosephho prognatæ, rerum gesserint, quid singulæ ex illis familiis, quod factum oportuerat, omiserint, indicatur.*

Domus quoque Ioseph ascendit in Bethel, fuítque Dominus cum eis. Nam cùm obsiderent vrbem quæ priùs Luza vocabatur, viderunt hominem egredientem de ciuitate, dixerúntque ad eum: Ostende nobis introitum ciuitatis, & faciemus tecum misericordiam. Qui cùm ostendisset eis, percusserunt vrbem in ore gladij, hominem autem illum, & omnem cognationem eius dimiserunt. Qui dimissus, abiit in terram Hithim, & ædificauit ibi ciuitatem, & vocauit eam Luzam, quæ ita appellatur vsque in præsentem diem.

Promissa fides. Gen 49. Deut. 33. QVAMDIV *Iosephitæ suarum rerum ex Dei promisso ac monitu satagebant, incrementa magna, felicesq; fidei ac diligentiæ suæ euentus habuerunt, veriſsimumq; experti sunt oraculum illud: Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu. & illud quoque: Quasi vnigeniti tauri pulchritudo eius, cornua rhinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes vsque ad terminos terræ. Hæc sunt multitudines Ephraim, & hæc milia Manassæ. Huiusmodi responsorum atque promissorum veritatem spectat oratio illa,* Fuítque Dominus cum eis: *est enim hæc totius orationis explicandæ propositio. Cùm, inquit, Iosephitarum gens, Dei oraculis atque promissis fulta, Bethelam expugnatura conscendit, fidem obseruantiamq; erga Deum suam ostendit, quem veracissimum & efficacissimum agnouit, felici ac breui successu citra vllum ferè negotium ac laborem, præter eum quem inter ascendendum montem posuit, hunc verò adeò facilem fidei alacritas reddidit, vt nec sensisse dicenda sit. Itaq; cùm primùm ascẽdit, Deum sibi, quem precibus exorauerat, propitium experta est. Rei verò conficiendæ ratio ac series illa fuit:* Cùm obsiderent vrbem, quæ priùs Luza vocabatur. *Principio consilium illis insedit vrbem illam capiendi, in qua diuinorum beneficiorũ, tam sibi quàm parentibus olim suis collatorum, monumentum conseruarent, illo propagando, & perpetuo appellando nomine, quod à Iacobo fuerat olim impositum, & à posteris illius tantùm domestica commemoratione vsurpatum. Nam locus iam inde à principio ab incolis propter nucum copiam & elegantiam, Luza fuerat semper dictus. Est enim* Luza. *Luz Hebraicum nomen arboris eius, quæ Latinis, variata paululum voce,* לוז *Nux dicitur. Arabes eandem plantam, præfixo articulo, Alloz vocant: Hi-* Nux. *spani Pharmacopolæ exiguos nucum fructus Allozas dictitant. Itaq; parenthesis illa,* (Quæ priùs Luza vocabatur) *consiliũ indicat Iosephitarum, qui, quo tempore vrbem illam inuasêre, quàm primùm captam, illustri illo nomine salutare & initiare decreuerant, quo nomine à Iacobo sacratam acceperant. Hoc igitur consilio firmato, atque ipso nomine inter eosdem appellato, auspicati vrbem obsident.* Viderunt hominem egredientem de ciuitate. *Atqui obsidio illa non ambibat totum locum, vrbisq; situm, sed eam partem quæ aditu & expugnatu minùs fore videretur difficilis. Nam quæ loca montanum situm occupant, difficiles alicubi accessus habent, quos vel subire non sit, vel nullus, præterquam incolis, notos esse contingat. Hæ verò* Loca edita. *regiones magis tritæ sunt, naturæ artis adiuncto præsidio: in cæteris verò partibus tutandis maior ars atque industria ponitur. Sed quamquam hæc ita habeant, strenui pugnatoris cura est, nullam partem negligere, aut præ-* Pugnatoris artes. *termittere inexploratam. Persæpe enim accidit, vt vnde minùs expectetur, commoditas occasioq; offeratur aliquid vel agendi vel cauendi, cuius prætermissæ perpetuò pœniteat. Verùm huiusmodi cura paucis & strenuis dari debet, qui nec propter multitudinem prodantur, nec se inuicem impediant, nec facilè ab obsessis conspici, sentiri, deprehendive possint. Hi vulgaribus militiæ vocabulis exploratores aut excubiæ dicuntur, quorum pars loca ex-* Exploratores. *ploranda suscipit; alij autem noctu atque interdiu partitis horis vigilant, stationesq; tuentur proprias, & signis constitutis, vbi quicquam obseruauerint, opportunè indicant; vulgò spias, centinellas, & recognitores, & guardias,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

שומרים *dias hoc genus ministrorum vocant; Hebraico vero sermone* SOMRIM, *id est, custodes, siue obseruatores vocitantur. Atqui huius modi custodum siue obseruatorum industria ac simulatione facile decipi potuit homo, pacis causa illos accessisse ratus, quippe quorum honestam, humanam, benignamq; orationem audierat:* Ostende nobis introitum ciuitatis, & faciemus tecum misericordiam. *Hebrææ voces amicitiam humanitatemq; præferunt. Nec verò ille aliquid laboris adire, nec aliud agere rogatur, quàm vt vrbis aditum indicet, siue (vt Hebraicè est) videre faciat. Oportet autem illum aliqua ex parte prodiisse, quæ ciuibus tantummodo nota esset; hanc verò laboris ac negotij vitandi, & cauendi tumultus causa, sibi tantùm ostendi postulabant, idq; non absque officij promerendi promissione, suo exoluenda tempore.* Faciemus tecum misericordiam. *quo dicendi tropo, beneficium conferendum significatur, quod vel grati animi memoria exoluitur; idq; ad benignam hominum inter se consuetudinem & collocutionẽ persæpè vsurpatur, vt apud Latinos, Gratissimum mihi hoc, tibi verò non inutile fore polliceor. Gallicè,* Ie vous le remercieray. *Itaq; quamquam sæpè oratio hæc certum præmium beneficiúmve polliceatur reapse præstandum, maximè cùm à Deo, vel potentioribus viris enunciatur, tamen non rarò ad gratam & humanam officij recordationem refertur. quod quidem humanitatis genus magis quàm magnum aliquod præmium, quale postea adeptus est, homo ille spectasse nobis videtur; vtpote qui nullum cum illis periculum, nullum laborem subierit, sed aditum solùm indicauerit custodibus iis, quos vel pacis vel priuati negotij causa uenisse existimabat. Hoc significãt verba,* Qui cùm ostendisset. *Hebraicè verò simpliciter, Et* videre eos fecit [certum] aditum vrbis. *Post indicationem aditus, non amplius comitatus eos fuisse videtur, nec illi eodem præsente quicquam egisse aut occepisse; verùm, dimisso homine, rem ad suos detulisse; qui, constituta hora ingressi,* percusserunt vrbem in ore gladij. *Hoc ad gerendæ rei dexteritatẽ & felicitatem pertinet. Quippe Dei beneficio hominem aditus indicem nacti, & custodum tantùm officio adsciti, nulloq; negotio potiti vrbis, vrbanos omnes, nemine repugnante, confecerunt. : intellexeruntq; hominem illum sibi non sine numinis prouidentia singulari obuiam factum, morem gessisse, cui cuiusq; familiæ omni, & ex grati animi officio, & ex beneficij promissi amplificatione, atque ex boni euentus interpretatione, denique ex Dei indicio, parcendum consulendumq; esse censuere. Nam fides vel hosti hostiliter agenti promissa seruanda creditur; nedum ei, cuius opera in grauissimo negotio commodè, opportunèq; fueris vsus. Nec verò præmium ab illo sibi debitum postulatum, sed ab omni Iosephitarum magistratu vltro collatum, & cumulatè amplificatum narratur.* Hominem autem illum, & omnem cognationem eius dimiserunt. *Polliciti quidem fuerant misericordiam illi homini factum iri; quo verbo, tam Latino quàm Hebraico, plus etiam, quàm debeatur, promittitur; nullum enim vel maximi beneficij exemplum est, quod benigna*

Misericordia. Beneficium. Gratus animus.

benigna misericordiæ amplitudine non contineatur. Dilatat namque misericordia sinum, manum, ac brachia vltra omne promeritum. Quamobrem humanæ atque ingenuæ artis est, quidquid beneficij nomine promissum fuerit, liberali interpretatione, quàm maximè fieri possit, producere. Itaq; quamquam vni homini fides data fuerit beneficij opportunè conferendi; Faciemus tecum misericordiam; *hanc non angustis terminis claudi oportere Iosephitæ censuerunt, sed eò vsque extendi, quoad contingere significatio perquam ciuiliter posset. Etenim si vel vnius quispiam ex illius hominis familia & cognatione à beneficij communione excideretur, verbis illis,* tecum misericordiam, *non abundè satis factum esse videri posset; quãquam id nec debebatur hominis officio, nec promissi nomine exigi postulariq; poterat. Satis namque illi clementer secum actum videretur illa tempestate, si vel vnico, vel vnà cum vxore & natis incolumibus, exire liceret. Verùm datæ fidei benignitatem, atque diuinæ etiam clementiæ imitationem decuit, benemerenti homini omnem etiam cognationem seruare & condonare, comprobato præsertim eiusdem consilij ac facti exemplo & præiudicio, non multis antè annis cum Rahabæ Ierichuntinæ mulieris domo ac familia facto. Nec verò hos, quibus parcitum fuerat, nudos despoliatos, vitaq; tantùm contentos, dimittere satis visum fuit; sed familiaris copia rei, atque omni supellectili instructos, nulliusq; commodi, præterquam loci ad habitandum, egentes, adeò vt opportunum situm nacti facile fuerit vrbem condere, non vicum aut pagum, vel villam, vel oppidulum aliquod, sed vrbem, quæ soli ac cæli natura consimili, & nomine eodẽ relictæ patriæ, desiderium non modò leniret ac minueret, verùm prorsus etiam adimeret, conditione in melius honestiusq; mutata atque amplificata. Nam qui in patria antè obscuro forsitan loco, & gradu ferè extremo, saltem non adeò conspicuo ac nobili fuerat, vtpote qui exploratoribus, solus ex vrbe ac singularis prodiens, occurrerat; nunc tam deinceps nouæ condendæ vrbis, patriq; tuendi nominis author princepsq; dicatur; quiq; viuens ac sentiens patriæ patris honorem ac titulum adeptus, memoriam authoritatemq; suam posteritati mandauerit. Magnæ quippe laudi, imò felicitatis admirationi quondam apud Gentes dabatur, prima vrbis cuiuspiam iecisse fundamenta: ex qua ratione, tam præclara ac frequens Mineruæ, Assaraci, Cadmi, Romuli ac Remi apud poëtas & historicos, commemoratio emanauit: & celebratissima illa Phœnix mulier grauissimæ orationis, coram se ab hospitibus confectæ, initium illud singulare audiebat:*

Misericordia. Beneficium. Gratus animus.

Vrbium cõditores.

O Regina, nouam cui condere Iuppiter vrbem,
Iustitiaque dedit gentes frenare superbas.

Sed in sacris etiam historiis Iatrus, & alij oppidorum vrbiumq; conditores, patres & instauratores multa cum laude recensentur. Hac itaq; hominis, atque rei huius commemoratione, diuinum iudicium, certissimaq; prouidentia, humanum officium, grati animi exemplum, & liberale misericordiæ ac

Universidad de Deusto
Biblioteca

benignitatis monumentum, complures{q;} aliæ huius generis rationes indicantur; & rerum præterea ac temporum mutationes, varietates, ac vices

Locorum nomina.

obseruantur, atque antiquitatum studiosi adhibendæ ad veritatis inuestigationem, diligentiæ admonentur; ne incognita pro cognitis (quod non rarò accidit) habeantur, néve rerum, locorum, ac personarum discrimina ex nominum similitudine confundantur, erroremq; pariant, qui vero iudicio obesse aliquando possit. Atqui si qua maximè disciplinarum pars, tempo-

Antiquæ veritatis studium.

rum causa, errorem admittere potest; ea præcipuè est, quæ in orbis terræ atque locorũ situ cognoscendo ac describendo versatur, quæq; Græco vocabulo Geographia dicitur, cuius partes chorographia ac topographia sunt. Huic

Geographia. Chorographia. Topograph.

enim vni, præter cætera disciplinarum genera, temporum cum primis interualla atque iniuriæ, rerum, quæ sub cælo fiunt, inconstantia, gentium transmigrationes, mutationes regnorum, atque linguarum diuersitas, assiduam varietatem turbationemq; adferũt: in qua distinguenda qui studium ponere constituit, non parum desudare, vero tamen inuento, atque ex anti-

Variorum locorum nomen idem.

quitatis tenebris eruto, vehementer gaudere solet. Causa igitur quamobrem variis locis idem nomen impositum sit, eadem præsertim lingua, non casui semper, sed plerumque consilio adscribenda est, aut ex similitudine, aut ex desiderio alterius loci, aut ex vtraque simul ratione orto: ita etenim nostra ætate contigit, in recèns reperta orbis terræ parte, eadem locorum, prouinciarum & vrbium nomina audiri, quæ Hispanis illuc migrantibus, vel negotiorum causa nauigantibus, chara, grata, vel etiam ex patrij soli imitatione ac desiderio deprompta fuerint, Noua Hispania, noua Gallecia, Granata,

Carthago.

Trugillum. A Carthaginensibus quòdam in Bethici maris littore Carthago condita & nuncupata, idem hactenus nomen retinet: nec tamen hæc illa

Granata.

Carthago est, Romani quondam nominis, atque totius orbis imperij æmula. Existimo autem Granatam, Illiberorum celeberrimum hoc tempore cõuentum, à Palæstinis, Machometi insanientem doctrinam secutis, idem nomen

רמון

fuisse factum, quod in Palæstinæ Syriæq; regionibus non vni loco inerat. Rimon. Namque ita appellatur vrbs illa tam Hebraicis quàm Arabicis historicis: significat autem Rimon idem quod Hispanorum vulgo Granada. In Bethica etiam prouincia, non procul à Lusitaniæ antiquis finibus, duo

Almendral. Almendralejo. Luza.

oppida sunt, frumenti fertilitate illustria, Almendral, & Almendralejo, quorum alterum ex altero & colonos & nomẽ deduxisse videtur. Sic etiam ex eo facto, quod hac in historia narratum est, euenit, vt ex antiqua Luza profecti homines, vrbem in Hethæorum regione conderent, patriæ nomine

Bethel.

appellandam, cùm prioris Luzæ nomen ab expugnatoribus Iosephitis extinctum, atque in Bethelæ vocem deinceps mutatum fuerit. Itaq; cùm audierimus ante horum ætatem Luzæ nomen, ad priorem illam; post horum

Synonyma loca.

verò occupationem, ad posteriorem fuerit referendum: atque ita nulla in historiis cum prophanis tum sacris nominum horum Bethelæ & Luzæ, rerumve turbatio aut pugnantia timebitur; quod vt animaduerteretur, hist-

ria

ria author cauit: Quæ ita appellatur vsque in præsentem diem; *cùm altera illa tam non amplius Luza simpliciter, sed vel Bethel, vel Luza olim dicatur. Deinde verò illius recentioris Luzæ nomen Iosephitis victoriæ ex Dei beneficio obtentæ, & ciuibus ipsis Luzensibus à Iosephitis concessæ, salutis monumentum perpetuum fuit. Hactenus Iosephitarum felicitas ex fide & obsequio profecta commemorabatur: iam verò deinceps quid in illis ob neglectionem & socordiam, atque adeò ob auaritiam requisitum fuerit, indicatur.*

Felicitas, fides, & obsequium.

Manasses quoque non deleuit Bethsean & Thanac cum viculis suis, & habitatores Dor, & Ieblaan, & Magedo cum viculis suis: cœpitque Chananæus habitare cum eis.

NVLLVM *fortunæ numen esse, etiã prudentiores illi ex Gentibus intellexerunt, qui verum Deum non rectè coluerant: inter quos illud à quodam pulchrè dictitatum celebratur, Vnumquemque suæ fortunæ fabrum esse. Namque totius alicuius vel gentis, vel vrbis, vel latiùs propagatæ familiæ calamitas non aliunde quàm ex hominum ipsorum vitio vel culpa hauriri solet, qui persæpè non ita purè ac diligenter suarum rerum rationes componunt, quin fæcis non nihil, imò non parum relinquant, ex cuius neglectione primùm, deinde etiam contagio, in miseriam demum pestemq; incidunt. Chananæorum gens hostilis, inimica, infesta, prorsusq; vitanda Israelitis omnibus, Dei indicio atque præcepto declarata fuerat, omniq; commercij & consuetudinis communione alienata, quacumque ex Chanaani familia, quæcumque pars esse diceretur. Verùm enimuerò Israelitis magna religionis interdictiq; huius neglectio admissa, magnam labem demum intulit. Nam singulæ ferè tribus vicinorum sibi Chananæorum partem lege tributi indicta, suis in locis atque vrbibus viuere permisit præter ius atque phas; quæ res quem exitum habuerit, suo postea indicabitur loco. Cùm Iosephitæ omnem sibi adscriptam regionem cultoribus primis pellendis, expugnare & occupare debuissent, idq; quàm diu egerunt, feliciter assequuti fuerint; tamen Manasses primogeniti Iosephi tribus, complures vrbes, & easdem præclaras, cum totis agris intactas reliquit; quarum vel nomina ipsa terræ fertilitatem & commoditatem indicant. ea si quis cognoscere velit, nostros in Iosuam Commentarios petat. Quod verò additur,* Cum viculis suis, *id significat, non solùm eos hostes, qui in vrbibus concluſi fuerant, relictos fuisse, ibidemq; vel angustissimè vixisse, vel artibus tãtùm, manuúmque operis intentos & incumbentes, vitam pauperem, & ad nouandas res ineptam, traduxisse, cuiusmodi aliquando cõditiones victarum gentium ciuitatibus imponi solebãt, qualesq; nunc etiam Romæ, Venetiis, & aliàs non vno in loco Iudæis ferri videmus, quorum cophinus, fœnumq; supellex. non itaq; in hunc modum hostes tractatos fuisse significat historia; imò contrà, libertatem illis factam, habitandi etiam vicos villasq; omnes vrbibus adiacentes, & eadem omnia colendi, idq; magna frequentia, non antiquorum*

Fortuna.

Ruina publica.

Victarũ gentium conditiones.

Iudæi huius tempestatis. Iuuen. Sat. 3.

modò

Universidad de Deusto
Biblioteca

modò cultorum, sed plurium etiam ex iis qui ex aliis vrbibus eiecti, nullam hactenus habuerant certam sedem: ita vt vrbes hæ satis antea celebres, hostibusq; multis refertæ, nouo adiuncto cultore ampliores factæ excreuerint.

אתו Hoc nobis Hebraica oratio apertè indicat, vsurpato verbo IAAL, quod deliberationem, consilium, animi sententiam, & inceptionem significat, Latinè autem legimus, Cœpitq;, eadem significatione vt illud: Nam inceptum amentium non amantium est, quidquid peperisset, decreuerunt tollere. Habitare cum eis. Ex Hebraico, Habitare in terra. quæ verba, vt in illa lingua vsurpantur, omnem colendi & habitandi commoditatem vsumq; indicant, eademq; Israelitarum aduersum Cananæos indulgentiam arguunt, aduersus hostes, nimirum legibus primùm sacris, deinde omnium inimicitiarum ingratiis capitales declaratos, ita vt futurorum postmodum malorum semina ipsi sibi Israelitæ non solùm surgere & grandescere siuerint, sed vltro etiam sparserint, iecerint, & fouerint, quamuis multis antea præceptis & animaduersionibus, vt ne facerent, commoniti essent. Atqui rerum ratio naturaq; postulat, vt, qui periculum amat, in eodē pereat: cæterùm qui cùm cauere potuisset, non cauit, imò aluit, amasse redarguendus est. Atque hanc redargutionem suo tempore opportunè citandam, Spiritus sanctus hoc ipso in loco præfigens pronunciat.

Cœpit verb. Terēs. And.

Habitare.

Periculum amans.

Postquam autem confortatus est Israel, fecit eos tributarios, & delere noluit.

Et fuit.

OMNIVM omnino Israelitarum summa culpa hoc breui versiculo arguitur, quod ad hostium illorum rem rationemq; pertinet, cuius Hebraica verba sic Latinè sonant: Et fuit, cùm confortaretur Israel, ponebat quidem Cananæum ad tributum, sed tollere non sustulit illum. Et fuit, quod Latinè dici potest, Persæpe profectò euenit, vt collata sibi diuinitus aduersus Cananæos fortitudine ac præstantia abusus, hostem, quem tollere exturbareq; poterat, quietè viuere permiserit, impositæ tributi conditione contentus; imò hoc studiosè agens, vti res ipsa docet. Atque hæc omnium Israelitarum communis mens, & vna sententia fuit, quam nonnulli etiam largioribus quoq; conditionibus auxere, tātum abest vt correxerint. Nā & Ephraim etiam non interfecit Cananæum, qui habitabat in Gazer, sed habitauit cum eo.

Fœdus. Commercij ius.

CVM nulla hic tributi mentio, vt apud alias tribus, fiat; suspicio nobis ex re ipsa incidit, Israelitas amicitia & commerciorum fœdus cum istis egisse, penè pro sociis habitis extra omnem tributorum exactionem, id quod Hebraici sermonis formula quoque subindicat: Et sedit Cananæus in medio eius in Gezer. quæ dicendi formula in superioribus exceptionibus non fuerat vsurpata. Sedere autem, siue habitare in medio populi vel gentis cuiuspiam, idem significat, quod quietè, tranquillè, & æquabili iure communem vitam agere, vt illud: In medio populi mei ego habito. Itaque cùm tributi conditio non explicetur, sed habitatio tantùm in medio fuisse indicetur,

Sedere in medio.

4. Reg 4.

dicetur, singularem æquabilémque his Chananæorum vrbibus habitandi copiam factam interpretamur.

Zabulon non deleuit habitatores Cetron & Naalol, sed habitauit Chananæus in medio eius, factusq; est ei tributarius.

Conditio mixtā.

CONDITIONIS mixtæ genere vsus est Zabulon cum harum vrbium habitatoribus: quos cùm delere posset, in amicitiæ gratiam adsciuit, exceptione tantùm tributi definita: ita vt vnum illud Israelitis omnibus erga finitimos, vel potiùs confines hostes commune fuerit salutis videlicet consilium, cæterùm in conditionibus non eadem omnibus ratio fuerit obseruata, sed vnicuique sua ex priuato arbitrio, perinde quasi nullum de hac re certum monitum aut præceptum constitisset, quibus tamen, vt indicabamus, certum, grauissimum, & commune fuerat. Iam verò & illa diuini iuris omni loco atq; tempore obseruanda norma neglecta fuit his, videlicet: Non facies quod bonum videbitur in oculis tuis. Quamobrem & ab his & ab illis ad varias conditiones descensum est, inter quas etiam illam turpissimam Asseritarum tribus ferre potuit.

Tributum.

Asser quoque non deleuit habitatores Acco & Sidonis, Ahalab, & Achazib, & Helba, & Aphec, & Rohob: habitauitque in medio Chananæi, habitatoris illius terræ, nec interfecit eum.

INDIGNÆ huius conditionis causam ipso narrationis fine, historiæ scriptor exponit. Potuit, inquit, ac debuit initio Asser Chananæos omnes intra sortis suæ agrum comprehēsos interficere ac tollere. S.S.E. Non est alius vt Deus rectissimi: ascensor cæli auxiliator tuus: magnificentia eius discurrunt nubes, habitaculum eius sursum, & subter brachia sempiterna eiciet à facie tua inimicū, dicetq;, Contere. Habitabit Israel confidenter & solus. Hanc Dei iussionem & voluntatem cùm sequi initio noluerit Asser, eò turpitudinis redactus est, vt, quod aliàs aliæ Chananæorum ciuitates ab Israelitis altis beneficij loco acceperant, Asser tamen sibi optauisse, ambisse, ac rogasse videatur, nimirum vt inter Chananæum habitare liceret; ita vt regionis nomen Chananæo integrum esset, non apud alias gētes modò, verùm apud Israelitas etiam. Atque ita profectò euenit. Nam Græcis & Latinis omnibus maritima illa regio atque ora, quæ ab occasu nauigantibus occurrit, nusquam Israelitarum vel Asseritarum, vel alicuius tribus nomine dicta legitur, sed alius atque aliis nominibus, à Chananæorum incolarum gente acceptis, nuncupatur, nunc Phœnicia, nunc Syria, siue Syria Palæstina, siue Palæstina tantùm, interdum Panchaia, non raro à celeberrimis illis vrbibus Tyro & Sydone, Sidonia vel Tyria regio. Igitur quàm turpissimè sibi consuluit Asser, qui cùm Chananæum interficere, atque è regione penitus tollere posset, non interfecit tamen, sed pænè integrum atque incolumem ab initio reliquit, vt non multo pòst perinde atque dominum tulerit, saltem nulla nec nominis parte, nec habitationis commoditate imminutum. Habitatorem illius terræ, quæ & vsu & nominis appellatione Asseritis cedere

Deut. 33.

Phœnicia.

Panchaia.

Sydon.

Tyria.

Universidad de Deusto
Biblioteca

debuerat & potuerat. Verùm opprobrio huic Asser ipse causam ansamq; dedit, quippe qui non interfecit eum. Iam verò cùm infamis hæc & ignominiosa conditio aliis omnibus tribubus displicuisset, nec magis tamen fortiter illis agere in animo insedisset, pactiones quædam nonnullis probatæ fuère, vt minùs incommodæ, minúsve inutiles, quæ tamen legis præcepta obseruaturis damnosæ simùl ac probrosæ videbantur. Nimirum,

Conditionis vitium.

Nephthali non deleuit habitatores Beth-semes & Beth-anath, & habitauit inter Chananæum habitatorem terræ: fueruntque ei Beth-samitæ & Bethanitæ tributarij.

Exemplum vicinum.

QVANTI referat extremi vel decoris vel dedecoris vicinum habere exemplum ad publicos & priuatos mores componendos aut corrumpendos, innumeris locis à Spiritu sancto arguitur: ex quibus hîc vnus minimè obscurus est; quo Nephthali suum crimen deriuare videbatur comparatione maioris culpæ, nimirum Asseritarum, qui & tributum, & nomē integrum Chananæis reliquerant, cùm ipsi de nomine regioni promissæ dando nihil soliciti, tamen tributi exigendam exoluendamq; sibi pensionem alicunde prospexère. Atqui nephas non paruum vel leue fuerat, nomen quod ex Dei consilio ac iussu ad ipsius gloriam mutari oportuerat, integrum Chananæo, cum habitationis etiam iure, permittere. Scriptum namque fuerat: Surge,

Nomina regionibus mutanda. Iosue 1.

» *& transi Iordanem istum, & omnis populus tecum, in terram quam ego da-*
» *bo filiis Israel. Omnem locum quem calcauerit vestigium pedis vestri, vobis*
» *tradam, sicut locutus sum Moysi, à deserto & Libano, vsque ad fluuium ma-*
» *gnum Euphraten: omnis terra Hethæorum vsque ad mare magnum contra*
» *solis occasum erit terminus vester. Nec verò ab omnibus iis, quos diripere*
ac delere potuissent Nephthalitæ, tributum exegêre: imò quod ad Chana-
næum hostem in genere attinet, eandem cum Asseritis conditionem egêre;
sed tantùm Beth-semitas & Beth-anathitas, gentem videlicet aliam ab
iis qui communi nomine Chananæi dicebantur, ad tributi pactionem admi-
sêre; ita vt qui hoc nomine honestè sibi consuluisse videbantur, tamen igna-
uè ac turpiter fecerint, quippe qui nec duas illas vrbes expugnare & occu-
pare voluerint, quod perfacile factu esset, nempe habitatoribus nullo pacto

Chananæi, Beth-semitæ, Beth-anath.

per vicinum Chananæum defensis. Hanc adeò gentis huius exceptionem,
nomina ipsa Beth-semitarum, & Beth-anath significant, quos à Chana-
næis lectio distinguit. Quamquam enim duodecim illas antiquas à Chamo
deductas nationes, de quibus in sacro Apparatu disserebamus, Chananæo-
rum nomen complectatur, tamen iis præcipuè hoc nomen hæsit, qui mariti-

Gen. 10.

» *mam siue occiduam terræ illius partem incoluêre. S. S. E. Chanaan autem*
» *genuit Sidonem primogenitum suum, Hethæum & Iebusæū, Amorrhæum*
» *& Gergesæum, &c. & paulo pòst: Factiq; sunt termini Chanaan venien-*
» *tibus à Sidone Geraran vsque ad Gazan, donec ingrediaris Sodomam &*
» *Gomorrham, Adaman & Seboim vsque Lasa, & cæt. Itaque duæ illæ vr-*
bes, Beth-semes, & Beth-anath, vel ad Palæstinos aliunde oriundos perti-

nebant, vel, si Chananæis affines erant, Chananæorum tamen illorum habitatorum terræ nomine non censebantur. Hos tributarios tantùm sibi Nephthalitæ fecerunt; cum Chananæis verò aliis ad eandem, quam Asseritæ, pactionem venerunt. Atque hoc modo Asseritis præstare sibi persuadebant; quòd illis nulli sibi verò nonnulli tributarij relicti essent. his indulgentiis, vel potiùs his maximis Israelitarum negligentiis, hostilis potentia ac vis, Deo ita iudicante, adeò creuit, vt non leuia nec breuia Israelitis negotia deinceps porrò facesserit.

Arctauitque Amorrhæus filios Dani in monte, nec dedit eis locum vt ad planiora descenderent: habitauitque in monte Hares, quod interpretatur testaceo, in Aialon & Selabim.

DANITIS spatia, quæ sorte contigerant, satis ampla atque varia, cæli soliq; ingenio fertilia & pulchra; tamen impetu ab Amorrhæis facto, contracta sunt: ita vt tenente planiora loca hoste, fortiterq; propugnante, altiora omnia, sed quæ tam citò non potuêre Amorrhæi occupare, inferioribus muniendis & colendis intenti. Namq; non multo pòst & montem inuaserũt, studio atque animo expugnandi ac pellendi prorsus Danitas; duoq; in montanis locis præsidia primùm cœpta munierunt, vt habitare atque colere possent: nempe Aialon & Selabim, ita vt in nimium iniquas angustias Dani tribus cogeretur, ex campestri primùm regione in montem sese recipere coacta; deinde verò & illic inuasa, ac duabus frequentibus & celebribus vrbibus priuata, atque vlteriùs etiam ad internecionẽ vsque premenda, nisi Dei prouidentia & virtute ab excidio defenderetur. Nam cùm Deus vllam illa tempestate tribum perditam nollet; Iosephitis, Dano atque Amorrhæo vicinis, curam animumq; addidit, ad hostes illos, fratri suo Dan infestissimos, reprimendos. Arctauit, Hebraicum verbum, premere, cogere, compellere, & in angustias redigere significat, vt in illo versu his vsurpatum ostenditur: Clamor filiorum Israel venit ad me, vidiq; afflictionẽ eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur. Habitauitq; in monte Hares. *Ad Amorrhæum referimus verbum Habitauit, quod Hebraica lectio apertè explicat (ille) habitare in monte Hares, quo verbo consilium & inceptum, imo factum etiam indicatur: illud verò, quod interpretationis vsu additum est,* Quod interpretatur testaceo, *nec lectionem turbat nec variat. Quemadmodum verò huic Danitarum calamitati à Deo prospectum fuerit, subiunctum carmen declarat:*

Arctare.

Et aggrauata est manus Ioseph, & factus est ei tributarius.

LOCORVM propinquitatem, tutelam Danitis esse Deus voluit, qui Iosephitas ad ferendum fratribus auxilium incitauit, felici successu hostem imoetentes, atque etiam pulsuros vel excisuros omnino, nisi suarum rerum peroeram nimiiúmque studiosos tributi exigendi cupiditas, potiùs quàm hostium abolitio, aut fratrum amplificatio, afficeret. Causa autem & oportuni-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tunitas conseruandi tributum, & exigendi ab Hemorrhæis, ex locorum propinquitate facta esse, ab historiæ scriptore indicatur.

Fuit autem terminus Amorrhæi ab ascensu scorpionis, petra, & superiora loca.

HÆC loca omnia Iosephitarum agris vicina fuisse, ex sortium diuisione apud Iosuam facta didicimus. Quamobrem tributi ab hisce exigendi auctoritas conseruata fuit, præsidiis in confine constitutis, per quos Hemorrhæus in officio contineretur, non sine sumptu & cura Iosephitarum, qua carere cõmodius facilius q. multo fuisset; idq. longè honestissimũ & vtilissimũ tam Danitis quàm Iosephitis, imò & Israelitis omnibus euasisset. Nec verò omnibus Hemorrhæis tributum imperatũ fuisse arbitramur, sed iis tantùm qui confines Iosephitis vrbes habebant Aialon & Selabrin in monte sitas: quas cum vi antea cepissent, non amiserunt rursum, sed pactione accepta retinuerunt, cum illis communicato agro, adnotatis tamen finibus vsque ascensum siue eluum scorpionum dictum, & petram siue rupem insignem. quibus ex singularibus narrationibus omnibus illud arguitur, iussum à Deo de hostibus pellendis, vario consilio, nec vno aberrandi modo ab Israelitarum tribubus fuisse prætermissum, & quamquam varias ob causas diductis, vnum tamen crimen esse admissum discedendi à Dei lege atq. instituto, velut syluis, vbi passim

Horat. 1. Serm. Sat. 3.

Pallantes error certo de tramite pellit.
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit: vnus vtrique
Error, sed variis illudit partibus.

CAPVT SECVNDVM.

ASCENDITQVE Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium.

SVPERIORE proximo capite, Iudæorum ac Iosephitarum felicem in hostibus vertendis, expoliandis, interficiendis, & pellendis contemplabamur successum, tam diu secundum ac certum, quàm diu ipsorum fides & obsequium constitit, adiunctis harum virtutum comitibus ac testibus, votis & precibus. Vidimus etiam cæteros omnes Israelitas vel ex negligentia & ignauia, vel ex auaritia hostibus parcentes, aut etiam indulgẽtes, perperam sibi consuluisse, eiusq. rei culpam ex temeritate & contumacia commentando definiebamus. Id verò ne nostro ingenio vel commento tribuatur, hæc ad Israelitas facta denunciatio declarabit apertissimè. cuius duæ sunt partes: promissorum ac beneficiorum Dei commemoratio, & exprobratio prauitatis atque contumaciæ ipsorum: ex quibus illud conficitur, Deum sibi semper constitisse, cõstiturumq. semper, ipsos verò Deo & sibi defuisse, suisq. ipsorum cõsiliis, studiis, & factis calamitatem omnẽ sibi fuisse molitos. Quisnam verò obnunciationis huius minister fuerit, cùm à multis curiosè quæsitum sit, à nemine tamen commentatorum asseueranter est indicatũ. Certè opor-

Consilium infelix vnde.

Promissa & beneficia.

Cõtumacia humana.

portere esse spiritum aliquem ex iis qui in ministerium propter hominum vtilitatẽ mitti solent, non satis ostendit nomen Angeli, quod, vt diuus Gregorius cum aliis sacris interpretibus edisserit, non naturæ, sed muneris nomen est, tamq. hominibus quàm spiritibus bonis & cacodæmonibus tribuitur. Haggæus enim nuncius Domini aduocatus est, & vnus ex Sacerdotum titulis Domini exercituũ Angelus celebratur. Atque locorum à quo & ad quem adnotatio, cum adiuncto verbo ascendit, *hunc Angelum siue nuncium hominem fuisse declarat, atque inter homines agentem in Gilgal siue Galgalis antè versatum, indeq. ad certum locum editũ cum Dei mandatis venisse. Nam si ex cælo mitteretur Angelus hic, non ascendisse, verùm descendisse diceretur. Sunt qui hunc Phineam Eleazari filium Sacerdotio illa etiam tempestate fungentem esse dixerint; quod tamen nullo certo confirmant argumento: atqui Phinees non in Galgalis, verùm in edito oppido Gabaath, apud Ephraitas domicilium posuerat. Certè nominis indicandi nulla necessaria causa fuit, cùm res ipsa non ex dicentis nomine & gratia, sed ex muneris ac mandati auctoritate fidem postularet. Muneris autem auctoritas adeò certa apud ipsos Israelitas tunc fuit, vt certo titulo, atque graui appellatione sit signata. Ascendit Angelus Domini, nuncius Domini, quem verè nuncium Domini esse constabat. Atque huic titulo locorum ac temporis adnotatio ad rei certitudinem & confirmationem addita fuit,* De Galgalis. *Ex quo apparet, illũ Israelitam fuisse, qui non aliunde, quàm ex ipsis regionibus Israelitarumq. agris, ex eodem illo loco in quo promissa à Deo beneficia accepturi Israelitæ se ipsos sacro circumcisionis ritu initiauerant. Quo loco quoniam initium possessionis faciendum erat, fidẽ suam Deus illo effato liberauit: Hodie abstuli opprobrium Ægypti à vobis. Vocatumq. est nomen illius Galgala, vsque in præsentem diem. Fueruntq. filij Israel in Galgalis, & fecerunt phasẽ quartadecima die mensis ad vesperum in campestribus Hiericho, & comederunt de frugibus terræ die altero, azymos panes, & polentã eiusdem anni. Defecitq. Manna postquam comederunt de frugibus terræ, nec vsi sunt vltrà illo cibo filij Israel, sed comederunt de frugibus præsentis anni terræ Chanaan.*

Angelus. Nuncius.

Galgala.

Consilij itaq. diuini fuit, vt inde mitteretur nũcius, vnde beneficia cæpta fuerant, quorum ipsa obnunciatio in commemorandorum initium ducta fuerat. Illud etiam hac voce, De, vel Ex, vel A, significatũ Spiritus sanctus voluit, quod aliàs non vno in loco dicebamus, hoc est obnunciationis ipsius argumentum. eundem namque esse vocum harum sensum in sacris sermonibus, qui apud Latinos præpositionis Propter, multis in locis est obseruatum: vt, Dominus de Sion rugiet, de Ierusalem dabit vocẽ suam. nec verò vsurpatio hæc Romano in sermone ignota est: vt,

De, Ex, A.

Propter.

De re communi scribæ magna atque nona te
Orabant hodie meminisses Quinte reuerti.

Itaq. venisse nuncium Dñi de Galgalis, & illum illinc profectũ, & illius loci

Universidad de Deusto
Biblioteca

*rationem actur*ũ *significat. namq; hoc oratio ipsa declarabit ipso in exordio: & illius loci testimonium opportunum valde erit ad probandam constantiam & veritatem Dei in præstandis promissis, rursus etiam ad Israelitarum improbitatem atque adeo perfidiam arguendam. Locus verò ad quem nuncius ille missus fuerit, certo antea nomine non exprimitur, sed ex rei atque tempestatis occasione tunc notissima indicatur, Hebraicè* ELHABOCHIM, *Ad flẽtes, quod interpres noster vertit* Ad locum flentium, *indicauitq; apertè, non esse loci ipsius nomen antiquum, sed è re nata exponi debere. Videntur enim Israelitæ miseriarum sensu, atque hostium importunitate pressi, eo loci conuenisse, suã calamitatẽ deplorantes: quod facere solent ij*

אל הבוכים

Exodi 2. *qui in angustias redacti sunt. cuius rei illud exemplum est: Post multum*
» *verò tẽporis mortuus est Rex Ægypti, & ingemiscentes filij Israel propter*
» *opera vociferati sunt, descenditq; clamor eorum ad Deum ab operibus. atq; hoc exemplum eadem orationis formula, qua hic quem nunc commentamur versus, conscriptum est. Postquam igitur suam calamitatem agnoscere, atq; communi luctu lamentari cœperunt Israelitæ, à Dei prouidentia opportunè admoniti sunt, tam bonorũ diuinitus acceptorum, quàm malorum suo ipsorum studio & negotio sibi ipsis comparatorum. Et ait:*

Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram pro qua iuraui patribus vestris, & pollicitus sum vt non facerem irritum pactum meum vsque in sempiternum; ita dumtaxat, vt non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ huius, & aras eorum subuerteretis: & noluistis audire vocem meam. cur hoc fecistis?

Comparatio. COMPARATIONE *& contentione rerum ipsarum, & actionum vtriusque partis, omnis de officio disputatio commodissimè discerni solet. Cuiusmodi argumentandi ratio sacris Vatibus, & Psalmorum auctori familiaris admodũ est. vt, Dilexi vos, ait Dominus: & dixistis, In quo dilexisti nos? Nonne frater fuit Esau Iacob, & Iacob dilexi, Esau autem odio*

Malach. 1. » *habui? &c. Ad hunc igitur eundem argumentandi modum, præsentem reprehensionem Deus instituit, suam illis in promissis misericordiam, in beneficiis conferendis veritatem, & in vtraque parte constantiam commemorans, illorumq;, aduersum quos agit, dementiam, contumaciam, & rebellionem exprobrans. Atque suorum beneficiorum narrationem non longiùs nunc repetit, quàm ab eo tempore cùm Israelitæ apud Ægyptios miseram omnino seruitutem seruiebant: cuius conditionis cogitationem si perpetuam conseruarent, non certè consecutæ postea libertatis felicitate abusi fuissent. Atqui exordium nullum in hac oratione auditur, vtpote quæ manifestam expostulationem & reprehensionem continet: sumitur autem principium ex ipso Israelitarum luctu: oportet enim illos (vt hominum moris est) interlamentandum suæ calamitatis authorem Deum appellasse, conquestosq; sæpè illud repetiisse, sese à Deo in calamitosa tempora fuisse deductos; ita vt, quantum possent, culpam à se remouentes, vel ad rerum humanarum in-*

Stultitia. Contumacia.

constantiam, vel ad mutatam erga se Dei voluntatem, illius miseriæ vsum referrẽt. Hoc ita habere, Nuncius hic diuinis mandatis negat; illudq; grauissimè statuit, Deum illis semper bonorum authorem & fuisse & cõstare, suarum verò miseriarum officinam ab iisdem fuisse constructam. Principio manifestissimum esse, illos quondam in Ægypto oppressos fuisse grauissimè, indeq; nec sua virtute, nec alia vlla quàm Dei misericordia & ope fuisse erutos; ob eamq; rem nihil ipsis cum Ægyptiorum, nec cum horum similibus indigentibus consuetudinis, aut commercij, aut fœderis fuisse oportere, sed omnem rerum suarum rationem ad vnum Deum referri debere, etiam si nihil præterea beneficij, melioris q. conditionis ex singulari Dei prouidẽtia contigisset, nedum cùm illud longè illustrius atque commodius eodem Deo authore obtigisset: Introduxi in terram, quam iuraui patribus vestris. » *Iam ad antiquiora nomina ratio recurrit, & longiùs repetitum requirit* » *officium. Non nouum, inquit, fuit, nec ipso temporis articulo natum, illud beneficium in vos à Deo collatum, ita vt nouam aliquam mutationem in Deo argueret; sed iam olim definitum, & constitutum, atque cum patribus vestris iurisiurandi sanctitudine ac fide pactum: quod vt ab illis creditũ & obseruatum antea, sic à vobis acceptum fuit. Atque patres quidẽ vestri promisso tantùm accepto, nondum etiam præstito, in officio pietateq; perstiterunt, ad ipsum vsque constitutum tempus, quo vos, illis iam vita functis, quæ expectata fuerant, ex me accepistis: oportuerat autem vos officium præstare vestrum tanto diligentiùs, quãto maiori debito obligatiores, siquidem illi promissum tantùm acceperant, vos rem ipsam accepistis.* Promissum donum. Dedi enim vobis terram, pro qua iuraui patribus vestris. *Illis non dedi, sed pollicitus sum, & tamen illi crediderunt promisso, & sese mihi in obsequium tradiderunt: vos verò à patrum vestrorum fide & pietate nimium degenerastis, qui doni per me præstiti compotes facti, tamen perpetui possessores esse noluistis. Atqui ego in vestram causam promiseram, & illi propter vos optauerant. Quod verò nunc excipere, aut obijcere, & conqueri vestris de miseriis potestis, id nihil omnino est: nimirum humanarum mutationem rerum, vel temporum decursionibus, vel mea authoritate & voluntate factam: & quidem temporum interualla non tanta fuerunt hactenus, vt à vobis vllo modo excipi possint; maximè cùm nihil præter voluntatem prouidentiamq; meam, vel quàm lonzissima tempora mutare valeant. Reliquum autem est, vt ad meam voluntatem & efficientiam ista calamitas à vobis referatur. Id verò duplicem rationem habere potest: vel quòd ego ipse vltro vos premere voluerim variationis ac mutationis rerum studio; vel quòd in culpa fueritis, quamobrem ista rerum mutatio meo ex iudicio euenerit. At qui me non vltro hoc egisse, nullo vestro demerito irritatum; illud manifestum & firmissimum apud vos argumentum esse potest: nempe dictũ promissumq; à me vobis ipsis factum, ac penè recens, quod mentibus hærere debuit vestris.* Et dixi vt non facerem irritum pactum meum vsque in sempi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sempiternum. *Hoc pactum non idem illud exponimus, quod cum patribus fuerat initum; sed id, quod cum ipsis illorum nepotibus, hæreditatem adituris, paulo ante inuasionem firmatum est. S. S. E. Constituet te Dominus*

Deut. 28. » *in caput & non in caudam, & eris semper suprà & non subter: si*
» *tamen audieris mandata Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie;*
» *& custodieris, & feceris, ac non declinaueris ab eis, nec ad dextram,*
» *nec ad sinistram; nec secutus fueris deos alienos, neque colueris eos.*

Huiusmodi dictum atque promissum non semel ipsis Israelitis terram ingressuris repetitum est. Hebraicus versus hoc loco habet: Et dixi vt non facerem irritum pactum meum vobiscum. sic etiam Chaldaicè atque Græcè legimus. ita vt ad hanc posteriorem pacti cõfirmationem à nobis indicatam, sit referenda oratio: ex qua manifestè consequitur, calamitatem hanc nec ex obliuione, nec ex mutatione, cui nulla causa subsit, esse factã. Nec enim Dei consilium mutatur vnquam, nedum mutetur promissum certis verbis fa-

Pactum. *ctum, & confirmatum.* Pactum meum vobiscum. *Quod ego nec irritum feci, nec facio. Cùm verò pactum inter duas partes fiat, cumq; alteram partem immutabilem esse constet; si quid ex pactionis materia requiratur aliquando, necesse est id ex alterius partis opera esse profectum: maximè verò, cùm eiusmodi res fuerit, quam alterius partis defectus, vel culpa aliqua corrumpere possit. Atqui in pactione illud definitum prædictumq; apertè fuerat, fore, vt si illius terræ, quæ Israelitis contingebat, antiquis incolis parceretur, aut indulgeretur; Israelitis indulgentibus, & à præscripta discedentibus lege, maxima & publica esset expectanda calamitas. S. S. E. Terro-*

Exod. 23. » *rem meum mittam in præcursum tuum, & occidam omnem populum ad*
» *quem ingredieris, cunctorumq; inimicorum tuorum terga vertam; emittẽs*
» *crabrones priùs, qui fugabunt Heuæum, & Chananæum, & Hethæum,*
» *antequam introeas. non eiciam eos à facie tua anno vno; ne terra in solitu-*
» *dinem redigatur, & crescant contra te bestiæ. Paulatim expellam eos de con-*
» *spectu tuo, donec augearis, & possideas terram. Ponam autem terminos*
» *tuos à mari Rubro vsque ad mare Palæstinorum, & à deserto vsque ad flu-*
» *nium: tradam in manibus vestris habitatores terræ, & eiciam eos de con-*
» *spectu vestro. Omnia hæc sese illorum causa facturum receperat Deus; quæ*
quidem, complura q; alia beneficia, perpetua illis fore promiserat: Et dixi, vt
non facerem irritum pactum meum vobiscum. *Verùm enimuerò illis vt hæc propria certaq; manerent, illa siue lex, siue conditio, in eodem ipso pa-*

Ibidem. *cto exposita erat: Non inibis cum eis fœdus, nec cum diis eorum: non habitẽt*
» *in terra tua: ne fortè peccare te faciant in me, si seruieris diis eorum; quod*
» *tibi certè erit in scandalum. Huius conditionis postremum hemistichium*
Israelitas, vbi cum Gentibus fœdus inire iuuerit, suum sibi malum parituros apertè declarat. Quod certè, inquit, erit tibi in laqueum, siue offendiculum. Hoc est, tute tibi hoc pacto ansam ad calamitosos euentus præbebis: tu tibi tuæ conditionis, quam res ipsa afferet, author eris. Quamquam enim

Deus

Deus vt naturæ author, princeps & gubernator, quidquid sub cælo sit, etiam Dei authoritas.
pessimum ac turpissimum; non quatenus tale est, sed quatenus naturæ opus Materialiter
est; efficere creditur, ac dicitur: (materialiter, vt scholæ verbis rem exponamus) tamen vt culpa vitioq; dari possit, illi minimè addicitur; (quod scholis Formaliter.
formaliter dici solet.) S. S. E. Omnia per ipsum facta sunt; & sine ipso factum est nihil, quod factum est. id est, quidquid irritum & vanum vitio- »
sumve euenit, sine ipso tale factum est. Nam si quis in alienæ segetis aruo »
carduos & paliuros aut lolium serat; quidquid infelicitatis & ærumnæ in- »
de eueniat, non agri domino arationisq; ministro, non denique naturæ effi- »
cacitati, sed ipsius, qui hæc mala semina sparserit, malitiæ & peruicaciæ ad- »
scribitur. S. S. E. Domine, nónne bonum semen seminasti in agro tuo? & »
quomodo nata sunt zizania? Respondensq; dominus agri, ait; Inimicus ho- »
mo hoc fecit. sic ille corruptorum morum notator, auarum patrem improbissimæ auaritiæ authorem filio suo esse, arguebat.

——Hæc ego nunquam
Mandaui puero, dices, nec talia suasi. Iuuen. sat. 10.
Mentis causa malæ tamen est, & origo penes te:
Nam quisquis magni census præcepit amorem,
Et læuo monitu pueros producit auaros:
Et qui per fraudem patrimonia conduplicare
Dat libertatem, & totas effudit habenas:
Et te contempto rapitur metisque relictis.

Huiusmodi distinctionum atque exceptionum formis disputando in hac oratione Deus vsus, ipsos Israelitas suum, quod nunc lamentantur, malum sibi molitos, disertè arguit. se enim nunquam à consilij atque promissi constantia discessisse, primùm ostendit; verùm ipsos & illi, & sibi ipsis defuisse, & hostium rebus non modò consuluisse, verùm & indulsisse, demõstrat. Cur hoc feciſtis? *hoc, inquã, quod nunc factum deploratis, cur vos ipsi feciſtis? & cùm feceritis, quidnam exitum admiramini? vos me inconsulto, imò me dissuadente, atque adeò prohibente & repugnante, id cõsilij cepistis, & perfecistis.* & noluiſtis audire vocem meam. *cur hoc feciſtis? Hebraicè ad verbum:* Quid hoc feciſtis? *Appositissimo tropo simulat, se rem consectam nunc, velut ignotam sibi, interrogare: vt omnino ab eo cõsilio se alienum fuisse ostendat: & clementiam orationis formula, incusationem & postulationem, præterea & ironicam permissionem exprimit. Videte, inquit, quidnam vos ipsi feceritis; namq; id per vos ratum certumq; futurum esse existimare licet. Neque enim par est, tanto consilio & consensu, tam publicè, imò contentiosè esse à vobis factum, monitis iussisq; meis posthabitis, & mutari infectumq; reddi: nec, si maximè id velitis, corrigere iam vestra virtute potestis: quandoquidem vos ipsi hostibus vestris ad præsentem potentiam, & futuram præstantiam quoque, auxilium, opem, subsidiumque vltro tulistis. Ego illos vobis inimicos hostesq; declaraui, & hoc nomine*

pellen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pellendos & perdendos tradidi, meum ad eam rem auxilium certum pollicitus: vos verò, definitionibus ac iußis meis contemptis, illos vobis amicos optastis & fecistis; amicos igitur seruate: nam quos vos fœdere vobiscum iunxistis, ego non delebo. hoc volueram, hoc ipsum per vos fieri caueram, tu vestram causam: vos aliud consilij capientes, meum corrigere voluisse videmini; & nunc itaq; vt voluistis, vtq; confecistis, habetote; & quem ex eart
Contemptio præceptorũ. vobis exitum prædixeram, expectate. Hanc diuinæ obseruandæ exceptionis contemptionem, magnorum malorum causam Israelitis fuisse, & Vates hic
Psal. 106. Dei nomine pronunciat, & regius etiam incusando cõmemorat. Et distinxit in labiis suis; non disperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis. Atqui in primis & communibus diuinarum præceptionum ac legum principiis illud grauissimum statuitur, Dominum Deum non esse tentandum.
Tentatio Dei. Tentatio autem huiusmodi initur, vbi quis periculum facere studet in Dei constantia ac veritate: hoc est, videre num quæ semel nefaria, infausta, vitiosaq; Deus pronunciauerit, placere probariq; illi aliquãdo possint: an quæ vetuerit, tamen minimè vitanda censeat: an quæ facienda iusserit, negligi, aut minui etiam facilè patiatur: demum, an Dei iudicium voluntasq; mutetur. Atqui hoc vel cogitare nefas omnino est, nempe vt humanum ingenium, aut peruersum iudicium ea corrigat, & mutanda censeat, quæ diuina sapientia definierit, & pronunciauerit. Huiusmodi autem nefaria opinione incitati Israelitæ, quæ de tota obtinendæ hereditatis ratione præscripserat Deus; ciuili quadam, vt ipsi rebantur, moderatione expectanda censuerant: nimirum satis esse, hostes ita vincere, vt publicæ vtilitati seruire
Iudicium hominum. Horatius. cogerent. Est enim illud humanæ sapientiæ iudicium, in speciem plausibile:

Vendere cùm possis, captiuum occidere noli.
Seruiet vtiliter, siue pascat durus, aretque:
Nauiget, ac mediis hiemet mercator in vndis;
Annonæ prosit, portet frumenta penusque.

Quod quidem consilium vt nonnullis in locis probari potest, vtq; diuinis etiam præceptionibus, cùm de bello aliis gentibus indicẽdo agitur, probatum est, ita rursus certis, & à Deo decretis causis & opportunitatibus, omnino repudiandum fuit, omni vtilitatis opinione atque spe posthabita. Voluerat enim Deus, gentes illas, omni iam scelerum crimine flagrantes, extingui prorsus ac deleri, idq; negotij & curæ Israelitis ad conficiendum dederat, adiuncto facultatis promisso, & direptionis atque occupationis possessionisque illarum regionum authoritate præscripta. Huic Dei consilio, iudicio, & iussui illi cùm defuerint, sibi ipsis omnino defuerunt. illam enim de hac re
Deut. 6. legem satis aperta expositione declaratam acceperant: Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis. Custodi præcepta Domini Dei tui ac testimonia, & ceremonias, quas præcepit tibi: & fac quod placitum est, & bonum in conspectu Domini, vt bene sit tibi, & ingressus possideas terram optimam, de qua iurauit Dominus patribus tuis, vt deleret omnes inimicos tuos coram te, sicut locutus est: & profectò omnia hæc illis præstiterat Deus, nisi mens læua, humanumq; inepte atque impiè initum consilium obfuisset. Quid hoc fecistis? vos pacta cum illis fecistis, quæ ego cùm non fecerim, mutabo minimè. Seruate ergo atque vrgete factum vestrum, quod vestris, hoc est gentium moribus transactum, minimè arbitrabimini rescindendum. Hæc huius diuini nuncij expositio interpretando apta videbatur. Verùm enimuerò apud complures sacrorũ scriptorum narratores legentibus nobis, gentes has in Israelitarum exercitationẽ fuisse à Deo relictas; perplacuit quidem causa & expositio; quæ tamen non citra distinctionem excipienda visa est. Nam antequam Israelitæ cum gentibus his paciscerentur, nullam amicitiam contrahere permissi sunt: imo perpetuum bellum ad internecionem vsque gerere iussi, nullogq; illorum vel potentiæ vel opum, vel artis bellicæ aut industriæ metu terreri; fidere verò Dei tutelæ & verbo, quo illis pauorem perpetuò iniectum iri, fuerat promissum. Auferet Dominus à te omnem languorem; & infirmitates Ægypti pessimas, quas nouisti, non inferet tibi, sed cunctis hostibus tuis. Deuorabis Deut. 7. omnes populos, quos Dominus Deus tuus daturus est tibi. Non parcet eis oculus tuus, nec seruies diis eorum, ne sint in ruinam tibi. Si dixeris in corde tuo, Plures sunt gentes istæ, quàm ego, quomodo potero delere eas? noli metuere, sed recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni & cunctis Ægyptiis: plagas magnas quas viderunt oculi tui, & signa atque portenta, manumq; robustam, & extentum brachium, vt educeret te Dominus Deus tuus. Sic faciet cunctis populis, quos metuis. Insuper & crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes, atque disperdat, qui te fugerint, & latère potuerint. Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est. Deus magnus & terribilis, ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim, atque per partes. Non poteris eas delere pariter, ne forte multiplicentur contra te bestiæ terræ. Dabitq; eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo, & interficiet illos, donec penitus deleantur. Tradetq; Reges eorum in manus tuas, & disperdes nomina eorum sub cælo: nullus poterit resistere tibi donec conteras eos. sculptilia eorum igne cõbures, &c. Ex qua lectione manifestè apparet, illos Dei posthabito iussu, proprio atque humano consilio inductos, amicis ac tributarijs, quàm hostibus, ijsdem populis vti maluisse, ideoq; singularem illam erga se Dei curam & prouidentiam abalienasse; qui quidem humanæ superbiæ ac temeritatis perpetuus exitus, omnibus in seculis fuit quàm spectatissimus. S.S.E. Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est. Hoc igitur suum consilium populo per Angelum Deus aperit.

Quamobrem nolui delere eos à facie vestra, vt habeatis hostes, & dij eorum sint vobis in ruinam.

Totius antè habiti sermonis, atque explicatæ accusationis peroratio est, qua fœderis author se immunem à fœdere præstando, ipsorum vitio &

Universidad de Deusto
Biblioteca

culpa, factum confirmat: atque adeò illos suo consilio permissum deinceps iri, declarat. Ego, inquit, vobis hos hostes & esse & haberi iusseram, penitusq; mea virtute per vos deletum iri receperam, nomine hostilitatis, & inimicitiarum perpetuò à vobis gerendarum. Nunc verò cùm pro inimicis amicos, pro hostibus haberi & esse socios vobis, manifestè deprehẽsum fuerit; ipse pactum subducam meum, vestros vobis amicos ex animi sententia colendos relinquam: nam quos vos contra consilium iussumq; meum saluos esse voluistis, vel eo nomine ego non delebo. hoc tamen exitu prædicto, quem vobis, dum leges ferrem, subinde inculcaueram, istos istorumq; superstitionis cultum & imitationem magno vobis malo futuram, istos spinosos & calamitosos admodum; istorum verò deos pernicios issimos experturis. Hebraicè sic legimus: Etiam dixi, non expellam eos à facie vestra; & erunt vobis in TSIDIM, & dij eorum erunt vobis in captionem. Vocabulum TSIDIM, ex variarum thematum affinitate, captatores siue venatores, atque ineſcatores, & arctatores seu angustiatores significat: ideóque variè à variis Græcis ac Latinis interpretibus exponitur, omnibus tamen verbi vim consecutis. Est enim figurata oratio, ex venatorum translatione desumpta; qua significatur, Chananæorum populos omnem curam operamq; posituros, in Israelitis ad vanorum deorum culturam vel pelliciendis, vel impellendis; quibus nulla nec certior, nec præsentior calamitas ac ruina afferri possit: quemadmodum auibus & feris accidit, vbi in laqueos vel in retia impulsio, siue inductio facta fuerit. Voluistis, inquit, vobis hostes istos incolumes relinqui, per me incolumes modò relinquentur; qui tamen omni studio & opera id agent, nimirum, vt vos in ruinam & exitium impellãt. Vobis: non mihi. namque ego non mihi, sed vobis prospiciens, hostes hos declaratos haberi volueram; vtpote nimium infensos infestosq; futuros, si incolumes esse visum foret: visum est autem vobis incolumes relinqui oportere. Igitur vos vobis vestrum malum alere & fouere voluistis. non igitur eos delebo, mihi nil quicquam nocituros; quos vos vobis perniciem magnam allaturos manere non solùm passi estis, sed vltro etiam, procurato sanctoq; fœdere, voluistis. Atque ex hoc aliisq; locis manifestè docemur, eos qui præter voluntatis diuinæ præscriptum, vitæ actionumq; suarum quamuis speciosam rationem, quocumque nomine pactoq; interint, in suam ipsorũ perniciem iustissimo Dei iudicio relictum iri, vti ille aiebat:

Humanæ miseriæ ratio.

Horatius.

Quid facias illi? iubeas miserum esse libenter.

Psal. 74. „ Quis enim inuitum seruare laboret? S.S.E. Et non audiuit populus meus „ vocem meam, & Israel non intendit mihi. & dimisi eos secundùm desideria cordis eorum; ibunt in adinuentionibus suis. Si populus meus audisset „ me, Israel si in viis meis ambulasset; pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, & super tribulantes eos misissem manum meam.

Cùm loqueretur Angelus Domini verba hæc ad omnes filios Israel, eleuauerunt vocem suam, & fleuerunt. & vocatum est nomen

nomen loci illius, locus flentium, siue lachrymarum: immolaueruntque ibi hostias Domino.

QVINAM in hoc diuinis verbis facto iudicio rei constituti fuerint; quis reorum vultus, quæ mens extiterit; quales demum futuri exitus spes aut coniectura capi posset, his duobus versibus declaratur. Nimirum totius tum accusationis, tum iudicij reos factos & conuictos Israelitas omnes; quos pietatis officium studiosissimè colere, & facere debuisse, vel ipsum Israelis appellatum nomen docet. Namque vt illi apud homines, apud cæteras inquam gentes, dignitatem, authoritatem, decus, remq; omnem suam publicam priuatamq; tuerentur: non proprium, humanum, sibiq; ipsis excogitatum, non ex aliarum nationum moribus exemplisq; deductum; sed Dei protectoris, propugnatoris, custodis & vltoris consilio vti debuerint, ita vt verè potentes cum Deo dici possent: & tamen ratio hæc ab omnibus non communiter modò, sed tributim quoque ac singillatim inuersa, perturbata, defertaq; fuerat. Verba hæc ad omnes filios Israel. Namque verba rationesq; quibus oratio hæc instructa fuerat, omnes communiter omnium tribuum homines tetigerant: qui tamen angustiati atque conuicti, nullam veræ atque sapienter institutæ pœnitentiæ, mutatiq; prudenter atque efficaciter consilij significationem confecère; sed humanæ tantùm stultitiæ exemplum prodidère, fletu quodam & eiulatione communiter ac populariter perturbati; puerorum instar, qui obiurgantis patris monita ac reprehensiones, non tam ex animi mutatione, quàm ex obiurgatione dolentes, plorare solẽt. Est enim huiusmodi vulgaris, inconstans, & parum efficax resipiscentia, hominum corruptorum moribus explorata; quos non tam peccati dolor verus, quàm pœnarum & supplicij metus mouet; non tam dedecoris ac turpitudinis odium, quàm opprobrij offensio ac tædium subit. atque hoc quod in illo antiquo Israelitarum populo visum est, nostro, hoc est Israelis, quẽ verè Israelẽ esse oportebat, exemplo plusquam assiduo quotidie referimus: dum monentis, vel obiurgantis, vel increpantis, aut etiam corrigentis Dei verba & flagella sentimus quidem, & lugemus; causas verò ex nobis ortas non præscindimus, nec per nostrum patimur scelus, iracunda Deum ponere fulmina. Hoc autem ex eo fit, quod prauis ac falsis acclinis humanus animus meliora recusat; seq; suaq; omnia non ex præscripto Dei consilio ac iussu, sed ex proprio sensu atque arbitrio gerere constituit: quamquã id non sine quadam pietatis specie agat, qua quidem non solùm sibi blandiri ac placere, sed à Deo salutem, pacem, felicitatemq; omnem sententia ac voto impetrare, atque adeò emere, sibi persuadeat. S.S.E. Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorũ. Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt; quasi „ gens quæ iustitiam fecerit, & iudicium Dei sui non dereliquerit: rogant „ me iudicia iustitiæ, & appropinquare Deo volunt. Quare ieiunauimus, & „ non aspexisti? humiliauimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die ieiunij „ vestri

Resipiscẽtia inconstans

Esaiæ 58.

Universidad de Deusto
Biblioteca

» *vestri inuenitur voluntas vestra, &c. Atqui hic mos, hæc minimè apta pœnitentiæ species ab Israelis filiis illis, carnis tantùm sensum referentibus, inita hoc loco narratur: qui audita illa diuina per vatem reprehensione atque minitatione, lachrymas tantùm, & popularem fletum effudêre, atque ad externa sacrificia factitanda animum adiecere; consilij verò ex vera pœnitentia mutandi nullam, vt res ipsa indicat, rationem habere visi sunt. Hebraicæ orationis verba sic numerata Latinè reddimus, explicandæ sententiæ causa:* Et fuit, vt locutus est nuncius Domini verba hæc ad omnes filios Israel, & extulerunt ipse populus vocem ipsorum, & fleuerunt. *Nomine quidem & appellatione filiorum Israel, allocutionem factam lectio significat: perorationis autem euentum non ad Israelis, sed ad populi nomen refert: vt promiscuam & vulgarem, nec modo rationeq. tractatam rem indicet. qualia omnia ferè sunt, quæ populi concursu atque impetu aguntur, quamcumque in partem ea referantur, siue in lætitiam, siue in mœstitiam, siue in gratiam, siue in odium; quippe multorum capitum bellua vulgus aptè dicitur. Hoc autem maximè in religionis, aut etiam superstitionis rebus spectatur, cùm imitatione, contentione, æmulatione, atque interdum temeritate ac tumultu magis, quàm certo consilio, aut sapientum iudicio ac monitu, populus agitur. Huiusmodi quoque illius apud Satyricum notationis exemplum est:*

Vulgi ingenium.

Iuuen. satyr. 6.

Ergo hic præcipuum summumque meretur honorem,
Qui grege linigero circundatus & grege caluo,
Plangentis populi occurrit latrator Anubis.

Hoc genus planctum atque fletum hoc in loco notatum intelligimus; Extulerunt vocem suam. *pluraliter legendum,* suam: *vt popularem eiulatum, tumultuosum certè, atque ritè institutæ pœnitentiæ ponderibus vacuum fletum intelligamus. Cuiusmodi & ille describit:*

Hor. Epod.

O quantus instat nauitis sudor tuis,
Tibique pallor luteus;
Et illa non virilis eiulatio
Et preces aduersum ad Iouem;
Ionius vdo cùm remugiens sinus
Noto carinam ruperit!

Hunc popularem planctum, vt ieiunium aliàs quod Esaias notabat, sacrificiorum procuratio popularis etiam consecuta est: quòd eo modo Dei auriculas emendas sibi populus putaret. Cùm tamen sacrificiorum studium, quamuis frequens, citra animorum atque morum probatam institutionem exercitationemq., ingratum sibi esse Deus ipse Israelitis declarauerit. Debent namque sacrificia illa externa sacrificantum antea pectus contritum atque humiliatũ cor Deo primùm probare. S.S.E. Audi popule meus, & loquar:

Perf.

Pſal. 49.

» *Israel, & testificabor tibi. Deus Deus tuus ego sum. Non in sacrificiis tuis* »
» *arguam te; holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. Non accipiam*

piam de domo tua vitulos, nec de gregibus tuis hircos. Quoniam meæ sunt »
omnes feræ syluarum, iumenta in mille montibus, & boues. Cognoui omnia »
volatilia cæli, & pulchritudo agri mecum est. Si esuriero, non dicam tibi; »
meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius. Nunquid manducabo carnes »
taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua; & inuoca me in die tribulationis; eruam te, »
& honorificabis me. Sacrificium laudis in hac atque in vltimo Psalmi huius »
versu, idem quod confessionis sacrificium esse interpretamur, cùm homo miseriam propriam agnoscit, & benigni Dei erga se iram, confessionis veræ munere placat, atque misericordiam postulatione ac voto conciliat. illic iter, quo ostendam illi salutare Dei. »

Quin damus id superis, de magna quod dare lance »
Non possit magni Mæssalæ lippa propago? Perſ. sat 1.
Compositum ius, fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.
Hæc cedo, vt admoueam templis, & farre litabo.

Ita illos plorasse quidem, & sacrificia factitasse legimus; mentem verò mutasse, aut initum cum Gentibus fœdus perrupisse, non legimus: vtpote quibus turpe & à Gentium moribus & iure alienum videretur, damnosum etiam duceretur, fœdera rescindere; consultiusq. putaretur, eadem retinere ac seruare; Deumq. sacrificiis faciendis placare, quasi ille mutare consilium posset; atque coactus etiam sacrificiis mutare deberet; sibi verò suũ consilium non deberent mutare. Hac iudicij peruersitate plerumque viuitur. S.S.E. Cùm occideret eos, quærebant eum, & diluculo veniebant ad eum. Et re- Pſal. 77.
memorati sunt, quia Deus adiutor est eorum, & Deus excelsus redemptor »
eorum est. Et dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei; cor »
autem eorũ non erat rectum cũ eo: nec fideles habiti sunt in testamẽto eius. »

Mobilis & varia est ferme natura malorum, Iuuen.
Cùm scelus admittunt, supereſt constantia; quid fas
Atque nefas, randem incipiunt sentire peractis
Criminibus; tamen ad mores natura recurrit
Damnatos, fixa & mutari nescia. quisnam
Peccandi finem posuit sibi, quando recepit
Eiectum semel attrita de fronte pudorem?

Nihil verò aliud ab illis insigni notatione dignum factitatum fuisse, præter sacrificia ex illo plorandi & eiulandi tumultu consecuta; nomen ipsum ad posteritatis memoriam, & rei gestæ monumentum loco impositum, apertè indicat: quod quidem nomen non illius nuncij consilio aut iussu, nec sapientis cuiusptam monitu, sed ipsius turbæ lugentis arbitrio factum videtur; namq, Hebraicè multitudinis numero verbum atque nomen etiam pronunciantur: Et vocauerunt nomen loci illius, flentes; & sacrificauerunt ibi Domino. *vt quod illis visum satis fuerat,* (*hoc est flere & sacrificare*)

Universidad de Deusto
Biblioteca

care) iam curatum esse, loci nomen testaretur. testatum autem est, atq; posteris illud demum indicauit: nempe Deum obiurgando ac monendo suas apud illos partes plenè egisse; illos verò apud Deum suas, quas oportuit, egisse minimè. Superioris autem narrationis, tam quæ nunciationem, quàm quæ nunciationis argumentum spectat, causam omnem à principio subiunctis versibus expositam Spiritus sanctus voluit.

Dimisit ergo Iosue populum, & abierunt filij Israel vnusquisque in possessionem suam, vt obtinerent eam.

Commodū priuatum.

Ex priuati commodi studio & cura, publicarum rerum neglectionem, atque ex hac, religionis veræ contemptionem, demum calamitatem summam oriri, omnibus omnium ætatū exemplis, & sapientum obseruationibus exploratum est. Atque hāc maximorum malorū causam esse, quòd ab illa communis officij curatione, quam diuina beneficentia ex se ad imitandum proponit, & frequentibus præceptis commendat, ad diuisionē & dissensionem, vtilitatis priuatæ causa, desciscitur. Ex quo fit, vt humani generis acerrimo illi hosti aditus locusq; detur oportunissimus, ad res hominum non publicas modò, sed priuatas etiā, perdendū. Id quod illustrissimo illo nuptialis conuiuij, à conuiuis repudiati, exemplo, per Iesum vitæ Magistrū enarrato, facilè cognoscitur. Atque ratio hæc hoc loco nobis exponitur: nimirū quamobrem Israelitæ in illā mentem impulsi fuerint, vt fœdus cū Gentibus inire, quàm bellū gerere maluerint, quòd singulæ tribus vt possessionū peculiarē sortem, ita hostiū etiam partitionē sibi obtigisse arbitratæ, dum componendis augendisq; priuatis rebus operā nauare instituunt, finitimorū hostium bellum nō excipere, neq; suscipere volunt, imò quibus suis cōditionibus declinare optāt. Oportuit enim singulos non solùm finitimos, verùm etiam remotiores hostium numero conclusos expugnare, & profligare primùm: id quod coactis coniunctisq; opibus, omni Israelitarum populo facillimum foret, eam rationem secuto, quam Deus author, promissor, & propugnator præscripserat:

Beneficentia Dei.

Conuiuium nuptiale.

„ Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est, Deus magnus
„ & terribilis: ipse consumet nationes has, in conspectu tuo, paulatim & per
„ partes. non poteris eas delere pariter, ne fortè multiplicentur contra te bes-
„ tiæ terræ. Dabitq; eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo: & interficiet
„ illos, donec penitus deleantur. Itaq. versus hic, earū quæ narratæ sunt re-
rum, quæq; narrabuntur deinceps, causam indicat. Nempe quòd Israelitæ, postquam à Iosue in illo celeberrimo concilio dimissi sunt, singuli in suas regiones diuertentes, propter priuatarū rerum studium & curam, non solùm illud Dei de perdendis hostibus iussum ratū ac firmum noluerint; sed officium omne, quod pietatem in primis, quodq; ipsius gentis communē societatem, decus & splendorē spectabat, breui tēporis interuallo neglexerint. Quæ continua perpetuaq; hominū pernersitas, atque maximorum malorum causa fuit, ex diuinæ voluntatis (in qua humana felicitas posita est) obseruantia in priuatum propriumq; singulorū consilium & studiū. Verbum præteritum,

dimi-

dimisit, plus quàm perfecti Latini vim obtinet. Iosue quidem populum dimiserat omnē; vt vnaquæque tribus vxores, liberos, reliquamq; imbellē familiā suis in sedibus locaret: idq; cōmodè hactenus & non importunè fieri poterat, si exemplo eorū, qui cis Iordanem degere optauerant, impedimentis semotis, qui bello apti, & Israelitarum nomini atque decori tuendo idonei essent, coactis copiis ad profligandū delendumq; hostē summo studio incumberent, diuini promissi exemplū præsens certū atque efficax experturi. Verùm enimuero filij Israel, qui ad eam rem vocati informatiq; fuerant, vt potentis cū Deo viri nomen conseruarent, Abierunt vnusquisque in possessionem suam, vt obtinerent eam. Apertè satis indicatur studium & consiliū filiorum Israel id fuisse, nimirum frui paratis, & belli laborem tædiumq; declinare: Vt obtinerent eam. siue, vt Græci ex Hebraico verbo reddiderunt, Ad possidendum terram. studiū omne fuit terrā possidere, mortalisq; vitæ cōmodis ex terræ vsu prospicere. ea res & hostium bellum cū fœdere sanciendo mutare suasit, & cæteros pietatis veræ cultus tantum suscipere & curare, quantū ad terræ possessionem cōmodè ac facilè vrgendam conferre posse videretur, adeò ad terrenarū humanarumq; rerū amorem Israelis filij degenerant. O bone Iesu Christe, humanæ salutis author, quid non nobis hoc loco de tuis, de nostrisq; rebus, moribus, atque studiis putandum occurrit? Sed nostrum teneamus commentationis modum. Mysterium.

Seruieruntque Domino cunctis diebus eius, & seniorum qui longo post cum vixerunt tempore: & nouerunt omnia opera Domini, quæ fecerat cum Israel.

Felicissimos cum primis eos esse, qui sua sponte saperent, antiqui cordatiq; viri indicauere; ac proximo quidē loco eos felices dictitarunt, qui ex aliorum consilio aut exemplo saperent: illos autem penitus miseros fore censuēre, qui nec sua sponte saperent, nec sapientum vterentur consilio. De primo hominum genere dictum est: Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit; sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Secundum verò genus ita Deo sibiq; maiorū disciplinam gratulatur: Deus auribus nostris audiuimus, patres nostri annunciauerunt nobis opus, quod operatus es in diebus antiquis, &c. Tertium porrò sic notatur genus: Timor Domini principium sapientiæ. Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. Vsquequo paruuli diligitis infantiam? & stulti ea quæ sibi noxia sunt, cupient? Comedent igitur fructus vitæ suæ, suisq; consiliis saturabuntur: & auersio periculorū interficiet eos, & prosperitas stultorū perdet illos. Felices qui. Hesiod. in operib. Psal. 1. Psal. 43. Prou. 1.

Priuatorum commodorum cupiditate inducti Israelitæ, nimium iam vltro desipuerant; verūtamen grauissimorum quorundam virorum, qui ex veteri republica superstites adhuc fuerant, authoritate in pietatis cultu, sallem rituali, atque in melioris politiæ disciplina continebantur. his porrò è viuorū numero sublatis, posteritas omnis insaniuit: aque in omne nefas

Universidad de Deusto
Biblioteca

inducta, religionis speciem si quam retinuit, eam non ex Dei præscripto atque noto iudicio & consilio, non ex sapientum responso aut monitu, sed ex vulgari gentium aliarum vel imitatione vel contentione procurarêre. At qui populus maiorum authoritatem plerumque sequi consueuit: qui si bonis

Ducti culpæ euentus. *sapientesq; contigerint, bene habet; sin verò contrà, pessimè. Vnde fit, vt miserorum Reipub. temporum culpæ maxima pars in optimatibus, ducibus, &*

Ducũ partes. *magistratu resideat. Hos enim pietatis, virtutis, ac sapientiæ omnes magistros antistitesq; reliquo populo esse, atque ideo certæ disciplinæ præceptis, institutis, exemplisq; abundare oportet: sed humanæ prauitatis error exiguo temporis interuallo maiores etiam ad priuatarum rerum studium, deinde ad ambitionem, atque rerum publicarum negligentiã vel corruptelam,*

Isaiæ 5. „ *luxu demum ac voluptatibus colliquescentes traducit. S. S. E. Væ qui con-*
„ *surgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam,*
„ *vt vino æstuetis. Cithara & lyra, & tympanum & tibia & vinũ in con-*
„ *uiuiis vestris; & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consi-*
„ *deratis. Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scien-*
„ *tiam: & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit. Dum*

verò magna rerum publicarum adiutamenta & ornamenta, atque veræ felicitatis capita, apud Israelitas intra non multos annos extincta, tenebrosis & calamitosis Reip. temporibus initium fecisse, sacra lectio indicat: nempe

Senectutis authoritas. *seniorum virorum authoritatem, grauitatem, & curam certa diuinarũ rerum atque veræ pietatis notitia instructam. Namque in bene constitutis ciuitatibus magnum momentũ ad res foris ac domi gerendas canities habet,*

Prou. 16. *ea præcipuè quam iuris, legum, pietatis, atque æquitatis omnis peritia ornat, quámque antè actæ vitæ tum exempla, tum experimenta communiunt. S. S. E. Corona dignitatis senectus quæ in viis iustitiæ reperietur. Atq;*

Iosue non testis modò, sed minister etiam fuerat partu maximorum beneficiorum, quæ Israelitarum populo diuinitus fuere collata: testes etiã fuerant

ij, qui Iosue superstites eandem sacræ disciplinæ rationem obseruabant, & assidua exemplorum notorum commemoratione populum instruebant, atque hac doctrina imbutum, in officio, quoad id curare ac pro virili præstare poterant, continebant. Atq; idem hoc loco oratio illa, Qui longo post eũ vixerunt tẽpore, *significat; quod aliàs Latinè dicitur, superstites alicui viuere. Hanc enim significationẽ cùm Hebraica lectio ostendit, tum reiipsius ratio manifestè declarat: siquidẽ ex Iephtheæ legationis testimonio cõputatis temporibus, non plures quàm septẽ & viginti anni à Mosis obitu ad primum Iudicem vsq; obseruantur; quo spatio satis breui, & Iosue, & qui eũ ætate aut rebus gestis comitati fuerant, apud superos esse desierunt. Hi autẽ & legis diuinæ compotes, & totius maximi illius beneficij, quo Israel à principio ad*

suã vsq; ipsorũ ætatem affectus, auctus, ornatus, amplificatusq; fuerat, grationẽ seriemq; tenebant, ad hancq; normã populũ instruentes, Remp. gubernabãt. His verò sublatis, continuò mala disciplina deprauari populus cœpit.

Dam-

Damnosa quid non imminuit dies? Horatius.
Ætas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Et nouerant omnia opera Domini, quæ fecerat cum Israel. *Non solùm ea exempla, quæ tempore Iosuæ edita fuerant, sed historiã omnẽ rerum, videlicet, deductum populum, fluuium diuisum, solem hærentem, Reges occisos, & proxima quæ ornandi atque amplificandi Israelis causa Deus effecerat, à principio vsq; obseruatam, cogitatã atque cognitam hæc verba significant. Hebraicè namque, atq; Chaldaicè, & Græcè in hanc formã hæc pronunciantur:* Qui viderunt, siue nouerunt omne opus Domini magnum, quod fecerat Israeli. *Verbum verò Hebraicum,* viderant; *cũ Latinis & Græcis interpretibus pro cognouerant accipimus; seruata tamen videndi ac sentiendi significatione Latina, ad Christi mysteria, cùm Deus voluerit, aperienda. Quamquã verò nonnulli ex iis, qui post Iosue populum instruebant, ea quoque vidissent, quæ ab Ægyptiacæ calamitatis atque salutis tempore acta factaq; fuerant, totis sexaginta ac septem annis: (quippe non plures ab exitu effluxerant) non tamen ea omnia magnum illud opus conficiũt, quod Deus in Israele ornando amplificandoq; apparauit. Ita fit, vt, cùm populus vel sua sponte, vel seniorum defectu aut negligentia, legitimam Dei cognitionem abiecerit, ad ignauiam & vitia omnia prolabatur, vel ipse sibi religionis colendæ formas fingat, ex opinionis materia magis, quàm veræ ac probandæ rationis iure constantes. Atq; hoc ipsum arguit humanarum rerum vicissitudinem & inconstantiam, ac testamenti veteris imbecillitatem, quæ cultores suos, propter desideratum in ipsis Spiritum diuinum, nec perfectos efficere, nec in illo ipso cultu, quod figuris & imaginibus atque externis ritibus exhibebatur, diutius conseruabat; nisi quantum Respub. melioribus vteretur ducibus ac magistratibus, quorũ studio atque authoritate res agerentur. Longè autem aliter cum noui Testamenti hominibus actum est, quicumque recepto Christo potestatem obtinuerunt vt fierent filij Dei.*

Testamentũ vetus.

Testamentũ nouum.

S. S. E. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum: non secundùm pactum quod pepigi cum patribus vestris, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ierem 31. „
„
Ægypti: pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit „
Dominus. Sed hoc erit pactum quod faciam cum domo Israel post dies illos, „
dicit Dominus. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum „
scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populũ. Et non docebit vltrà vir proximum suũ & vir fratrem suum, dicens, Cognosce Do- „
minum; quia omnes cognoscent me à minimo eorum vsq; ad maximum, ait „
Dominus: quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius. Verùm hæc modò non ab omnibus passim capiuntur, nec capi ab huius seculi sapiẽtibus possunt: quæ nos simplicioribus ac exiguo gregi,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nunc tantisper indicantes, cognoscenda relinquimus, illuc reuersi, vt obseruemus permagni referre, qualibus ministris populus vtatur, interim dum dies illucescit, & Lucifer in hominum cordibus ex alto oritur. Atqui breue admodum fuisse temporis interuallum illud, quo Israelitæ, senioribus ac sapientioribus procurantibus, pietatis cultum legitimum seruauerint, & Iosuæ & aliorum, qui superuixerunt, monitis obtemperarint, subiuncta lectio significat:

Mortuus est autem Iosue filius Nun, famulus Domini, centum & decem annorum.

Iosuæ gubernationis anni.

MINISTER *ille, dux, imperatorq; optimus, cuius opera Deus terrenâ promissa Israelitis præstiterat, in officio suo constans perseueransq;, vitam cum morte commutauit, paucis post Mosis obitum annis, viginti octo ad summum. Neque enim inter Iosue & socios comitesq; illius pluribus quàm octo & viginti annis locus patet. Erat autẽ Iosue Ægyptiacæ salutis tempore annos quadraginta, aut plures etiam natus; Harabici itineris circuitiones & ambages quadraginta etiam consumpsere annos: qui superant ad centesimum ac decimũ, Iosuæ & sociis, hoc est, Eleazaro Sacerdoti, & aliis ex sapientibus ac bonis viris tribuuntur. Mortuum autem legimus Iosue illum filium Nun, nomine, titulo, atque munere famuli Dei iure conseruato & adscripto, cùm illa ætas nihil vlteriùs præstaret, quàm famulorum Dei decus & pretium; nihil enim ad perfectum perduxerat lex. At verò noui Testamenti probatis ministris, præstantius multo atque gratius amicorum & filiorũ cognomen accreuit. S.S.E. Iam nõ dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius; vos autẽ dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat: vt quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. Tantum autem differt inter Iesum Filium Dei, & inter Iosue filiũ Nun; quit tamen optimi serui munere, honore, atq; vita defuncti, in propriæ regionis agro monumentum sepulchrúmque obtinuit, diuinorum promissorum constantiam & veritatem, atque fidei etiam suæ memoriam, ad posteritatem omnium seculorum propagaturus.*

Famulus Dei. Antiquorũ temporũ laus quanta. Nouum tempus. Ioan. 15.

Monumentum Iosuæ.

Et sepelierunt eum in finibus possessionis suæ in Thamnath-sare, in monte Ephraim, à Septentrione ad plagam montis Gad.

Sepulchra.

SEPVLCHRORVM *cura omnibus fere nationibus antiqua est, & innato hominibus immortalitatis amore; quam cùm non omnes, quonam pacto nancisci possint, intelligant; varius tamen affectant rationibus, vt certè corporum & ossium, aut cinerum custodia, sepulchris, statuis, titulis, molibus, atque ædificiis aliis erigendis, nummis cudendis, historiarũ & poëtarum narrationibus, innumerisq; aliis monumentis, vtcũque consequi studeant. Quæres cùm ipsis viuentibus atque sentientibus curanda putatur, tum hæredibus atque amicis, aliisq; quibus defuncti vita nomen carũ gra-*

tumq; fuerit, inter officij munera numeratur. Verùm præter has rationes, omnibus ferè Gentibus cõmunes, alia potior iis, quibus vera religio cognita fuerit, probatur, quæ ex resurrectionis corporũ fide ac spe repetitur. Æquum enim visum est, ea membra certo loco seruanda reponere, quæ immortalis animi, siuumq; corpus demum repetituri domicilio fuerant. Atq; hinc sanctorum virorũ ossa, cineres, et partes cæteræ, quas vulgò reliquias dicimus, & custodia & asseruatione atque honore digna, piè sentientibus existimantur. Multæ itaq; sunt causæ, propter quas de Iosuæ sepulchro ac sepultura mentio in hac sacra historia facta fuit. Quòd vir & memoria & honore dignissimus, eo in loco sepeliendus duceretur, qui & vinẽti habitatus, & vita functo occupatus, ipsius fidem & promissorum Dei constantiã non solùm suis contribulibus, sed aliis etiam tribubus, vicinis, & finitimis, perpetuum exemplum testaretur: ideoq; in finibus possessionis suæ sepultus dicitur, atque adeò in montibus Ephraim, quæ etiam montis pars est versus Austrum, vt ex Gaas montis Boreali parte conspici sepulchri locus, visiq; posset. Atque hactenus humani honor officij optimo atque de Repub. bene merenti viro à viuis ac superstitibus decretus est, nulla verò posteris eorum officiorum parte auctus: quæ officia nunquam intermitti vel desiderari fas fuerat, nempe verum pietatis colendæ studiũ, ipsius viuentis, & iam etiam morituri verbis & exemplis tantopere commendatum: neque enim Prophetæ sanctiq; Dei ministri, quamquã vita iam sancti, quod ad doctrinam, disciplinam & admonitionem, cui dum viuerent, operam nauarunt, quamuis mortui fuerint corpore, tamen moriuntur aut cessant beneficio. S.S.E. Habent Mosen & Prophetas, audiant illos. Atque breuiter de cõmemorato Iosuæ sepulchri loco, vt ad illa tempora referre visum est, explicare satis fuerit. Illud verò nobis pro seculi nostri vsu significandum videtur; sacram historiam magnum semper discrimen indicare inter veteris Testamenti ministros, qui serui plerumque appellantur, vtpote nec veræ animorum salutis auctores, nec procuratores; & inter Iesum Christũ, Testamenti noui summum singularemq; Pontificem, & procuratorem, atq; adeò auctorem, cuius potestati Pater omnia, mortem, vitam, cælum, terram, regnum, iudicium, & quidquid ad æternam hominum felicitatem facit & pertinet, plenè tradidit: Cæteri verò ante illum omnes seruilis atque figuratiui negotij ministri interpretesq; fuerunt, atque hunc omnes respexerunt, verum, vnicum Dei Filium, æterni fœderis legatum verum solumq; auctorẽ, vitæq; principem & compotem, & sibi ipsi tenendæ, ponendæ, recipiendæ, atque aliis communicandæ: quem mortis vinculis detineri impossibile erat. S.S.E. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo. Licebit namq; nobis de Iosue, hoc est, de ministro illius veræ, per vmbram & figuram tamen allatæ antiquo populo salutis, id quod D. Petro de Dauide dicere, hoc est, Iosue nec vitam nec salutem spiritualẽ hominibus aliis attulisse, vtpote quam nec ipse ex se haberet,

Resurrectio corporum.

Sanctorum reliquiæ.

Luæ 16.

Ministrorũ discrimina.

Psal. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſed in æternæ vitæ atque reſurrectionis corporum ſpe diem ſuum obiiſſe, corruptionemq́. vidiſſe; idque manifeſtè teſtari ipſius ſepulchrum, quod in monte Ephraim ad Septentrionem montis Gaghas multis poſtea ſeculis viſebatur.

Omnisque illa generatio congregata eſt ad patres ſuos: & ſurrexerunt alij, qui non nouerunt Dominum, & opera quæ fecerat in Iſrael.

Virg. Geor. 1

Vidi lecta diu, & multos ſeruata per annos
Degenerare tamen, ni vis humana quotannis
Maxima quæque manu legeret; ſic omnia culpis
In peius ruere, ac rettrò ſublapſa referri:
Non aliter quàm qui aduerſo vix flumine lembum
Remigiis ſubigit, ſi brachia fortè remiſit,
Atque illum in præceps pleno rapit alueus amni.

Spiritus timoris Domini. Opinionis ſpiritus.

SINGVLORVM *quidem ſeculorum frequentibus exemplis compertum eſt, vnde ſpiritus timoris Domini diſceſſerit, eodē opinionis ac priuati conſilij ſpiritum, diuina atque humana omnia turbantem, ſuccedere. Atqui Spiritum Domini nullo pacto apud eos conſiſtere, qui carnis & ſanguinis improbam & peruerſam viam inſiſtunt; æterni Verbi reſponſo declaratum*

Gen. 6. „ *eſt: Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro eſt. Igitur Ioſua, veteris pacti fideli miniſtro, è viuis ſublato, cæterisq́. bonis ac ſapientibus illius ætatis viris non multo pòſt etiam deſideratis, noua ætas cœpta eſt. Illa quidem argentea fuerat, ſed quæ ſecuta eſt, plumbū quidem aut æs, primùm; deinde ferrum eſt imitata moribus. Iam verò quinam fuerint illi, qui generationis nomine cōprehenduntur hoc loco, ex ſuperiori expoſitione cognoſcimus, nempe ſeniores eiuſdem cum Ioſua æui, qui nouerant opus Domini*

Generatio. *quod fecerat cum Iſrael, ex quorumq́. vita ratio ſumitur ad tempeſtatē illam indicandam. Namq. nomen ipſum ſacræ linguæ* DOR, *pro quo Latinus*

דור *interpres generationē, hoc, & alijs in locis reddit, à verbo* DAR *deductum, quod peregrinari, habitare, & ſtruere ſignificat, ſolet ad eos tātùm referri, qui tempore certo quopiam aliis hominibus gubernandis aut ducendis incumbunt: ita vt plerūque videamus hoc nomen* DOR *ad inſigne aliquod caput referri, quòd obſeruari oporteat eos, qui temporum rationē fuerint ſub-*

Matth 1. *ducturi. cuius rei exempla multa ſunt, vt illud: Omnes itaq. generationes*
„ *ab Abraham vſq. ad Dauid, generationes quatuordecim; à Dauid vſque ad*
„ *tranſmigrationē Babylonis, generationes quatuordecim; à tranſmigratione*
„ *Babylonis vſque ad Chriſtum, generationes quatuordecim. Totidē quidem numeratis illuſtribus viris, ſuæ vnoquoque ætatis ductore, hic numerus à Matthæo confectus eſt. Cùm itaq. ex temporum à Ioſue ad primum vſque Iudicē ſupputatione, vix triginta, vt diximus, anni Ioſuæ ætati tribui poſſint; nomen generationis ad illos tantummodo viros pertinere arbitramur, qui illuſtri notatione paulo ſuperiùs indicabantur; qui nouerint opus Do-*

mini, &c. Namque vt de tota illa gente, quæ ab Ægypto profecta in Chananæam regionē deuenerant, exponatur hoc nomen, natura rei minimè fert: neque enim tot hominum millia, ſeptuaginta ferè annis extincta fuiſſe dici poſſunt. His & illud accedit, arcanæ linguæ orationem duobus articulis notificatiuis ornari, quæ ſingularem certamq́. rem aliquam, cùm vſurpantur, indicare ſolent, in hanc formam: Et etiam omnis illa generatio, illa, illa congregata eſt ad patres ſuos. *Quin & illud, congregari ad patres ſuos, non vulgariter de turba promiſcua dici ſolet; ſed de iis, qui & paternā pietatem viuentes ſectati imitatiq́., fidem & ſpem morientes paternæ ſimilem retinuerunt; & eodem loco poſt mortem repoſiti ſunt, vbi ipſorum parentes, futuram expectantes ſalutem, manebant. Itaq. viris illis, illa inquam generatione, illis populi ducibus ad patres ſuos commigrantibus, noua hominum morumq́. facies extitit, ab illa priore longè diſſimiliū.* Qui non nouerunt Dominum, & opera quæ fecerat cum Iſrael. *Verbum,* Surrexerunt, *vt iam ſæpius in alijs Cōmentarijs docebamus, non ſolet vulgo, vulgaribus, aut plebeijs hominibus, ſed illuſtribus, atque ad agendas gerendasq́. cùm domi, tum foris res natis, vel conſtitutis tribui; videlicet Sacerdotibus, Prophetis, Regibus, & Magiſtratibus. atq. hoc modo tum locos alios, tum illum explicabamus: Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. Quamobrem & verbum hoc noſtram expoſitionem comprobat. nam qui ſurrexerunt, pari poteſtate in* Congregati ad patres.

qui perfuncti iam fuerant, pollere dicendi ſunt; diſpari tamen probitate, virtute, ac pietate, vtpote qui non nouerant Deū. Non qui Dei nomen aut ignorarent, aut negarent; imò fortaſsis qui frequenter prædicarent & repeterent; verùm qui non ea ratione colerent, qua, ſi rectè noſſent, colere debuiſſent; colerent autem ſuo ipſorum modo, ſibi excogitato ad ſuum ſibiq́. optatum vſum. Quicumque enim hoc modo Deum diuinasq́. res colit, non ſolùm negligere & offendere, ſed non noſſe etiā dicendi ſunt. Neque enim Deum cognoſcit, qui aliter quàm oporteat cognoſcit, alitérque quàm ſit fas colit. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; ſed tantùm qui facit voluntatē Patris mei qui eſt in cælis. Confitentur quidem (ait Paulus) ſe noſſe Deum, factis autem negant, cùm ſint abominati & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi. Iſti quidem & nomen Dei ore quidem vſurpabant, quod vel ipſum retentū & ambitioſè iactatum, Iſraelis nomen declarat: verùm qua ratione Dei nomen venerari & colere; qua item Iſraelitici nominis dignitatem, quæ ſine Deo conſtare non poterat, conſeruare deceret; hoc agere omnino neglexerāt, obliti prorſus magni illius operis, quod fecerat cum Iſrael. Chaldæus paraphraſtes egregiè, vti ſolet, huiuſmodi orationes explicat, Qui non nouerunt ad timendum ab ante Dominū. Igitur neque ipſi viderant facta Dei, nec intellectu etiam fuerant contemplati: nec pietatis colendæ ſtudijs proſecuti. ſic etiam aliàs ſæpè, noſſe, idem, quod cognoſcendo probare, fouere, atque curare ſignificat; vt, Quia nouit Dominus viam iuſtorum. &, Amen Cultus non rectus. Matth. 7. „ Tit. 1. „ Pſal. 1.

dico

Universidad de Deusto
Biblioteca

dico vobis, nescio vos. Quòd si vera disciplina cognoscendi colendíque Dei ab istis neglecta desertaq. fuerat, consequitur illis religionis ac vitæ instituta non ex certa ratione, qua Israelis doctrina continebatur; sed ex consuetudine tantùm, atque ex aliarum imitatione, comparatione, & contentione gentium, fuisse inita. Ita enim non rarò accidisse nouimus, vt populus, cùm ex politiæ (vt ipse dicere solet) ratione, sine religione viuere non posit; religionis normam vel sibi ipse comminiscatur, vel ex vicinis aut finitimis, atq. etiam ex remotis nationibus aduehat; vel suam quoque à maioribus acceptam, externo quidem ritu, minùs tamen certo aut constanti, atq. adeò à diuini Spiritus sanctitudine alieno, retineat. S. S. E. Eo quòd appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, & timuerunt me mandato hominum, & doctrinis. Ex his ignorationis tenebris quidnam oriri aut sperari possit, attendamus, nimirum tenebrarum opera, iniurias, impietatisq. omne genus, ad idolomaniæ vsque insaniam.

Religio populatis.

Esaiæ 29.

Feceruntque Israel malum in conspectu Domini, & seruierunt Baalim.

SÆPE iam alias lectorem admonuimus, sacræ historiæ scriptores earum rerum, quas continuata longaq. serie narrare instituunt, summam prius explicare & generatim dicere solere, in qua causæ atque euentorum rationes, & quæcumq. vtilitatem eorum, quibus hæc scribuntur, spectant, continentur. Nec enim hæc ad nudam historiæ cognitionem, sed ad doctrinam narrantur, ideoq. & rerum causæ & vitia & modi tractantur, quæ in exemplar, vel in exemplum etiam, ad posteritatis conformanda, vel damnãda, vel reformanda tempora, proponuntur. Est autem omnium huiusmodi narrationum summa illa ratio; Dei in primis erga humanum genus beneficentiam, gratiam, curamq. ostendere, atque in eos qui fidē pietatemq. coluerint, certissimis semper constitisse exemplis, declarare: rursus etiam cõmonstrare, omnium humanarum miseriarũ causam non aliunde quàm ex ipsis hominibus nasci, qui à diuini consilij ratione ac præscripto desciscentes, ad priuatarum cogitationum commenta & figmenta, atque adeò ad vitia & scelera, demumq. ad impietatem delapsi, Deum, quem beneficum benignumq. prospectorem habere neglexerint, iustum seuerumq. iudicem & vltorẽ experiri coguntur. Hanc rationem toto hoc capite ad finẽ vsque si tenuerimus, quæ deinceps legentur omnia, certo ordine facilique negotio explicabimus. Certè hactenus cuncta Israelitis prosperè processisse videbamus, verùm deinceps magna rerum ac temporum varietate vsos intelligemus: cuiusmodi rerum mutationem, cùm ad publicã fortunam humanæ atque insaniẽtis sapientiæ consulti referre soleant, ad certam & constantem Dei prouidentiam referri debere, nostri nobis authores, diuino Spiritu dictante, declarant. igitur nec secundarum rerum, quas antea cognouimus, causam ex Iosuæ virtute ac felicitate quærendam; nec eorum quæ deinceps variè euenisse narrabuntur, ex desiderata principum ac ductorum vel probitate, vel

Scripturarum vsus.

felicitate definiendam esse, docemur: sed vtriusque rationis auctoritatem vnicæ Dei prouidentiæ tribuendam; causam verò siue opportunitatẽ aduersarum quidem rerum, vel culpæ, vel impietati hominum; secundarum verò, pietati ab ipsis diligentiùs cultæ adscribendam. Nam ne quispiam Iosuæ virtuti præterita optima quæq. exempla attribueret; manifestè indicat nobis author, aliud in causa fuisse, nempe Deum à populo cultum omnibus diebus Iosuæ, & seniorum, qui nouerant omne opus magnum quod fecerat Dominus cum Israel: atque ad hanc normam cultus ratio omnis dirigebatur. Idem etiã ea, quæ deinceps narrabuntur, declarant & confirmant: quandoquidem facilè ostenditur, non defuisse optimos, fortissimos ac piissimos viros posterioribus etiam ætatibus, quorum tempore nec omnia prospera, nec omnia aduersa populo euenerint. Quamobrem non tam quid viri illi vel publicè vel priuatè præstiterint, sed quem ad modum populus sese gesserit, obseruandum est; quem Deus vel corruptum & perditum de prauitate deducere, vel emendatum & correctum iuuare & fouere curauerit. Itaque nulla astris, astrorumq. efficientiis, nulla casui, fortunæ nulla, denique nulla priuati cuiusquam viri vel felicitati, vel virtuti ad rerum publicarum varietatem, vis & auctoritas est; sed vnius Dei, cuncta iustissimè gubernantis, prouidentia & virtus locis temporibusq. cunctis constans atq. præsens asseritur. Causa autem quamobrem ea, quæ posthac porrò narrabuntur, adeò varia, præteritisq. non rarò dissimillima euenerint, illa nimirum est; quòd fecerunt filij Israel malum in conspectu Domini. *Indignitas ac deformitas rei omnibus nominibus.* Primùm, quòd filij Israelis, quos paterni tituli amplitudinẽ pietate fortiter colenda tueri oportebat, contra ius, contra fas, contra proprium decus, malum fecerint. Hebraica oratio notificatiuam vocem vocabulo, mali, adiungit, vt omne genus mali, idq. graui ter admissi, intelligamus. Hanc etiam adnotationem interpretes Græci obseruarunt, addito articulo, quo sermo Latinus caret; τὸ πονηρὸν. Verùm quia nec mala sub ratione mali admitti primùm, nec repentè quemquam turpissimum esse videmus; sed morum ac vitæ corruptione, recti specie, hominum animos plerumque decipi, atque ita paulatim prauitatis erroribus imbui; adiunxit scriptura, In conspectu Domini. quod non solùm significat publicè ac palàm admissum malum, sed malum eiusmodi fuisse, quod tametsi honestum aut vtile, aut aliqua recti specie commendabile, & plausibus humanis excipiendum, aut alias tolerabile fuerit; tamen in oculis Domini, quibus recta tantummodo ac vera probantur, malum erat. Duo enim in vniuersum malorum genera sunt, quæ magnam apud Deum offensionem habent: alterum vitiorum ac scelerũ caterua, sua sponte turpis, complet; quæ tamen quamuis publicè priuateq. admittantur, suam tamen deformitatem non ita celare aut dissimulare possunt, vt non vel aliqua ex parte hominibus, atque adeò ipsis etiam, quibus suscipiuntur, fœda turpiaq. appareant. Nam nec scelerum prauitatem natura omnino celari patitur, nec ita huma-

Israel.

Recti species fallax.

Malorum genera.

Universidad de Deusto
Biblioteca

humanas mentes, etiam eorum quibus vera religio ignota est, ita deserit Deus, vt à turpis atque honesti diiudicanda ratione prorsus alienas esse si-

Rom. 1. „ *nat S.S.E. Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt fa-*
„ *ciunt: huiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus*
„ *legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente cõscientia ipso-*
„ *rum, & cogitationum inter sè inuicem accusantiũ, aut etiam defendẽtium.*

Id quod ab ipsis etiam ipsorum, qui lege carent, sapientibus aperto testimonio

Iuuen. sat. 13. *declaratur.* ——Cur tamen hos tu
Euasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna autem vehemens, ac multo sæuior illis,
Quas aut Cæditius grauis inuenit, aut Rhadamanthus,
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

Alterum verò malorum genus est, quod opinionum à Dei veritate alienarum varijs commentis, atque studijs, humana superbia, & proprij commodi cupiditas cùm sibi finxerit & conflauerit, virtutis, probitatis, atque etiam pietatis nominibus consecrat, & magna contentione defendere, tueri, atque

Simulatio. *amplificare conatur. Quod in priuatis moribus, simulatio siue hypocrisis; in*

Superstitio. *publicis verò, superstitio plerumque dicitur: quamquam & superstitio ad singularia quoque capita pertineat. Atque hoc peccatum sædius, grauius, maioris q; periculi plenum censetur, eo quòd cum diuina sapientia impudentius contendat, & sanctitatis personam induere, gestare, atque obijcere vsq; adeò audeat, vt laudem etiam præripere, & virtutis veræ palmam & plausum sibi vni deferri postulet. Atque hoc genus in duas formas partiri solet: altera est, cùm ea quæ aliàs turpissima vitia sunt, virtutis ementita specie ac fuco occultantur, ita vt qui istis contaminatissimi introrsum cognoscantur, tamen viri boni ac sancti videri, haberi, dici q; postulent. de quibus scriptum est:*

Matth. 7. „ *Qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem*
„ *sunt lupi rapaces. & illud ab exteris:*

Iuu. sat. 2. Vltra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent
Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt.

Horatius. & -Vir bonus est quis?
Qui consulta patrum, qui leges iuraque nouit,
Quo responsore, & quo causæ teste tenentur,
Quo multæ magnæque secantur iudice lites.
Sed videt hunc omnis domus, & vicinia tota
Introrsum turpem, speciosum pelle decora.
Atqui, vt ille dicebat; -rectiùs ergo
Et magis ingenuè Peribonius: hunc ego fatis
Imputo, qui vultu morbum incessuque fatetur.
Horum simplicitas miserabilis, &c.

Nam

Namque hi, cùm suorum vitiorum deformitate ipsi sibi displicuerint, à pœnitentia non longè absunt, atq; ex consequenti curationem & optabunt, & quærent. de huiusmodi autem scriptum est: Amen dico vobis, quia pub- „ Mat. 21.
licani & meretrices præcedent vos in regnum Dei. Venit enim ad vos Io- „
annes in via iustitiæ, & non credidistis ei: publicani autem & meretrices „
crediderant ei; vos autem videntes nec pœnitentiã habuistis postea vt cre- „
deretis. Ex eo nimirum, quòd hi suam sibi tam iustitiam confinxerãt, quæ ex propriæ sapientiæ artibus, veræ iustitiæ viæ, quã Ioannes instituerat, aduersabantur, specie quidem pietatis, vt Paulus ait, verùm à pietatis virtute, & vera custodia longè remoti: cùm hominibus onera importabilia alligantes imponerent, à quorum pondere ferendo immunes tamen ipsi esse vellent. Itaque dupliciter peccatur hoc pacto; tum quòd vitia, virtutis specie tecta, & ipsos actores cum spectatoribus decipiunt; tum verò, quòd pro vera sanctitate & pietate, superstitio, aut inutilis aliàs occupatio, insipienti populo venditatur. Atque aduersus vtrumque hoc vitium, illud per Vatem pronuntiatum est: Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum; ponentes „ Esa. 5.
tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in „
amarum. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis „
prudentes: qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti au- „
ferte ab eo. Nec enim putandum est, Israelitas hos, qui Iosuæ sæculo succes- „
serant, nomen Israelis tenẽtes, consultò vitia & superstitionem suis nomi- „
nibus conscribere, ac palàm profiteri voluisse.

Nemo repentè fuit turpissimus,

Iuu. sat. 2. *ait ille; sed acuto atque ingenioso commento ac prætextu, vel Reip. vel vicinorum gratiæ conciliandæ causa, vel etiã æmulatione atq; contentione aliarum gentium, multa admisisse, quæ honestis vocabulis atq; expositionibus & vtilia, & commoda, & speciosa ipsis ducerentur; atque hoc pacto prauorum docili vulgo persuadere possent: cuiusmodi & illud infelix consilium inceptum q; fuit, de Rege optando & constituendo, Samuelis tempore. Quam-*

Malum in conspectu Domini. *obrem diuina hæc narratio non simpliciter malum illos fecisse ait, ita vt mali seruato nomine illis fuerit susceptum: sed malum in conspectu Domini, siue, vt Hebraicè legimus,* in oculis Domini. *quod aliàs in ipsorum oculis & iudicio probari fortasse potuit. Verùm enimuerò nulla Israelitis hoc nomine defensio prodesse potuit, quibus, authore Deo, huiusmodi tentandis, nouandis, aut incundis rebus, quamuis probabilibus, cautum fuerat. Et nũc* „ Deut. 4.
Israel audi præcepta & iudicia quæ ego doceo te, vt faciens ea, viuas, & in- „
grediens possideas terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum datu- „
rus est vobis. Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. „
Custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis. Oculi ve- „
stri viderunt omnia quæ fecit Dominus contra Beel-phegor, quomodo con- „
triuerit omnes cultores eius de medio vestri; vos autem, qui adhæretis Do- „
mino Deo vestro, viuitis vniuersi vsq; in præsentem diem. Scitis quòd do- „

Universidad de Deusto
Biblioteca

„ cuerim vos præcepta, atque iustitias, sicut mandauit mihi Dominus Deus
„ meus. Sic facietis in terra ea, quam possessuri estis, & obseruabitis, & im-
„ plebitis opere. Hæc est enim vestra sapientia & intellectus coram populis,
„ & aliàs: Custodi præcepta Domini Dei tui, & testimonia, & ceremonias,
„ quæ præcepit tibi, & fac quod placitum est, & bonum in conspectu Domini,
„ vt bene sit tibi, & ingressus possideas terram optimam, de qua iurauit Do-
„ minus patribus tuis, vt deleret omnes inimicos tuos coram te, sicut locutus
est. Itaq; voces illas, In conspectu Domini, sic interpretamur, non modò apertè & palàm factũ esse malum: sed quantũlibet aliàs probabile aut excusabile videri posset id quod admissum est, si humanæ sapientiæ cæcutientibus oculis cerneretur, Deo tamen nefarium iudicatum fuisse, & hominibus etiam, quicumque diuinorum effatorum ponderibus ad rerum iudicandam rationem vterentur; quibus quidem effatis neglectis, aut sinistra interpretatione contaminatis, ad omnem errorem, ad varia vitia, ad perditissimum malorum præcipitium miseri homines traducuntur, vt hìc etiam obseruamus. Namq; hi, quòd præter fas, præter fœdus cum Deo sancitum, amicitias ac fœdera commerciaq; cum vicinis nationibus coniũxerint, malum admisere. Neque enim ex illa consuetudine aliud quàm vitiorum imitationem sperare poterant: id quod sæpius moniti admonitiq; fuerant, ne tentare auderent. Quam profectò rationem Lacedæmonij videlicet tenentes, ciuibus suis peregrinationem & vagationem sancitis legibus vetuerũt.

Peregrinationis vsus & abusus.

Nam promiscua aliarum gentium consuetudo & familiaritas, quamquam cordatioribus (qui rari admodum sunt) nonnihil ad prudentiæ vsum conferat, sicut Vlyssi contulisse dicitur; populo tamen reliquo, ac vulgaribus ingeniis, cuiusmodi magna hominum pars esse deprehenduntur, morum magis corruptelam, quàm virtutis experimenta aliqua molitur. Vt de eiusdem Vlyssis comitibus ac socijs Poëtæ concinunt:

Horatius Epist. 1.

Sirenum voces, & Circes pocula nosti:
Quæ si cum sociis stultus cupidusque bibisset,
Sub domina meretrice fuisset turpis & excors,
Vixisset canis immundus, vel amica luto sus.
Nos numerus sumus, & fruges consumere nati,
Sponsi Penelopes, nebulones, Alcinoique
In cute curanda plus æquo operata iuuentus,
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, &
Ad strepitum citharæ cessatum dicere curam.

Huius notæ malum & crimen primum postquam Israelitæ admiserant, ita omnia deinceps iniusta, nefasta, vitiosa, ac dira inciderunt, vsq; adeò vt etiã seruirent Baalim. Diximus sæpius aliàs, nomen Hebraicũ BAGHAL בעל quod dominij siue potestatis rationem indicat, posse Latinè commodè verti numen; siquidem à nuendo & nutu hoc nomen significationem sortitur, vsurpariq; Hebraicum illud, non modò ad deorum vim, sed ad principum etiam

BAGHAL.

etiam & maritorum potestatem declarandam, atque adeò etiam ad omnem artis peritiam & facultatem, imò ad possessiones quoque rerũ externarum, cuiusmodi sunt seruitia, operæ, domus, fundi, argentum, aurum, & quæcumque sub hominum potestatem redigi possunt. Cùm verò ad hæc humana verbum refertur, auctor siue auctoritas Romano sermone exponi potest. Atqui antiqui, magni, vt videri voluerunt, naturæ rerum obseruatores & cultores, ex Poëtarum insaniente sapientia inducti, vltra vnicum Deum, quem ab antiquissimis cognitum & cultum acceperant, aliis etiam mundi cæliq; partibus, quas perpetuas esse, atq; ad cæterarũ rerum procreationem, conseruationẽ & extinctionẽ etiam conferre posse putauerant, numen inesse canebãt, cultumq; propterea vel ipsi tribuebãt, vel, vt alij tribuerẽt, suis carminibus efficiebant: impositis nominibus, quibus res illæ, aliàs inanimes aut simplices, per marium vel feminarum notas distinguerentur, iuxta singularum linguarum vsum. sic Latini tempus, Saturnum; temporis patrem, Cælũ; Iouem, aërem superiorem; inferiorẽ verò, Iunonem; Aquã, Tethidem; aquarum locum amplissimum, Oceanum; Solem, Phœbum; Lunam, Dianam; atq; ex astris alia atque alia variis nominibus consecrarunt. Demum huiusmodi sapiẽtiæ, crassæ tenebræ per omnia cælestia, terrestria, ac marina, ingeniorum petulantium studio, omni ferè mundo, sua antea simplicitate satis lucenti & claro, circumfusæ fuerunt, vsqueadeò, vt quicumque de hac re ex professo disserere voluêre, longam magis quàm benignam materiã ad scribendum sibi datam intellexerint; qua de re nos etiam poëtices aliquando studiosi plura legimus, quàm hic referre vacet, aut libeat. Igitur Israelitæ, siue quòd Gentium consuetudine ad easdem cum illis excolendas disciplinas allicerentur, siue ad faciliorem rerum inter se & amicitiarum culturam rationes has opitulaturas sibi ducerent; siue etiam ad publicarum rerum atq; ciuitatum ornamentum, demum ad populũ Latitia & ludis festis releuandum & retinendum; siue omnibus his nominibus pariter inducti, certè errorem suxerunt, vt & iis rebus, quas à Deo olim ad naturæ ministrationem factas acceperãt, & animas inesse crederent, & diuinos honores tribui debere ducerent. Atqui & error ex alienis doctrinis quondam imbibitus, à nonnullis ex Hebræorũ doctoribus, qui doctrinæ nomine celebres habentur, nondum exsputus est. Hi enim, quamquam nullum astris cultum decernãt, animam tamen ipsis adscribunt, maximè qui astrologiam profitentur.

Deorum inuchendorũ origo.

Agricolæ prisci fortes, paruoque beati,
Condita post frumenta, leuantes tempore festo
Corpus, & ipsum animum spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum, & pueris, & coniuge fida,
Tellurem porco, Syluanum lacte piabant,
Floribus & vino Genium, memorem breuis æui.

Horat. 2. Epist. 2.

Huiusmodi morem ritumq; secuti Israelitæ, iis rebus, quæ naturæ perpetuam vim aliquam obtinere putabantur, religiosum officium, ac diligentẽ cultum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Rerũ naturæ cultus.

tribuerunt. Itaque hoc loco Baalim, siue numina illa indicari arbitramur, quibus ad vitæ naturæq; vsum & gubernationem numen ineſſe exiſtimatur, vt Solem, Lunam, aſtra, & ventos fortaſsis, & anni temporis q; momenta certa, quas horas poëtæ cum Græcis vocant, atque ea demum omnia

» *quæ in ſermone ſacro, cæli militia vocitantur. S.S.E. Extendam manum*
» *meam ſuper Iudam, & ſuper omnes habitantes in Hieruſalem, & diſper-*
» *dam reliquias Baal & nomina ædituorum cum ſacerdotibus, & eos qui ad-*
» *orant ſuper tecta militiam cæli. Conſideranti itaque Iſraelitarum res, atq;*

Iſraeliticarũ rerũ animad uerſio.

eidem de prouidentia diſputanti, tria præcipuè inquirenda ſeſe offerent; quibus vbi quid reſpondeatur, inuentũ fuerit, cauſam omnem à prouidentia ſtare conſequitur. Eſt autẽ prima quæſtio Iſraelitis, cur viuente Ioſue tam proſperè omnia euenerint: an id ipſius ducis vel virtuti vel felicitati adſcribendum fuerit. Huic hiſtoriographus cumulatè ſatis facit, docens videlicet, illam proſperitatem ad Deum, tanquam ad verum authorem, eſſe referendam, cuius iuſsis & legibus quàm diu Iſraelitæ ſuas res publicè priuatè; q; geſsere, ſecundas conſtanter experti ſunt, quoad illis non defuere viri probi atque pij, qui & Dei beneficia commemorarent, & pietatis officia perſuaderent. Proxima verò huic erat quæſtio, cúrnam illis, poſt illorũ optimorum virorum ætatem, plurima aduerſa ac dura, nonnulla meliora, ſed tamen omnia varia & inſtabilia acciderint. Hanc verò manifeſta reddenda cauſa facilè diſſoluit author: nempe quòd illi à pietatis cultu & obſeruantia degenerantes, crimen crimini cumulauerint; atque ita ſibi ipſis malum auxerint

Prouidẽtia.

varia incrementi acceſsione: ita vt hac etiam parte prouidentia valde aſſeratur, cuius munus illud inter cætera eſt, reddere vnicuique ſecundùm opera ſua. quo enim deterior quiſque fit, hoc ſibi grauius molitur malum. Atqui iſti initio malum coram Domino feciſſe arguuntur; deinde etiam & numinibus hoc nomine ac titulo cunctis inſeruiiſſe; atque in eam demum inſaniam incidiſſe, vt à vero, certo, ac tutelari ſibi patribus q; ſuis notiſsimo Deo deſciſcẽtes, totos ſeſe vicinarum gentium impiis de diis, deq; religione opinionibus atque erroribus fouendis commiſerint: atque adeo cùm vnicum Deum, verum, beneficentiſsimum, ſimpliciſsimum, prouidentiſsimum, ac perfectiſsimum colere, aliusq; colendum prædicare debuerint; furioſa temeritate ac dementia depranati, deos atq; deas, ex hoſtilibus gentibus petitos numina, ſibi ſacrauerint. hoc eſt quod ſubiungitur:

Ac dimiſerunt Dominum Deum patrum ſuorum, qui eduxerat eos de terra Ægypti: & ſecuti ſunt deos alienos, deos quoquo populorum, qui habitabant in circuitu eorum: & adorauerunt eos, & ad iracundiam concitauerunt Dominum.

GRAVISSIMIS *oppoſitionibus & comparationibus Iſraelitarum crimen amplificatur. Nam paternæ religionis obſeruatio ſancta eſſe illis debuit, quibus & patres boni viri & ſapientes fuerant. Quòd ſi Iſraelitarum nomen atq; decus non ex gentium illarum diis, verùm ex illo vero, quẽ Abrahamus,*

hamus, Iſaacus, Iacobus, & horum poſteri coluerant & publicè prædicauerant, emanaſſe noſcebatur, peruerſiſsimo iudicio ab iſtis, Iſraelis retento nomine, alij adſciſcebantur dij: maximè verò, cùm cæteræ gentes quamobrem deos ſuos colerent, vel nullam cauſam, vel ad Iſraelitas nihil attinentem, reddere poſſent. Diuinam enim naturam cùm ex veris, propriis, & certis principiis, humanæ mentis ratio demonſtrare non poſsit, ex effectis tamen atque ex vtilitate commodoq; diuinitus percepto probari poſſe, omnes ferè gentium omnium ſapientes docuere. Inde autem factum eſſe intelleximus, vt ſinguli eos ſibi deos præficerent, à quibus iuuari ſe putarent: qua in re maxima eſſe potuit, maximaq; apud alios atq; alios falſitas fuit; dum ea quæ vnius naturæ effecta eſſent, alij adſcriberentur; dum etiam quæ ad ſupremum autorem referri oporteret, ad inferiores & adminiſtras referrentur vel res, vel cauſas. His illud adiungitur, quòd quædam ex metu, quædam ex opinione, nonnulla ex gratia & fauore, atque otioſo poëtarum ſtudio conſecrata numina legimus.

Deicognitio.

Non inciſa notis marmora publicis,
Per quæ ſpiritus, & vita redit bonis
Poſt mortem ducibus; non celeres fugæ,
Reiectæque retrorſum Hannibalis minæ;
Non incendia Carthaginis impiæ,
Eius qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clariùs indicant
Laudes, quàm Calabræ Pierides: neque
Si chartæ ſileant, quod bene feceris,
Mercedem tuleris. Quid foret Iliæ,
Mauortisque puer, ſi taciturnitas
Obſtaret meritis inuida Romuli?
Ereptum Stygiis fluctibus Æacum
Virtus, & fauor, & lingua potentium
Vatum diuitibus conſecrat inſulis.
Dignum laude virum Muſa vetat mori;
Cælo Muſa beat. Sic Iouis intereſt
Optatis epulis impiger Hercules.
Clarum Tyndaridæ ſydus ab infimis
Quaſſas eripiunt æquoribus rates.
Ornatus viridi tempora pampino
Liber vota bonos ducit ad exitus.

Horat. Car. lib. 4. 8.

Igitur ſiue ex hominum ingenio & ſtudio, ſiue ex aliqua vtilitatis vel naturæ conſideratione, vel opinionibus producta ratione, gentes illæ ſuos ſibi finxiſſent deos; tamen illis nihil commune eſſe potuit cum Iſraelitarum populo, cui nullus fictus falſusq; deus, imò potius verus, vnicus, efficientiſsimus erat, non illis electus aut optatus, ſed volens vltro ipſorum patribus & maioribus oblatus olim, ac non multo antè manifeſtiſsimis beneficiis probatus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tus, videlicet, salutis primùm & libertatis ex Ægyptiaca seruitute datæ, atq; amplitudine maxima cumulatæ, cum accessione concessæ prouinciæ, ab ipsis illis populis, populorumq; diis, diuina vi ac valida manu ereptæ, ita vt populorũ dij nihil ad suos cultores liberandos aut propugnandos valuerint, nec sese Israelitis vel metuendos, vel suspiciendos præbere potuerint. Atque ita per summam amentiam non vnũ tantùm, sed plurima scelera istius futere susceptæ; nimirum Deo proprio, certo, cognito, probato, beneficentissimo, singulari erga se prouidentia atque efficientia celebratissimo, noua recẽtiaq; Deorum commenta mutantibus; atque adeò inimicarum ac barbararũ gentium mores paterno sensui, iudicio, atq; exemplo præponentibus: ita vt cùm Israelitæ dicti tarentur, si verum excutias, nihil minùs quàm Israelitæ appellari diciq; mererentur. Hac profectò maxima perditissimaq; sui ipsorum contaminatione, Ad iracundiam concitauerunt Dominum. Id quod ex Gentium consuetudine facilè euenturum Moses prædicens, ne omnino ad-

Deut. 32. *mitteretur, prouido vetabat carmine: Dominus solus dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus. Constituit eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum, vt sugeret mel de petra, oleumq; de saxo durissimo. Butyrum de armento & lac de ouibus, cum adipe agnorum & arietum, filiorum Basan, & hircos cum medula tritici, & sanguinem vuæ biberent meracissimum. Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit; incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo. Prouocauerunt eum in diis alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt. Immolauerunt dæmoniis & non Deo, diis quos ignorabant. noui recentesq; venerunt, quos non coluerunt patres eorum. Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui. Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est, quia prouocauerunt eum filij sui & filiæ. Neque enim parum momenti habet femineum studium in iis promouendis vel deterendis vel immutandis rebus, quæ religionem spectare videntur. Prima enim antiquissima illa omnium hominũ mater Eua fuit, quæ timorem atq; religionem erga Deum profiteri visa est. De fructu, inquit, ligni quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Rursus verò eadem à Dei iussu & cultu prima discedens, discessionem quoque viro persuasit. Vidit igitur mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit. Deditq; viro suo, qui comedit. Atque muliebre hoc vitium prudentissimè contemplatus Moses, feminas quoq; in illo discessionis crimine inuoluit. Prouocauerunt, inquit, filij sui & filiæ. Vsq; adeò enim sexus ille diuinæ laudis appetens ex illa prima degeneratione euasit, vt cùm à modestia (quæ optimam quamq; maximè decet) discesserit, non modò aurum, argentum, monilia sibi aliàs carissima ad superstitionem vltro donata impendat, (sicut in aurei vituli exemplo innotuit) sed deorum numerum augeri cupiat, & iis vel matres, vel sorores,*

Feminarum pietas.

Feminea inconstãtia. Gen. 3.

vel filias adscribi studeat. Namq; poëtas in feminarum gratiam dearũ collegia consecrasse arbitramur; quamuis & hi, & horum interpretes, ad naturæ rationem omnia ferè quæ de diis fabulati sunt, referre laborent: tamen omnia commenta prorsus fuère eorum, qui cùm Deum cognouissent, non sicut Deum adorauerunt; imò potiùs, Rom. 1.

Dex à poëtis sacratæ.

Dimittentes eum, & seruientes Baghal & Astaroth.

QVID nomen Baghal significet, iam hìc superiùs & non vno aliàs loco exposuimus; verùm de Astaroth nihil nos hactenus scribere meminimus, nec nũc plura scribemus, quàm quæ ad rem indicandam satis esse videbuntur; plura, vt speramus, dicturi cùm hoc argumentũ paulo altiùs repetemus. Diximus nomen Baghal, posse Latinis numen verti; verùm non ita latè omnia, quæ Latini nominis vi continentur, significare Baghal, ex eo docemur, quòd nomen hoc de feminis nunquam Hebraicè dicitur, cùm tamen numinis nomen feminis quoq; tribui apud Latinos nihil vetet, vt illud:

Astaroth.

——& quisquam numen Iunonis adoret
Præterea, aut supplex aris imponat honorem?

Virg. Æneidos 1.

Verumenimuerò ne suis etiam sacris titulis & appellationibus feminarum, quæ cultu atq; adoratione dignæ haberentur, collegium careret, cùm Baghal tantùm maribus conueniret, propter incumbendi significationem, quam in se continet; commune nomen in illa Chananæorum lingua inuentũ est, quod & vni & pluribus deabus adscribi posset, idq; singulari numero THERETH; *plurali verò,* GHASTHAROTH, *pronuntiatur, à verbo* GHASSAR *deductum, quod ditari, & locupletari, ac propriè beari significat. Atq; ita Latinè pro Ghastheret, beatam; pro Ghastharoth, multitudinis numero beatas reddere possumus. namq; beandi & beati vocabulis, diuitiarũ & felicitatis summam omnem; atq; beatitudinis siue beatitatis nomine, bonorũ omnium statum aggregatione perfectũ significari Latini voluerũt. vt:*

Beare.

Nil admirari propè res est vna Numici,
Solaque quæ possit facere, & seruare beatum.

Horatius Epist. 1.

&,

Esto beata, fumus atque imagines
Ducant triumphales tuum.

Hor. Car. lib. 4.

&,

——quidquid scripsere beati.

Et apud Comicum: O factum bene! Pol beasti me. *Igitur quas in deorũ numerum relatas esse stulta illa antiquitas voluit, Ghastharoth, hoc est, beatas vocauit, latiori & ad plures referendo verbo, quàm illud Latinorum* ALMA; *quod tametsi deabus adiungatur, non omnibus tamen tribuebatur, nisi iis quæ minimè steriles haberentur, vt Iunoni, Cereri, Veneri, ac Telluri. Hinc autem illud etiam docemur, nomen Ghastheret, siue Ghastharoth, quamquam vni cuipiam, aut pluribus etiam certis deabus adscriberetur: non tamen propriũ cuiusquam nomen esse, sed epitheti vim obtinere; etiam cùm nullũ proprium pronunciaretur nomen. potuit enim iis deabus, quæ in singulis locis colerentur, id epithetum proprij nominis vicem, vel antonomasticè*

Alma.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Virgo. *masticè, vel singulari & publica omnibus notatione vsurpari; vt apud nos nomen virginis, nulli proprio nomini adiunctum, præcipuo quodam excellentiq; iure, sanctissimam Iesu matrẽ Mariam indicat; cùm tamen & multæ & sanctæ virgines in Christiana religione celebrentur. Atque vt obiter antiquarum rerum historias luce aliqua iuuemus, silentio præteritum nolumus, hoc idem nomen esse quod apud nonnullos tum Græcos, tum Latinos scriptores legimus, Assyriorum quandam deam commemorantes, Astharten per ipsos vocitatam; qui sanè vt ex antiquis rebus multa ignorabant, sic etiam in Orientalium gentium tum referendis verè historiis, tum pronunciandis rectè nominibus, negligentiores erant, maximè cùm certis careremus literis, quibus ea, quæ gutture tantùm pronunciantur (qualia nulla ipsi imitabantur) possent referri. In hac enim pronunciandi parte, subiectæ tantùm vocales ab istis vsurpantur; aut, quod non minùs impropriũ est, pro gutturalib. ע, g, proferunt, sic pro עמורה Gomorrham, pro בועז Booz, pro יעקוב, Iacob sonant: atq; ita pro עשתרת Astharten dicunt, quam nonnulli certam singularemq; Assyriorum deam esse existimabant; nonnulli verò eandem esse Venerem exponebant, nomen Astarthis idem quod ἀφροδίτης significare opinati: cùm, vti diximus, & commune sit nomen, & beatam siue felicem significet, & pluralem admittat numerum, vt* BAGHALIM. *sed ad institutum reuertamur. Quale Israelitici nominis decus, qualis rerum ac religionum permutatio fuit, Dominum relinquere, & Baghal & Astharoth, hoc est, numini ac beatis deabus seruire!*

Iratusque Dominus contra Israel, tradidit eos in manibus diripientium, qui ceperunt eos, & vendiderunt hostibus qui habitabant per gyrum, nec potuerunt resistere aduersariis suis.

Ex *antecedentibus causis, hoc est, ex maxima Israelitarum impietate, atq; affecta veri ignoratione ac desertione, quid expectandum esset ijs, qui diuinam prouidentiam in humanis factis pro iusti iudicij ratione vel præmio probandis, vel pœna mulctandis attendunt; nempe id cum primis quærendũ erat, an iudicij consequens forma cautionibus ac prædictionibus Mose interprete expositis responderet; an ipsis iisdem inquam ministris, quæ iam propositæ à Deo fuerant minæ, certo euentu veræ constantesq; sentirentur euadere. Namque, vt iam paulo superiùs referebamus, amicitia cum hostibus coniungenda prohibiti fuerant Israelitæ, ea lege atq; prædictione, vt si secus ageret, quos amicos sibi reddere studuissent, infensissimos inimicos, iudice & impietatis vltore Deo, experiri cogerentur. Id autem euentu ipso firmatum historia commemorat, concitatos videlicet animos eorum, quos vicinos, atq; fœdere coniunctos optauerant, inter quos fuêre Cusan, Rishathaim, Eglon, & Sisara, eosq; viribus ac potentia ad Israelitarum direptionem & vastationem fuisse auctos.* Tradidit eos, *non casu, non virtute hostili, sed Dei iudicis voluntate in direptionem traditos. cuiusmodi verò* שוסים *direptio illa fuerit, Hebraico verbo* SOZZIM *declaratur, quod simul re-*

pere, pessumdare, & conculcare significat. huic affinem ferè significationem verbum Latinum vastare habet. Quod verò adiungitur: Qui ceperunt eos, & vendiderunt; *verbũ* Ceperunt *cũ superiori verbo* Diripientium, *est coniungendum:* Vendiderunt *verò ad Deum referendũ est, à quo traditi & venditi fuerunt, vt iis serui tributarij q; essent, quorum tributa victoriæ omni & internecioni, atq; consecuturæ inde pari tranquillitati prætulerant. Significanter autẽ indicantur ij, quibus venditi fuerint; videlicet* hostibus qui habitabant per gyrum, *vt euentus prædictioni, & pœnæ culpæ conuenirent. His illud subiungitur diuinæ vltionis & castigationis argumentum;* Nec potuerunt resistere aduersariis suis. *Vastationem, direptionẽ, calamitatemq; hanc omnem non à longiùs remotis, sed ab iis ipsis, quos amicos optauerant & existimauerant, allatam, diuinæ vltionis, certæq; prædictionis ac singularis prouidentiæ opus esse fateri oportet, iis etiam rerum & euentuum obseruationibus adiunctis, nempe quòd* nec potuerunt resistere aduersariis suis. *ij, qui paulo antè nullos hostes timere, nullos non fundere, perdere, profligare, nullas vires, copias, opes, potentias, artes magnorum populorum, multorumq; Regum non euertere solebant, tamen nunc tam non à tantis, tam multisve hostibus, imò ab illorum reliquiis, nulla pugna non vincuntur, superantur, franguntur, & pessumdantur, siue intra suos agros inuasi essent, vbi incolæ propter locorũ notitiam & vsum, atque propter domorum & coniugum liberorumq; amorem, & audaciùs, & firmiùs obsistere solent. Tamen* resistere non potuerunt. *Hebraicè,* Et non potuerunt iam stare ad facies hostium suorum. *non factum ab hostibus in se impetũ frangere, immò nec sustinere potuerũt. quod verò additur* Iam, *ad certæ prouidentiæ considerationem tẽdit, qui in cunctis olim præliis superiores euaserant, iam nunc contrà in cunctis franguntur & funduntur. nã aliàs vbi inter finitimos, atq; etiã inter eos qui remotiores viuunt, contentio, æmulatio, simultas, atq; inimicitia pacem turbat, nonnunquam altera pars, rursus verò altera vincit; interdum verò dubio, vt Latinè dicimus, Marte pugnatur, Deo orbis moderatore ita rem temperante, dum neutram partem omnino perire, neutram prorsus insolescere oportet. Verùm hic adeò manifestè sese ira Dei ostendebat, vt nullum irruentium hostium impetum sustinere Israelitæ possent. Quin & si, vt fieri solet, mutato consilio, & bellicæ disciplinæ artibus noua tentata sorte, ipsi in hostes hostiumq; agros irruere primi tentarent, tamẽ illud experiebãtur, quod subiunctũ est:*

Sed quocumq; pergere voluissent, manus Domini super eos erat, sicut locutus est & iurauit eis, & vehementer afflicti sunt.

NON *ita pridem, cùm terram occupaturi & expugnaturi hospites & locorum ignari venissent, nullam pugnam non feliciter pugnauerant, ad quam vel illi euocauissent, vel euocati essent; atq; hic perpetuus victoriarum successus illos duce & conseruatore propugnatoreq; Deo rem gerere probabat; nunc verò contrà iam non hospites, sed cultores locorum, pugnæ & bel-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

landi non imperiti, nec ignari rerum, morum, & consiliorum, quibus valere hostes possent; tamen siue inuadantur, siue ipsi in hostes inuadant, iniquum pariter exitum habent, manifesto argumento, Quòd manus Domini super ipsos esset *in malum, siue in mala, vt Hebraicè atq. Græcè legimus. Chaldaicus paraphrastes ita vertit, In omni loco quo exiere percussus ante Dominum, fuit in eis in malum, ita vt nulli alij rei, quàm Dei vltoris voluntati ac iudicio iustissimo, constantiq. sibi prouidentiæ, superiores semper hostium partes adscribere possent, quippe hæc cum prædictionibus maximè conueniebant. quarum quia magnum est ad omnem de prouidentia disputationem argumentum, hic repetere in vtramuis partem non pigebit.*

Leuit. 26. „ *Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea; dabo vobis pluuias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem; & comedetis panem vestrum in saturitate, & absq. pauore habitabitis in terra vestra. Dabo pacem in finibus vestris, dormietis, & non erit qui exterreat: auferam malas bestias, & gladius non transibit terminos vestros. Persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis. Persequentur quinque de vestris centum alienos, & centũ de vobis decem millia, &c. & paulo inferiùs:* Quòd si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, si spreueritis leges meas, & iudicia mea contemperitis, vt non faciatis ea quæ à me constituta sunt, & ad irritum perducatis pactum meum: *ego quoque hæc faciam vobis. Visitabo vos velociter in egestate, & ardore, qui conficiat oculos vestros, & consumat animas vestras. Frustra seretis semẽtem, quæ ab hostibus deuorabitur. Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subijciemini ijs, qui oderunt vos: fugietis nemine persequente. Itaq.* Sicut locutus est, & iurauit eis, vehementer afflicti sunt. *Atq. hactenus primam de prouidentia interrogationem absoluimus; nunc verò secundam quemadmodum diuina scripta excipiant, attendamus.*

Suscitauitque Dominus iudices, qui liberarent eos de vastantium manibus.

Dei *aduersus Israelitas iustissimam iram non ita initio exarsisse, quin benignissima erga eosdem misericordia intercedendo persæpe sedaret, historiæ author Spiritus sanctus declarat: vrgebat enim semper diuina benignitas propositum suum, de Israele ad magnum illud de salute orbis consilium instruendo & adornando. Quamobrem nunquam iratus adeò fuit, quin misericordiæ (vt Vates canebat) recordaretur. Erat autem secunda in hoc genere quæstio, cur post illam priorem castigationem tam variè actum cum Israelitis fuerit, vt iam victores ab hostibus, iam victi euaderent. Hanc ex rerum ac temporum varietate allatam ita dissoluit author, vt ostendat voluntatem quidem Dei in illis ad sanam mentem reducendis, atq. in eisdem fouendis & ornandis constantem fuisse semper; verùm ipsos magna offic[ia] faciendi*

Quæstio 2.

faciendi & pietatis colendæ inconstantia, immò frequenti violatione, impedimento sibi fuisse, quo minùs perpetuo Dei beneficio esset vtendum: demum quidquid mali, quocumque tempore ac loco accidisset, eosdem sibi sua temeritate, stultitia, & impietate fuisse molitos. S. S. E. Perditio tua ex te Israel, tantummodo ex me auxilium tuum. Hæc igitur huius versus, atque eorum qui subiungentur, simplex explicatio est: nempe Deum clementissima castigatione aduersus illos fuisse vsum, consuluisseq. istorum calamitati ac ruinæ, ducibus optimis, atq. sapientia & fortitudine auctis, in populi liberationem & salutem subinde mittendis; nihilominus tamen illos sese à sanitate abalienasse, itaq. medicinam respuentes tamen optimi medici ac patris vindicis q. iudicio & sententia vapulasse. Quos iudices hic Latinè dicimus, summæ rerum gubernatores exponere possumus, Chaldaico verbo, NECADIN, *instruente.*

„ Osc. 13.

Sed nec eos audire voluerunt, fornicantes cum diis alienis, & adorantes eos. Citò deseruerũt viam per quam ingressi sunt patres eorum: & audientes mandata Domini, omnia fecere contraria.

Improbissimvs *ille opinionis & priuati consilij spiritus, qui ab initio mundi hominum mentes occupare cœpit, nihil aliud perpetuò agit, quàm vt à Dei iussu & doctrina alienatas ad varia studia traducat, de vnico illo recto obedientiæ tramite pulsas, in priuatam, singulisq. optatam viam deductas perturbet, atq. hoc pacto à Dei vita quàm longissimè exulare faciat. Constans profectò sibi, perpetuum ac certum est Dei propositum erga humanam naturam, quam ad suam imaginem & similitudinem Deus effinxerat; constans erga Israelem suum ornandum, promouendũ, & amplificandum: sed Israel à vocatione sua nimiũ degenerans, qui magni boni ex diuino beneficio compos fuerat, bonum & malum scire præoptat; atq. ita Dei præceptum pactumq. transgressus, magnum ipse sibi molitur malum, tanta auiditate & insania, quanta solent impudicæ feminæ, eam, quam honestis propriisq. viris debent, fidem deferentes, in turpes concubitus atque adulteria insanire, quibus non tantùm optima consilia ac monita reijciuntur, sed commoda omnia postponuntur, pericula & incommoda contemnuntur, præ libidine atque impotentia amoris, quo in furorem illum præcipites rapiuntur. cuiusmodi illud exemplum est:*

Consilij priuati spiritus.

Dei propositum.

Israel.

Nupta senatori comitata est Hippia ludum,
Ad Pharon, & Nilum, famosaque mœnia Laxi,
Prodigia, & mores vrbis, damnante Canopo.
Immemor illa domus, & coniugis, atque sororis,
Nil patriæ indulsit, plorantesque improba natos,
Vtque magis stupeas, ludos, Paridemque reliquit.
Sed quamquam in magnis opibus, plumaque paterna,
Et segmentatis dormisset paruula cunis,
Contempsit pelagus; famam contemperat olim,

Iuuen. satyr. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cuius apud molles minima est iactura cathedras.
Tyrrhenos igitur fluctus, lateque sonantem
Pertulit Ionium constanti pectore, quamuis
Mutandum toties esset mare; iusta pericli
Si ratio est, & honesta, timent, pauidoque gelantur
Pectore, nec tremulis possunt insistere plantis.
Fortem animum præstant rebus, quas turpiter audent.
Si iubeat coniux, durum est conscendere nauim.
Tunc sentina grauis, tunc summus vertitur aër.
Quæ mœchum sequitur, stomacho valet, illa maritum
Conuomit, hæc inter nautas & prandet, & errat
Per puppim, & duros gaudet tractare rudentes.

His *versibus, quamquam prolixiùs, tamen quia insanam earum, quæ à coniugali fide ad adulteria prolapsæ sunt, mulierum impotentiam depingi intelleximus, ad huius loci explicationem, vti libuit: quòd huiusmodi effrenatam alienos, neq; veros Deos adsciscendi & colendi libidinem Israelitis exortam, primæuæ linguæ verba significent:* Fornicantes cum diis alienis, & adorantes eos. *Omne diuini cultus genus, quod scholastico vocabulo λατρεια dici solet, hoc verbo,* Adorantes, *in hoc loco significatur. Atqui natura rei, ratioq; apertè docet, Iudicum apud illos sermones, publicè ac priuatè habitos, duobus præcipuis fundamentis fuisse innixos: videlicet, commemoratione & admonitione virtutis, maiestatis, sapientiæ, & efficacitatis Dei, qui cùm omnia gubernaret, tum ipsis singulari beneficentia ac prouidentia sese agnoscendum, amandum, colendumq; exhibuerit, tamq; multis ac tam præclaris signis, portentis, ac miraculis primùm patrem, doctorem, Regem, denique Deum probauerit; tam verò idem, præsentibus inferendis calamitatibus, officium ac munus præstaret optimi patris ac medici, qui liberos, quos aliàs fouerit, tamen insania laborantes, virgis, minis, vocibus, terroribus, interdumq; monitis curare, & ad sanam mentem reducere tenderet. Hoc prius fundamentum, Iudicum & præfectorum orationibus substratum est; illud verò alterum, minùs quidem graue ac solidũ natura sua, verùm hominibus, qui humanæ sapientiæ magis interdum quàm diuinæ rationibus ad agendum impelli solent, mouendis non leuiter opportunum adiũgebatur, nempe paternorũ exemplorũ, quæ plerique omnes in vita vitæ actionibus imitari atq; sequi solent:* Magnis cùm subeãt animos auctoribus, vt ille inquit. *Sed isti tamen cum primis Dei timorem respuentes, à parentibus etiam suis degenerare voluerunt. Iudex quidem cùm homo esset, atq; diuinæ legis illius figuratiuæ & scriptæ minister tantùm, populi animum mutare & informare virtute sua non poterat; punire etiam, hoc est, occidere & vlcisci totum populum, ac genus Israeliticum illo scelere communiter contaminatum, non valebat: monere tamen, hortari, arguere, increpare, incusare, atque adeò certis minis, ac diuinæ iræ denunciationibus perterrefacere, maiorum suorum antiquis recentibusq; exemplis propositam suasionem*

Adorare.

Sermonum Iudicum capita.

Ieu. sat. 10.

nem confirmare poterat, vestigiaq; parentum adhuc integra & conseruata indicare; cùm non ita multi anni interessent inter ipsos & ipsorum patres, qui primi in illam regionem à Deo deducti fuerant. Citò deseruerunt viam, per quam ingressi fuerant patres eorum. *Sceleris grauitas, temporis accelerationè augetur. Namque longa interualla in rebus humanis nonnihil vitij facere solent, maximè incuria ac neglectione eorum qui publicis præsunt rebus, quorum interest, morum ac legum sanctitatem curare & instaurare. Cùm verò his non cessantibus, tamen populus officium deserit, vel importunissimæ obliuionis, vel immanis & furentis dementiæ, vel affectatæ improbitatis, & nefariæ impudentiæ indicium est.* Citò deseruerunt viam, *notam, tritam, probatam, & exploratã, non ab alienis aut ignotis, verùm,* per quam ingressi fuerant patres eorum. *Illorum enim communis atq; vnica fuerat cura, in omni tum cõmunis tum priuatæ vitæ consilio, à propositis & sancitis legibus, atque à fœderis cum Deo pacti rationibus, nõ discedere.* Et audientes mandata Domini, *omnia, quæ rectè inita secundo probabãtur exitu. Ita exponimus oratiõnẽ hanc,* Audientes mandata Domini, *vt hanc viam esse interpretemur ab horum patribus obseruatam. Hebraicè enim facilè cognoscimus hanc posteriorem partem anterioris esse expositionem, sic:* Recesserũt citò ex via illa, quam ingressi fuerant patres eorum, ad audiendum præcepta Domini. *Deinde verò ex Antithesi, istorum impietas comparata ostenditur:* Omnia fecere contraria. *Apta ac distincta expositione Latinus interpres vsus, Hebraici Idiotismi non simplicem significationem paucis etiam verbis reddidit. Nam Hebraicè est,* Non fecerunt REN. *atqui vox* REN, *& similitudinis, & rectitudinis habet significationem. Latinè duabus ad minimum vocibus reddi potest: Ita & rectè, siue aptè & concinnè, ac firmiter. Quæ omnia cùm ab his præcepto, noto, constanti, ac certo, omnia cùm priuatè, tum publicè constituerentur & agerentur; tamen omnia contrà acta & facta arguantur: itaque adiuncta verbo negatio, omnia aufert, quæ vocis* REN *significatione comprehenduntur. Græca oratio ita vertitur:* Declinauerunt citò ex via, quam ingressi fuerant patres eorum, vt audirent mandata Domini: non fecerunt sic. *Pergit porrò historiæ author Spiritus sanctus initam de prouidentia perpetuam demonstrationem asserere; illudq; semper vrget caput, Deum & misericordiæ suæ probationi, & Israelitarum vtilitati, per commoda sæpiùs, interdum verò per incommoda consuluisse: illos verò contrà miseriam & calamitatem sibi ipsis fuisse perpetuò molitos.*

Cumque Dominus iudices suscitaret, in diebus eorum flectebatur misericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vastantium.

Non *propter istorum meritum, aut propter eximiam virtutem, ac vitæ*

in

Universidad de Deusto
Biblioteca

Restitutionis causa.

in melius correctionem, sed propter propriam clementiam & misericordiam, salutis & refrigerij beneficium illis præstitum esse docet; verùtamen, vt ab improbis, & sui propositi corruptiq. animi tenacibus, non rectè exceptum, nec commodè conseruatum. Causam itaque reddit, quamobrem Israelitarum res iam pereuntes, ac ferè perditæ restituerentur; misericordiam videlicet Dei, oppressorum gemitu & lamentatione excitatam. Tandem, inquit, magno calamitatum pondere pressi Israelitæ, non gemere ac lamẽtari non poterant, atque interim eam pœnitentiæ viam inibant, quæ magis metu quàm moribus optaretur; verùm ea re Deus ita flectebatur, vt per creatos

Iudices.

& auctos, atq. Spiritu suo animatos ministros, quos iudices Latinè interpretamur; illis foris securitas præstaretur; domi verò ius diceretur, & pietatis ac virtutis veræ studium suaderetur, cuius legitima atque constanti obseruatione, ipsorum publica salus libertasq. stabiliri posset: verùm illi, id quod nostris etiam seculis pudendo magis quàm dolendo spectaculo visitur, ad vomitum reuersi, & vitiis cumulum addebant, & miseriarum nullum admittebant modum. Huius expositi à nobis versus verba, vt ex primæua lingua, cui etiam Græca accinunt, Latinè expendere possumus, expendamus.

Et cùm cõstitueret Dominus illis iudices illos, & erat Dominus cum iudice illo, & seruabat illos de manu hostium suorum omnibus diebus iudicis illius: quia pœnitebat Dominum propter gemitum ipsorum, à facie affligentium eos, & opprimentium eos. *Multa nobis hîsce indicantur verbis, illa verò cum primis obseruanda misericordia videlicet Dei, quem gemitus permouerent eorum, qui tamen, vt rectè resipiscerent, non permouebantur ipsi. Deinde authoritas ad res & bello & pace gerendas, quæ nec ad iudices plures, nec ad illorũ quempiam, sed omnis ad Deum*

Misericordiæ confidentia.

refertur. Attentiùs igitur considerandum est, quàm sibi similis diuina misericordia prouidentiaq. erga homines perpetuò constet: mox etiã spectandum quàm leue, quamq. boni consilij negligens, & mali cõtrà pertinax humanum ingenium sit, propter illum, regnantem in hominum membris ac mentibus, proprij consilij ac vitij appetitum, quo prima hominum copia naturaq. impulsa fuit, nemine cogẽte, verùm opinionis priuatæ spiritu suadente.

Postquam autem mortuus esset iudex, reuertebantur, & multo faciebant peiora, quàm fecerant patres eorum, sequentes deos alienos; seruientes eis, & adorantes illos. Non dimiserunt adiuentiones suas, & viam durissimam, per quam ambulare consueuerant.

OPTIMVM *esse Reipub. statum, cùm non ex metu, aut hominum authoritate ac reuerentia, non ex iudicij ac pœnæ formidine, sed Dei timore, & vnico virtutis amore recta ab hominibus capessuntur, & exercentur, manifestius est, quàm vt demonstratione indigeat: idq. omnibus, cùm sapientum aliorũ, tum verò diuini Spiritus sententiis confirmari & suaderi audimus. Initium sapientiæ, & plenitudo sapiẽtiæ, & corona sapientiæ est, timere*

timere Dominum. Qui timet Deum, faciet bona; & qui continens est iu- Eccli. 15.
stitiæ, apprehendet illam. Oderunt peccare boni virtutis amore. *Sed quam-* ,,
quam hæc optima, rectissima, & cõpendiosissima ad rectè viuendũ via ratioq. sit; tamen cùm ab hac deflectitur, illa non incommoda adeò est, vt inducenda non sit, videlicet, cùm optimorum Reip. ministrorum exemplo & authoritate homines à maleficio deterrentur, & ad innocẽtiam, vitæq. emendatæ vsum reuocantur, siue id ex metu, siue ex æmulatione, siue ex præfectorum imitatione, siue denique ex consuetudine fiat. nam hoc pacto, tum fierè potest, vt nonnulli ad verum virtutis ac pietatis studium seriò incendantur, tum verò alij à peruersis moribus publicè abstinentes, & Reip. faciem minùs contaminent; & punitionem, quæ ex publico scelere consequi solet, non ita accelerari factant. Permagni igitur interest, quibus præfectis pub- Magistratus
licæ res vtantur, quibus artibus præfecti instructi populorũ saluti consulant. Solent enim optimi quiq. religionem cum primis colendã curare, populos ferendis vel instaurandis legibus emendare, moribus ornare, ex eaq. re non solùm publicam calamitatem, cùm nulla culpa est, non metuere licet; verùm etiam aliquando contingit, vt imminentem, ob præteritorũ temporum scelera, animaduersionem & pœnam, optimorum Principum cura, opera, & procuratio vel omnino deprecetur, vt Mosis exempla ostendunt; vel valde Exodi 32.
imminuat; vel longiùs etiam in posterum differat, vt ex Iosuæ historia manifestè docemur. S. S. E. Hæc dicit Dominus: Ecce ego adducam mala super 4 Reg. 22.
locum istum, & super habitatores eius, omnia verba legis quæ legit Rex Iu- ,,
da: quia dereliquerunt me, & sacrificauerunt diis alienis, irritantes me in ,,
cunctis operibus manuum suarum: & succendetur indignatio mea in loco ,,
hoc, & non extinguetur. Regi autem Iuda, qui misit vos vt consuleretis ,,
Dominum, sic dicetis: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Pro eo quòd audisti ,,
verba voluminis, & perterritum est cor tuum, & humiliatus es corã Do- ,,
mino, auditis sermonibus contra locum istum, & habitatores eius: quòd vi- ,,
delicet fierent in stuporem & in maledictionem, & scidisti vestimẽta tua, ,,
& fleuisti coram me, & ego audiui, ait Dominus: idcirco colligam te ad ,,
patres tuos, & colligẽris ad sepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi ,,
tui omnia mala, quæ introducturus sum super locum istum. Itaque oran- ,,
dum in primis, ne integri sanique mores populo desint: deinde, vt nunquam optimis præfectis destituatur Respublica.

Tutus bos etenim rura perambulat,
Nutrit rura Ceres, almáque Faustitas,
Pacatum volitant per mare nauitæ,
Culpari metuit fides.
Nullis polluitur casta domus stupris,
Mos, & lex maculosum edomuit nefas,
Laudantur simili prole puerperæ,
Culpam pœna premit comes.

Horatius lib. 4. od. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Multo faciebát peiora, quàm fecerant patres eorum. *Hebraica oratio ſchematicῶς pronunciatur,* Corrumpebant præ patribus ſuis. *Viam, inquit, pietatis & morum multo magis, quàm patres ipſorum, contaminabāt, inſolentiùs & impudentiùs multo agebant.* Sequentes deos alienos. *Hoc erat primum in mente vitium, animo ac ſtudio ferri in propriæ ſibiq; optatæ & conſictæ religionis formam.* Seruientes eis. *Thure, farre, altaribus, templis, delubris, puluinaribus, aris, lucis, & titulis conſtitutis; hoſtiis mactandis, atq; omnis cultus generibus varijs frequentandis, ludis etiam celebrandis.* Et adorantes. *Capitis, membrorum, ac totius corporis habitu ac geſtu, vario ritu, quo vel metus, vel ſupplicatio, vel ſuſpectio, vel deuotio, denig; omnis erga diuinam naturam animorum affectio ſignificatur. Hebraicè,* Ad inclinandū ſeſe illis. *Quo habitu ex cæteris omnibus, quicūq; per varios hominum ritus ſpectari ſolent, nullius maiorem animi, vt ita loquamur, ſubmiſionem indicare poteſt: quod Latini dicunt, proſterni ad pedes. Eſt autem cùm de religione agitur, habitus hic ſupplicantium, & ſeſe abijcientium, miſericordiam ac delicti veniam petentiū, omnibus ferè Gentibus cōmunis; atq; habitus huiuſmodi, frequentiſſima in ſacris libris mentione notabilis, atque adeò apud vanorum deorum cultores, quos Iſraelitæ imitati eſſe arguuntur.*

Tibull. lib. 1. Elegia 2.

Num Veneris magnæ violaui numina verbo,
Et mea nunc pœnas impia lingua luit?
Num feror inceſtus ſedes adiiſſe Deorum,
Sertaq́ue de ſanctis diripuiſſe focis?
Non ego ſi merui, dubitem procumbere templis,
Et dare ſacratis oſcula liminibus.
Non ego tellurem genibus perrepere ſupplex,
Et miſerum ſancto tundere poſte caput.

Huiuſmodi etiam habitu & geſtu vana Gentium numina, & monſtroſa feminarum dearum figmenta, venerari ac colere Iſraelitas, hoc eſt, potēte cum Deo populum, non puduit. Eſt autem hæc commemoratio, quædam criminis per incrementum amplificatio, qua illi conuincuntur non dimiſiſſe adinuentiones ſuas, ſiue, vt Hebraicum verbum habet, opera ſuperſtitioſa ſua, nec viam, quam dariſſimam author cognominat, vel propter exitum, quem duriſſimum eſſe & miſerrimum non ſemel ſenſerāt; vel propter poſiti pertinaciam, quam interpres noſter eleganter declarat: Per quā ambulare conſueuerant. *Nam ex frequentatione aſſidua viarum ſolum tritum duratumq; redditur, atq; omni aliàs creſcentium plantarum, herbarum, & florum amœnitate priuatur. Eſt autem vtæ nomen, cùm ad animum transfertur, ad conſuetudinem moriſque ſignificationem apprimè accommodatum. Vt, Vias tuas demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me.* & apud Latinos:

Via.

Pſal. 24.

Et pater ergo animi felicis credit auaros,

Iuu. Sat. 10.

Qui

Qui mirantur opes, qui nulla exempla beati
Pauperis eſſe putant, iuuenes hortatur, vt illam
Ire viam pergant, & eidem incumbere ſectæ.

Quem verò via iſtius frequentatio exitum habuerit, ſubiuncta expoſitio declarat:

Iratuſque eſt furor Domini in Iſrael, & ait: Quia irritum fecit gens iſta pactum meum, quod pepigeram cum patribus eorum, & vocem meam audire contempſit.

DEVM *non iraſci, niſi maxima & iuſtiſſima ratione, qualem oportet eam eſſe, quæ iuſtiſſimum & integerrimum, atq; aliàs patientiſſimum iudicem commouere, & ad animaduerſionem, vel ad ſupplicium de improbis ſumendum excitare poſſet, tam ſæpius in ſacris libris obſeruauimus, & in commentarijs non vno loco indicauimus. Deus iuſtus iudex, fortis, & patiens, nunquid iraſcitur per ſingulos dies? Nec verò neceſſe nūc fuerit ſubtiliùs diſputare, quemadmodum huiuſmodi animi affectiones Deo ſimpliciſſimo, & ab omni perturbatione alieniſſimo, tribuantur; cùm hæc & à philoſophis, & à ſcholaſticis theologis diſtinctè explicata ſint, & à nobis opportuno loco tractata; & nemini, qui pietatis notitia imbutus eſt, vt exiſtimamus, ignorata. Omnibus namque iam illud vulgatum protritum eſt, huiuſmodi verba, quæ ex humano ſenſu vſurpantur, non affectum, ſed effectum Deo adſcribere. Verùm iam iræ cauſas, multis partibus ac circumſtantijs auctas; expendamus. Hebraicum ſchema ſic habet:* Et exarſit naſus Domini. *Nam nulla totius oris pars citiùs & apertiùs iram, iratumq; hominem indicat, quàm naſus, quo incenſus in corde ſpiritus efflatur, atq; totum deinde corpus commouet; maximè verò eorum, qui naſo vel breuiore vel anguſtiore ſunt; hi enim facilè irritantur: irritati autem nec expleri mentē, nec conſiſtere queunt, præcipuè ij, qui indocti vulgaresq; habeantur.*

Deus non irascitur. Dei ira. Naſus. Naſum.

——Quorum præcordia nullis
Interdum aut leuibus videas flagrantia cauſis,
Quantulacumque adeò eſt occaſio ſufficit iræ.

Iuu. Sat. 10.

Quare Deum, quem non ita frequenter, nec leuibus cauſis, ad vltionē properare, ſacri nobis auctores prodiderunt, & natura ipſa vſusq; oſtendit; naribus ampliſſimis Hebraica carmina depingunt, quoties illorum verborum vice Latinus interpres longanimem vocat. Domini *verò nomen illud myſticum, quatuor literis conſtans, ad humanæ ſalutis, atque miſericordiæ rationem plerumque appellari, trecentis exemplis iam oſtendimus. Grauem verò oportet eſſe cauſam, quamobrem Domini illius miſericordiſſimi, clemētiſſimi, ac ſalutaris naſus ira aduerſus Iſraelem, ſibi electum, auctum, & ornatum, incenſus fuerit: grauem profectò & multiplicem. Primùm, quòd Iſrael, qui totum id quod erat, cum ſuo etiam nomine ac titulo, Domino acceptum referre debuerit, tamen à Domino deſciuerit. Deinde, quòd pactum violauerit, irritumq; effecerit; pactum autem non nouum, nec obſcurum, ſed cum*

Dei naresamplifſ. Longanimis

Pactum Dei

Universidad de Deusto
Biblioteca

patribus sancitum, & omnibus quas Dominus susceperat conditionibus firmatum. Denique, quòd nec ipso pacto pactiq; tempore per Prophetas edocti, nec postea sæpius moniti, admoniti, & obiurgati, tamen Domini vocem audire voluerint: sed per summam improbitatem & superstitionem, aliarum gentium moribus ac ritibus, magis adeò ex imitatione quàm ex persuasione, obsecuti fuerint. namque à Gentibus ipsis ad sua colenda numina inuitatos non legimus, multo autem minùs ab illorum diis ad suum cultũ vocatos, quos constat habere quidẽ os & collum, verùm nec ore loqui, nec gutture clamare posse: Deum autem, qui nec os, nec guttur habet, illos per Prophetas certissimis signis, & illorum patres publica voce fuisse allocutum. Et vocem meam audire contempserunt. Atq; ex hoc aliisq; locis quàm plurimis docemur, omnia Dei beneficia ex misericordia, omnia rursus ad eodem leuiter, vel grauiter constituta supplicia ex iustissimo iudicio prosisci. Audimus nunc Dominum allegantem pactionem suam legitimè sancitam, & à se obseruatam, ab illis verò perturbatã: allegare monitiones, admonitiones, & obiurgationes, atque obtestationes, ab istis neglectas, & contemptas. Fuerat autem pactũ, quod ad hanc rem attinet, huiusmodi: Quòd

Pactum Dei. Exodi 23. „ si audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis
„ tuis, & affligam affligentes te: præcedetq; te Angelus meus, & introducet
„ te ad Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, Chananæumq;, & Ha-
„ uæum, & Iebusæum; quos ego conteram. Non adorabis deos eorum, nec co-
„ les eos: non facies opera eorũ, sed destrues eos, & confringes statuas eorum.
„ Seruietisq; Domino Deo vestro, vt benedicam panibus tuis, & aquis, &
„ auferam infirmitatẽ de medio tui. Non erit infœcunda nec sterilis in terra
„ tua, numerum dierum tuorum implebo. Terrorem meum mittam in præ-
„ cursum tuum, & occidam omnem populum ad quem ingredieris. Cunctos
„ rum inimicorum tuorum coram te terga vertam, emittens crabrones priùs,
„ qui fugabunt Heuæum, & Chananæum, & Hethæum, antequam introeas.
„ Non eyciam eos à facie tua anno vno, ne terra in solitudinem redigatur, &
„ crescant contra te bestiæ. Paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec au-
„ geariꝭ, & possideas terram. Ponam autem terminos tuos à mari rubro us-
„ que ad mare Palæstinorum, & à deserto vsq; ad fluuium. Tradam in ma-
„ nibus vestris habitatores terræ, & eijciam eos de conspectu vestro. Non in-
„ ibis cum eis fœdus, nec cum diis eorum. Non habitent in terra tua, ne forte
„ peccare te faciant in me, si seruieris diis eorum: quod tibi certè erit in scan-
„ dalum, &c. Atqui hoc pactum adeò studiosè perturbauerant Israelitæ, vt
non contenti primùm tributorum pactione, cum iis transegere, quos deleri
funditus debuerant pro perpetuis inimicitiis, amicitiis, & consuetudinibus
studiosè ambitis vti præoptauerint, & illorum sesè sceleratis sacris com-
municauerint, atq; in omnem idolomaniæ superstitionem auidissimè incubue-
rint. Ita cùm Dominus illorum hostes sibi etiam pro hostibus habendos re-
ceperit, nũc tam ambitiosè in amicitiam adscitos, sibi ex vi pactionis, quam

isti deruperant, hostes haberi, nec perdi oportere: imò vt vel suo malo resipiscant, illis optatos amicos ac vicinos relinquendos esse: vt, qui amicitias & societates, more Gentium, vtilitatis nomine colẽdas esse duxerint, cuiusmodi istarum amicitiarum fides vsusq; esse soleat, experiantur.

Et ego non delebo gentes, quas dimisit Iosue, & mortuus est.

Dvæ (quod ad Gentes attinet) pactionis partes siue conditiones fuerãt; altera, ne amicitiæ cum Gentibus vllo pacti genere, siue propter vtilitatem, siue aliam ob causam inirentur, sed perpetuæ inimicitiæ vsq; exercerentur, interim dum aucto Israelis populo, victimæ omnino delerentur reliquiæ: altera verò, ne etiam per id tempus, quo hostium reliquiæ durarent vllæ, illorum superstitionum communicatio admitteretur. Cùm verò prior pars ab Israelitis contra diuina consilia, iudicia, iussumq; perturbata fuerit, atq; ex Gentium sapientia & prudentia (quam consilium status nunc etiam dicere Gentes solent) in amicitiam vocati fuerint, vt quos perpetuos hostes duci haberiq; oportuerat: eam rem ita improbat Deus, vt Israelitas gentem iam sibi appellatos, quòd Gentium morem probasse cognosceret, ad eos exitus relegauerit, qui ex huiusmodi gentium societatibus exstare spectarique solent: quæ gentes nulla certa fide innixæ, vel vtilitatis opinione, vel potentiæ metu tantùm fulcirẽtur; hisq; tibicinibus subductis, continuò magna cum alterius vel vtriusq; partis pernicie corruunt. Atque hæc huius decreti diuini simplex atque sequax explicatio est: Nolo, inquit, eas gentes ego delere, quas Iosue, cùm moreretur, nondum expugnatas eo consilio reliquit, ne vastata regione, cultoremq; desiderante, feræ succederent. Quandoquidem ista etiam gens non propterea, sed propter tributi vtilitatem, & potentiæ ad opportunos vsus societatem sinendas, imò conseruandas & fouendas censuerit. Atque hoc est, quod legatus ille diuinus inter orandum prædixerat: Cur hoc fecistis? quamobrem nolui eos delere, &c. Erat autem altera pactionis pars, vti commemorauimus, ne vllo modo harum gentium colerentur dij. Atqui initio, cùm pacta fœderaq; inirentur, vero simillimum est, Israelitas inter ineundæ pactionis causas nullam de alieno cultu fecisse mentionem, imò nihil sibi minùs in animo esse professos, quàm etusmodi impietatẽ admittere, tantum tributa, commercia, atque ad summum subsidia mera crepuisse, idq; initio post firmatas pactiones acriter curasse & cauisse, ne scilicet religiones contaminarentur. Quod tamen studium quantum durare potuerit, facilè cerni, atque ex prima huius capitis parte etiam cognosci potest. Seruierunt, inquit, Domino cunctis diebus Iosuæ, & seniorum, qui superstites illi fuerant, & nouerant omnia opera Domini, quæ fecerat cum Israel. Namque illa tempestate singulæ tribus cum victimis paciscebantur, hoc tantùm contentæ, nimirum agendis & conseruandis suis rebus, componendisq; domibus, & vrbibus ornandis, agris viritim assignandis, oppidis condendis. Vbi iam illa cura imminui, & commodorũ vitæ vsus iucundior per securitatem contingere cœpit, ad vitia & ad luxum, atque adeò ad genus omne

Sapientia Gentium. Status consilium.

Otia publica

Universidad de Deusto
Biblioteca

omne deliciarum paulatim prolabi humanum ingenium more suo occepit.

Exod. 32. 1 Cor. 10. *Antiquum quippe & vetus illud est, quod in lege scriptum de Israelitis, à D. Paulo in exemplum vitandi otij relatum fuit: Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.*

Horatius lib. 2. Ep. 1.

Cùm primùm positis nugari Græcia bellis
Cœpit, & in vitium fortuna labier æqua;
Nunc Athletarum studiis, nunc arsit equorum;
Nunc tibicinibus, nunc est gauisa tragœdis;
Marmoris, aut eboris fabros, aut æris amauit;
Suspendit picta vultum mentemque tabella:
Sub nutrice puella velut si luderet infans;
Quod cupidè petiit, maturè plena reliquit.
Quid placet, aut odio est, quod non mutabile credas?
Hoc paces habuere bonæ, ventique secundi.

Eadem etiam incommoda Romanis ex causa simili accidisse legimus.

Iuu. Sat. 6.

Vnde hæc monstra tamen, vel quo de fonte requiris?
Præstabat castas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitiis contingi parua sinebat
Tecta labor, somnique breues, & vellere Thusco
Vexatæ duræque manus. ac proximus vrbi
Hannibal, & stantes Collina in turre mariti.
Nunc patimur longæ pacis mala: sæuior armis
Luxuria incubuit, victumque vleiscitur orbem.

Igitur desideratis iis, quorum tempore terra illa ab hostibus expugnata, non ipsorum artibus, viribus, & strenuitate, sed vnica Dei virtute, ipsis in vsum concessérat, atque recenti adhuc diuini beneficij memoria possidebatur & colebatur; in aliam ætatem deuentum est hominum, qui non nouerãt Dominum, & opera quæ fecerat cum Israel: atque hi non contenti communicatione Gentium, quoad commerciorũ ac tributorum vsus pateretur, vlteriùs etiam progressi sunt, ad suscipiendas nimirum earum gẽtium religiones; quæ quoniam deorum ac dearum cultibus constabant, ludis, choreis, carminibus, vestitu atq; apparatu vario, aliisq; ritibus colendæ, pro populorum, poëtarum, & sacrificulorum arbitrio & ingenio, iocundæ ac populares magis ducebantur, quàm simplex illa, à patribus Israelitis obseruata, in qua nihil addere, aut imminuere fas erat ritibus iis, qui à Deo instituti, certam quandam referebant rationem earum rerum; vel quæ olim ad Israelis vtilitatem editæ, vel postea ad amplificationem expectandæ essent. Sed posterà (vt vidimus) ætas multo faciebat peiora, quàm patres eorũ; nam patres alteram pactionis diuinæ partem, posteri verò vtramque perturbarunt, seruientes diis, & adorantes illos. Atque ita paterna quidem fides in altera tantùm parte imminuta fuit; & tamen altera, quæ supererat, perdito filiorum periculo, atque exemplo turbata, omnino euasit. hæc adeo illius, quam lectio nobis indicat, causæ expositio consecutioq; nobis sit.

Vt

Vt in ipsis experiar Israel, vtrùm custodiant viam Domini, sicut custodierunt patres eorum, & ambulauerunt in eam, an non.

DVPLEX, vti diximus, fuerat pactionis conditio: altera de pellendis hostibus; altera verò de superstitione Gentium vitanda. priorem quidem patres omiserant, posteriorem sibi mansuram professi: in qua filij periculo faciendo tentati, infidelissimi & perditissimi deprehensi fuere, vtpote qui non solùm initas à parentibus cum Gentibus amicitias conseruarunt, sed peiora quàm patres eorum fecerunt, via Domini, veráque religionis forma, & pietatis veræ studiis desertis, impiam Gentium superstitionem professi. Atque expositionis eius, quæ hactenus tractata est, summa illa, quæ mox subiungitur, conclusio statuitur:

Dimisit ergo Dominus omnes nationes, & citò subuertere noluit; nec tradidit in manus Iosuæ.

HVIVS carminis vt rectus atque sequax percipiatur sensus, posterior pars exponendi causa priori prælegenda est, cuiusmodi obseruatio in iis, qui pedibus ligata oratione viuntur, frequens admodum est. Vt,

Dice docendus adhuc, quæ sentit amiculus. *Sic autem paraphrasticẽs* Horatius. *nobis oratio contexitur. Nationes igitur, quas Dominus nec citò subuertere voluit, nec tradidit in manus Iosuæ, dimisit. Prius decretum fuerat, etiam vtraque pacti conditione Israelitis manente, ne citò gentes illæ omnes simul expellerentur, ob regionis vastitatem vitandam; sed vt hostium numero haberi, paulatimq; detritæ, tandem extinguerentur. Verum id Iosuæ tempore fieri, etiam ob viri ætatem, non contigit. Nam is breui post occupatam regionem vitæ cursum confecit. Relictæ igitur sunt ea causa, quam Deus excesperat; relictæ inquam hostili nomine ac lege, vti explicatum est. Illa verò lege Israelitis contempta, effectum est, vt à Deo etiam non delerentur alia ratione, hoc est, ad faciendum periculum fidei & obseruantiæ Israeliticæ. hac cùm fefellerit, in ipsorum, per quos seruati fuerant, perniciem dimissi sunt. Dimissi verò, id est, non afflicti, nec consternati, nec perterrefacti à Deo, vt antea; sed suis ingentis, artibus, consiliis, viribus, & opibus liberè vti permissi, vt hoc pacto ipsi, qui conseruati ab Israelitis fuerant, ipsos vehementer affligerent, per quos viui incolumésque regnabant. Duo autem verba in hanc enarrationem à Latino interprete vsurpata sunt,* Relinquere, & dimittere, *pro duobus etiam in sacra lingua obseruatis,* SEAR, & NAHHAH, *Alterum simpliciter relinquere, alterum remittere, & quietem præstare significat. Namque antea Deus Gentes tantùm reliquerat, hoc est, reliquas esse iusserat, vt tam diu viuerent, quoad ab Israelitis funditus perderentur. Sed illas Israelitæ & viuere, & manere, & sibi conciliari optarunt: quamobrem Deus eosdem non manere solùm, sed quiescere, securè agere, & sibi consulere permisit. Itaque verba illa,* Non tradidit in manus Iosuæ, *non causam indicant; sed certam expositionem habent, & significationem communem earum omnium gentium, quas in*

amici-

Universidad de Deusto
Biblioteca

amicitiam receperant Israelitæ, earundem inquam, quas nec citò deleri, nec tempore Iosuæ debellari Deus voluerat. Atque hanc expositionem vt planiùs demonstret, ipsarum gentium & vrbium recensitus nominibus, expolit author, vt proximo accipiemus capite.

CAPVT TERTIVM.

HÆ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israelem, & omnes qui non nouerant bella Chananæorum.

LECTIO *hæc superiori adnexa, explicationis lumen adhibet. Declarat enim, has omnes gentes, quas cùm Israelitæ diuina ope facilè perdere potuissent, tamen saluas & incolumes esse maluerunt, fuisse per Deum non solùm incolumes, saluasq; relictas, sed viribus, opibus, consiliisq; suis permissas: atque ita ostendisse Israelitis, quantum bello armisq; valerent, dum non sibi cum Deo, sed cum hominibus pugnandum esset. Nam antea qui scire poterant Israelitæ aut harum gentium virtutem sentire, & cognoscere, quas non suo arcu aut gladio, non suis viribus & consiliis, sed vnica Dei voluntate & efficacitate, atque infinita virtute, sibi expugnatas traditasq; videbant? quam felicitatem cùm sibi perpetuam esse Israelitæ noluerint, bellorum artes, & consilia, atque eorum exitus semper sibi infelices experti coacti sunt.* Quas Dominus dereliquit. *Hebraicum verbum,* quiescere fiuit. *securitate videlicet permissa, & terrore illo sublato, quo antea consternabantur, dum intelligerent non illis cum Israelitis, verùm cum Israelitarum Deo negotium esse. Namque hoc pacto, & animo & viribus defecti, nihil præstare poterant, nec sibi quicquam promittere, aut sperare. S. S. E.*

1.Sam.4. » *Dixeruntq;* [Palæstini] *Quæ nam est hæc vox clamoris magni in castris*
» *Hebræorum? Et cognouerunt quòd arca Domini venisset in castra: ti-*
» *mueruntq; Philistiim, dicentes, Venit Deus in castra: & ingemuerunt, di-*
» *centes, Væ nobis: non enim fuit tanta exultatio ab heri & nudiustertius: væ*
» *nobis. Quis nos seruabit de manu deorũ sublimium istorum: hi sunt dij, qui*
» *percusserunt Ægyptum omni plaga, in deserto, &c. Igitur huiusmodi ter-*
rore sublato, nihil non aggredi, nihil sibi non promittere potuerant gentes illæ, maximè verò aduersus imperitos, bellandiq; rudes, quibus nulla à maioribus suis militaris disciplina tradita fuerat, qua sese tueri possent; ac, quæ nunc primùm accipienda erat, non ab aliis, quàm hostibus ipsis magistra eam accipi necesse fuit. Qua in re quantum præstare hostes possent, & ratio ipsa docebat, & exitus demum ostensurus erat; nimirum qui potentes olim belloq; fortissimi fuerint, armis instructi, locis muniti, &, quod ad victoriam plurimum valet, non populari tumultu ad pugnam prodire soleret, sed maximorum ducum consiliis, & authoritate, dexteritate, atque nota tum & celebri felicitate vti consueuissent. Itaque iam ea causa gentes hæ securæ agere (Deo ita permittente) cæperunt, vt erudiret in eis Israelem. *Eruditionem*

tionem experimenti, quod periculo nunquam caruit. Hebraicum, Chaldaicum & Græcum verba tentationem omnia significant. Vt videlicet tentaret in eis, cuiusmodi vel amicitias, vel inimicitias istarum gentium erga se sustinere Israelitæ possent. nam si amicos retinerent, periculum erat communionis in religione, siue potiùs superstitione, ex quo manifesta Dei offensio nasceretur. Sicut prædictum ipsis antea fuerat: Non habitent in terra tua, ne » Exodi 23.
fortè peccare te faciant in me, si seruieris diis eorum; quod certè tibi erit in »
scandalum. Sin verò conuersis studijs inimicos haberent, Dei, quem offenderãt, præsidio ac tutela destituti, vel pati omnino, ac perferre infestissimos; vel, si dimicare pararent, duris suscipiendis partibus cum magno suo malo, longoq; mali vsu, belli artes discere cogebantur: vtpote qui imperiti ac rudes cum strenuis, ac fortibus etiam & opulentis, ferrum ac manus conferre debebant. & tamen ipsi non nouerant bella Chananæorum. *nesciebant quales viri in bello essent, quibus animis, quibus armis pugnam committerent, quantum sese ad prælia inunda, quibus verbis accendere solerent. S.S.E. Confortamini & estote viri Philisthiim, ne seruiatis Hebræis, sicut* »
& illi seruierunt nobis; confortamini & bellate. Ita qui nullo suo studio, »
paruo negotio, magno Dei præsidio hostes pellere, & quietem sibi parare poterant, quia saluis hostibus, & sibi in amicitiam conciliatis, securitatẽ primùm quæsierunt, ac deinde illorum religiones superstitionesq; æmulati, Dei iussa contempserunt; in magnam curam & laboriosa bellorum studia incumbere, ipsis hostibus magistris, magno suo incommodo, coacti sunt.

Experimentum periculosum.

Et postea discerent filij eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi.

HEBRAICÆ *orationis sensum Latinus interpres reddidit: verborum numerum Græci consectati sunt hoc modo;* Verùm propter generationes filiorũ Israel, vt doceret eos bellum, verùm qui ante ipsos nõ cognouerunt ea. *Hebraica sic Latinè sonare possunt:* Tantùmmodo vt cognoscerent generationes filiorum Israel cùm docerent ipsos præliũ; tantummodo qui antea nescierunt. *Linguæ vsus illam nobis verborũ consecutionem sententiamq; efficit: Hoc, inquit, Israelitarum generationibus defuerat; nimirum bellorum artes & negotia doceri; nimirum quæ antea ignota fuerant: nam primi non brachijs, non arcubus, aut armis, non artibus aliis, sed tantùm Dei præsidio, consilio, & iussu hostes fuderant, regiones ceperant, vrbes occupauerant, prædas & spolia retulerant, agros colere, & securitate frui, idq; perpetuum propriumq; sibi ex Dei beneficio constituere poterant; nullis iam hostibus relictis, cum quibus posteritati pugnandum esset. Nunc verò posthac & sibi, & posteris omnibus negotium comparunt militiæ discendæ, quæ sine prælijs & assiduis pugnarum exercitationibus disci nequeunt: verùm id quibus quantisque præceptoribus atque in Historicis discendum sit, statim declarabitur. Atque hunc versum* κατὰ σαρκα μὸν *legendum pronunciandumq; censemus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quinque satrapas Philistinorum, omnemque Chananæum, & Sidonium, atque Heuæum qui habitabat in monte Libano, de monte Baghal Hermon, vsq ad introitum Emath.

NON *cum vno aut altero, nec cum paucis tenuibus, aut inopibus, nec cum imbellibus, nec vno loco tantùm sibi negotium machinati Israelitæ arguuntur: sed cum quinque Palæstinorum satrapis, quos populorum copia opulentos, nobilitas potentes, concordia munitos, felicitas alacres effecerat. Nam hi quinque Ascalonem, Gazam, Azothum, Gathan, Ghelzo, insignes vrbes, cum suis agris, vt aliàs legimus, occupauerant, & satis superq; Israelitas exercere vel hi quinque tantùm valuissent. verùm præter hos, complures alij fuere hostes, & strenuissimi, & infensissimi, per quos à labore numquam cessarent Israelitæ; Chananæus, qui antiquitate firmus stabilisq; in regione sua manserat; Sidonius, cuius opes terra mariq; illustres erant; & durissimum Heuæorum genus, in montibus educatum, & soli natura, atq; operibus munitũ; in monte inquam non sterili, nec infelici, sed omnium totius orbis montium fertilitate & pulchritudine eximia celeberrimo, Libano videlicet, cum suis ramentis & continentibus locis.*

Palæstini.

Chananæi.

Libanus.

Dimisitq; eos, vt in ipsis experiretur Israelem, vtrùm audirent mandata Domini, quæ præceperat patribus eorum per manum Moysi, an non.

TOTIVS *anthypophoræ siue occupationis, per multos antea versus discusse, breuis hæc summa periodúsve est: in prima illa per Iosuam facta inuasione ac debellatione, has gentes omnes fuisse quidem relictas, nõ ad exercitationem bellicam, eamq; perpetuam primum, sed ad conseruandam regionem, à feriisq; defendendam, quam paulatim Israelitæ, si sanctam Mosi ministro Dei legem seruare vellent, debellare atq; occupare facilè possent, incolis non amicorum ac sociorum, sed hostium nomine habendis tractandisq;. Qui quamuis multi, fortes, & longè lateq; diffusi essent, minimo tamen negotio disperdi potuerunt; manẽtibus videlicet diuinæ pactionis conditionibus. Verùm enimuerò Israelitis longè secus existimantibus res acta est, quibus interdicta gentium illarum amicitia & societas, accepto per Mosen mandato diuino potior fuit.*

Itaque filij Israel habitauerunt in medio Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Heuæi, & Iebusæi.

OMNIS *oratio antithetis constat, ad amplificandam rei indignitatem. filios enim Israelis à cæteris nationibus moribus, consuetudine, & omni societate alienos esse oportuit, ac decuit; maximè verò à Iebusæis, Chananæis, & reliquis gentibus, quorum vita apud ipsos diuinis legibus & monitionibus vehementer vituperata improbataq; fuerat. Deinde non solùm vt nationes alias longiùs remotas haberi illos par fuit, sed vt hostes, animo ac studiis discordes, sibiq; omnino infensos; saltem infidos, vti res ipsa demum docuit.* Et tamen habitauerunt in medio illorum. *Est autem hæc perpe-*

petua ferè elocutio Hebraico sermoni familiaris, cùm securitatem, concordiam, amicitiam, pacem, consuetudinem, & familiaritatem indicari vsu venit. quod vel illo exemplo ostenditur: Ecce (inquit Eliseus) sedulò in omnibus ministrasti nobis, quid vis vt faciam tibi? numquid habes negotium, & vis vt loquar Regi, siue Principi militiæ? Quæ respondit: In medio populi mei habito. Hoc igitur pacto Israelitæ in medio illorum habitare optarunt, idq; tanto tamq; contento studio egerunt, vt, ne aliquando illam familiaritatem discissum iri metuerent, non solùm vita & negotiorum communione, sed necessitudinum etiam vinculis astringerent. 4 Reg. 4.

Et duxerunt vxores, filias eorum; ipsiq; filias suas filiis eorum tradiderunt: & seruierunt diis eorum. Fecerunteq; malum in conspectu Domini, & obliti sunt Dei sui, seruieruntq; Baalim & Astharoth.

NVLLA *in gentium omnium societatibus maiora pignora sunt, quàm coniugum ac liberorum communes necessitudines; nullaq; maius momentum ad rectam vel pravam morum institutionem habent, quàm domestica & quotidiana consuetudo.* Coniugio.

Sic natura iubet: velociùs ac citiùs nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cùm subeant animos autoribus. Iuuen. sat. 10.

Atq; hinc fit, vt vel nullo pacto, vel vix fieri possit, vt liberi apud pravos parentes educati, domesticam illam disciplinam non referant moribus.

Scilicet expectas, vt tradat mater honestos
Aut alios mores, quàm quos habet? Vnus & alter
Forsitan hæc spernat iuuenes, quibus arte benigna
Et meliore luto finxit præcordia Titan.
Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt,
Et monstrata diu veteris trahit orbita culpæ. Ibidem.

Iam verò quis nesciat, magnam religionum confusionem esse, cùm eadem in domo alter coniugum alia atq; alia numina sibi habenda colendaq; putat? Quandoquidem discordia hæc non domibus tantùm, sed totis populis ac gentibus ruinæ causas afferat.

Inter finitimos vetus atque antiqua simultas,
Immortale odium, ac nunquam sanabile vulnus
Ardet adhuc, Combos & Tentyra, summus vtriquo
Inde furor vulgo, quòd numina vicinorum
Odit vterque locus, cùm solos credat habendos
Esse Deos, quos ipse colit.

Quamobrem quicumque huiusmodi gentes & populos hac necessitudine sibi conciliare curant, de religionum ac rituum communione cum primis pacisci solent. Sicut scriptum est: Non possumus facere quod petitis, nec dare sororem nostram homini incircumciso, quod illicitum & nefarium est apud nos. Sed in hoc valebimus fœderari, si voluerit- Gen. 34. Consuetudinis vinculũ religio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

» *lueritis similes esse nostri, & circũcidatur in vobis omnis masculini sexus.*
» *Tunc dabimus & accipiemus mutuò filias vestras ac nostras, & habitabi-*
» *mus vobiscum, erimusq; vnus populus. Atqui vero simillimum consenta-*
neumq; est, eos, qui primi aliorum connubia ambierint, religionum etiam conditionem primos subire, sicut & ex eadem obseruare licet historia. Sic
» *enim princeps ille ciuibus persuadebat suis: Viri isti pacifici sunt, & volunt*
» *habitare nobiscum; negotientur in terra, & exerceant eam, quæ spatiosa &*
» *lata cultoribus indiget. Filias eorum accipiemus vxores, & nostras illis da-*
» *bimus. Vnum est, quod differt tantum bonum, si circumcidamus masculos*
» *nostros, ritum gentis imitantes. Itaque necessitudinum appetentiam mo-*
rum similitudo atque religionum societas consequitur.

Horatius. lib. 3. Od. 6.

Fœcunda culpæ secula nuptias
Primùm inquinauere, & genus, & domos.
Hoc fonte deriuata clades
In patriam populosque fluxit.

Id verò ita etiã Israelitis euenisse intelligimus: Et seruierunt diis eorum. *Atque hinc demum malum omne penitus in Israelitarum animos & populos perrupisse, adeò, vt oblitos etiam Dei sui, Baalim & Ghastaroth seruirent non puduerit. hoc loco vocabulum Asteroth, quod beatas significat, idem explicat quod de* GASTAROTH *exposueramus hactenus. Totius culpæ longè lateq; patentis summa descripta est: quæ narrandis singulorum temporum historiis deinceps explicabitur.*

Iratusque contra Israel Dominus, tradidit eos in manus Chusanrasathaim Regis Mesopotamiæ, seruieruntque ei octo annis.

PRIMA *singularis Israeliticorum temporum historia à postremis illis viris, qui Iosue superstites fuerant, recensenda est, namque illis desideratis in omnem licentiam Israelitæ concessere, ad sanctam illius disciplinam mutandam, vsq; ad religionis etiam proditionem; ita vt Domini oblitis, vanis deorum dearumq; cultibus operam insolenter darent. Primos Aramæos siue Syros, impetu in Israelitas facto, victores euasisse legimus; quod quidẽ amicitiæ cum Chananæis & Palæstinis inutiliter initæ primum periculũ fuit. Namque terminus Israelitis ad habitandum præscriptus, vltra Euphratem fluuium non dilatabatur. Verùm cùm omnis potentia inuidiam, inuidia verò suspicionem apud homines pariat; primi ij, qui vltra Euphratem habitabant, siue ex metu, siue ex odio, siue etiam ex dominandi imperiumq; dilatandi cupiditate, transmisso amne Israelitas inuaserunt, & expugnatos ac debellatos non solùm ad tributa ac vectigalia soluenda, sed ad publicã etiam seruitutem seruiendam addixerunt. Apertè autem exponit author quemadmodum illa Israelitis calamitas venerit, nempe quòd traditi fuissent à Domino, ipsorum videlicet impietate offenso. Fuit autem Regi illi nomẽ Chusan, satis suo seculo celebre: Cognomen verò Resathaim, siue Risghathaim, videtur vel patriæ, vel muneris publici causa factum. Nam si Hebraicũ est,*

vt ex pronunciatione existimari potest, geminam improbitatem Latinè vertere possumus; atq; ita vt Ægyptios Reges, ex officio vlciscendæ & coërcendæ licentiæ Pharaones; Aramæos etiam illius prouinciæ Reges, geminæ improbitatis vindices dictos existimare possumus. Namque Risghah improbitatem eius, cuius in iudicio peior causa est, significare, permultis Hebraicæ lectionis exemplis obseruauimus, & docere possumus. Duobus autem potissimùm generibus, omnis regiæ iurisdictionis ratio concluditur; altero quod iurisdictionis genera.
ciuiles, altero verò quod criminales, quas vulgò dicimus, causas continet. Virius q; autem generis iudicem ac vindicem illum Regem appellatũ fuisse, nobis etiam Chaldaicus Parabrastes indicare videtur, qui nimirũ Chusam HHOBAIA *interpretatur. HHobaia verò Chaldaicè culpas siue debita significat. Sunt qui loci nomen fuisse opinentur; sed nos aliorum sententias non numeramus, nostram tantùm indicare contenti.* Seruieruntq; ei octo annis. *Deo, quamuis irato, tamen misericordiæ numquam immemori, & Israelitas castigare, non perdere volenti, seruitutis, quæ longissima alias esset, tempus contrahere placuit. Animaduertenda tamen est orationis sacræ formula Antithetis constructa, quam Chaldaici Græciq; interpretes imitantur:* Et seruierunt filij Israel. *Qui Deo tantùm seruientes, nulli alij seruire coacti essent: tamen quia vero Domino ac Deo suo cum summo honore seruire noluerant, magno cum nominis sui dedecore ac probro in seruitutem venerunt.* Chusan Risghathaim octo continuis annis. *Eam verò seruitutem non propria virtute aut potentia aut dexteritate, nõ vicinorum Chananæorum opibus auxiliisq; reiecerunt; sed*

Et clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis saluatorem, & liberabit eos, Othoniel videlicet, filium Cænez, fratrem Caleb minorem.

SERVITVTIS *durissimæ ac iam longiùs protractæ inualescentisque sensu impulsos clamasse intelligimus, non qui viriliter pœnitẽtiæ consilium inierint, sed qui miseriarum spectaculo clementem ac misericordem Deum lenire studuerint, nomine illo sese apellantes, quod à Deo quondam impositum, semper vendicandum asserendumq; esse sperabant. Hebraicè, Chaldaicè, atq; Græcè est:* Et clamauerunt ad Dominum filij Israel. *Ita vt nomẽ illud,* filij Israel, *significatione, siue, vt Logici loquuntur, connotatione non careat. Fuerat enim huiusmodi clamoris argumentum; nempe Iacobum olim indignis modis apud Aramæos in Mesopotamia exceptum, à Domino fuisse liberatum, & ex seruitute dura Laban in libertatem assertum, atq; egregiè ornatum & auctum, magnoq; Israelis cognomento amplificatum; nunc verò eiusdem viri filios, & nominis atq; gloriæ hæredes, in Aramæorum potestatem redactos, seruitutem seruire tanto cognomento indignam, incolumi eodem Domino, & cognominis illius authore tanto. Ita autem non illorum merito, sed misericordia tantùm, atq; promissi sui, (quod Israelis cognomine significatur) fide commotũ Dominum, illis seruatorem*

Universidad de Deusto
Biblioteca

excitasse historia refert. Semper enim nominum atq; verborum inter se relationes, oppositiones, habitudines, figuræq; omnes obseruandæ sunt. Et suscitauit Dominus filiis Israel saluatorem, & seruari fecit eos. *Ita Hebraicè, vt verbū,* seruari fecit, *ad Dominum ipsum referri possit. namque nomen Othoniel, accusandi casu Hebraicè legimus, coniunctum cum verbo* suscitauit, *per Appositionem figuram. Hunc autem Ghathnielem adhuc superstitem fuisse nihil prohibet, vtpote Calebo fratre natu minorem, hoc est, ætate imparem, cùm nihil obstet Calebum vnum ex iis, qui Iosuæ superstites fuerant, inter seculi illius postremos diem obiisse vltimum; neque verò longum postea interuallum fuerat, nimirum octo, aut summū nouem decémve annorum. Hunc verò quamuis aliàs strenuum & fortem, atque Debtris iam pridem captæ gloria insignem, tamen nec robur, nec consilium proprium ad tantæ rei vel cogitationem impulit, sed ipse Dominus excitauit seruatorem: excitatum autem, hoc est, animo atque corpore confirmatum, atque omnibus sapientiæ ac fortitudinis partibus, quæ in magno duce exiguntur, instructum intelligimus.*

Fuitque in eo Spiritus Domini, & iudicauit Israel. Egressusque est ad pugnam, & tradidit Dominus in manus eius Chusan-Resathaim Regem Syriæ, & oppressit eum.

» NISI *Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædi-*
» *ficant eam: nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Manifestum diuinæ erga Israelitas prouidentiæ illud exemplum inter alia fuit, quod hac tempestate editum legimus. Quippe illos quos vincere aliàs multi magniq; Reges, quamuis plurimis coniunctis copiis, non potuerant, vnus non ita potens Mesopotamiæ princeps, à Deo traditos, in suam potestatem redactos, octo integris annis seruire coëgit; rursus verò exiguo admodum tempore idem vnius viri virtute oppressus, amittere coactus, atq; in libertatem redactos, totis quadraginta annis, nec retentare quidem ausus est. Hæc omnia temporum, locorum, ac personarum pondera si simul collata*

Prouidentia singularis. *expēdantur, Dei singularem prouidentiam legentibus omnibus aperte probabunt. Eum autem quem tantæ rei gerendæ ministrū esse Deus voluerit,*

Spiritus. *quibus artibus, quibusq; rebus ipse instruxerit, vnū illud nomen,* Spiritus,

1 Cor. 12. „ *significat, quem ex effectis sanctum intelligemus. S.S.E. Diuisiones gra-*
» *tiarum sunt, idem autem Spiritus, & diuisiones ministrationum sunt, idem*
» *verò Deus, qui operatur omnia in omnibus: vnicuiq; autem datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem, &c. Igitur eiusdem spiritus efficientia ad duo præcipua munia obeunda, & strenuè, grauiter, atque feliciter exercenda, Othoniel auctus fuit, ad populum Domini intra regionis fines iudicandum,*

Iudicare. *& gubernandū, & ad eundē bellica virtute ex hostium tyrannide liberandum. Hoc est, quod per expositionem legimus,* Et iudicauit Israel, *legibus ac moribus, qualibus eam gentē viuere oportuit, instauratis. &* egressus est ad pugnam, *vltro ipse hosti bellum illaturus, nihil veritus vel consuetæ iam*

seruit-

seruitutis iugum depellere, vel ferocem hostem, quem antè & ferre dominum siue tyrannum, & formidare soleret, bello lacessere, & lacessitum aggredi, atque fundere, & obtenta iam seruitutis possessione priuare. & oppressit eum, *ipse solus, nullius alterius vel Principis vel gentis subsidio adiutus, nec per dolū, aut fraudē, nec vllis aliis artibus, ambagibus, aut pactis vsus, sed manu armisq; ex diuino auxilio præstantibus. Hebraicè,* Et roborata est manus eius super Chusan Risgataim. *quo schemate non vnius prælij aut pugnæ tantùm compotem, victoremq; euasisse illum intelligimus; sed ita hosti oppresso metum terroremq; iniecisse, vt nunquam deinceps Israelitarum res turbare, imò nec tentare quidem licuerit. Nomen verò Chusan significanter hoc loco appellatur, ad comparationem virtutis Ghathnielis, qui solus tantum hostem non modò fuderit, sed oppresserit etiam, atq; ita generi populoq; suorum tranquillitatem otiumq; fecerit.*

Quieuitque terra quadraginta annis, & mortuus est Othoniel filius Cenez.

PACIS *atque otij vsum hominibus, qui rectè vitam instituere, & bonis artibus operam nauare student, vt vtilem & commodum apud sacros profanosq; scriptores laudatum scimus, atq; ad veræ religionis cultū à Deo promissum sæpe legimus. Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad* Pax. „ Isaiæ 2. *eum omnes gentes; & ibunt populi multi, & dicent: Venite, & ascendamus* » *ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, &* » *ambulabimus in semitis eius. Quia de Sion exibit lex, & verbum Domini* » *de Ierusalem. & iudicabit Gentes, & arguet populos multos: & conflabunt* » *gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non leuabit gens contra* » *gentem gladium, nec exercebuntur vltrà ad prælium. Domus Iacob venite,* » *& ambulemus in nomine Domini. Itaq; otij copia, cùm in bona studia ani-* » *mus intenditur, & optabilis quidem, & expetenda creditur.*

Otium diuos rogat in patenti
Prensus Ægæo, simul atra nubes
Condidit Lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis.
Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetra decori,
Grosphe non gemmis, neque purpurâ ve-
nale, nec auro.

Horatius lib. 2. Otium.

At verò innata hominibus nequitia, & erroris ac stultitiæ pertinax mens, otij commoditatem in desidiæ, libidinis, deliciarum, atque omnium demum licentiam scelerum dare sæpe solet. S.S.E. Incrassatus est dilectus, & » Deut. 32. *calcitrauit. Incrassatus, impinguatus, & dilatatus, dereliquit Deum fa-* » *ctorem suum, & recessit à Deo salutari suo. Prouocauerunt eum in diis* » *alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt. Ita otium,* »

quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod probandi vſus cauſa expetendum aliàs ducitur, vbi ad corruptelam malæ conſuetudinis anſam dat, improbari contrà ſolet.

Catull. lib. 1

Otium Catulle tibi moleſtum eſt,
Otio exultas, nimiumque geſtis,
Otium Reges, ſimul & beatas
Perdidit vrbes.

Quadraginta annorum otium, quo Iſraelitarum regio fruebatur, à primis Othonielis diebus recẽſendum eſt: nam cùm primùm ille hoſtem ſuperauit, pacem & quietem populo parere cœpit, atq; ſacras publicasq; res omnes ita moderari, vt ſe viuo nihil nouarum rerum Iſraelitæ publicè agerent; qui tamen, mutationis auidi, illius temporis auſteram diſciplinam faſtidire cœperunt, ac priorum malorum obliti, in deteriora ſe per luxuriem atque libertatem coniecerunt.

Addiderunt autem filij Iſrael facere malum in conſpectu Domini: qui confortauit aduerſus eos Eglom Regem Moab: quia fecerunt malum in conſpectu eius.

Verborum obſeruatio.

PRÆTER *relationes & antitheta, quæ magnam ad exaggerandas res vim habere ſolent, ſingulorum etiam verborum ſignificationes expendere atq; animaduertere operæprecium fuerit. Iam illud turpe eſt, quòd homines, quicumq; illi ſint, maleficij arguantur; grauius verò, quòd Iſraelitæ eiuſmodi notam ſubeant; longè verò turpiſſimũ, omninoq; criminoſum, quòd idem in conſpectu Domini agant; nec verò contenti fuerint præteritorum illorum ſcelerum exemplo, cuius cauſa in ſeruitutem Syris dati fuerint, niſi etiam quietis illius temporis diſpendium, flagitiorum numero & magnitudine compenſarẽt, vel ſuperarent magis. Sic enim interpretamur verbum* addiderunt, *vt non modò repetita crimina, & præteritis illis aucta, ſed longè etiam maiora turpioraq; interpretemur. Quamobrem caſtigationis cauſa, aliorum etiam ſibi vicinorum hoſtium non potentiæ, ſed ſæuitiæ atq; dominationi concedere coacti ſunt: & qui primos illos longiùs diſſitos, atq; idcirco minùs ſibi imminentes, ſenſerant, nunc vicinos, atq; finitimos, neq; à generis ſui neceſſitudine alienos, infeſtos inſtantesq; patiuntur adeò, vt qui ex propriis & certis hoſtibus atq; inimicis, amicos fœderatosq; reddere in ſuũ malum ſtuduerint, tanta rerum varietate, primùm eos, quos non timerent Aramæos, longiùs poſitos, deinde, quos ob affinitatẽ minimè ſuſpectos haberent, Moabitas & Amonitas, contra gentium morem atq; conſuetudinem publicaq; exempla, in ſe concitatos & infenſos, pertinaciterq; infeſtos*

Moabitæ. Amonitæ.

experiantur. Namque Moabitas & Amonitas Loto patre, Abrahami nepote, prognatos, auxilio potiùs & ſubſidio, quàm exitio fore ſperare potuerãt Iſraelitæ. Sed huius inſperatæ ſortis cauſa facilè cognoſcitur, nimirum, Quia fecerunt malum in conſpectu eius; *Hebraicè*, in oculis Domini. *Quid enim monſtroſum eſſe magis potuit, quàm Iſraelem ab eo Deo deſciſcere, cuius ope, voluntate, & dono ipſe Iſrael effectus dictusq; fuerat?*

Iſrael.

Nunc ergo iuſtiſſima animaduerſionis forma eſt, vt ab iis, quos minùs metuerint, opprimantur, eodem domino iudice ac vindice, à quo exiguæ regionis Rex confortatus, conſilio, robore, ac dexteritate auctus eſt, auxiliaribus etiam copijs inſtructus.

Et copulauit ei filios Amon & Amalech. abiitque, & percuſſit Iſrael, atque poſſedit vrbem Palmarum.

SI regionis ſitus, ſi magnitudines, ſi gentium copias & opes comparemus; mirabimur profectò Moabitarum Regis audaciam, qui exigui populi princeps, tam latè patentem Iſraelitarum prouinciam vel tentare inſtituerit. Namq; vt maximæ odij atq; æmulationis offenſionisq; cauſæ extitiſſent, quæ Egloni illam cogitationem iniicerent, vt Iſraelitarum res attritas vel labefactatas cuperet: tamen, vt ipſe id aggrederetur, difficillimum erat ſeſe ſuasq; opes æſtimanti, niſi Deus ipſe iudex & vltor, impari aliàs futuro Principi, animum, conſilium, opesq; addidiſſet, quibus inſtructus, in bellum prodire, & cognatis ac ſociis opem ſibi ferendam perſuadere poſſet. Hæc adeò ſignificatio eſt illius verbi, Confortauit aduerſus eos, *ſiue, vt Hebraicè eſt,* aduerſus Iſraelem. *qua nominum ac verborum collatione, ſingularem Dei in hac re prouidentiam declarari cognouimus: nõ enim aduerſus aliam gentem, ſed aduerſus Iſraelem, quocum aliàs manũ conſerere minimè ſuiſſet auſus, niſi à Deo & animatus, & conſilio roboreq; firmiſſimo auctus: atq; ita initi belli felicem euentum ſortitus, capta videlicet Hierichũte, Palmarum aliàs dicta vrbe, prima totius regionis, & quondam regia, multis q; rebus iam olim nobilitata, palmarum videlicet copia, & balſami ſingulari felicitate, illi tantùm loco in omni ferè terrarum orbe conceſſa, in qua vrbe præſidijs locatis, parta ſibi victoria totos octodecim annos Rex ille fruebatur, oppreſſorum videlicet Iſraelitarum ſeruitute, eaq; inclemente adeò, vt ad miſeras preces, atq; ad vota recurrere demum Iſraelitæ cogerentur.*

Prouidentia ſingularis.

Hierichũte Palmæ Balſamum.

Seruieruntque filij Iſrael Eglon Regi Moab decem & octo annis.

& poſtea clamauerunt ad Dominum, qui ſuſcitauit eis ſaluatorem vocabulo Aioth, filium Gera, filij Iemini, qui vtraque manu pro dextera vtebatur. Miſeruntque filij Iſrael per illum munera Eglon Regi Moab.

DOMINI *eſſe ſalutem ac benedictionem ſuper populum ſuum, diuinus Vates canere ſolet; illud pulchro epiphonemate ſignificans, eum populum, qui in diuinæ tutelæ præſidio lateat, præter hominum ſpem, vltra aliarum gentium ſortem, ex victo victorem, ex miſero felicem, ex attrito & exhauſto præſtantem ac beatum euadere poſſe. Id quod multis variisq; exemplis apud Iſraelitas probatur; qui perſæpe imbecillium & inopum, nonnumquã etiam impeditorum virorum opera, ex magnis calamitatibus leuati ſunt. Animaduertere verò eſt, quibus verbis hoc loco ſalus hæc facta depingatur. Primùm Iſraelitas dura ſeruitute oppreſſos clamaſſe ad Dominum, miſericordiæ fontem, intelligimus; clamoris autem argumenta ex duobus locis pro-*

ducta

Universidad de Deusto
Biblioteca

ducta fuisse, videlicet Domini & Israelis nominibus appellandis. nec enim accidit vt Dominus Israelem suum non tueatur, modò Israelem se ille præstare studeat, & conetur. Deinde verò ex illis miseris & calamitosis Israelis filiis, quendam singulariter, etiam ineptum & impeditum, fuisse à Domino suscitatum, atq; ex humili conditione, vel ex ipso terræ solo sublatum & euectum, ad salutem & libertatem populo afferendam; ita vt, quo grauior causa oppressionis antea fuerit, eo maior Domini luceat misericordia. Oppressæ fuerãt primùm Israelitæ ob scelera: cõstitutus est seruator Ghathniel, per quem, oppressore oppresso, in libertatem asserti fuêre. nunc post acta prima scelera, & cumulo acturpitudine exaggerata, cùm rursus clamauerint, liberantur, hoste non oppresso tantùm, sed occiso. ita vt secũdus hic rectè seruator appelletur, magis adeòmirandus, vtpote qui, nisi excitatus, & animo, consilio, ac dexteritate auctus à Deo esset, id quod effecit, vel tentare minimè aliàs fuisset ausus. Et quoniam tota descriptio singularis prouidentiæ rationibus abundat, præcipuis verbis expensis exponenda nobis est. Nominis, cognominis, ac generis notatio non solùm ad veritatem firmandam, remq; ex ordine cognoscendam, atq; suæ tribus laudibus adscribendam, refertur; sed eo etiam pertinet, vt clariùs diuinæ prouidentiæ lumen eluceat, cùm id de quo agitur, tis personis, modis, ac rebus gestum describatur, quibus minùs sperari potuit gerendum, imò quibus vt efficeretur, nihil humanum consilium optare posset impeditius. Solent Principes qui alienas regiones & vrbes bello armisq; oppressas, & occupatas, per vim & potentiam tenent, omnia cauere, quæcumque consilio prouideri possunt, ne iis videlicet qui oppressi sunt, vlla nouandarum rerum vel copia, vel facultas, vel ansa, vel occasio permittatur. Atq; ideo arma in primis vel subducunt, vel omnino detrahunt viris vel ingenio, vel gratia, vel virtute ac dexteritate præstantibus; ne vllus in Repub. locus relinquatur, ne vllus ad bellum pateat aditus, prospiciunt: vnde persæpe conditionum & familiarum mutationes oriuntur, melioribus videlicet vel omnino sublatis, vel ad extremam inopiam redactis; humillimis contrà quibusque Reipub. præfectis. Hi verò vt suum tueantur locum, nisi tyranni gratia & ope studiosè conseruata, aliorumq; oppressa dignitate, fieri non posse arbitrantur. Atque hinc est, quòd ij magis apud tyrannum fouentur, qui à suspicione longiùs abesse creduntur. Horum quidé ex numero, quod ad speciem attinet, Aioth, siue, vt sua lingua vocabatur, Ahoudus, erat, à quo nullas sibi fieri insidias Eglõ metuere potuit, ipsius nimirum partibus & facultatibus perpensis: quippe, quod genus natales spectat, vir hic, cuius historiam exponimus, ex minima tribu erat. Sicut cùm se ipsum Saul coram Samuele dimittens extenuaret, allegabat: Nũquid non filius Iemini ego sum, de minima tribu Israel? in qua etiam tribu nullus vtro huic, aut ex publico munere & officio, aut ex paternæ familiæ imaginibus, splendoris ac dignitatis locus contigerat, vtpote ex eorum ordine appellato, qui suo tantùm nomine continerentur. quo nomine nihil de se magnifi-

Principum optimẽtiũ consilia.

Iemini. 1. Sam 9.

cum promitteret, nempe AHHOVD. quod si vel vnicum, vel solitarium interpreteris, humilitatem profectò hominis ex nomine argues; sin verò lætiam, iocunditatẽ, non triste quicquam aut metuẽdum augureris, imò magis ad comitatem referas, cùm ridiculum aut videndum dicere nolis. Iam verò quo patre natus homo fuerit (cuius matris nulla mentio fiat, ex eadem nimirum tribu existimandæ) nomen ipsum declarat, GERA, quod vel peregrinum, vel ruminantem exponere licet. Atqui apud magnates principesq; viros, & ferè vulgi omnis iudicium, si non ignominiæ, at extremæ humilitatis genus esse ducitur, si quis nomen tantùm tueatur suum. Sic ille:

Nomẽ simplex.

Vos humiles, inquis, vulgi pars vltima nostri,
Quorum nemo queat patriam monstrare parentis.
At ego Cecropides.

Iuuen. satyr. 6.

Itaq; nec viri nomen, nec familia, nec genus, ex iis erant, quæ à tyranno excipi metuiq; possent: longè verò minùs illius partes, & artes, aut virtutes, quarum nullum antea narratur editum exemplum; immò nullus mitti posse arma haberet, capere aut exercere posse putaretur; vtpote qui dextera imtuit, à quo minùs cauendum sibi Eglon duceret, quamuis inermis, qui nec peditissimus esset, sinistra pro dextera vteretur. Hunc enim in modum Latina lectio exponenda est ex Hebraicæ significationis, Chaldaicæq; interpretationis vi. Namq; Latinus, Græcum verbum ἀμφοτεροδέξιον imitatus, exposuit, Qui vtraque manu pro dextera vtebatur. Verum dextera nemo pro dextera vtitur, cùm ipsa dextera sit; nec sinistra pro dextera, quæ sinistra est; quamquam expeditissimè aliàs exerceatur. quòd si quis vtraque pariter vti potest, ex vocabulo Græco ambidexter dici solet. iam verò Hebraicus sermo ita nostrum AHHODVM depingit, AIS ICTER IAB IEMINO, virum obturatum, siue inutilem manu dextera sua. Hoc vocabulum sic Chaldaicus explicat, GEBAR GEMID, vir contractus in manu sua, dextera inquam. Italicè stropiato dicitur. Hunc, quia ita Israelitarum tempora ferebant, atq; ita tyranni metus exigebat, muneris, non vectigalis, nec tributi, sed potiùs doni, in gratiam deferendi nuncium Israelitæ delegauerunt. Namvectigalia atq; tributa per quæstores aut procuratores suos exercere exigereq; Principes consueuere. Munera verò, quæ vltro ipsis præbẽtur, per ciues mitti solent, quorum vel gratia maior, vel suspicio minor esse possit; ideoq; significanter in narratione hac adnotatur: Miseruntque filij Israel per illum munera Eglon Regi Moab. Totius legationis argumentum, rationemque omnem breuiter complectitur oratio hæc, siue ea ratio in tabulis contineretur scripta, siue conceptis verbis de præsenti exponeretur sermone. Indicat enim quid, à quibus, ad quem, & per quem mittatur. EGLONI MOABITARVM REGI, ISRAELIS FILII PER AHOVD GERÆ F. IEMINITEM VIRVM, DEXTERA SVA IMPEDITVM, MINHA REGIÆ GRATIAE ERGO MITT. CVR. Atque MINHA, Munus gratia causa delatum significat, quo nomine & simplicissi-

Munus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cissimum atque placidissimum sacrificij genus dicitur, cuius in Leuitico ratio, modus, ac materia exponitur. Itaque hoc nomine, atq; huiusmodi consilio AHHOVD *delectus nominatusq; fuit ab Israelitis, nihil minùs quàm salutem & libertatem, huius opera sibi partum iri cogitantibus, legantibus, inquam, singularem singulari nomine virum, ex minima tribu, atq; ipsum quidem non solùm inermem, cum comitibus inermibus, sed propè etiam mancũ. Itaq; quod ad humana consilia, tum ad victi ac dediti populi vitandam suspicionem, tum etiam ad Regis victorisque securitatem, nihil, quod vtriusque partis referret, cogitari prudentius, commodiusq; agi potuit. Verùm enimuerò Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* Psal. 93.

Atque idem AHHOVDVM, *ad salutis afferendæ rationẽ inutilem aliàs iudicatum, & ad res strenuè gerendas, minimè, vt putare vulgus posset, natura comparatum, ita animo instruxit, consilio ac prudentia firmauit, & corporis viribus, ac dexteritate, agilitate, & alacritate auxit, vt in tyranni necem, & populi sui liberationem intentum, felicissimo successu amplificauerit. Eodem enim tẽpore, quo ille à suis publicè mittebatur, eodẽ, inquam, occulta illabentis in se fortitudinis spiritus virtute cõmunitus incitabatur: qui dissimulata ea, quæ diuinitus in se demissa erat, gratia, legationẽ susceperit, & quemadmodum etiam Dei mandatum faceſſeret, agere serio occepit.*

Qui fecit sibi gladium ancipitem, habentem in medio capulum, longitudine palmæ manus; & accinctus est eo subter sagum in dextro femore.

OMNIA *hæc, quæ ad diuini consilij expeditionem faciebant, tectè ac dissimulanter ab* AHHOVDO *parabantur, nullo conscio hominũ; ideoq; sibi feciſſe is dicitur. Iam verò, quod Hebraicè nomen ipsum hoc loco repetitur,* Fecitque sibi AHHOVD, *mysterio apud nos minimè vacat. namq; vt simplicitatem aliàs nomen illud indicabat, vt à nobis iam fuit expositũ; ita rursus alia significatione, ex eodem verbo obseruata, singularem & acutum virum, atq; adeò perspicacem nominabat. Effecitq; Deus, vt cuius nomen tyranno ad securitatẽ, immò ad contemptionẽ potius rapi vsurparique potuerat, ipse sibi, suoq; consilio expediendo, dignũ atque aptum præstaret.* AHHOVD *inquã ille simplex, iam nunc* AHHOVD *perspicax acutusq; à Deo effectus, gladiũ sibi excudi iussit, quod nec faber ipse in alium quàm in suum priuatum vsum huiusmodi forma curatũ suspicari poterat. Nã breuitas cum primis ipsa gladij, nullã nec cominus, nec eminus pugnandi commoditatẽ præferebat; deinde verò forma anceps, in tanta breuitate inepta dexteræ homini, ac ad sinistræ ministeriũ habilior videbatur, atque non ad alias res scindendas, quàm eas, quarũ familiaris quotidianusq; vsus indigeret.* Longitudinis palmæ manus. *Mensurarũ nomina & rationes non sibi perpetuò omnibus in linguis respondent: ex quo effectũ est, vt veri inueniendi causã eum laborem complures susceperint, obseruandi atq; examinandi ex libris, monumentis, vestigiis ac reliquiis aliis antiquorum, ea quæ ad certam pon-*

Mensurarũ nomina.

derum, & mensurarum, numorúmque tractationem pertinerent; magis adeò rebus ipsis, quàm interpretum authoritati tribuentes: atq; ita de Græcis Latinisq; huiusmodi rationibus libri satis multi nostro seculo editi sunt, & quotidie nouis animaduersionibus aucti & correcti eduntur. Nobis quidem in Apparatu sacro, quæ ad huiusmodi argumentũ ex sacris chartis explicandum conducet, breuis quædam summa facta est, quæ Græcorum ac Latinorum quoque disputationibus nonnihil afferre luminis posſit. Iam verò huius pugionis, ab AHHOVDO *prudenter comparati, magnitudo quanta fuerit, si certa Hebraici nominis significatio habeatur, constabit sanè. Atqui Græci interpretes pro Gomed Hebraico σπιθαμὴν reddidere, quæ mensura duodenùm digitorum esse dicitur, quantum aperta extensaq; manus à pollice ad minimum vsque digitum metitur, quem Latini, vti Budæus ait, dodrantem dicere solent. atque hoc modo Latinum versionis vulgatæ vocabulum e:illo Græcorum conuersum accipiendum est. Hispani hunc palmũ dimensuræ imponant nomen,* Spanna, *Græco satis affine. Verùm an hæc ipsa exactè mensura cum Hebræorum* GOMED *conueniat, non planè dignoscere possumus, cùm Hebræi ferè omnes Chaldaicum nomen* GARMIDA *secuti,* EMAH, *cubitum interpretentur, præter Iarchium, qui Teutonico vocabulo perperã pronunciato & scripto,* dum elana, *pro* duin elen *vertebat, id est, duas vlnas, quo nihil minùs aptũ verti potuit. Neq; enim tam longum esse ferrum potuit, quod ad illam rem sapienter à viro illo comparabatur; id quod vsus ipse mox est indicaturus; nec etiam vnius cubiti mensura conuenit, cùm nihil frequentius ac vulgatius in sacris libris passim reperiatur, quàm nomen* AMAH *pro cubito, pro quo non erat cur hic* GOMED *substitueretur. Atqui nobis, more nostro huius vocis vsurpatio apud sacros authores obseruantibus infrequens admodum reperta est, duobus inquam, solummodo exemplis; altero in hac ipsa lectione, qua manifestè mensura quædam, eáque certa significatur: altero apud Ezechielem, qua breuissimæ* Ezech. 27. *staturæ homines (quales Pygmæi esse traduntur) à Vate numerantur. Sed & Pygmæi, qui erãt in turribus tuis, phãretras suas suspenderunt in mũris tuis per gyrum. Ipsi compleuerunt pulchritudinem tuã. id quod Latinus interpres vertebat, in Pygmæi. Hebraicũ nomẽ* GAMADI *adiectiuũ à* GOMED *est, cuius videlicet corpus* GOMED, *non excedit. Porrò Pygmæi, si qui esse dicũtur homines, palmo maiores quidẽ, sed cubiti mẽsurã nõdicũtur attingere.* Pygmæi.

Ad subitas Thracum volucres nubemque sonoram
Pygmæus paruis currit bellator in armis,
Mox impar hosti, raptusque per aëra curuis
Vnguibus à sæua fertur grue. Si videas hoc
Montibus in nostris, risu quatiere; sed illic
Quamquam eadem assiduè spectentur prælia, ridet
Nemo, vbi tota cohors pede non est altior vno. Iuu. sat. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gomed. *His conjecturis eò deducimur, vt asseramus* GOMED *non cubitum, verùm communi palmo longiorem esse mensuram, ad pedemq; accedere; ita fiet vt acies quidem gladij palmi modum non excesserit, vna tamen cum capulo (quod noster adiunxit interpres) vel totum Gomed pedi propè æqualem conficiat. Anceps autem parabatur gladius, vt faciliùs in viscera impactus penetraret. Namque Ahhoudus diuinitus instructus non solùm de facinore præclarissimo, sed de obeundi facinoris modo quoque cogitauerat, vt summa taciturnitate rem ipsam secum deliberatam, nemini homini indicarit, verùm vnico authore, impulsore, conscioq; Deo, facesserit. Rarò enim, vel nunquam adeò contingit, vt quæ in maximos Principes ineuntur*

Eccles. 10. *consilia, ab iis, à quibus minùs timeas, conscius non prodantur. S.S.E. In*
» *cogitatione tua ne detrahas Regi, & in secreto cubiculi tui ne maledixeris*
» *diuiti: quia & aues cæli portabunt vocem tuam; & qui habet pennas, an-*
» *nunciabit sententiam. Itaque non modò consilium & propositũ, sed omnem rem adeò dissimulauit, vt nemo conijcere aut suspicari quicquam posset: namque & gladium ipsum non tantum celauit, sed vbi minimè ab ipso gestari posse crederetur, hoc est, dextro latere, qua ipse propè mancus erat, subtexit.* Subter sagum. *Hebraicum verbum* MAD. *omne vestimenti genus, tam regium quàm populare, significat; atq; ita Ahhoudum iis vestibus indutum prodisse existimamus, quæ hominem, munus Regi deferentem, decerent. Huiusmodi quidem vestes nomine Latino sagi hoc loco indicantur. Iam verò tantam, tamq; sapienter initam rem, quemadmodum vir ille confecerit, audiamus.*

Obtulitque munera Eglon Regi Moab: erat autem Eglon crassus nimis.

NIHIL *omnino in legationis initio factum, aut nihil actum quod non summam simplicitatem securitatemq; præ se ferret. Nam cùm ille consilium celauisset suum, ita non solùm aulicos, ac regiæ familiæ ministros omnes fallere potuit, sed comites etiam suos, nihil tale opinantes, quieto animo ac vultu simplicissimo, secum officium facere, hoc est, munera deferre, coram exponere & explicare, accepturis ac seruaturis Regis ministris tradere tussit, ipse imperterritus constanti pectore & vultu rem omnem agens, atque hoc nomine admissus, qui munera Eglon Regi Moabitarum deferret. Verbum Latinum* Obtulit, *ex Hebraico* KARAB *redditum est. Significat autem* KARAB, *non solùm offerre, sed propè etiam admouere, coramq; apponere.*

Obesitas corporis. *hoc vt ita faciendum esset, ex ipsa Regij corporis opportunitate habilitateque euenit, quæ pinguis adipalisq; erat, minusq; agilis ad sese in omnes partes flectendum, aut conuertendum. cuiusmodi quæcumque est, vel cubitu, vel sessione potiùs quàm vllo alio gaudet habitu. Atque ea etiam res ad præclarum inceptum perficiendum commodam se etiam adiunxit, ideóque hoc loco opportunè indicatur.*

Cumque obtulisset ei munera, prosecutus est socios qui cum eo venerant.

DVAS *res vnico verbo noster interpres complectebatur. Nam prosequimur eos qui præcessere. Atque ita factum hoc narratur, quod Hebraicè sic enunciatum est:* Cúmque finisset offerre munus, dimisit populum, portatores muneris.

Nec enim vllum secum ipse socium duxerat aliquo nomine aut titulo collegam, nec alio singulari nomine notum, sed ex popularibus, ac medio vulgo, quotquot satis esse potuerunt ad portanda vasa, atque ea omnia quæ munus Regi dignum complebant: ita vt ad eam rem illorum opera vtendum esset, ipse solus mandata curaret, atq; ita in nullam omnino suspicionem veniret posset; cùm præcipuè ipse solus præmissis comitibus decederet primùm, ac mox etiam quasi aliquam partem, quam oblitus fuerat, mandati denuo repetens, & ingressus, atque egressus tandem, minùs obseruari sentiriq; posset: itáque notanter confusum populi nomen Hebraicus sermo hic habet, quod etiam singulari expositione distinguit, vt populares & è medio vulgo captos fuisse indicet, nec plures quàm ferendi muneris rationes ac sarcinæ exigerent; atque eosdem muneribus mandatisq; expositis præmissos, ipsum nuncium prosecutum fuisse ait.

Et reuersus de Galgalis, vbi erant idola, dixit ad Regem: Verbum secretum habeo ad te ô Rex. Et ille imperauit silentium. Egressisque omnibus qui circa eum erant.

SOLVM *rediisse Hebræa lectio significat, idq; propter eas, quas indicabamus, causas, vt commodiùs faciliusq; confectare, sese expeditiùs in fugam proriperet. Nec antea reuersus est, quàm ad Gilgalis lapidicinas vsque perrexisset, vbi videri posset loci opportunitate perditam casu mandati memoriam repetiisse. Quod verò legimus,* Vbi erant idola; *Hebraicè habet,* Et ipse regressus est à dolatis, quæ iuxta Gilgal. *Gilgal notissimi loci nomen fuit, loci inquam terminum aut finem vel prouinciæ, vel agrorũ præscribentis. quòd verò sculptilia vel dolata interpretamur, fieri potuit, vt essent lapides, quales in agrorum confinibus figi solebant, virorum fama dignorum imaginibus, capite aut humero tenus sculptura referentes, in alicuius vel effigiem, vel figuram elaborati, vt consultò atque in termini indicium monumentumq; constituti, atque ideo sacri haberentur. vulgatissima namq; hæc sacrandorum finium ratio antiquis gentibus fuit.*

Termine, siue lapis, siue es defixus in agro
Stipes, ab antiquis tu quoque numen habes.
& ille: Nam veneror, seu stipes habet defixus in agro, Ouid. Fast.
Seu vetus in triuiis florida serta lapis. Tibul. Eleg. 1

Siue hoc sculptilis vel idoli nomen significet; siue, quod Chaldæus interpres exponit, dolatoria, hoc est, lapidicinæ potiùs fuerint, vbi ad varios sculpturæ ædifi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ædificiorumq́. vſus lapides exciſi ſiſ́ique eruebantur; certè locum inſignem intelligimus, non longè à regia Eglonis vrbe diſtantem, à quo reuerſus Ahhoud facilè Regi perſuadere potuit, ſibi aliquam mandati partẽ memoria excidiſſe, eamq́. repetitam expoſiturum ſeſe, ab ipſis Gilgad ſculptilibus rediiſſe; quam cùm ideo non leuem fore exiſtimaret Rex, quòd illi iam vrbe profecto, iamq́. parte viæ perambulata redeunti, grato labore vt officiũ fieret non prætermittendum intelligeret; autdè audire cognoſcereq́. optauit, maximè quòd propoſitionis forma grauẽ rem, & ad regij muneris aut ſplendoris rationes pertinentem, ſignificaret; atq. adeò ipſi tantùm Regi, vt Regi, committendam. Verbum ſecretum habeo ad te ô Rex. DEBAR, *nomen Hebraicum omnem rem & rationem ſignificat, quæ dici poſſit; cuius tamen diſtinctio adiunctis circumſtantiis dignoſcitur; vt hoc loco, cùm Ahhoud rem arcanã planeq́. regiam, Regiq́. tantùm conſcio dignam, ſecluſiſq́. arbitris cognoſcendam, ſibi vni creditam, nec per literas, nec per alium nuncium, nec per regij etiam conſilij miniſtros exponendam; ſed,* mihi ad te. *Cùm verò Rex ita propoſitam rem, nec vllo modo ſibi diuinatam, vt fieri in incertis ac repentinis huiuſmodi exemplis ſolet, maiorem etiam grauioremq́. putaſſet, & quàm citiſſimè atq. expeditiſſimè cognoſcere cupiſſet, nulla ex parte vel minima ſignificatione indicari antè voluit, quàm ij ſemouerentur omnes, quicumque adſtabant; ne vllo modo in aulicorũ, vel in populi aures quicquam promanaret. Namque in iis conſiliis ac rebus, quæ ad regium ſtatum pertinere creduntur, maximã commendationem occulti acciunt q́. obſeruatio habet; cuius primas partes ſibi ipſis Reges vindicant. hoc eſt, quod hoc loco ſignificatur:* Et ille imperauit ſilẽtium, *Rex ipſe Ahhoudum tacere iuſſit. Hebraicè eſt,* Et dixit, Tace. *Sic etiam Græci interpretes verterunt σιώπα. Quamquam Chaldæus ex eodem verbo* ZZALIQ. *hoc eſt, aſcende, poſuerit, certè vtrumque ſignificatur Hebraicâ voce* HAZZ. *Atque vtrumque pariter Regem iubere voluiſſe, ac iuſſiſſe arbitramur, vt Ahhoud ex humiliori loco Regem compellaſſe, Regem illi acceſſum & ſilentium vnà imperaſſe intelligamus.* Egreſſisq́ue omnibus qui circa eum erant. *Hebraicè,* Et egreſſi ſunt omnes ſtantes iuxta eũ. *Aulicæ diſciplinæ atque obſeruantiæ exemplum refert hiſtoricus. Reges enim Gentium dominantur eorũ, nec quemquam ex familiaribus ſe coram ſedere permittũt. Porrò familiares Principum ſic vel nutus horrent, vt audita tantùm voce Eglon, qua Ahhoud tacere aſcendereq́. iubebatur, ipſi vltro ceſſerint, & ad communicandam ſecretò rem locum vacuum facerent. quod modeſtiæ atque obedientiæ officium fuit, non ignotum viro tantum facinus animo volenti, atque prudenter maturanti.*

Arcana regia.

Aulicorum ob. eruditio.

Ingreſſusq́ue eſt Aod ad eum. Sedebat autem in æſtiuo cœnaculo ſolus. Dixitq́ue, Verbum Dei habeo ad te. Qui ſtatim ſurrexit de throno.

VT *opportunitatem ex hora atque ex loco etiam Ahhoudo paratam, atque*

rem omnem ex diuina prouidentia ab initio ad finem vſque maturatam & confectam intelligamus, partes etiam regiarum ædium, in quibus hæc geſta ſunt, author diligenter deſcribit; namque ad facultatem cuiuſque rei efficiendæ, atq. ad eiuſdem facti fidem, loci atque temporis commoditates plurimum conferunt. Igitur omiſſis aliis illius domus partibus, quæ ad noſtrum nihil nunc attinent inſtitutum; earum, quas author indicat, ratio & forma nobis opportunè eſt deſcribenda. Poſt aream domus porticus, ſiue columnis ornata, ſiue interrupto muro conſtructa fuit: huic adiuncta aula, quæ Hebraicè MIZZDRONA *dicitur: vltra quam etiam cenaculum æſtiuum adibatur, idq́. tribus ad minimum partibus liberas ventorum auras, refrigerationis cauſa, admittebat. huic cenaculo ſecreta cubicula adſtructa erant, in quæ Rex, vel quieti vel corporis vſibus vacaturus, poterat ſecedere; atque hæc loca ita Regi priuatè inſeruiebant, vt nec populo paterent, nec famulis etiam regiis, niſi ipſo volente, adirentur. Atq́ui rationi huic, ipſarum partium Ichnographia lucem non inocundam afferet.*

Ædium Regiarũ pars.



Igitur cùm Rex ſilentium feciſſet, familiares, cæteriq́. omnes quicumque adſtabant, non modo cenaculum, ſed conclaue etiam anterius vacuum reliquerunt;

Universidad de Deusto
Biblioteca

querunt; poterat enim sermonem altiùs miscentium vox facilè à conclaui audiri: quare in porticum, tertium à cenaculo locum, secedendum fuit. Quod enim Latinè legimus, Sedebat autem in æstiuo cenaculo solus; *non de ea solitudine, quæ illa hora contigit, interpretamur; namque ea iam ex superioribus constat verbis,* Egressis omnibus, &c. *sed ad consuetudinem referendum est Regis, illo eodem loco sæpe aliàs secedere soliti, omnibus familiaribus exclusis: ita enim euenit, vt nec nouum nunc videretur, si ipse solus ibidẽ mansisset, nec adeò impatiens moræ familiarium ingredi volentium festinatio esset. Hebraicè sic hæc describuntur:* Et Ahhoud venit ad eum, & ille sedens in superiori cenaculo refrigerationis, quæ ipsi priuatim. *Gallicè sic dicitur ex verbo:* Ce que estoit son retraict. Dixitque, Verbum Dei habeo ad te. *Integro atque constanti animo vir omnia maturè obseruata secũ habebatur, quæ ad incepti sui commoditatẽ, opportunitatem, atq; exitum demum optatum conferre iuuareq; possent. Quoniam verò sedentis Regis habitus minùs ad pugionẽ excipiendũ opportunus videbatur, quòd visceroſum hominis corpus solium occuparet totum; solũ verò tribus partibus conclusum, cæterisq; ornamentis munitũ, anteriorem tantùm partem, & hominis ventrẽ ac pectus exposita relinqueret; viro itaq; rem expedituro, & sinistra vsuro, quæ in oppositũ quippiam rectè extendi non poterat, subitũ consilium subiit compellandi Regem authoritate nomineq; Dei, cui statim assurrecturũ sperabat. Hebraicè,* Verbum Dei mihi ad te. *Vt hominẽ vel religione ac metu perculsum, vel admiratione ac Letitia turbatum, loco moueri cogeret; magnũ sibi rem ait communicandã, non suo consilio susceptam, sed Deo authore mandatam, tantiq; nominis obseruantia, & diligenti attentione dignam. Quod initium vbi Rex audiuit, venerationis habitu prosecutus est. Consultò autẽ Ahhoudus non Dei nomen appellauit, quod Israelitarũ generi peculiariter sacrum sanctũ habebatur; sed id quod Gentibus omnibus, quæcumque diuinæ naturæ terrarũ orbẽ subesse credũt, venerarentur,* ELOHIM, *Dei Regis, gubernatoris ac moderatoris mundi totius.* Qui statim surrexit de throno. *Ahhoudum vt Rex auditurus, in solio sederat; nunc cùm se non vt Regem, sed vt hominẽ Dei gubernatoris nomine compellari intelligit,* Verbum Dei ad te; *ex solio regio vt homo assurgit, demum vt homo moritur, atq; vt vnus è Principibus concidit.*

Extenditque Aod sinistram manum, & tulit sicam de dextero femore suo, infixitque eam in ventrem eius.

TANTAM *in agendo prudentiam, in conficiendo præsentis animi constantiam, maturitatem, dexteritatemq;, tamq; opportunũ ex sententia successum, vt nemo qui audiret, ad diuinam virtutem & auctoritatem referre dubitaret, diligenter ac minutim enarrari Spiritus sanctus voluit. Pingamus Regem, quamuis maximum tyrannum, quamuis aliàs ignauum: qualis tamen hic non erat, sed strenuus, & totius Israelitarum gentis quondã victor, & tunc etiam imperator, atque dominus; rursus etiam tyrannicidam quem-*

quempiam deligamus ex iis qui hoc nomine celebres habentur, quem nisi vnũ ex familiaribus, atque longa consuetudine notis, ab omniq; suspicione alienum aliàs quæramus; nullũ profectò inuenietis, qui solus eius modi facinus suscipere audeat. Conturationis arcana cum primis statuenda sunt: modus, ratio, forma & opportunitas quærenda; adiutoribus & conscijs fidendũ, potentia & gratia maiorum & procerum vilioris populi tumultibus prospiciendum; custodibus & adiutoribus ad euasionem vtendum: atque ijs, aliisq; multis magno consilio multoq; labore comparatis, etiã maxima in tyrannũ antè concitata inuidia, tamẽ non raro conatus omnes irriti reddũtur, infecta omnino re: & nonnunquam etiam accidit, vt vel ipso Regis ac tyranni vultu, rem iam aggressus homo terreatur, animumq; demittat, atq; sese conscios prodat. Nunc verò cùm nihil huiusmodi artium aut partium in suscepto per Ahhoudum facinore indicare possimus; hominẽ scilicet vnicum, priuatũ, imbellem aliàs, atque ad omnem armorum vsum ineptũ existimatũ: quid nisi diuinam planè efficientiam agnoscere debemus, Dei videlicet consilium & opus, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt?

Tam validè, vt capulus sequeretur ferrum in vulnere, ac pinguissimo adipe stringeretur: nec eduxit gladium, sed ita vt percussecora proruperunt.

ANIMI *promptitudinem, virtutemque percutientis manui diuinitus auctam, ex ipsa etiã maxima conficiendæ rei celeritate & facilitate probare licet. nempe vnico temporis momento, vnico ictu, subito dolore, ac intestinorum omniũ repentina perturbatione, fieri non potuit, quin mens ita concideret, sensumq; opprimeret, vt nec ad gemitum tempus copiamve reliquerit. Quod verò hic legimus Latinè,* Sed ita vt percusserat, reliquit in corpore; *explicationis causa ab interprete est additum. illud verò,* Statimque per secreta naturæ, &c. *sic Hebraicè legimus,* VAIESSE HAPARSEDONAH. & exiuit: H parsedona. *Atqui semel tantùm hoc vocabulum,* parsedona, *in sacris repertum libris, non mirum si negotium interpretibus facesserit, ita vt Latinis stercora, Chaldæis cibum, Græcis porticum redditum sit. Est autem non simplex verbum, sed compositum, vt videtur, à* PERES, *quod stercus aliquando significat, aliquando verò diuisionem siue separationem: & addita voce* SEDONA; *ita vt non simpliciter stercus videatur significare, sed intestinum ipsum, quo cibi excrementa secedunt. Existimamus autem, post gladium in intima ventris demersum, proximam pelli apertæ intestini partem cum reticulo, siue diaphragmate crasso prodiisse, atq; id in primis ita vulnus obturasse, vt nec ea parte respirationi exitus esset, vt in penetrantibus vulneribus esse solet; ideoq; euenisse vt homo, sensu omni priuatus, repetè concideret. Namq; eatenus Ahhoudus vulneris à se facti exitum expectauit; & cùm intestinum læsum prodiisse videret, confectum hominem intellexit. In antiquis Hispanis versionibus,*

וירשדונה

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ cum Hebraici sermonis forma valde conueniunt, legitur, Y salio la tripa. *Iam verò quæ sequuntur omnia integritatem animiq; præsentiam planè diuinitus constantem depingunt.*

Aod autem clausis diligentissimè ostiis cenaculi, & obfirmatis sera, per posticum egressus est. Seruique Regis ingressi, viderunt clausas fores cenaculi, atque dixerunt: Forsitan purgat aluum in æstiuo cenaculo.

Ex *cenaculo æstiuo, siue refrigeratorio, in Aulam siue* MIZZDRONAN *exitus erat: inde verò in porticum. Abhoud autem constanti animo, vt qui Deum authorem dextrumq; haberet, hominis occisi casum expectauit; deinde verò portæ, per quam Aulam siue conclaue egressus est, valuas coniunxit, & quia interius etiam claudi apeririq; posse vidit, ita obsirmauit sera, vt nec aperiri sine claue possent, nec suspicionem dare obseruationis ab hospite curatæ. Hebraicè ita actio hæc describitur:* Et exiit Ahhoud in MISDRONAN, & concluſit valuas cenaculi in vsque se, & obseruauit. *Primùm non vnam tantùm valuam, qualium apud Germanos vsus est frequentissimus, sed plures, minimùm duas, fuisse intelligimus, quam rem maioris materiæ fuisse oportet, quàm si vnica valua esset: deinde verbum,* in vsq. se, *non festinantem, nec turbatum, sed sedatum, atq; constantem animi virum indicat, cuius significationem verbi Chaldæus interpres bene expressit,* In facie sua clausit. *ita vt quemadmodum claudi, rectéq; firmari ianua posset, sensu atque mente cognosceret prius, atq; ita etiam perficeret, non qui valuas post se traheret aut impelleret: nam cùm duæ essent, non ita obsirmari poterant, ac si vna tantùm simplexq; fuisset. oportuit alteram primùm vectes pessuloq; firmatam, alteri in qua sera erat excipiendæ retinendæq; constare. Quæ omnia ab Abhoudo aptata comparataq; fuère, atq; ita hæc Latinus interpres pulchrè significauit:* Clausis diligentissimè ostiis cenaculi, & obsirmatis sera. *Quod verò additur,* per posticũ *sic accipimus per eã partem egressum, qua in porticum prodibatur, eandem nimirum qua & familiares, illo quàm primùm egresso, ad dominũ recurrebant. Nam sic hæc Hebraicè narrantur:* Et ille exiuit, & serui eius intrarunt, & viderunt; & ecce valuæ cenaculi clausæ. Atque dixerunt, Certè operit ille pedes suos in cubiculo cenaculi. *Vultus, habitus, atque incessus* prodeuntis Ahhoudi, *serenus ac simplex, sibiq; cõstans, nihil minùs illis cogitandum dedit, quàm quod acciderat. Ideoq; illo exeunte, illi ingressi, id quod esse potuit, aliasq; sæpe factũ erat, tunc etiã fieri existimãtes, conquieuerũt; namq; id cogitantibus aliud agere, inciuile prorsus inofficiosumq; duceretur. Hæc omnia ita ex Dei consilio comparabantur, qui facit mirabilia magna solus.*

Expectantesque diu donec erubescerent, & videntes quòd nullus aperiret, tulerunt clauem; & aperientes, inuenerunt dominum suum in terra iacentem mortuum.

EXISTIMANTIBVS. *quidem id quod narratum iam est, aliquantulum*

tulum expectare par fuit: verùm vbi diutius portæ concluſæ manebant, negligentiæ ac securitati nimiæ tribuendum erat, nec dominum suum adire, nec quicquam amplius curare. Hanc negligentiam apud fidos Regis seruos pudorem consequi oportuit: quamobrem quæsita claue, ac postulata per cubiculi ministros, apertisq; foribus, inopinatũ & tragicum planè spectaculum patuit domini sui, in terra iacentis mortui. *Quam profectò famulorum perturbationem, admiratione ac dolore permixtã, impedimentum etiam attulisse intelligimus, atq; consiliũ retinuisse cogitandi tunc subitò de vltione, præsertim cùm mortuus dominus iacensq; in terra videretur; mortis causa atq; modus tunc primùm ignoraretur, vbi nullũ adhuc occisionis argumentum constaret. siquidem vulnere illa parte facto, corpori obesissimo non tantum effundi cruoris potuit, quin omnis ipsius iacentis, & vestimentorum regiorum distentione operiretur. Raræ namque in ventre venæ sunt, eæq; exiguæ, sanguinis parum continentes; in obesis verò corporibus longè tenuissimæ ac frigidissimæ: ex quo fit, vt sanguinis materia in adipẽ conuertatur. quamobrẽ hæc omnia secum conferenda ab Historico descripta sunt.*

Aod autem, dum illi turbarentur, effugit, & pertransiit locum idolorum, vnde reuersus fuerat.

HEBRAICVM *vocabulum,* HITMAHAMHAM, *turbationem magnam, & consilij inopiam atq; stuporem vel ipsa pronunciatione & coniugatione significat: ita enim perturbati fuisse videntur, vt principio nihil de nece, aut de occisore cogitarint, quem illo die sedatum, inermem, & mancum viderant: deinde cùm cadauer etiam tolleretur, vulnus quidem videri potuit; qui verò latebat pugio, non fuit statim deprehẽsus. opertus quippe erat omaso; ac prodeuntis intestini parte vulneris apertio occupabatur; ita vt aliis putari posset ex solio concidentem dominum, ipsius corporis mole, & venarum ac musculorum, quæ in ventre sunt, debilitate, cutisq; tenuitate ruptum crepuisse; aliis verò aliud. atque hoc est,* HITMAHAM, *seipsos cogitationibus, vocibus, opinionibus, ac sententiis & verbis confundere ac turbare. Interim Medici accedere potuerunt, examinari vulnus, & demum pugio deprehẽdi. tam diu autẽ turbatio hæc durauit, quoad Abhoudo ex omni vrbis ac loci illius prospectu excedere spatium fuit. Erat autem prospectus ad collem, vel montem vsq; illum, quem iam antea describebamus; atque hoc totum interuallum, quod vrbi proximum esset, ciuibus & viatoribus frequens esse potuisse, ex situ coniicere licet; quamquam illa diei hora, nempe vigente æstu, non ita multi offendi poterant. vtcumque sit, ex orationis figura verborumq; vsu intelligimus, Abhoudũ à domo atq; vrbe regia ad vsque illum locum, quà prospici ex vrbe, vel hominum frequentiæ occurri potuit, nihilo celeriori quàm iter agentis gressu, viam esse permensum; vt qui intellexit expectationem primùm famulorum, mox etiam turbationẽ eatenus esse duraturam: atq; ita porrò confectum à se facinus dissimulasse, vt nec viatoribus, si quibus occurreret, vllam ad suspicandum ansam datam existimemus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Verbum autem Latinum, Effugit, *idem nobis quod, euasit, significat hoc loco. Euasio verò non semper fugam arguit. Hebraicè ita hæc distinguuntur:* Et Ahhoud euasit, dum illi sese interturbarẽt; & ipse transiit dolatilia, & euasit in Seghirath. *Huic lectioni & Græca pariter cum Chaldaicis accinunt. duo autem termini constituuntur totius viæ ad euasionem vsq; integram confectæ, vnum autem continuum euasionis tempus. id verò fuit, dum illi sese interturbarunt; quod adeò longum extitit, vt interim euadere ipse posset: atque hactenus propositio; deinde verò viæ factæ distinctio est, duobus diuisæ terminis.* Et ipse transiit dolatilia primùm. *hoc est, rectam viam primùm instituit, non vt qui fugeret, sed vt qui iter idem rediens haberet, quod aduenientes fecerat, quiq; præcedentes sequeretur comites: vbi verò locum illum pertransiit, ne, si rectà tenderet, vel indicari ab occurrentibus posset, vel ab insectantibus inuestigari. Demum vbi ad eum locum peruenit, vbi nullus in vrbem illã prospectus esset; de via in arbusta deflectens,* ad locum Seghirath *dictum diuertit, quem locum in Israelitarum ditione situm fuisse res ipsa docet. Est autem loci nomen,* Seghirath, *quem Latinè arbustetum dicere possumus, ex natura, vti videtur, impositũ, quòd ea regio arborum densitate confertissima, proximo oppido & lignorum & vocabuli copiam daret; atque ita non solùm ad euasionis terminum, sed ad opportunitatem etiam viæ, quam euadendi causa Abhoudus instituit, significandam, nomen ab Historico appellatum est: poterat enim ille etiam si ab insectatoribus vrgeretur, cùm vnicus esset, inter arbusta latère; aut in dextram vel sinistram diuertens, vel retro etiam reuertens, euadere facilius, quàm si per patentem campum viam teneret.*

Seghirath.

Vsus. *Quæ verò in historiæ huius lectione obiter obseruanda duximus, illa sunt: nullum humanũ, vel publicè vel priuatè susceptum, crimen à Deo impunitum relinqui, vbi opportuna pœnitentia non antea expiauerit. S. S. E. De-*
» *minus patiens & multæ misericordiæ; auferens iniquitatẽ & scelera, nul-*
» *lumq; innoxiũ relinquens. Qui visitas peccata patrum in filios in tertiam*
» *& quartam generationem. Deinde verò nullam tyrannidem diuturnã esse*
posse; sed quæ firmissima videntur & securissima, per vim occupata, atque
per iniuriam oppressa regna, subitæ ac repentinæ ruinæ obnoxia esse, indicat
Lucæ 1. » *atq; vltore Deo, qui deiecit potentes de sede, & exaltauit humiles. Demum*
nulli priuato licere integrum ve esse, tyrannũ occidere, nisi cui certa & ma-
nifesta Dei virtus auctoritasq; constet; quæ cùm multis minimè constitu-
Psal. 126. » *rit, infelici successu res est persæpe tentata. S. S. E. Nisi Dominus custodierit*
» *rit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Vanum est vobis ante lucem*
surgere, &c. Quamobrem & Dauidem impy, ac sibi immeritò infestissimi
inimici Saulis, nullo negotio occidendi, oblatã non semel occasionem præter-
misisse nouimus, quamuis à comitibus monitum, diuinæ etiam auctoritatis
1 Reg. 24. » *nomine suadentibus. Et dixerunt serui Dauid ad eum: Ecce dies de qua lo-*
» *cutus est Dominus ad te; Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei, sicut pla-*

placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo Dauid, & præcidit oram chlamydis »
Saul silenter. Post hæc percussit cor suum Dauid, eo quòd abscidisset oram »
chlamydis Saul, dixitq; ad seruos suos: Propitius sit mihi Dominus, ne fa- »
ciam hanc rem Domino meo, christo Domini, vt mittam manum meam in »
eum; quia christus Domini est. Viuit Dominus, quia nisi Dominus percus- »
serit eum, aut dies eius venerit vt moriatur, aut descendens in prælium per- »
terit; propitius sit mihi Dominus, vt non mittam manũ meam in christum »
Domini. Et confregit Dauid viros suos sermonibus, & non permisit eos, vt »
consurgerent in Saul. At neq; Ahhoudi facinus in exemplum opponẽdum »
est ab eo, qui sese tot humanis partibus destitutũ, tot rursus diuinis instru- Exemplorũ examen.
ctum, atq; ad gerendam rem incitatũ & constitutũ probare non posit; eum verò qui probauerit, nec in hanc disputationem, nec in nostram deliberationem casurum arbitramur. Nec enim quisquam qui rem hanc confectam ex ordine cognouerit, consilio, copia, viribus & artibus humanis iure est adscripturus; sed Dei vnius voluntati, ac iudicio, & virtuti, qui Eglonem impium, & graui seruitute Israelitas plus iusto prementẽ, vlcisci; & (vt Dauidis vtamur verbo) percutere volens, vt suum planè consiliũ & opus ostenderet; cum suscitauit ministrũ, cuius notis antea artibus aut partibus, eiusmodi quidquam tribui non poterat. Hic igitur diuino auctus atque animatus Spiritu, mandatam sibi rem maturè confectam, consequentibus etiam actionibus prudenter ac feliciter promouit.

Et statim insonuit buccina in monte Ephraim: descenderuntque cum eo filij Israel, ipso in fronte gradiente.

TANTAM *animi constantiam, laboris q; patientiam, & victoriæ firmandæ pertinaciam, quisquis ad virtutem diuinam non retulerit; is planè suarum ipsius, hoc est, humanarum virium modum, immò imbecillitatem potiùs, minimè agnouisse dicendus est. Ahhoudus is, qualem iam depingebamus, nulla suscepti laboris vel requie, vel intermissione quæsita, tam multis laboris in opere, cura ac negotio perdurat; dum munus Regi defert, dum mandatum expositurus redit, dum Regem conficit, dum longis interuallis, per aperta perq; densa loca, in oppidum euadit, atq; ex eo loco in montosa, aspera, & salebrosa conscendit; dum non contentus vel solo gressu viam facere, vel, quæ vix beneviam ambulantibus edi possunt, vocibus magnis, clamoribúsve suos aduocare, nisi buccina inter eundum sonet, tanta contentione ac vi, vt belli signo dato, Ephraitas variis ex oppidis, vrbibus, atq; vicis, ex agris etiam breuissimo tempore coactos, ipse dux bonus atq; miles anteeat.* Et statim insonuit. *Hebraicè est,* Et fuit cùm iret ille, & clangebat buccina in monte Ephraim. Perseuerantia.

Eum verò non ad montis radices, aut ex loco inferiore tantùm sonuisse, illa duo verba indicant; In monte Ephraim; *&,* Descenderunt cum eo filij Israel ex monte, & ipse ante illos. *Porrò fidem, pietatem integram, atque animi præstantiam, studium, curam, omnes veræ fortitudinis partes,*

viro

Universidad de Deusto
Biblioteca

viro diuinitus instructo ineſſe, omnia hæc simul obseruata ostendunt, simul etiam cum cupiditate magna salutis populo suo afferendæ.

Qui dixit ad eos: Sequimini me, tradidit enim Dominus inimicos nostros Moabitas in manus nostras.

Ducis partes

FORTIS *militis, & sapientis ducis personam, sibi à Deo impositam, Abhoudus muneribus officiisq. omnibus gerit, qui hactenus tyrannicidam eadem auctoritate ac virtute prudenter atq. feliciter egerat. Principio igitur Israelitas buccinæ sono conuocatos cogit, nunc verò coactos alloquitur, atq. ad hostem conficiendum & coercendum oratione animat & firmat, breui quidem oratione, sed efficaci, duabus partibus constante, nempe adhortatione & ratione, in qua omnes persuasionis nerui sunt. Atq. habendi sermonis finis erat, auditores ad pugnam capessendã inducere. Id verò initio ipso dicendi faciendum proponit:* Sequimini me. *Hebraicè,* Insequimini post me. *Nullum deliberationi locũ constare iam posse significat, neq. rem ipsam pati moras, sed dicto citiùs inchoandam, certissima boni euentus concepta spe atque fide, nullius cogitatione periculi, quod tantum abest vt timendum sit, vt ipse non modò tentandum suadeat, sed vltro etiam præcedens subire velit, vtpote qui firmissimo Dei præsidio fidat, quamobrẽ illos sequi, se verò ipsum primum periculo obijcere velit. Neq. verò illos ad pugnã ad se vocare ait, sed ad victoriæ vsum tãtùm, hoc est, ad cõsternatos, fractos, & victos hostes perdendum.* Insequimini post me. *Verbum abijs, qui fugientem insequi contingere & capere student, sæpissimè vsurpatum. Pugnæ totius caput iam petitum atque oppressum indicat, idq. Dei voluntate & virtute, sua verò ipsius opera, qui nunc etiam parta victoria vti velit. Hæc totius propositionis atq. exhortationis sententia summa est; quam quia suis nerui rationibusq. instrui ac firmari oportuit, firmissimis argumentis confirmat. vtilitate productis: quæ in hoc orationis genere maximam vim ad persuadendum habent. Atque facultas & opportunitas ipso illius rei gerendæ authore petitur, qui non id iubet vt res bello tentetur, sed vt confecta iam in exitum ducatur extremum: vtpote qui ipse vicerit & fregerit hostes, fractosq. peti ac perdi velit.* Tradidit enim Dominus. *Hebraicè pro* enim, est K i. *atque hæc vocula & affirmationi & rationi pariter ministrare solet. ac si dicamus, certum quippe est hostes iam victos, à Domino Israelitarum Deo traditos, nullo negotio vobis conficiendos; atque ita vnum hoc Dei nomen appellatum, facultatem & honestatem declarat. Deinde verbum* Tradidit, *copiam & opportunitatem non prætermittendam ostendit; eandem verò copiam ipsis nunc, quibus suadetur, eodem Domino auctore constare.* In manus vestras. *quas manus, dummodo fideles viriq. esse, & vobis atq. ipsi non deesse velitis, abundè satis potentes hodie experiemini. nam quantum illis spiritus, virtutis, roborisq. victis & fractis detraxit, tantum vobis cõcessurus auctorusq. est. Vestras namque manus, vestram operam ad huic*

huic rei conficiendæ admouere vult. Consequens autem est, vt quas illis vires ademerit, sit vobis auctурus; nec verò fas est, ea, quæ Dominus per vos facta vult, vestra vel negligẽtia, vel ignauia, vel perfidia omitti: præsertim cùm vestra maximè agatur res, vestræq. libertatis ac salutis hoc præcipuè referat. Non enim vos ad iustorum vel piorum, vel vobis etiam amicorum hominum perniciem, sed ad hostium, durissima seruitute vos opprimẽtium, vltionẽ productos vult Deus. Inimicos nostros, inimicos vestros. *Ipsum profectò inimici nomen abundè odiosum sua sponte est, & quamcumq. vel petendam, vel tentandam vltionem suadet, nedum persuadeat oblatam & certam. Atqui ex naturæ ratione, atque ex Gentium more bellum cũ hoste intimicòque publico gerere, non licere modò, sed & oportere putatur. Hanc enim satis honestam sui in Troianos odij Iuno, Æolum ad vltionem hortabunda, indicasse videtur:* Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor. *Atque notanter Abhoudus dixit, inimicos vestros, ad persuasionis firmamentum. Nam si Deus inimicos, eo nomine quòd inimici sunt, non Dei ipsius inquam inimici, sed vestri, vobis tradidit, vos traditos vbi neglexeritis, aut timueritis, seruariq. malueritis; venturæ ab ipsis in vos calamitatis authores vos præbebitis. Hebraicè & Chaldaicè* vestros *legimus, facilè verò ex ὑμῶν, Græci scribæ ἡμῶν ponere potuerunt, quam lectionem Latinus interpres in his libris præcipuè videtur secutus. Atqui pronomen nostros, pluraliter, secundæ etiam personæ vim significationemq. præstat. Id quod in secundæ personæ pronomine non obseruatur. Vt autem certior promissi fides esset, ipsum inimicorum nomen expressit, Moabitas. Alij namq. iam pridem; alij multo antè inimicitiam aperuerãt, vt Amalechitæ; alij conceptam tegebant, & dissimulabant, vt Idumæi; alij verò grauissimum decoquebant odium, vt Chananæi; quamquam hi Israelitis ob sancitas pactiones fideles putarentur: verumtamen omnes hi hostes erant, præter Ægyptios, & gentes alias longiùs dissitas. oportuit igitur Prophetam hunc dati sibi mandati fidem certo hostium nomine indicato firmare, ad eorum apud quos agebatur confirmandos animos, atque ad perpetuum diuinæ virtutis ac veritatis, vaticinijq. sui statuendum exemplum. Nam si Astrologorum more modoq. hostes tantùm diceret, quamquam illi ipsi Moabitæ illa tempestate non premerentur, resq. ex animi sententia non succederet; tamen, qua dictum defendi posset, euasio restabat, hostes se dixisse multos, variosq. esse illis hostes, hos quidem non deditos; tamen restare alios qui expugnarentur: tendos omnes, donec successus effata declararet. Namque huiusmodi tripodum, quercuum, & adytorum oracula, & aruspicum responsa, & Chaldæorum prædictiones fuisse accepimus. Verùm quæ à Deo prædicuntur, omnium simplicissima, certissima, atque apertis signis, imò nominibus, singulariter excepta esse solent, absque vlla omnino ad eludendum ansa, vel ad euadendum lubricitate, absque ambagibus vllis.* Inimicos vestros Moabitas.

Inimicus.

Bellum qui cũ gerendũ.

Virg. Æn. 1.

Pronominum vsus.

Hostes & inimici populi.

Astrologorũ prædictiones.

Responsa Dei.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hos, quos hactenus oppressores habuistis, quorum vim & molestiam nunc experimini, non tantùm tributis ac vectigalibus, aliisq; seruitutibus vexati, sed vrbibus & agris priuati vestris, quæ illi occupata tenent: hos non in futurum tradendos, verùm iam à Deo victos, vobisq; traditos annũcio: ita vt vincere non sit opus, victos insequi, perdere, & expoliare liceat. Præter hãc faciendæ fidei rationẽ, ad augendam etiam, præsentium calamitatum sensu ac recordatione, inuidiam, opportunissimè notatũ est hostium nomen Moabitas. Namque illi, quòd auri ſsimo impositio iugo inpræsentiarum imperarent, odiosissimi atq; execrabiles habebantur, atque ita breui quidem, sed efficacissima oratione, bonus Dei legatus perorauit, perorationiq; sui ipsius exemplum adiunxit, qui primum se in viam daret, & rem consilio atque opera gerere inciperet, inceptamq; conficeret.

Descenderuntque post eum, & occupauerunt vada Iordanis, quæ transmittunt in Moab, & non dimiserunt transire quempiam.

NON *fuerat Ahhoudi consilium, Moabitas omnes perdere; neq; enim id à Deo in mandatis acceperat; sed Israelem labore, seruitio, & cura, quibus illa tempestate opprimebatur, soluere; iàmq; præstari poterat confectis ac de medio sublatis iis, per quos seruitutem seruire cogebantur. Atqui principes ij, qui alienas regiones armis debellatas in seruitute atq; obedientia retinere student, nullum maius aut commodius ad eam rem compendium facere possunt, quàm si præsidiis ea præcipuè loca muniant, ex quibus opportunus sibi, apertúsque semper in deditam prouinciam aditus exitusq; pateat, ijdemq; Gentibus ipsis victis, aut earum sociis, aut auxiliaribus copiis, sint omnino præclusi. huiusmodi verò loca sunt, montium transitus, viarúmque angustiæ; sed marini portus, & fluuiorum vada; omnium maximè opportuna habeantur: nam qui hæc occuparint, tum mediterranearum omnium, tum exterarum, quæcumque in prouinciam deduci, deferri, asportariq; possunt, copiarũ ac rerũ arbitri dominiq; habentur. Aliàs enim diuisa per singulas vrbes præsidia, præterquam quod infiniti sunt sumptus, infirmissima prorsus, & perpetui multiplicisq; negotij plena sunt. Curant igitur ij, qui dominandi periti habentur, vt vada, portus, atque exitus omnes per præsidiarios milites custodiantur, atque huius causa rei, proximam vadis vel portubus vrbem, operum atque militum propugnaculis instructam firmant: ita, vt caput tamen & pedes velut vinclis ligata teneant. Atqui Moabitæ, Æglone duce ac Rege, hoc ipsum cauerant, opportunissima atque vadis Iordanis proxima Palmarum vrbe occupata, fortissimorumq; gentis suæ ducum ac militum deductis præsidiis confirmata, quo & ipsis fluuij, vadorum, transmissionumq; copia suppeditaretur; aliis verò, nisi ex ipsorum arbitrio, nulla fieret. Igitur prudentissimus, atque Dei beneficio fortissimus Ahhoudus, vt traditos iam sibi præsidiarios Moabitas vlciscereturr, Iordanis vada quàm primùm intercludenda curat, vt & præsidiarius fugæ, & auxiliaribus transmissionis facultatem prorsus adimeret.* Et non dimiserunt transire quemquam, *vel ex iis, qui citra fluuium in præsidio erant, vel ex iis etiam qui ex Moabitarum proximis agris & vrbibus auxilium opemq; Palmensibus militibus ac ducibus, & ipsis Israelitis negotium afferre poterant.*

Loca munita.

Viarũ præclusio.

Sed percusserunt Moabitas in tempore illo circiter decem millia, omnes robustos & fortes viros; nullus eorum euadere potuit.

REM *præclarè, feliciter, vtiliter, atque commodè, maximaq; celeritate (quæ præcipua in agendo pars est) gestam, hæc nobis temporis, numeri, atq; conditionum adnotatio indicat. Nihil enim potuit aut sapientiùs institui, aut commodiùs & feliciùs expediri, quàm vt extincto hostium capite, nerui omnes, quibus gentis illius virtus roburq; constabat, inciderentur: quibus omnibus sublatis, reliquum vel aulicorum atque ciuium, vel rusticorũ mercatorum, cerdonumq; imbelle vulgus nihil opus erat peti, sua sponte cessurum, atq; metu, stupore, & ignauia intra suos se fines cõtenturum.* In tempore illo, *Hebraicè*, In opportunitate illa, *cùm maximè illud expediebat fieri; Gallicè apti verti potest*, En ceste mesmes saison. *Namque, vt diximus, in omni expedienda, conficienda tum belli, tum domi re, magnum momentum maturitas, opportunitas, & celeritas habet. Atque in eodem tempore post occisum Regem decem millia hostiũ non gregariorum interficere, rem omnem prorsus conficere fuit, non gregariorum (inquam) militum, sed omnes viros fortes & robustos. Hebraicè*: Omne adeps, & omnem virum virtutis. *quorum translatione verborum vtraque belli significatur pars, atque vtraq; selectissima indicatur. Constat enim militia omnis ducibus, & militibus. duces non tantùm strenuos & manu promptos, sed etiam potentia, opibus, consilio, atque dexteritate valentes esse oportet; militares verò robustos, & ad agendum paratos celeresq; laudamus. altera igitur pars ita describitur*, Omne adeps, *Hispanicè*, Toda la nata, & omnẽ virtutis; *de militibus hoc dicitur, ita tamen vt eadem enunciatione duces etiam includantur. nam ex Hebraicæ linguæ Dialectica ratione, prius vniuersale signum posteriore etiam colligitur. Atqui ex eiusdẽ linguæ idiotismo intelligimus, eos quoque qui militum tantùm partes tuerentur, adeò fuisse præstantes, vt & singuli etiam duces esse possent: quippe qui viri primùm, quod in præstantia laude satis magnificum nomen est, atque huic cognomẽto possessiuum adiungitur virtutis*, Omnem virũ virtutis, *siue omnes viros fortes; nomine enim* HHAIL, *pro quo Latini virtutem reddere plerumque solent, omnes strenui viri partes comprehenduntur: quod apud Latinos fortis vocabulum persæpe etiam præstat, vt*: Ennius & sapiens & fortis & alter Homerus. *Ex his itaque tot tantisq; ducibus ac militibus nullum euasisse, historia sacra narrat, nec dimicatione, nec fuga sibi salutem consulere potuisse. Ita per oppressos nuper, nunc verò tam repentè victores feliciter gesta res, non hominum consilio & viribus, sed diuinæ efficientiæ, dubio procul adscripta est: quam conditionem quoniam nullo modo Moabitæ*

Occasio. Maturitas.

Militia.

Virtus.

חיל

Horatius Ep. 2. lib. 2.

negare

Universidad de Deusto
Biblioteca

negare poterant, auctore Deo constare vel inuiti, imò victi & tristes subire coacti sunt.

Humiliatusq; est Moab in die illa sub manu Israel, & quieuit terra octoginta annis à præliis.

MOABITÆ *suam antea victoriam an alienæ vel hominum, vel deorum, quos ipsi colerent; vel, vt verè debuerunt, vnius Dei Israelitarum virtuti tribuerint, nec scire ex historia possumus, nec laboramus: certè illos nolente Deo Israelitarum res labefactare non potuisse, primùm cognouisse oportuerat: quod si tunc, propter victoriæ insolentiam, non intellexerant, at nunc victi, atque intra vnum tantùm diem confracti, Rege interfecto, optimis & fortissimis quibusq; gladio occisis, præsidiis occupatis, vadis & viis ad omnem opem vel expectandam, vel porrigendam, intercluſis, non potuerunt non agnoscere, sese non humana tantùm, sed vltra humanam sortem potenti manu oppressos & confractos, hoc est, manu Israelis, potentis cum Deo viri, cuius virtus in ipso Deo semper constaret, Israelitis, cùm opus esset, affuturo. Ita notanter interpretamur nomen, quod ab historico notanter appellatum est, qui non dixit sub manu filiorum Israel, vel sub manu Ahhoudi & Ephraitarum, quorum copias præcipuè Ahhoudus coegerat; sed sub manu Israel, qui tunc Israelis partes, & nomen tuebatur suum, cùm non sua (hoc est humana) sed accepta à Deo virtute rem gerebat. Quandoquidem Israel potentem cum Deo significat. Atque ita eadem die, huius tantæ virtutis efficientia confracti cesserunt, non qui omnino perirent; nec enim hoc Dei consilium, nec Ahhoudi animus fuit; sed iugo fracto hostes in metu continere, regioni ac genti suæ pace ac securitate parta. Hæc significatio est verbi* Humiliatus. humiliatus *apud Latinos hoc loco, in quo Chaldæus*, fracti sunt, *vertit, cuius verbi significationem, qui consecutus est euentus, exponit.* Et quieuit terra octoginta annis à præliis. *illud* à præliis, *quietis rationem explicat. Namque ab eo tempore quo Israelitæ Moabitis manus dederant, hoc est, totis decem & octo annis, ante salutem Ahhoudo ministro ac duce partam, vsq; ad finē vitæ ducis ac iudicis ipsius, nullo ab externis vicinisq; hostibus prælio lacessiti sunt. atque ita numerandi sunt octoginta anni, quod subducta*
Lib. Daniel. *temporum ratione est à nobis in Apparatu sacro indicatum.*

Post hunc fuit Sangar filius Anath, qui percussit de Philisthiim sexcentos viros vomere; & ipse quoque defendit Israel.

HVIVS *viri facinus illustrissimum, cui nullum vmquam apud alias gentes vel editum, vel fictum, atque poëticis commentis decantatum, æquari possit; manifestum diuinæ efficientiæ, singularisq; prouidentiæ argumentum fuit; ita vt quamquam nihil ampliùs ille præstiterit, quàm vnicā populi propugnationem, tamen illud abundè efficax fuit ad hostes reprimendos, quoad ipse Sangarus dux iudexq; rem gessit, quem exiguo tempore duraſſe, ipsa annorum supputatio indicat. Neq; enim vltra annum populo illi præfectum antiqui scriptores autumant; si quid vlteriùs produxerit temporis,*

poris, id ad Deboræ ætatem est referendum. Igitur Ahhoudo illo, qui & populum in disciplina, & hostes in metu continuit, vita munereq; perfuncto, rursus Israelitarum vulgus licentiùs viuere, aberrareq; cæpit: quamobrem Palæstinus aditus ad grassationes atque infestas inuasiones patefactus est, ita correptionis causa permittente Deo; cuius virtute effectum est, vt vnius Sangarus inuadentium Palæstinorum turmas, sexcentis vno tempore, vnicáque dimicatione occisis, repressérit, adeò vt salutis datæ auctor & minister audierit. quam tamen ipsorum Israelitarum culpa non longā esse passa est; quippe quos continuata, vt mox indicabitur, scelera maiori ac diuturnio-
ri animaduersione dignos reddiderint. Ideo non legimus hoc in loco, vertantùm fuit, *quod breuem illius opem administrationemq; fuisse significat. Atque rem ipsam breui ac repentino temporis momento confectam, ipse apparatus declarat; nempe stimulus quo bubulci aratoresq; ad boues domandos* Stimulus.
atque instituendos vtuntur. Nam sic interpretamur vocabulum, vomere, *quod nostra versio, Græcũ fortasse ἀροτρόπωδ imitata, posuit. Hebraicum enim verbum,* MALMAD HABAKAR, *instructorium boum Latinè sonat; estq; id armorum instrumentiq; genus, quod diximus, quodq; Chaldæus interpres,* PERAS THORAIA, *stimulus boum interpretatur. Nec verò ignauos aut timidos aliàs fuisse illos, quos Sangarus interfecit, nomen ipsum & genus satis declarāt,* viros de Philisthiim. *Libet autē hoc loco id referre, quod apud veteres Israelitarum scriptores obseruatum adnotatumq; legimus: nullam videlicet fuisse tribum, quæ ortū ex se publicum* Iudicem ex singulis tribubus.
Iudicem vel Regem prædicare non posset, præter vnam Simeonitidem, cui propter nefarium Zamri scelus, honorem hunc negatum autumant; adeò quippe libidinis turpia ac probrosa exempla Deo esse creduntur inuisa. Ghathniel Kenesi filius, Iudæ tribui adscribitur, Abhoudus Biniaminitis, Debora & Barach ex monte Ephraim & ex Kades Nepthali, Gedeon cum Abimelech filio ex Manasse, Tholagh Puæ filius ex tribu Issachar, Iairus ex Hauoth-iair ex Manasse, Iephte etiam ex iis qui Gilghadam vltra Iordanem incolebant, Absanus Bethlehhemites Iudæus erat, Elon Zabulonites, Gidghon Ephraites, Samson verò Danites, Eli & Samuel ex Leuitica tribu. Reges verò qui nā ex Biniamin & Iuda extiterint, Saulis Dauidisq; familia indicant. Ex Ephraim verò Ieroboamus, ex Manasse Iehu Namsij filius; Sacerdotum verò tiara regiis coronis, & vnctionibus minimè minor existimanda est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT QVARTVM.

ADdideruntque filij Israel facere malum in conspectu Domini post mortem Aod.

HVMANÆ *malitiæ ac nequitiæ impotentia, vbi metu, quo compescitur, exolui cœperit, continuò ad damnatos recurrit mores,*

——— fixa & mutari nescia. nam quis
Peccandi finem posuit sibi, quando recepit
Eiectum semel attrita de fronte pudorem?
Quisnam hominum est, quem tu contentum videris vno
Flagitio? *Cùm itaque Ahhoudi præfectura, quæ totos sexaginta duos duraverat annos, longa atq; imbecilla viri senecta, postremis iam vitæ mensibus languesceret; is qui iam illa tempestate valebat populus, ætate iuntor, atq; insolentior, præteritarum, salutis primùm, deinde seueritatis ac disciplinæ obliuione, aut insolenti potiùs fastidio ac satietate affectus, in veterem recidit insaniam, ijsdem ipsis diebus, qui Ahhoudi vitæ atque administrationis postremi numerati sunt. sic enim interpretamur verba illa,* Addiderũt facere malum post mortẽ Ahhoud. *quippe eodem adhuc viuente, pelliculã veterem retinentes, vulpinos mores iam reuocare cœperant, quos, vita defuncto viro, licentiùs etiam audaciusq; referre ac promouere studuerũt. Hebraicè hæc postrema versus pars ita habet;* Et Ahhoud mortuus est, *ea significatione quam diximus: vix dum Ahhoudus è viuis decesserat, cùm illi totos improbitatis atque licentiæ sinus pandere cœperũt; quæ quidem, vt apparet, aliasq; demonstrabitur, causa fuit, quamobrem & Palestinorum manus in illos impetum facere cœperit, & allata à Sangaro salus minùs diuturna euaserit.*

Temporum & morum mutatio.

Et tradidit illos Dominus in manus Iabin Regis Chanaan, qui regnauit in Asor.

NON *humanis viribus aut artibus, verùm Dei irati ac vindicis voluntati, horum animaduersionem adscribere monemur, illa oratione:* Et tradidit illos Dominus. *Hebraicum verbũ,* Vendidit, *verti potest. Quippe nonnihil operæ ac laboris à Chananæis positum est in Israelitarum debellatione. id quicquid quantumq; fuerit, etsi longè maius, imò maximum fuisset, nihil tamen profecisset ad gentem illam superandam, quã Dei vnius beneficio ac præsidio inuictam antea perstitisse, imò cæterarum omnium victricem, ijdem ipsi, qui nunc victores euasere, senserant; sed vt prædictionibus, admonitionibusq; euentus conuenire ostenderetur, verbum idem vsurpatum est. Quomodo persequebatur vnus mille, & duo fugarent decẽ millia? Nonne ideo quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos? Non enim est Deus noster vt dij eorum, & inimici nostri sunt iudices. Itaque animo his detracto, illis adiecto, his pauore immisso, illis sublato; Israelitæ in manum illius Regis vendidit, quem à Iosuæ tempore ex Hhasor quon-*

quondam pulsum incommodo ac damno accepto paupertas reddebat, nunc in victos, atq; sub iugũ missos grauiùs etiam vlturum. Atqui non hũc eũdem fuisse Iabinũ Regem, quem Hhasoræ vrbe debellata & incensa captũ, Iosue iubente occisum legimus, res ipsa declarat; verùm prognatum quemptam ex illius Regis stirpe, qui cum familiæ ac gentis suæ reliquiis siluam quãpiam inaccessam occupauit, quam castellis, molibus, munitionibusq; opportunis septam, sibi aliisq; profugentium nationum populis, ad vitæ, regni, atque commerciorum vsum comparandam curauit, patrijs adhuc vel aui illius, qui à Iosue fuerat occisus, retento nomine Iabin, siue id propriũ gentilitiúmve fuerit, siue officij ac muneris, quo gentis illius Principes præcipuè ex veterum more cognominarentur: vt Hierosolymorum Principes, Melchisedech & Adonisedek; Ægyptiorum, Pharaones primùm, deinde Ptolemæi; & Romanorum, Cæsares appellati sunt. Namque Iabin idem significat, quod intelligentiæ & prudentiæ perpetuæ compos. Cuiusmodi virtute eos præstare oportet, qui imperij clauum tenent.

Regum tituli varij.

Habuitque ducem exercitus sui nomine Sisaran: ipse autem habitabat in Aroseth-gentium.

FACVLTATIS *ad gerendam rem prima & potissima pars Iabino fuit, animus à Deo excitatus, & additus. Cui strenui etiam Ducis opportunitas cum ingenti hominum armorumq; copia & apparatu accessit, vtpote qui nongentis ferreis curribus in expeditionem prodire posset: præter cæteras peditum cateruas, atque equitum turmas. Magna siquidem & ad oppugnandum & ad expugnandum, atq; etiam ad propugnandum in ferreis falcatisq; curribus vis erat: quorum vsum cognoscere qui velit, Vegetium, Frontinum, Leonemq; antiquos militaris disciplinæ magistros, legat.* Currum vsus.

Hharoseth-gentium, quantum ex nomine adiunctoq; interpretari licet, non vnam quandam simplicem vrbem, sed multis partibus cõstantem ciuitatem fuisse intelligimus. Namque HHARAS, *à quo Hharoseth dicta est, siluescere, densari, putare, cogitare, artibus operã dare, & plura huiusmodi significat. Existimo autem ex concursu & confluentia gentium illarum, quæ ab Israelitis, Iosue Duce, pulsæ fuerant, conflatam fuisse ciuitatem pluribus constantem oppidis, ac pagis, & vicinitis, siue tis longiori interuallo dissitis, vt olim in Hispaniæ parte, quæ Lusitanos à Bæticis dirimebat, Arocitana ciuitas erat variis oppidis instructa, ex quibus nunc Mora, Arocium, & Illex, quam vulgò Enzinam solam dicunt, cuius ciuitatis adhuc vestigia documentaq; manent, agris atq; siluis compascuis, quæ hodieq; Contienda appellantur: siue conciuibus non nimis longè inuicem distantibus huiusmodi ciuitas constiterit, cuius exemplum Lusitanorum regia Vlyssipone præbet, magna prospectantium hospitum admiratione. Vtrouis modo illam, quam nunc describimus, ciuitatem sitam fuisse existimemus; certè magnam, frequentem, pluribusq; gentibus & familiis habitatã, natura operibusq; munitam, bellandi peritia & facultate insignem, multis ac variis artibus, ijsdemq;*

Arocitana ciuitas.

Vlyssipo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ijſdemq; elegantibus celebrem, quales architectura, ſculptura, pictura, auleorum textura, & acupictura, quam recamaturam dicimus, & aliæ omnes quæ ſub Hharas, hoc eſt, fingendi ac cogitandi vocabulo indicari poſſunt. Quamobrem Chaldæus interpres ciuitatis nomen exponendũ potiùs, quàm exprimendum duxit. In munitione arcium gẽtium. *Vbi Latinè in ver-*
1 Sam. 13. „ *ſione vulgata legimus: Porrò Dauid erat in deſerto Ziph in ſylua. & rur-*
2 Paral. 27. *ſus de Ionatham ſcriptum eſt, Vrbes ædificauit in montibus Iuda, & in*
„ *ſaltibus caſtella & turres. Idem nomen* HHARASSAH, *in exemplari viſitur, pro quo Latinus ſyluam, & ſaltum reddidit.*

Clamaueruntque filij Iſrael ad Dominum: nongentos enim habebat falcatos currus, & per viginti annos vehementer oppreſſerat eos.

HVMANAE *vitioſitatis improbitas eò nequitiæ perſæpè procedit, vt*
Prou. 20. „ *non niſi grauiſſimis remedijs curari ſe patiatur, S. S. E. Liuor vulneris cu-*
„ *rabit mala, & plagas penetralium ventris. Numquam Iſraelitæ vel Sangaris tempore, vel primis annis, in quibus à Iabino oppreſſi laborauerant, ad medicum recurrere cogitarunt; numquam ſibi parcere ſtuduerunt, donec iam omnibus artibus, auxilijsq; humanis deſperatis, ad ſummam redacti miſeriam, oculos in cælum tollere demum cœpere, ad Ægyptiæ oppreſſionis exemplum totos annos viginti duram ſeruitutem perpeſſi. Non videtur Iabinus tyrannidis initio tanto apparatu, tantoq; molimine bellico inſtructus fuiſſe: ſed poſtea proſpero rerum ſucceſſu, copijsq; ſuorum adauctus, atque Iſraelitarum ære omni tributis vectigalibusq; aſſiduè imperatis exhauſto, tantum opum congeſſiſſe, vt ſuum ſibi regnum, omnibus ad confirmandum commodis atque artibus inſtructus, tueri poſſet: libertatisq; ſpem oppreſſis adimere, tum nouis operis, nouisq; tributis augendis, tum præſidijs firmiſſimis ponendis, quibus in metu atque obedientia Iſraelitæ continerentur. Hoc ſignificare nobis videtur rationalis vocula, enim; Clamauerũt, inquit, filij Iſrael ad Dominum, cùm tam Iabinus poſt præfectum rebus bellicis Siſaram, nongentos currus ferreos, qui, quocumque ducerentur, firmiſſimi præſidij inſtar haberent, ſibi inſtruxiſſet, inſolenti atque duriſſima dominatione in victos & ſubactos vſus.*

Necdum etiam cauſæ irarum ſæuiq́ue dolores
Exciderant animo; manet alta mente repoſtum
Dedecus amiſſi, damna atque iniuria regni,
Et genus inuiſum, ſtrageśque neceśque ſuorum.

Itaque diuturno duriſſimæ ſeruitutis ſenſui, longè maioris miſeriæ metu adiunctus fuit, poſtquam tyranni potentiam & vim tanto molimine cõfirmari compertum eſſet. Eadem verò opportunitas & illis ad implorandum, poſcendum ex Deo auxilium, fidem ac ſenſum excitauit; & ad diuinæ prouidentiæ probanda exempla commodiſſimum tempus attulit. ea enim res auctoritati efficientiæq; Dei apertiſſimè tribuitur: quæ ex extremis miſeriis &

& calamitatibus, ex turbulentiſſima tempeſtate ad quietem & tranquillitatem ſubitò transfertur. nulloq; tempore humani conſilij ſtultitia apertiùs arguitur, quàm vbi ea, quæ ſummã videbantur vim habitura, repentè confracta corruunt, idq; exiguo aut nullo ferè eorum, quos fouere Deus velit, negocio. Igitur quo tempore Iabin exercitu magno, Duce ſelectiſſimo, armis, copijs, & apparatu tanto firmum ſibi regnum, & imperium in Iſraelitas promittebat, omnia exiguo tempore vidit euerſa, atque ſuos armis ferroq; cadentes. id verò quemadmodum confectum ſit, attendendum.

Erat autem Debora prophetis vxor Lapidoth; quæ iudicabat populum in illo tempore.

OMNIA *hæc iam ſua ſponte diuinam efficientiam indicant. Namque vtriuſque partis deſcriptio & pictura oculis ſubiecta, & humanæ ſuperbiæ vanitatem, & contrà humillimorum, ſeſeq; Deo totos permittentium hominum declarant felicitatem. Quamquam autem huius rari exempli ratio, & cauſa, atq; ſeries in ipſa narratione à principio non repetatur, facilè tamen nobis, ex temporum ac rerum opportunitatumq; comparatione, cognoſci poſſe videtur, fundamentum in Dei prouidentia iacientibus. Vero namque* Prouidentia
ſimillimum eſt, Iabinum ex anteactorum temporum memoria & obſerua-
tione curaſſe, quantum in ſe eſſet, & cauiſſe ne quiſquam magnus, fortis, ac Tyrannorũ
ſapiens vir publicis rebus & cauſis cognoſcendis apud Iſraelitas præficere- conſilia.
tur, maluiſſeq; omnino illos confuſis ac populariter conſtituendis iudiciis, ea quæ ad ſuas priuatas leges pertinerent tractare, quàm totum populum Ghathnielis, aut Ahhoudi, aut etiam Sangaris, cuiuſpiam, vt antea, conſilio duci, ac virtute gubernari. Sin minùs id fieri commodè poſſet, optaſſe potiùs vt viliſſimus, ineptiſſimus, ſaltem ad bellum inertiſſimus aliquis deligeretur, à quo nihil omnino ſibi eſſet metuendum, maximè tam copioſo parato exercitu, per ſtrenuiſſimumq; Ducem gubernando; cum quo negotium, ſi quod fortaſſis offerretur, priùs eſſet habendum quàm ſecum: Itaque noluit intra Iſraelitarum terminos præſidia, vt Moabitæ, collocare; ſed exercitum inſtruere, atque præſtantibus curruum propugnaculis, ijſdémque pro temporum opportunitate mobilibus, munire.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus;
Ridetque, ſi mortalis vltra
Fas trepidat. Horat. lib. 3. Carm.

S. S. E. Qui habitat in cælis, irridebit eos: & „ Pſal. 2.
Dominus ſubſannabit eos. Ille autem qui ſapientes in ſua ſapientia venator prudentiſſimus capere ac deturbare ſolet; ſapientes inquam mũdi huius; Iabini callidum ſic eluſit conſilium. Feminam Iſraelitidem, probam aliàs Mulier Iu-
& honeſtiſſimam quidem, feminam tamen, Prophetico ſpiritu ita auxit, vt dex.
iuri apud populum dicendo idoneam declarauerit; multis ſapientiſſimiſque reſponſis diu ac variè perſpectam; quæ vltra omne muliebris ſortis exemplum, illam gubernatione populi dignam prædicabãt. Cui etiam laudi multa

Universidad de Deusto
Biblioteca

accedebant, quæ Iabinum non solùm ad intercedendum illius muneri non mouebant, immo ad nihil potiùs deligendum hortabantur; vt mulieris modestia, simplicitas, solitudo, vacuitas eorum omnium, quæ nouandarum rerum suspicionẽ recipere possent, atque ita populo, cui iura dicere necesse erat, iudex constabat, qualem & ad muneris vsum, & ad tyrãnidis securitatem non modò probari, sed optari vltro etiam, foueri, & conseruari consultissimum tyranno videretur. Iam verò omnia hæc, quæ in mulierem illam conuenerant, ex ipsa historiæ lectione adnotare libet. In tempore illo. *Hebraicè* BAGHETH HAHI. *duplici singularitatis notatione constricta oratio, opportunitatem & commoditatem indicat maximam. Tempus hoc loco pro opportuna ad rei cuiuspiam vsum commoditate accipimus, vt Latinè dici solet, in tempore venire. Sic Poeta dixit:*

Tempus.

Georg. 1. ——Messisque diem tempusque serendi.

Georg. 3. &, Tempore non alio catulorum oblita leæna

Illa tempestate. Sæuior errauit campis. *Sallustius, Illa tempestate, frequenter in hanc significationem vsurpat: Gallicè,* En ce saison icy. *Illo eodem tempore, quo Iabinus tyrannidem tanto apparatu firmabat, Israelitica res domi etiam ita humilis atq; prostrata iacebat, quod ad humanam gloriæ ac potentiæ faciem spectat, vt vnius fœminæ auctoritate, & opera, officioq; gubernaretur, cuius ad id agendum virtus perspecta iam fuerat; vtpote prophetico spiritu auctæ, sacrarumq; legũ cognitione diuinitus instructæ. cùm verò prophetarum ministeria multa variaq; sint, (aliorum namque munus est, præterita, præsentia, futuraq; exponere; aliorum verò, sui temporis tantùm res indicare ac docere: omnium verò commune officium est, populo pœnitentiæ ac pietatis studium suadere) hæc nihil, quod ad futurum tempus pertineret, protulisse dicitur; sed ea diuinitus accepta prædicare, quæ suæ ipsius tempestate opportuna essent. hoc est, quod ex illa singulari expositione,* vxor Lapidoth, *intelligimus. Quamquam enim plerique omnes cõmentatores illam viro, Lapidoth nomine, nuptam fuisse putent, & à viro suo postvaticinij acceptum spiritum seiunctam dicant; tamen singularis Hebraici sermonis forma, aperta nominis interpretatio aliud nobis ab historico significatum indicat. primùm,* ISSA, *non semper Hebraicè relationem ad virum coniugémve continet, vt vxor & coniux apud Latinos, cùm potiùs nomen absolutũ ex primæua institutione sit, vt apud Latinos mulier, quamquam nonnumquam relatiui officium subeat, vt vir apud Latinos. Dicitur enim* SARA ESSETH *Abrahami, vt à Virgilio* Vir gregis ipse caper *dicebatur: cùm tamen hic sexum præcipuè, secundo loco virtutem atq; virilitatem indicet; tertio verò loco accidit, vt pro marito vsurpetur. sic apud Hebræos* NEKEBAH *in omni animantum genere feminam significat:* ISSA *verò absolutè feminam hominem indicat, vocabulo à primo generis parente impositio: qui cùm ad vitæ communionem, atq; ad propagandi generis facultatem, datam sibi adiutricem gratulatur, Hæc, inquit, vocabitur*

אישה

ISSAH,

ISSAH, *quia de* ISS *assumpta est. quod Latinus interpres ita vertebat: Hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est. Itaque* ISS, *in sacra lingua ex humano genere virum prima impositione significat, idq; propriè; per similitudinem verò ad alias animantes nonnumquam trãsfertur. Ex naturæ verò præstantia non rarò nomen hoc ad singularem virtutem significandam vsurpatur, in quacumque id arte appareat. Sic Noë vir iustus, & vir agricola: & Ioseph vir prudens & sapiens; & Esau vir venationis dictus. Tertium porrò ad cõiugij rationem transfertur, vt: Sub viri potestate eris. Idem omnino & huius vocis* ISSAH *vsus, ijsdemq; modis distinctus in sacra lingua obseruatur, quæ primùm mulierem; deinde mulierem aliquo nomine celebrem; tertio verò loco ad virum relata vxorem significat. Sic Abraham, Noui, inquit, quod pulchra sis mulier, hoc est, eximiæ pulchritudinis. &, Mulierem fortem quis inueniet: dixit Salomon,* ISSAHHAIL, *egregiæ virtutis mulierem significare volẽs, qualemq; ipse mox depingebat. Atq; hunc secundùm huius vocabuli vsum hoc loco nobis oblatũ exponimus: quo quemadmodũ celeberrimæ illi fœminæ Prophetidi primùm, deinde iudicantis auctoritas tributa fuerit, doceamur: nẽpe quòd esset mulier* Lapidoth. *Lapidoth feminino ac masculino genere in sacris libris inuenitur, vnde & Græcorum atq; Latinorum, Lampas, desumptũ credimus; eadem quippe huius vocabuli in his tribus linguis significatio est accensæ tædæ, aut ignis, lucis, aut splendoris. Atque ita quo tempore Deus in Sina leges latarus primùm auditus est, tonitruis atq; lapidim, hoc est, splendoribus fulgoribusq;, suam est testatus præsentiam. Quamobrem Deboram mulierem Lapidoth, hoc est, diuinis imbutam & illuminatam splendoribus interpretamur; ita ipsius auctoritatẽ ex prudentissimis ac planè diuinis responsis, & populo & populi vicinis probatam intelligimus. Quòd verò Lapidoth fœmineo genere pronũcietur, ad id referre possumus, quòd huius vaticiniorum exempla inferiori, quàm aliorum magnorum Prophetarum, ordine esse visa fuerint: vt quæ non ad præteritum ac futurum porrò tempus protenderentur, qualia Mosis complura fuisse nouimus; sed suam tantùm ætatem, ac tempestatis illius conditionem spectarent. Atque vxoris nomen, à Latino interprete positum, ἀναλογικῶς accipiendum est. Sic sacras virgines, Christi sponsas vocamus. Sic Mosis vxor virum suum, sanguinum sponsum appellabat. Igitur ex nomine primùm, deinde ex illuminationibus, hoc est, responsis diuinitus acceptis, satis illustria auctoritatis documenta sanctæ illi mulieri, ad suadendum populo officij ac pietatis veræ studium, atque etiam ad ius dicendum, cùm nemo esset tanta sapientia vir, cùmq; per ea tempora tyranni potentia præstantem insignemq; virum iudicijs publicis præesse minùs fortasse pateretur. Id quod etiam ex circumstantijs aliis arguitur, quibus hoc munus ab illa exercitum & adornatum describitur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et sedebat sub palma, quæ nomine illius vocabatur, inter Rama & Bethel in monte Ephraim: ascendebantque ad eam filij Israel in omne iudicium.

LOCVS, *tempus, & cætera omnia, manifestam illius sanctæ feminæ vitæ & administrationis rationem ab omni suspicionis genere alienam publicè probabant. Quis enim aduersus illius decus atque honestatẽ quicquam fingere auderet, cuius sapientia & sanctitas diuinis illuminationibus commendata & comprobata erat, cuius studiũ vel in suadenda hominibus virtute ac pietate, pœnitentiaq; postulanda, vel in dirimendis iudicãdisq; causis consumebatur, idq; non intra priuatos parietes, vel occulto aliquo aut obscuro loco, sed palàm in edito situ, in monte Ephraim, sub palmeto, quod decenti, atque iudicia exercenti vmbram præbebat, ipsi & confluenti populo communem? Quis porrò in tanta tamq; aperta conuenientium hominum simplicitate, aut conturationem, aut insidias, aut aliquid huiusmodi strui aduersus tyrannum posse diceret? Itaque hoc tempore & actionibus, tum mulieris ipsius probitati, tum Principis securitati, tum etiam populi iudicia adituri commoditati, egregiè consultum fuerat. Ideo illa sedere dicitur, quòd huiusmodi habitus docentibus atq; ius dicentibus conueniat. S.S.E.*

Sedere.

Psal. 1. Psal. 118. Prou. 30. „ *In cathedra derisorum, siue pestilentiæ non sedit. Etenim sederunt Principes, & aduersum me loquebãtur. &, Nobilis in portis vir eius, cùm sederit cum senatoribus terræ. Muneri igitur suo vacasse illo habitu significatur: deinde à populo nihil illinc petitum, præter iudicia, quæ publicè dicebantur sine vllo tumultu, à femina, in medio ferè totius regionis perpetuùm considente. hoc est, quod expositio ipsa significat:* Ascendebant ad eam filij Israel in omne iudicium. *Huius tantùm rei causa ascendebant, iudicij inquam, eaq; iudicij exceptione ac definitione, qua ipsi filij Israel erant. Neque enim, si quisquam aduersus tyrannum, tyrannique ministros causæ quippiam haberet, ad eam ascendere poterat. Eiusmodi namque causas, quæ vel similis argumenti partes, atque Reipub. rationem spectarent, non ad Deboram, sed ad Regem referri cautum erat. Ita adnotamus verba hæc pro formali, siue in sensu composito, vti dialectici loquuntur. Porrò loci situs, vltra manifestam expositamq; omnibus actionum rationem, quam indicabamus, commoditatem quoque, opportunitatemq; accessus, atq; conuentus vndiq; celebrandi significat. Nam Principum ac Iudicum habitatio, in extremo aliquo regionis angulo aut termino constituta, populis incommoda esse deprehenditur. Appellatam autem fuisse palmam illam insigni ac celebri Deboræ cognomento, historicus ait. idq; tum ad illius temporis facultatem & opportunitatem, tum etiam ad prosperitatis memoriam aptissimè factum innuit. Palmam verò non vnicam tantùm arborem, sed plures fuisse existimamus, ad iudicis sedem, & conuenientis populi hospitiũ commodè cõparatas. Nam særa lingua singulari nomine etiamsi de generis plura significare solet, vt quetcum Manri. & fuit illi ouis, & bos, & camelus. Sic Latini etiam:*

Quis

Quis multa gracilis te puer in rosa? Horatius lib. 1. Od. Epist. 1. 10.
Multa fruge pecus, multa dominum iuuet vmbra. & quercus & ilex.

Hìc igitur & iudicis, iudicando, & vatis, populum monendo, officium illustris illa mulier Debora exercens sedebat, sicut in primo ac secundo huius libri capite edocti sumus: Cumq; Dominus iudices suscitasset, in diebus eorum flectebatur misericordia, & audiebat afflictorum gemitus. Fuit autem elegans, & virtuti atq; præstantiæ, laborumq; assiduitati, atque publicæ rei in muliere studio apprimè conueniens nomen Debora in sacra lingua, quod Deborա
admirabili illi volatili impositum est, quam Latini apem dicunt. nescimus autem vnde Latinum nomen deductum fuerit; nam quæ à Grammaticis affertur etymos, obscura ac ridicula est. certè Debora ex insigni & egregio, præter cæteras animantes, apibus insito sensu, nomen factum interpretari licet. DABAR *verbum atque nomen in illa lingua, verbum, rem, sententiam, rationem, ratiocinationem, cognitionem, & omnia quæ intellectu comprehendi possunt, significat: & nisi Debora femininum esset, humano ingenio penè par apiculæ adscriberet: cuius adeò tenuis ac paruæ animantis incredibilem in cognoscendo agendoq; vim, absolutissimo opere Latinus poëta persecutus est. Hactenus de Prophetidis nomine, patria, auctoritate, munere & officio, quæ opportuna videbantur, exposuimus. Nunc verò deinceps singulare beneficium, per hanc Israelitarũ genti diuinitus allatũ, intelligemus.* דבורת

Verg. Geor. 4.

Quæ misit, & vocauit Barac filium Abinoem de Cades Nephthalim, dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Israel, Vade, & duc exercitum in montem Thabor, tollesq; tecũ decẽ millia pugnatorũ de filiis Nephthalim, & de filiis Zabulon.

HVNC *virum quamquam Deboræ coniugem fuisse, ab eademq; propter prophetiam separatum vixisse, multi putauerint; nobis tamen, qui nec opinionum vim nec pondus, aut numerum censere solemus, non euincunt: tametsi Barac & Lapidoth, significatione affinia esse dicantur vocabula;* Barak.
Barak enim fulgur significat; verùm nominis genus & numerus dispar, hæc conuerti confundiq; non patiuntur. Huic accedit, quòd nulla coniugij huius vel mentio, vel obscura etiam significatio, non in hac historia modò, sed nec in sacris libris, aliàs obseruari potuerit: cùm, si id esset, nihil causæ erat, cur non indicaretur, quemadmodum in aliis huiusmodi narrationibus passim vel indicari, vel apertè etiam explicari solet. Itaq;, vt quæ legimus, ea tantùm exponamus, Deo Deboræ consilium aperiente suum, ad illam aduersus Sisaram expeditionem insignis quidam vir delectus est, cuius cum primis, & proprium & paternum nomen felicis auspicij rationem præferebant. Barak fulgur, qualia cælitus demitti solent, maximæ celerrimæq; & præcipuè splendentis naturæ, quæ non solùm in mediis densisq; lucet tenebris, sed ne à clarissimæ diei lumine vincitur, quæq; & expectantiũ oculos præstringens, sensum animumque commouet, & impiorum præcipuè

Universidad de Deusto
Biblioteca

mentes perturbat, quos à prouidentiæ confeßione aliàs abalienatos, omniaq; naturæ efficientiæ tribuentes, nulla ex ijs, quæ ſenſum mouere ſolent, res magis turbat, in metúmve impellit, quàm fulgorum præſentißimala-
& fax. Horatius lib. 1. Od. 34

——Namque Dieſpiter
Igni corußco nubila diuidens,
Plerumque per purum tonanteis
Egit equos volucremque currum;
Quo bruta tellus, quo vaga flumina,
Quo Styx & inuiſi horrida Tænari
Sedes, Athlantæusq; ſinus
Concutitur: valet ima ſummis
Mutare, & inſignem attenuat Deus,
Obſcura promens, &c.

Huiuſmodi repentinam celerrimamq; calamitatem in Iabini regno ac rebus, ducis à ſe delecti nomen portẽdere; ipſi verò Iſraelitarum populo eiuſdem viri ac nominis obſeruationem, ad auctorem ſuum relatam, fauſtam felicemq; credi atq; haberi, voluit Deus. Nam celerem quidem, præſentißimam, atq; efficaciſſimam illam vim eſſe Barak nomen ſignificabat: eandem verò filiam Abinogham eſſe conſtabat, hoc eſt, à decoro, iucundo, pulchro, atque dulciſſimo patre auctoreq; profectam. Quamobrem & viri & patris nomina, in narratione appellanda, Spiritus ſanctus ſcriptori dictauit. Atqui Deboram & Barakum ex alia atque alia tribu fuiſſe, vtriuſque habitationis locorum nomina indicant. Verùm vt res planè diuina probatur, Prophetis ipſa curauit, vt per pauciſſimos expediretur, ideoq; Barakum certiorem fecit mandati ſibi à Deo ad ipſum dati, cuius illa ſumma erat, vt nullo ſtrepitu, nullo vel tumultu, vel apparatu præmiſſo, conuocatis ad ſe in Thabor vicinum montem decem tantùm millibus hominum, ex adiacentibus Nephthali ac Zabulonis tribubus, religionis, & reſponſi, atq; iußi Dei nomine, in ſuam ipſorum, & totius Iſraelitici populi ſalutem ſibi adſſe perſuaderet. Conſtat autem mandati ad ipſum, & ſermonis ab ipſo ad conuocatos faciendi argumentum, diuinæ virtutis auctoritate, & Iſraelitici nominis commemoratione atque interpretatione.

Præcepit tibi Dominus Deus Iſrael, Vade & duc exercitum in montem Thabor. *Hebraicè ad verbum ſic habet:* An non præcepit Dominus Deus Iſrael, Vade, & induces in monte Thabor, & ſumes tecum decem mille viros, ex filiis Nephthali, & ex filiis Zebulum. *Sine hoc ipſum,* An non præcepit, &c. *fuerit mandati expoſiti initium, ſiue aliquoduis; certè ſermonis formula hæc magnam rei aſſeuerationem in ſacra lingua habet. Sic Ioſue Deus alloquebatur, Nonne præcepi tibi? eſt ergo orationis illa ſententia, rem, quæ nunc apparabatur, non ex humano cõſilio, ſed ex voluntate iuſſuq; Domini proficiſci, Domini, inquam, qui primum illius magni nominis documentum, ſalute afflictißimo apud Ægyptios populo aſſe-*

aſſerenda dederit. S. S. E. Ego Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotente: & nomen meum Adonai non indicaui eis. „ Exodi 6.
Pepigiq; fœdus cum eis, vt darem terram Chanaan peregrinationis eorum, „
in qua fuerunt aduenæ. Ego audiui gemitum filiorum Iſrael, quo Ægyptij „
oppreſſerunt eos, & recordatus ſum pacti mei. Ideo dic filiis Iſrael: Ego „
Dominus educam vos de ergaſtulo Ægyptiorum, & eruam de ſeruitute, „
ac redimam in brachio excelſo, & iudicijs magnis. Huc eũdem Dominum, eiuſdem nominis documenta & exempla iam ſæpius deinde conſtituta, repetiturum denuo & confirmaturũ, eiuſdem Iſraelis, cuius ſeſe Dominum Iſraelis Deus
ac Deum ipſe appellaret, cauſa mandatum hoc dediſſe: quod idem etiam Iſraelis nomen tueri & promouere pararet. Namq; Iſrael, virum ſignificat, qui non humana potentia & ope, ſed fide in Deum nixus, & diuina gratia inſtructus, nõ ſolùm aduerſus homines potentes atq; violentos, qualis Eſau fuerat, ſtrenuum ſeſe luctatorem præbuit; ſed aduerſus Deum valentem præſtitit. Itaq; idem ille maximus & potentißimus, Iſraelisq; ſuſceptor efficaciſſimus, Deus Iſraelem exiguo hominum numero, & hoſtium comparatione exiguum, Iſraelem tamen tueri firmareq; volens, hos, quos coniungi iuberet ad efficiendã rem, non vt neceſſarios, & maximè idoneos coegerat, ſed ad opportunitatem & occaſionem hoſtis in pugnam pertrahendi vocarat. Ad hanc autem orationis huius ſententiam verbũ Latinum, induces, *facit ex Hebraico,* MASSACHTHA. *Nec enim numerus ille, hoſtili exercitui omnibus rebus & commodis prorſus impar, aliter ad rem tantam gerendam cogi poterat, quàm per ſuaſione atq; expoſitione diuinæ voluntatis. Itaq; verbum,* Duc, *idem hic valet, quod ab eodem compoſitũ* Induc. *quod* Duc.
huiuſmodi ſignificatione Latinis vſurpari ſolet. Semper, vt inducar, blandos offers mihi vultus. De filiis Nephthali & de filiis Zabulum. Lib. 1. Tibul. 6.

Qui cùm Baraki domui proximi præter cæteras tribus eſſent, facilius, breuiùs, atq; expeditiùs, minoriq; cum rumore ac tumultu conuocari poterant. Atq; hoc pacto efficiebatur, vt nec Iſraelitæ cæteri turbarentur, aut commouerentur, priuſquam res geſta, victoriaq; expedita eſſet, nec fama ad Siſaram Iabinumq; deferretur: aliter bello atq; ſibi cõſulturos, ſi totis agris totaq; regione turbari, certiores fieri contingeret; aliter verò ſi illis copias alicubi locorum cogi, per quempiam nunciaretur. Iubetur autem in Thabor montem eos, quos conuocaturus erat, deducere, vt omnes ad expediendam rem commoditates, vnius huius loci occupatione, ſibi compararet. Eſt enim Thabor in medio totius Iſraeliticæ regionis poſitus, idemq; omnium illius Thabor.
tractus montium editißimus, vnde & nomen accepit, quod Latinè Vmbilicus *dici poſſet. Quamobrem copias ad prouocandum hoſtem cogenti, vel cogere ſimulãti duci, nullus commodior optari potuit ſitus, quàm is, qui cùm longè conſpicuus eſſet, & adiutricibus copiis, ſi ijſdem opus eſſet, longè videri poterat, animumq; addere ad aſcenſum, cùm conſtaret Ducem & exercitum potiore vti loco, & hoſtibus etiam proſpectus, opinionem facere maioris*

numeri,

Universidad de Deusto
Biblioteca

numeri, quàm quæ plana repræsentarent loca, ac metum inducere maiorem, atque ad sibi maturiùs prospiciendum cogitationem curámque injicere, ita vt certè euenit.

Ego autem adducam ad te in loco torrentis Cison Sisaram principem exercitus Iabin, & currus eius, atque omnem multitudinem: & tradam eos in manu tua.

Bellum, venatio. Gen. 10.

PRIMA *atque præcipua Baraco inducendi suos, atque in monte retinendi cura atq; opera committitur: cætera verò sibi expedienda ac peragenda suscipit Deus. Atqui omnis belli negotij ratio venationis instar habet, ex quo fit, vt primus antiquissimusq; bellorum author, cuius fama per totum increbuit terrarum orbem, venatoris maximi cognomen titulumq; obtinuerit. Quamobrem vt captationis & venationum, aucupiorumq; artibus & exemplis res omnis agitur; ita etiam eiusdem studij vocabulis, militaris disciplinæ ratio explicatur. Qualia vocabula ipse Deus, qui Reges, Regúmque minas, ac tyrannorum consilia, studia, conatusq; ridet, nunc vsurpat.* Ego autem. *Sapientis venatoris nomine ac ritu.* Adducam ad te. *Hebraicè idem verbum est, quod proximè, inducere, exponebamus. Solent autem leporum, leonum, cæterarumq; animantium cæde ac rapina viuentium, venatores obijciendam feris prædam certo, edito, atq; longè notabili loco proponere, & interdum ligare, vt bouem, aut capream, aut pecus aliud quodpiam, siue id viuum, siue mortuum, pro venationis ratione statui expediat. Consuetudine quippe habent, feras, simulatque vel prospectus, vel vox, vel odor contigerit, eò loci accursuras, magna videlicet faciendæ prædæ auiditate ac fame inductas. Simile hoc in tempore exemplum sibi in Sisaram paratum inducebat Deus, dum vndecim mille viros in Thaboris montis cacumine collocari, & velut prædam prouocando atq; inducendo exponi vult. Nam cùm primùm Sisara, strenuus aliàs atque impiger Dux, & bellicæ artis, si quis vllus tempore, maximè peritus, subditorum & oppressorum hominum exercituum, quem fama opinioq; maiorē vero locutura erat, intellexisset; coniurationem, atq; iugi repulsionem interpretatus, ea celerrimè prouisurus expeditumq; erat, quæ hostium incepto quàm citissimè interrupto, minori negotio victoriam predamq; promittere possent. Nihil autem consultiùs ea tempestate properandum videbatur, quàm obsidendo in mōtis cacumine exercitui pervia fugia omnia munire & obstruere, & auxiliis omnibus, quæ expectari poterant, aditum præcludere. id verò commodissimè fiebat Valle Cison, quæ monti adiacebat, occupata curribus, copijs & bellicis impedimentis munita, laqueorum, cassium, atq; retium vicem præbentibus, qualia obiecta & intercepta præda, minimè euitare valeret. Atque ita feram immanémque belluam illam, prædæ atque cædi intentam & inhiantem, sapientissimus venator Deus ipsis oppressis ac vallatis frangendam perdendamq; tradidit.* Et tradam eos in manu tua. *Hebraicum pronomen singulare est, caputq; indicat ipsum.* Tradam eum, *Sisaram videlicet.*

Dixitque

Dixitque ad eam Barac: Si veneris mecum, vadam: si nolueris ire mecum, non pergam.

CERTISSIMVM *esse Dei ad se mandatum, non dubitauit Barak, quòd videlicet non sua, sed diuina virtute rem conficiendam promitteba-tur; verumtamen eos quos inducere iubebatur, non facilè credituros, offi-ciumq; facturos veritus est: vtpote varij ingenij vulgus, & seruili oppres-sione atq; labore fractos, & maximæ hostium potentiæ opinione consternatos, nisi præsentis Dei mandatum id esse, doceri contingeret. hoc autem commodissimè fieri posse existimabat ipsius Prophetidis præsentia, cuius iam cognita perspectaq; authoritas, ad persuadendum populo plurimum valitura crederetur. Ideo sese non prorsus negaturum, sed eo pacto iturum & facturum recipit, vt ipsa etiam eat, fidem cum primus ipsius actionibus verbisq; firmatura, & populo animum præsens additura, credenti maiorem præsentioremq; ipsis diuinæ prouidentiæ efficientiam affore, rémque omnem felicius euenturam propter Prophetidis cùm consilium, tum meritum, tum etiam precationes & vota.*

Quæ dixit ad eum: Ibo quidem tecum, sed in hac vice victoria non reputabitur tibi: quia in manu mulieris tradetur Sisara. Surrexit itaque Debora, & perrexit cum Barac in Cades.

DVPLEX *omninóque illustre, atque omnibus imitandum cùm consilij, tum obsequij exemplum, hoc responso atque facto Debora præstitit: quippe quæ Ducem, quem à Deo delectum nouerat, vocātem secuta est. non tamen interea eundem, quid ex illa re consequeretur, non edoctum reliquit. Namq; homines qui ad virtutem atq; ad rem gerēdam nati comparatiue sunt, illud in primis curent, ne quid molliter, effeminatè, atq; ignauè, denique ne quid indecorè ab ipsis fiat, quod gerendarum rerum dignitatem gloriamq; immi-nuat. nonnulli etiam, ob nomen, atque ob titulos apud populum obtinendos, magnas arduásque res aggredi ausi sunt: qua in re laudis socium non facilè patiuntur, quamquam aliàs fortes bonique habeantur.*

Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaque latè
Fortunæ secura nitet, nec fascibus vllis
Erigitur, plausúque petit claréscere vulgi,
Nil opis externæ cupiens, nihil indiga laudis,
Diuitiis animosa suis, immotaque cunctis
Casibus ex alta mortalia despicit arce.
Hanc tamen inuitam blandè vestigat, & vltro
Ambit honor: docuit toties à ture profectus
Lictor, & in mediis Consul quæsitus aratris.

Claudian, de consulat. Theod.

Aut igitur sua sponte magni viri ad magnas gerendas res mouentur, aut diuini mandati authoritate excitantur. Atqui illi quidem laudis atque fa-mæ magis, quàm vtilitatis publicæ studio impelli solent:

Gerendarū rerum impulsiones.

Bellorum exuuiæ, truncis affixa trophæis

Iuuen. Sat. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lorica, & fracta de cassidè buccula pendens,
Et curtum temone iugum, victæque Triremis
Apluſtre, & ſummo mærens captiuus in arcu,
Humanis maiora bonis creduntur: ad hæc ſe
Romanus, Graiusque, ac Barbarus induperator
Erexit, cauſas diſcriminis atque laboris
Inde habuit, tanto maior famæ ſitis eſt, quàm
Virtutis; quis enim virtutem amplectitur ipſam,
Præmia ſi tollas? —— *Qui verò non proprio conſilio ac ſenſu, ſed Dei iuſſu ad capeſſenda magna negotia aguntur; ij quidnam Deus iubeat, & quemadmodum factum expeditumq; velit, omnino curāt, ſuæ prorſus vel gloriæ vel famæ ſecuri; quo in numero atq; exemplo Moſes & Ioſua, cæteriq; ſancti diuinitus conſtituti Duces ac miniſtri fuerunt. Verùm enimuerò quod ad populi iudicium attinet, horum vtrorumq; acta ex euentu probari notarive ſolent: Namq; vulgus, iniquus plerumque iudex, inuidusq; alienæ laudis arbiter, vbi nullo metu coërcetur, ad licētioſam loquacitatem apertum campum nanciſcitur, debiliori parti plerumque fauet; eáque*
Num. 16. *maximè celebrat, quæ natura ſua obſcuriora ſunt. hoc nobis Dathan & Abiron, & Coraitarum factio apertiſſimis teſtimoniis declarant. Quibus niſi diuina vltio eueſtigio interceſſiſſet, mobilis vulgi gratia magna breui tempore conciliaretur. Iam enim illud percrebreſcebat, non vni Moſi tantummodo diuini Spiritus auctoritatem conſtare. Huiuſmodi igitur vulgi iudicium, ne non ſibi prædictum poſtea Barak dicere poſſet, ex Deboræ, ſimpliciſſimæ & candidiſſimæ vatis, monitu expectandum audit. Nihil, inquit, moræ in me vſquam erit, quo minùs in iſta expeditione tibi morē geram; cùm ſciam illam ex Dei mandato parari, te miniſtro atque Duce eſſe conficiendam: ſed quòd me vltro tibi non obtulerim comitem, in cauſa fuit, quòd nouerim Deum authorem rem hanc à ſe conficiendam, tua vnius operā expeditam voluiſſe, idq; publicè communiterq; omnibus conſtare, & aſſirmari poterat, ſi tu, me monēte, tantum onus capeſſiſſes. Nemo enim eſſet, qui in rei geſtæ cauſis, modis, & ſucceſſibus enarrandis vllum aliud, quàm Dei efficientis, atq; tuam vnius operam nauātis, nomen laudis cauſa vſurparet. Atque ita & diuinæ voluntati, & tuæ dignitati pariter conſultum foret. Nunc, verò cùm me tibi ſociam optaueris, eueniet quidem vt hoſtes tibi à Deo perdendi tradantur, quod & ipſi ſentient, & tuam virtutem diſſiteri non poterunt; at verò noſtratum, hoc eſt, Iſraelitarum commune & vulgare iudicium, auctoritatem cum primis & efficacitatem totius gerēdæ rei, victoriæq; obtinendæ, Deo adſcribet; miniſtrationis verò & operæ impendendæ, atq; ſedulitatis præconium, feminæ potiùs mihi, quàm tibi vire impertiri ſtudebit, atq; illud frequenter prædicabit*, Quòd in manu mulieris tradetur Siſara. *Hebraicè ſic legimus*: Quòd in manu mulieris vendet Dominus Siſaram. *Itaq; magis vt tuam laudem obſcuret, quàm vt Dei nomen celebret, dicet nihil tuo, aut viri cuiuſquam nomini arrogandum*

gandum eſſe, cùm planè opus ipſum nulla humana, ſed vnius Dei virtute cœptum & expeditum & confectum fuiſſe, vel ex hoc probetur, quòd in manu mulieris non victus, ſed venditus fuerit Siſara. Deinde illud etiam publicè iactabit populus, ſe non tibi aut virtuti tuæ fidiſſe, ſed mulieri Prophetiſſæ, cuius præſentiæ & ſententiæ ſeſe committens crediderit. huiuſmodi igitur de te rumor ſparſius, tuam laudem atq; famam imminuere contendet. Hebraicè ad verbum hæc ſic leguntur: Et dixit, ire, ibo tecum, verumtamen nō erit decus tuum ſuperviam quam tu ambulas; quòd in manu mulieris vendet Dominus Siſaram. *Non tantùm poſt cuētum, ſed ab ipſo etiam incepti itineris exordio, Barako laudem ſubducendam præcipit: cum populus ſe iter illud, non Baraki virtutem, ſed feminæ Vatis auctoritatem ſecutum, agere prædicaturus eſt, in cuius feminæ manus hoſtium Dux à Deo vendendus crederetur. Ita verò ſapientiſſima illa Prophetiſſa ſuum ſermonem reſponſumq; pronunciauit, vt totius poſtea ſucceſſus, extremiq; euentus rationi conſentaneū probaret. Namq; id etiam nobis interpretibus ſignificabat, fore, vt non malè omnino obloqueretur populus, cùm demum id eſſet euenturum, vt feminea opera atq; diligentia Siſara incitatus & prouocatus ad bellum, femineo conſilio per Barakum atq; per Iſraelitas fuſius, demum feminea periret manu: atq; ita omnis tum cœpti, tum euentus fama, poſt diuinam efficacitatem, ad feminarū operam referretur. Hæc vbi Barako Debora apertè prædixit, id obſequium quod poſtulata fuerat, libens præſtitit.* Surrexit itaq. Debora, & perrexit cū Barac in Cades.

Qua in re ſinceriſſimus optimi viri animus apparuit, qui dum Reipub. ſuæ quàm optimè atque feliciſſimè conſultum vellet, ſuam ipſius gloriam minimè curabat, & præuiſum populi de ſe iudicium cumulato beneficio vincere, quàm calliditate præuertere malebat: ingratum eſſe vulgus, nec ipſi nouum, nec ignotum erat; non ideo tamen bonos viros ab officio deterrendos eſſe ſciebat. Quamobrem deliberato conſilio, diuinum mandatum cum Debora capeſſit.

Qui accerſitis Zabulon & Nepthalim, aſcendit cum decem millibus pugnatorum, habens Deboram in comitatu ſuo.

CLAMORE *excitatas duas illas tribus, primæuæ linguæ lectio declarat. Illud enim primùm egit, vt duæ illæ tribus ad eam rem ſe nominatim vocatas intelligerent. Neque verò omnes illarum tribuum viros coëgit, ſed decem mille tantùm ſeſe ſequi iuſſit, idque omni diuini mandati authoritate fieri docebat, præſente atque aſſerente Debora, cuius oratione & populo animus, & Duci, quem ipſa ſequeretur, fides confirmabatur. Deinde verò, quemadmodum ex Dei prouidentia res omnis ad ſucceſſum inſtructa comparatáque fuerit, ſingularis hiſtoriæ repetitione ſcriptor docet.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Haber autem Cinæus recesserat quondam à cæteris Cinæis fratribus suis, filiis Hobab cognati Moysi, & tetenderat tabernacula vsque ad vallem quæ vocatur Sennim, & erat iuxta Cades.

CONFICIENDÆ *rei opportunitatem & commoditatem multo antè à Deo creatam docemur, ita vt multa eueniant, quorum causam cùm ignoremus, nec in hanc neque in illam partem iudicari æquum sit, quoad tempus ipsum sententiam vltro pronunciet. Historiæ igitur summa hæc, nobis paulo altiùs quàm breuissimè repetita, sic habet. Iethro qui idem Hobab dicebatur, Mosis quondam socer, ex Madian domum transferens, in Israelitarum sõcietatem genero persuadente commigrauit. huiusq. filij, dum terra ab Israelitis occuparetur, pascendi cura atq. vsu viuentes, nullas vrbes vel ipsi condere, vel sibi dari volentes, ad habitationis pastionisq. commoditatem, Palmarum vrbi vicina loca, sibi iam à principio optata, ad eam vsque tempestatem tenuerunt, cùm à Moabitis expugnata terra, præsidij nomine Palmarum vrbs occupata fuit. Eo enim tempore, omnis illa gens cum tentoriis, gregibus, armẽtisq. suis, ad Iudææ tribus agros sese recepit; ibiq. eam tenuit partem, quæ* KAIN *ipsis patrium cognomen Cinæis dedit. Horum verò complures familiæ erant, ex variis Hobab filiis progenitæ, ex quibus vnus* HHEBER *dictus: qui vel aperta, vel simulata dissensione, à cæteris non multo antè discedens, in vallem sese receperat, à Cades non longè iacentem, qui ex duabis paludibus notissimis & perpetuis* THSAGHANAIM, *nõtationem nomenq. habuit. Sic enim nomen hoc Chaldæus paraphrastes, & antiqui illius linguæ scriptores interpretantur. Erat enim pastorum vitam artemque exercentibus, & ad pasturæ, & ad adaquationis vsum aptissimus locus.*

Iethro. Hobab.

Nunciatumque est Siſaræ, quòd ascendisset Barac filius Abinoem in monte Thabor.

RELATI *hoc loco nuncij breuitas omnem rei seriem indicat. Nuncij verò authorem quamquam historia non indicet, tamen ratio ipsa facilè coniectandum præbet, nimirum quempiam ex iis, qui per singulas tribus à Iabino, tributi exigendi causa, fuerant cõstituti, vel exploratores aut indices, quos opportunis in locis occultos ac dissimulatos, Principes, ac maximè tyranni, vndique mutandarum rerum perpetuo metu alere solent; vel alium quempiam, qui Principis gratiam aucupari cuperet. quisquis ille fuerit, certè rem exactè cognitam retulit, nomine cum primis & genere exposito, ex quo & tribus atque familiæ ratio cognosci potuit; deinde verò loco & actione, ascensione videlicet in montem; quæ deliberationem & studium gerendæ rei arguebant. Nam quòd vir genere, nomine, ac familia notus, ex propria tribu solus profectus, aliarum tribuum numerum non exiguum repetè coëgisset, suspicionem dabat maiorum copiarum, secretò apud suos contribules, atque apud alios vndique delitescentium, quæ post occupatum iam montem,*

tem, opportunè eruptura essent: cùm mons Thabor ad eam rem fuisset petitus, qui totius regionis medius locus, isq. editissimus, erat. Porrò his copijs, atq. huic incepto consilium non defuisse, immo maximum constare, simul compertum erat, cùm illa etiam femina, quæ publicum administrabat rem, Ducẽ secuta esse diceretur: neq. enim id celari poterat; quod palàm factum, vulgo prædicandum erat, Siſaram à Domino in manus feminæ tradẽdum. His etiam accedit feminæ authoritas, propter prophetiæ spiritum. Tria autem illa sunt, quæ in strenuissimo Duce præcipuè spectari solent, consilium, facultas, & felicitas. vt ille canebat:

Te copias, te consilium, & tuos
Præbente diuos.

Ducit partes

Hor. 3. Od.

Hæc autem omnia Barako constare exploratum compertumq. erat, pugnatorum copias cùm tam apertè eductas, tum post occupatum montem quamprimum armandas, vt credi consentaneum erat; consilium verò præter singulare ducis ipsius, quem vel nomen ipsum perspicax atque præsens reprehendis populis sapientia perspecta esset, cuiusq. vitæ sanctitas & integritas diu multumq. probata, vaticinandi etiam officio ac dono confirmabatur. Atque ita Baraki felicitatem populo indubitatam existimari par erat. Hæc omnia prouidentia & cõsilio, dexteritate atque celeritate maxima, præuerti ac frangi expedire sibi persuasit Siſara, dum sese præsertim viribus & armis longè præstare intelligeret: quod verò felicitatem spectaret, ab omnibus diis quoque suis non defuturam sibi opẽ speraret. Namque hæc apud Gentes de diis iudicia erant, vt pugnaturis vel sui aduocari, vel alieni conciliari crederentur: atq. de hac ratione certos ritus institutos obseruatosq. legimus; cumq. semel illis succeſsisset, vt iam pridem Iabino successerat, experiri atq. tentare denuo non dubitabatur, maximè cùm nec augures sacrificuli, diuinatoresq. deessent, qui pro Principum atque Ducum studio & præterita interpretarentur, & futura promitterent. Huiusmodi igitur auspicijs dilectam celeritatemq. summam adiungendam ducens Siſara, adiacentem monti fluuium & vallem quamprimum occupauit.

Et congregauit nongentos falcatos currus, & omnem exercitum de Haroseth ad Torrentem Cison.

MILITARI *atque venatoria prouidentia nihil potuit sapientiùs à Siſara curari, quàm vt falcatis curribus, quibus ascendi mons non poterat; & hostibus, qui pauci admodum erant, fuga interciperetur, & auxiliaribus copijs omnis ad montem aditus accessusq. præcluderetur: ita illis omni commeatu omniq. auxilio priuatis, vel certa deditio, vel nulla salus expectanda, quin desperatis in currus incidendum, vel in eodem monte pereundũ esset: aliis verò vel quies omnino optanda, vel tentare volentibus, coniuncta cum calamitate pernicies subeunda. Atqui Regis etiam, sapientúmque omnium, qui Regi inseruiebant, auctoritatem atque sententiam, huiusmodi*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Siſaræ conſilio & facto non defuiſſe manifeſtè docet loci, vnde expeditè profectus eſt, adnotatio. De Aroeth-gentium. *In quo etiam maxima Ducis alacritas & celeritas oſtenditur, qui ex Aroſeth-gentium profectus, tam multos graues q. currus, tamq. copioſum exercitum, cum cæteris bellicis impedimentis, non ſolùm breui tempore apparauit & inſtruxit, ſed priùs etiam ad illam deduxit vallem, quàm maior auxiliariorum numerus, iis qui montem conſcenderant, adiungi poſſet. Attamen huiuſmodi omnia, & quæcunque alia maxima hominibus videntur, quemadmodum irridere, eludereq. Deus ſoleat, multis exemplis edocti ſumus. S.S.E. Dominus Deus veſter pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.*

Pſal. 2. Exod. 14.

Dixitque Debora ad Barac: Surge, hæc eſt enim dies in qua tradidit Dominus Siſaram in manus tuas; en ipſe ductor eſt tuus.

Fides.

BREVISSIMA *quidem, verùm efficaciſſima oratione pium & fidelem Ducem vates ad hoſtium ſtragem hortatur, facto cum primis fundamento in fide, cuius virtute & efficientia, nihil tam arduũ eſſe poteſt, quod non conficiatur feliciſſimè: atque victoriam non futuram modò pollicetur, ſed iam etiam partam præſentemq. affirmat, eamq. non humanis viribus & artibus, per quas illum hoſtium exercitum illo loco atque tempore ſuperari difficillimum, immo impoſsibile fuerat; verùm Dei virtute copias illas cum Duce ſuo iam victas, animoq. conſternatas, ac prorſus perditas eſſe, ait: ita vt nihil reliquum ſit præter victoriæ vſum, hoc eſt, præter hoſtium internecionem, quam non niſi ipſius Baraki manu & opera peragi Deus velit, cuius deinceps apud hoſtes metus, & apud ſuos gerendarum rerum auctoritas eodem die confirmanda ſit: quamobrem & promiſſo ſiue reſponſo fidem, & mandato diligentiam ſedulitatémque adhiberi oportere ait, omni cunctatione, expectatione, aut deliberatione prorſus amota.* Surge quamprimum. *nihil enim iam aliud opus eſſe ad conficiendam rem, quàm vt ille per quem peragenda a Deo eſt, ſurgat. Namque illi ſurgenti hoſtes, vtpote iam animo perditos, ceſſuros, imò & quàm citiſſimè terga verſuros ait. Hoc officij faciendi ſumma ratio erat: fidei verò diuino reſponſo habenda illud caput,* Hæc eſt dies in qua tradidit. *Eadem ipſa die non tradendum, ſed traditum ait, vt indicare magis rem atque exhibere, quàm promittere videatur. id verò quemadmodum fieri potuerit, aſſeuerando declarat:* En ipſe ductor eſt tuus. *Hebraicè ad verbum:* Nónne Dominus prodiit ad facies tuas? *non proditurum, ſed iam prodiiſſe ait: in eamq. ſignificationem verbum vſurpat præteritum.* Ad facies tuas. *Antequam tu vel prodieris, vel etiam prodire iuſſus fueris, exiit, inquit, ille, omnia, quacumque incedendum tibi erit, indicaturus atque expediturus loca. Itaque tanti ducis & iuſſum & facta te quàm primùm ſequi oportet, aliàs non rectè aut tibi, aut populo conſulturum.*

Deſcen-

Deſcendit itaque Barac de monte Thabor, & decem millia pugnatorum cum eo.

DVCIS *atque populi etiam fidem hiſtoria nobis indicat, cuius virtutis præſidio quicumque præditi fuerunt antiqui, maxima quæq. aggredi nõ dubitauère. Narrat enim, Barak, audito reſponſo, dicto citiùs deſcendiſſe, atq. eiuſdem deſcenſum populum ipſum, quamuis exiguo numero, nempe decem millium tantùm virorum, fuiſſe veſtigio ſecutum. Quos niſi ſimilis cum Baraco fides armaſſet, inſtructóſque animaſſet; profectò vel locus ſuperior tam diu retineretur, quoad vel maiora copiarum adiuuarẽt auxilia, vel alia quærendæ ſalutis ratio aliud agere hortaretur: nunc verò victoriæ, atq. adeò ſingularis erga ſe Dei prouidentiæ, ac præſentis efficientiæ perſuaſus, nec metus, nec locus, nec hoſtium copiæ, nec armorum atque curruum proſpectus à deſcenſu cunctatos retinent.* Decem millia pugnatorum cum eo. *Hebraicè,* Decem mille viri poſt eum. *Illi, quamquam exiguo numero, nec, ſi hoſtibus compararentur, aut exercitus, aut pugnatorum nomine dicendi, tamen totidem ſe viros præſtituri deſcenderant: idq. poſt Ducem, cuius & fidem, & ſtudium, ac pietatem ritè ſunt imitati. Siquidem illa in rebus bene agendis rectiſſima ratio eſt, vt Dux, certi iam conſilij compos, præeat; miles verò, non vt conſultor, ſed vt operæ atque expeditionis miniſter ac ſocius, obſequatur.* Fides.

Perterruitque Dominus Siſaram & omnes currus eius, vniuerſamque multitudinem in ore gladij ad conſpectum Barac, in tantum vt Siſara de curru deſiliens, pedibus fugeret.

VT *victoria hæc præſentem atq. ſingularem Dei opem tum Iſraelitis ipſis, tum hoſtibus atque cæteris nationibus oſtenderet, actum eſt, vt hoſtis non priùs animo deſtitueretur, quàm Barakus, qui primus, vti Dux, in illos impetum fecit, deſcendiſſet. quamprimum autem ille ſeſe conſpiciendum præbuit, gladio armiſq. agere cœpit; ita omnes perterriti & turbati, confuſis ordinibus, curribus, equis & equitibus conterritis & exanimatis, perditi ſunt, vt ab Iſraelitis nullo negotio cæſi & confoſſi, & ſuis ipſorum armis, atque turbatorum curruum mole, impetu, ac trepidatione conciderent. cùm verò currus etiam perterritos legamus, equos curribus adnumeremus oportet, vt Dei efficientia & opus omni ex parte declaretur. Nam tam exiguo pugnatorum numero tot inſtructi atque exercitati equi, tantusq. exercitus non facilè aliàs terrerentur & frangerentur. Quòd ſi primæ acies, quæ deſcendentium impetum ſuſtinere debuerant, ſua in ſtatione laborarent; tamen mediæ ac poſtremæ equitum atque peditum phalanges, prælij feruore nondum ad ipſas accedente, ſua loca tueri, cæteris præſidio, auxilio, atq. exhortationi eſſe poterant, niſi qui rem verè conficiebat Deus, omnes idẽ momento fractos perditosq. redderet.* Omnes currus, vniuerſamque multitudinem. *Hebraicè,* Omnem exercitum. *Nec potuit illa tanta turbatio & confractio aptiùs depingi, quàm priuata ac ſingulari narratione conſilij*

atque

Universidad de Deusto
Biblioteca

atque euentus Siſaræ: qui muneris officiique immemor, cùm ſe Principem exercitus eſſe ſciret, ſibi vni tantùm proſpiciendũ duxit, nulla vel amittendi exercitus, vel propriæ honoris atq; decoris cogitatione eunctatus, quin ſalutem fugæ quæreret, idq; pedes, quo facilius & ſeſe expedire, & ſi euadendi opportunitatem nanciſceretur, latitare poſſet: ratus hoc pacto hoſtem fallendum, curru nimirum, qui certis inſignibus notabilis eſſet, in aliam, ſe verò in aliam vſq; partem fugiente, atque inſequentis currum haſtis impetũ declinante. Pedibus fugeret, *Hebraicè*, Et fugit in pedibus ſuis. *Nemine iuuante, nemine, præter ſuos ipſius pedes, vel comite vel ſocio, vel conſcio aut teſte fugæ; ita vt qui currum fugientem viderent, Ducem in curru quoque eſſe exiſtimarent, atque ita quidem ille Barachum effugeret.*

In pedibus ſuis.

Et Barac perſequeretur fugientes currus, & exercitum vſque ad Aroſeth gentium, & omnis hoſtium multitudo vſque ad internecionem caderet.

NARRATVR *Barachus fide animatus, & victoriæ ſucceſſu alacrior effectus, numquam ab incepto deſtitiſſe, donec & res ex animi ſententia confecta, & hoſtium in fugam conuerſorum manus omnis ad internecionem vſq; cæſa eſſet. Idq; tanta animi virtutis atq; operæ contentione factum dicitur, vt nec longa via, nec laboris tædium, nec hoſtilis regionis atque ciuitatis magna frequentia, Regis auctoritate & præſidiis conſiliiſque munita, nec vlla prorſus humanarum rerum cogitatio, victores atque inſequentes retinere, morari, aut impedire potuiſſet, quin* Barac perſequeretur fugientes currus & exercitum. *Namque optimi conſilij fuit, totum exercitum (quem Duce non carere credibile erat) inſequi, totumq; conficere, nulla ratione habita ſingulorum, ſi qui fortè declinantes elaberentur; cùm tamen, præter vnum Siſaram, veluti pecudes lupum aut leonem fugientes omnes, omnino conſilij expertes, latibulum tantùm petere intenderent: nec, quamuis multis paſſim ſtratis & cæſis, reliqui vel dimicare, vel in varias partes ſeſe diuidere, atque hoc pacto inſectantium turmas deriuare, & ſi non omnes, tamen aliquos fortaſſe ſtragem effugere poſſe cogitarent; ita illos Deo turbante, nullumq; euadere ſinente.* Vſque ad internecionem caderet. *Hebraica oratio Latinam explicat,* Non reliquus fuit vſque ad vnum. *Negatio, vti Dialectici obſeruarunt, cùm orationi præponitur, omnia prorſus negat. Ne vnum quidem relictum ait. At verò Siſaran ipſum, tanti exercitus tantum Ducem, tam pluſquam muliebriter pauentem, turpiſſimeq; fugientem, quis exitus exceperit, audire operæprecium fuerit.*

Siſara autem fugiens peruenit ad tentorium Iahel vxoris Aber Cinæi. Erat autem pax inter Iabin Regem Aſor, & domum Aber Cinæi.

Aditus & exitus obſeruatio.

INTER *bellicas curas vna, eademq; minimè poſtrema, ſed ad militarem prudentiam cum primis laudata, illa eſt, prouidere quemadmodum extrema, quæ anceps pugna obijcere non raro ſolet, pericula facilius atque celeriùs*

riùs declinari effugiq; poſſent; ideoq; rem aggreſſuris, pugnamq; capeſſentibus, non tantùm de inuadendi hoſtis opportunitate, ſed etiam, ſi in anguſtias ventum fuerit, de euadendi ratione cogitandũ eſt. Imprudentiæ namque ac temeritatis eſſe dicitur, aditum diligenter quærere, exitum verò locotiſſimis & ſtrenuiſſimis in re gerenda viris adſcribi ſolet. hoc enim nomine Dauid non modo Saul vt ſtrenuus probari, ſed etiam timori eſſe cœpit. S. S. E. Et fecit eum tribunum ſuper mille viros, & egrediebatur & intrabat in conſpectu populi. In omnibus quoque viis ſuis Dauid prudenter 1. Sam. 16. » *agebat, & Dominus erat cum eo. Videt itaq; Saul quòd prudens eſſet nimis,* » *& cœpit cauere eum. Omnis autem Iſrael & Iuda diligebat Dauid; ipſe* » *enim ingrediebatur & egrediebatur ante eos. Quamquam verò Siſara,* » *propter metum ingentemq; animi turbationem, quemadmodum fugientis exercitus copiæ cogi, & ſeſe recipere, atque ita periculum vel euadere, vel imminuere poſſent, minùs cogitauerit; rationem tamen, qua ſibi vni ſalutem fugiendo conſuleret, non oblitus fuiſſe videtur. ea autem ratio hoc pacto ineunda ſibi ducebatur, vt latibulum quàm proximum peteretur, quo breuiſſimo itinere tam à ſuorum, quàm ab hoſtium multitudine declinanti, fugiendum eſſet. Subiit autem proximam eſſe Hebberi Cinæi domum, apud quem, vtpote Iabino Regi obſequentem, & pacis legibus addictum, ſeſe recipiendi atque occultandi locus conſtare poſſet. Namque, vt ſuperiùs legebamus, Hebberi familia non longè à Thaboris radicibus, in valle ſecundùm Cades tentoriis ſigẽdis conſederat. Solent autẽ eiuſmodi tentoriorũ habitatores, quibus amplior contigit res, ita familiam collocare, vt vxoribus & vilaria tabernacula, non longis tamen interuallis diſſita, fuiſſe nouimus. Atharis, liberis & ſeruis, alia atque alia ponantur tabernacula. Sic aliud Abramo, Saræq; aliud, item duabus Iacobi vxoribus Racheli atque Liæ ſinqui minùs prudens, atque planè metu perturbati Siſaræ conſilium fuiſſe, ipſa res, atque narrationis adnotatio declarat. Primum, quòd ille non Hebberi, ſed Laelis tentorium rectà petierit, ratus apud mulierem tum miſericordia, tum obſeruantia, atque etiam Regiæ iræ metu, & ipſius fugientis auctoritate effectum iri, vt cõmodiùs ac tutiùs apud ipſam latère poſſet. Hiseiam addendũ eſt, exiſtimaſſe illum, nemini ſuſpicionem fore latibuli apud feminam quæſiti, cùm potiùs viri domus petenda eſſe, omnibus credi poſſet. Erat autem Iabino, vt Aſoris Regi, non alio nomine aut iure cum Hebbero pax, vt quibus in rebus atque rationibus Haſoris vrbis, aut Regis cõmodis conſulendũ eſſet, vtraque ex parte conſideretur: quippe cùm ij fortaſſis agri, in quibus Hebberi greges paſcebantur, ad illius vrbis ditionem pertinerent. Iam verò cum Iabino, vt Haroſeth-gentium Rege, cumq; gentium illarum rebus, nihil Hebbero commune, aut alio nomine ſanctum fuiſſe, hiſtoria indicat: ita vt ſi inter Haroſenſem & Haſorenſem, ſub eodem Rege tamen, alio atque alio iure degentes ciuitates ſimultas aut bellum incideret, Haſo-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rensium partium Hebberum esse oporteret. Atqui Hasor ex antiqua iam occupatione non ita legitimè atque Haroſethan ad Iabini regnum pertinere manifeſtum erat. Quandoquidem Haſora, quæ olim Iabinorum regia dicebatur, à Ioſua expugnata, atque Rege propter coniurationem interfecto, incenſa fuerat; deinde verò Iſraelitis reſtituta in ſortem ditionemq. ceſſerat. Itaque ipſa ciuitas, & belli & antiquæ occupationis ac poſſeſſionis iure Iſraelitica cum ditione ſua propriè cenſebatur: quamquam eadem illa etiam tempeſtate Iabino tyrannidem in Iſraelitas exercenti, & antiquũ titulum Regis Haſor renouare & reuocare ſtudenti, parèret. Turbatis autem de integro rebus, Hebber, qui & Iſraelis fidem profitebatur, & vt Haſoris ciuis cenſebatur, Iſraelem tyrannidis iugum detrectantem ſequi par erat: id quod imprudentior Siſara minùs animaduertit, atque ita ſubito metu, ac nimia trepidatione turbatus, dum amicum cogitat, legitimum hoſtem adit; deinde illud etiam præteriit, quòd quamquam cum Haſoris tunc oppreſſæ Regi Iabino, Hebberi domui, in Haſoris cenſu numerandæ, pax eſſet, Iabino quidem apud Haſoram agenti aut regnum gubernanti parère, adeſſeq. Hebber, quatenus pacis legibus exceptum fuerat, tenebatur; Iabini verò, vt Iabini domus ijſdem legibus (vti narratio indicat) minimè ſancita erat. Inter Iabin Regem Haſor, & domum Heber Cinæi. *Atque ita hoc nomine Iabini apud Haroſethan conſtitutæ domui, ſiue familiæ, ſiue aulæ, nulla certa Hebbero debebatur fides, ne dum ipſius exercitus Duci; vtpote Iſraelitarum manifeſto infeſtiſſimoq. hoſti, ac iam nec erga ipſum etiam Regem fideli, ſed ignobili atque turpi fuga Regis exercitũ parteſq. deſerenti & mutanti, conſulendum ex pacto eſſet. Quid quòd nullius vnquam exempli fuit, vt quæ inter Reges atq. Principes vtros pactiones conſtantur, eædem illorum Principum vxores, niſi aliàs nominatim eodem iure, certisq. verbis comprehenſas, obligent. Itaq. vltra Dei etiam, hominem punire & vlciſci parantis, voluntatem; mulierem illam, nullo violato iure, in hoſtem prudenter fortiterq. ſe geſſiſſe intelligimus: Siſaram verò ſeſe ad hoſtem imprudẽter, ad mulierem vero imprudentiùs recepiſſe arbitramur; quem, vt ſummum Ducem & bellicis artibus præditum, huiuſmodi pactionum leges non ignoraſſe oportuit.*

Iosue 11.

Egreſſa igitur Iahel in occurſum Siſaræ, dixit ad eum, Intra ad me domine mi, ne timeas.

Belli conſilia & cutæ.

Fides Gentium.

BELLO *aduerſus legitimum hoſtem declarato & exardeſcente, ſtratagemata omnia, quæcumque ingeniosè & acutè iniri poſſunt, nulla proditionis turpitudinisq. nota & infamia, non minùs quæruntur & exercentur, quàm in ferarum venatione, aut in aucupio, quæ vocibus ſimulandis, laqueis tendendis, foueis occulendis, & omni inſidiarum genere, nouisq. excogitandis artibus paratur & conficitur, ita vt quicumque ſeſe hoſti commiſerit, illius arbitrium voluntatemq. ſubeat, oportet: niſi priùs fides certa data conſtataq. ſit, quam etiam inter hoſtes ſeruandam ſanctamq. eſſe, iura omnia*

omnia ſtatuêre. Verùm de hac fide cùm hîc diſſerendi locus nõ detur; aliàs, Deo propitio, noſtrã ſententiã explicabimus. Nam quod nunc exemplũ interpretamur, ad belli artes, & prudentiã peritiamq. potiùs, quàm ad fidem referendũ eſt. Potiſſima enim conficiendi belli pars in arte, prudentia, atq. mente ponitur: minoris verò momẽti eſt manuum armorumq. exercitatio, quamquam hæc etiam ad conficiendam rem exigitur, & comparatur. Vſu autem ſepiſſimè venire videmus, vt quiſpiam minori manu, maiori verò conſilio, magnas pugnas, maximaq. prælia vincat, copioſiſſimos exercitus fundat, & perdat: contrà verò, vt rectè ac ſapienter inita conſilia maximis imprudentiorum copiis ſuperentur, rariſſimè accidit. Hanc bellicæ artis potiſſimam partem ſacra lingua, THAHHABVLOTH *vocat, quod verbum Latinus interpres noſter aliàs gubernacula, aliàs verò diſpoſitionem interpretatur. S. S. E. Cogitationes conſiliis roborantur, & gubernaculis tractanda ſunt bella. & alio loco: Quia cum diſpoſitione initur bellum, & erit ſalus vbi multa cõſilia ſunt. Idem etiam Salomon de eadem re: Vbi non eſt gubernator, populus corruet. Quibus in locis verbum hoc* THAHHABVLOTH, *conſtanter vſurpatum legimus, atq. id prudentiæ virtutem ſpectare eodem definiente docemur: Audiens ſapiens ſapientior erit, & intelligens* GVBERNACVLA *poſsidebit. Atq. hanc partẽ militaris diſciplinæ, vocabulo στρατηγήματα à Græcis dictam, Latini ſagaces curas appellarũt.*

„ Prou. 12.
„ Prou. 24.
„ Prou. 11.
„ Prou. 1.

Nil Claudiæ non perficient manus,
Quas & benigno numine Iuppiter
Defendit, & curæ ſagaces
Expediunt per acuta belli.

Horatius 4. Od.

Iam verò huius cauſæ ratio, temporis, rerum, ac perſonarũ ſtatus conditionesq. componentibus & examinantibus, facilè ſeſe nobis cenſendam iudicandamq. aperiet. Atque Siſara primùm non Principis aut Ducis perſonam ſuſtinens, verùm hoſtis, victus ac turbatus & inermis, impotenti fuga ſalutem ſibi quærens occurrit, ſeſe cuiuis obuio dediturus, modò in Barachi manus non incidat, quamcumque etiam ſeruitutis conditionem optaturus: ita vt ſalutis cauſa de mulieris tabernaculo petendo anxiè cogitarit; mulieris autem, non ea tempeſtate ſibi vllis pacis legibus coniunctæ, ſed ex hoſtium potiùs, vt iam diſſeruimus, numero. Atque idem iam à muliere excipitur victrici parti adſcripta, in ipſoq. belli æſtu; quæ non minùs atque vir quiſpiam, fortis, & conſilio & animo valens, victum & fugientem vel vi, vel arte capere ſtudet; verùm armis eodem momento deſtituta, nec conſilij nec ſagacis curæ impotens, hominem vti capiat, & dominum vocat, & oratione inducit, ſecurumq. facere ſtudet. Ingredere domine mi. *Hebraica ſic ex verbo hanc actionem explicant:* Diuerte domine mi, diuerte ad me, ne timeas. *Imprudens homo eluſus, in laqueum à Deo paratum ſeſe coniecit, dum credit, ſui nunc priuati, victi, ac fugientis, mulieri hoſtili cõſtare rationem, quæ nuper Ducis, atque impery Regis, cui ipſa paruerat, miniſtri conſtiterat; atque hac*

Universidad de Deusto
Biblioteca

mente non solùm vocanti credidit, sed vt minori atque obsecutùræ, vti mox exponemus, imperauit: tantum abest vt supplicauerit.

Qui ingressus tabernaculum eius, & opertus ab ea pallio.

ILLE *se sibi non modò consulturam, sed parituram, obsecuturam, ac penè ancillam reperisse existimabat: illa verò mancipium sibi deditum, atq; tantùm non ligatum ducebat, quem pro arbitrio prudenter aliud credentem pallio opertum ligabat. Nihil enim minus iuris mulieri nunc in illũ erat,* Rahab. *quàm Rahabbæ quondam in exploratores fuerat, quos domi conclusos, & lino tectos vel prodere, vel perdere, vel seruare potuit. quamobrem mox seruatos & debiti admonuit, & iurisiurandi lege ad vicis rependendæ conditiones obligauit. Integrum autem est victori, victum vel interficere, vel sibi in seruitutem retinere, si modò bellum iustum legitimumq; fuerit.*

Vendere cùm possis, captiuum occidere noli.
Seruiet vtiliter, sine pascat durus, aretque,
Nauiget, ac mediis hyemet mercator in vndis,
Annonæ prosit, portet frumenta penusque.

Itaq; nulla lege prohiberi mulier potuit, quo minùs traditum sibi atque captum mancipium, bello ipso æstuante, conficeret: quod seruatum in illa re sibi vtile, multis autem nominibus nõ inutile modò, sed sibi atque Israelitarum populis perniciosissimum esse posse, sciebat. Atqui summa turis, atque caro omnis in eo versatur, quòd hoc prælium Dei, non hominum erat, quod efficere cupiens Sisara, victus iam atque perditus, in eam incidit quam Deus ad illam rem parauerat, Deboræ prædictionem manifesto exitu confirmaturus. Hæc autem omnia prophetidis cantico indicantur. Pallium autẽ quo Sisara opertus dicitur in muliebris indumenti ac mundi genere ponitur: quod aliàs, cùm de vestimentis, Deo volente, disseremus, explicandum est. Iam verò cùm exercitum sine vlla Israelitarum clade cæsum & perditum fuisse intellexerimus; quemadmodum etiam Dux ipse ab incolumi femina interfectus fuerit, audiamus, diuini iudicij, singulari cum prouidentia coniuncti, exemplum agnituri.

Dixit ad eam, Da mihi obsecro paululum aquæ, quia sitio valde.

Turbatio. Insolentia. HOMINIS *terrore ac metu turbati, naturæq; superbiam & insolentiam nunc celantis, nunc verò promentis, ac demum insanientis animum & sensum, duæ quæ referuntur orationes indicant: altera quidem, modestiã aquam poscentis, deprecatiua voce adiuncta; altera verò, imperantis, & seruandi rationem formamq; præscribentis, quæ mox subiungetur.*

Quæ aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum.

Lactis ad somnum efficientia. INTEGRO *constantiq; animo suum Iagheli consilium initum, atq; diuinitus etiam promotum, ea quæ antè descripta sunt, his etiam adiunctis, declarant. Namque id illa semper egit, vt hominem mœstum, turbatum, atq; lassum, naturali somno opprimeret, perpetuò deinceps sepeliendum. Ideòque illum primùm iacere iussum pallio contexit, vt summoto lumine, ex lassitudine*

dine ac mœrore caloreq; expressus humor, faciliùs consopiret; sed soporem maximè accelerauit lactis potus, cuius vis quòd humidior crassiorq; sit, fumos facilè exhalans, caput non secus atque vinũ tentat, & humore atq; spiritu oppletum occupat, domireq; cogit: idq; maximè in biliosis, aut febre laborantibus efficitur. quamobrẽ vtrisque, & caput dolẽtibus, lactis vsu medici interdicunt. Cuius quidem periculi euitandi causa, ego, cùm Hiberniam Hippocr. aphor. *pertransirem, vini aut ceruisiæ vice (à quibus potibus semper abstinui) natura calidior, & valetudine tunc nõ satis recta, aquas, alioqui per totam insulam ad potum inutiles, vtpote minerales, lacte miscens combibebam: quod & potui, & medicinæ commodum poculum nactus sum, vt neque dispositis equis currens somno interturbarer, nec aquæ vitrosiore efficientia læderer. Idem etiam per id tempus in Angliam cùm primum adnauigassem, curare cæperam; verùm cùm illius regionis aquam, incolarum magis neglectione, quàm vsu improbatam comperissem: purã bibere malebam, temperantiùs tamen, quàm si Hispanicam, aut Gallicam, aut Germanicam nactus fuissem. Sed ab hoc excursu ad institutum redeamus.*

Dixitque Sisara ad eam: Sta ante ostium tabernaculi, & cùm venerit aliquis interrogans te, & dicens, Numquid hic est aliquis? respondebis, Nullus est.

SENTENTIA *quidem ex Latina lectione apertissima est, atque eadem efficietur, vt Hebraicorum verborum, aliàs propter germanam energiam minimè prætermittendorum, obscuritas declaretur.*

Adsta, inquit, ostio tabernaculi, & erit, si vir venerit, & rogauerit te, & dixerit, Estne hic vir? & dices, Minimè.

Ille quidẽ satis pro imperio sibi loqui videbatur, eamq;, quã dominam agnoscere debebat, velut ancillã in sui custodiã constituendã putabat; sed reapse nobis vaticinatus magis, atque id quod futurũ imminebat, prolocutus videtur. Id quod verba singula expendentibus, penitiusq; examinantibus, facilè intelligitur: atque illius profectò aliud cogitantis oratione quid factò opus esset, feminã diuinitus monitã intellexisse putamus. Nam vel ex eo tẽpore, quo ille viuens sentiensq; in illius tabernaculũ sese contulit, imò potiùs ex quo relicto exercitu turpiter aufugit, non immeritò viri nomen amisisse iudicari poterat, nedum postmodum occisus vir esse insciãs iretur: itaque illa perquã fortiter curauit, vti interrogata, virũ intus esse, verè negare posset.

Tulit itaque Iahel vxor Abner clauum tabernaculi, assumens pariter & malleum: & ingressa abscondite, & cum silentio, posuit super tempus capitis eius clauum, percussumq; malleo defixit in cerebrum vsque ad terram: qui soporem morti socians defecit, & mortuus est.

TOTIVS *actionis plena descriptio, animi consilium & constantiã in muliere declarat; personæ verò ipsius & adiuncti, hoc est, viri, cuius vxor erat, appellatio, studium, voluntatem & officium significat, nempe quòd ab-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sentis viri ratione habita, eum occidere studuerit, quem mariti sui amicis, sociis, atque religionis nomine fratribus hostem, & inimicum, atque ideo vltione dignum esse sciebat; cùm verò nihil intra suum tentorium armorum haberet, quo rem conficeret, consilio tamen, & prompta, quali in repentinis rebus mulieres vti plerumque solent, cogitatione, ipsa sibi arma quàm citissimè comparauit, vno ex clauis aut paxillis ferreis, quorum in tentorio ad continenda vela vsus est, quæsito, atque eodem tanta mallet vi per tempora impulso, vt vnico ictu hominis caput transfossum, & terræ confixũ fuerit. Cur verò vel in ipso momento, quo petitus primùm fuit ille, nihil senserit, nec doloris ac mortis vi, vt accidere solet, sese volutans distorquénsve commouerit; duo in causa fuisse docemur. alterum quidem fuit præsens sopor, qui lactis adiumento sensum obruerat; alterum verò, illa quæ somnum præcesserat lassitudo, quippe quæ & corporis vires, & animi sensum satis sua sponte debilitauerat, ipsumque altiùs dormire coëgerat. ita exponimus verbum posterius, defecit; *& prius illud*, soporem morti consocians. *Hebraicè namque sic ad verbum*: Et ipse sopitus, & lassus, & mortuus est. *Coniunctio autem hoc loco causæ index est, vt sæpe aliàs in sacro sermone.*

Et ecce Barac sequens Sisaram, veniebat: egressaque Iahel in occursum eius, dixit ei; Veni, & ostendam tibi virum quem quæris. Qui cùm intrasset ad eam, vidit Sisaram iacentẽ mortuum, & clauum infixum in tempore eius.

BARAKI *studium ex fide profectum, & Dei veritatem hìc versus manifestè probat. Namque Barak, qui sibi eadem die Sisaram in manus dandum, aienti vati crediderat; inter hostes quàm diligentissimè quæsitum, & nec in proprio curru, nec inter occisos repertum, aufugisse suspicatus; summo studio non quærendum aliis commendauit, sed ipse, qua parte declinasse arbitratus est, magna contentione insequi voluit, videlicet Deomini promissum suæ etiam pro parte ratum certúmque probaturus. Tanta verò ille in hoste quærendo, requirendo, & sectando animi promptitudine, & cursus celeritate valuit, vt Iahelis adhuc recens & calens facinus pene contigerit. hoc autem vox illa*, & ecce, *significat, quam Latini Poëtæ extemplo interpretari solent. Atqui mulier illa eodem spiritu, quo hostem incitata confecerat, intellexit etiam, illum eundem, neminem præterea, à Barak quæri. Quamobrem viro occurrens, tentorium subire persuasit, quæsitum hostem traditura.* Virum quem quæris. *Hebraicum nomen*, איש, *virum, & singularem significat. certum, inquit, quendam magni nominis virum, quem tibi quæsitum scio, ipsa indicabo, ita vt neque vlteriùs discurrendum sit, nec timendum, ne, dum alius offertur, ille, quem quæris, elabatur. Eundem, inquam, ipsum tuis oculis videndum commonstrabo, ita vt quod hactenus credideris, & speraueris, modò oculis iam subiectum, & sensu, reapseque perceptum obtineas. Igitur Barak nihil moratus, nihilque de*

Ecce. Extemplo.

re ipsa hæsitans, Iahelis tabernaculum ingressus, apertè edoctus est, quemadmodum Deus fugientium sese cursus & impetus frangere & cohibere possit, idémque humilia tollere, ac superbissima quæque repentè deprimere soleat.

Humiliauit ergo Deus in die illo Iabin Regem Chanaan coram filiis Israel.

CHALDÆVS *paraphrastes verbum*, Humiliauit, *ex re ipsa, vt solet, interpretatus est*, Fregit, *eadem significatione qua apud Poëtam idem verbum vsurpatum explicatúmque legimus:*

——Fracti bello fatisque repulsi
Ductores Danaum. *Nisi quod illi fatis, nos Dei voluntati & efficientiæ euentum adscribimus, nisi etiam quis cum Seneca* Fatum Poëticum. *Fatum diuinam voluntatem interpretari studeat. Quamquam verò Iabini, Chananæorum Regis, res eadem die non prorsus deletas legamus, quippe cuius adhuc regnum, & illa celebris ciuitas supererat: adeò tamen labefactatas intelligimus, vt Israelitis deinceps libertas & victoria non solùm constiterit, sed auctior indies atque promotior euaserit: illi verò nec certa vlla salus, nec quies, nec calamitatum intermissio ad exitum vsque fuerit reliqua. Ingens igitur illius diei victoria fuit, cùm Regi & regno celeberrimi Ducis & instructissimi exercitus iactura facta, ingens etiam salus Israelitis allata est.* Æneid. 2.

Qui crescebant quotidie, & forti manu opprimebant Iabin, Regem Chanaan, donec delerent eum.

EX *illo felici victoriarum initio, prosperi indies Israelitis, Dei voluntatem secutis, gerendæ rei successus contigisse narrantur, atque ita seruitutis antè actæ vltio creuisse dicitur; vt continuato bello Iabinus demum consumptus, de medio sublatus, Chananæorum regnum, atque vitam pariter amiserit, ita vt nullus deinde Iabinus extiterit, aut ex illius gẽte quisquam qui vel Israelen infestaret, vel Chananæis imperaret. Hanc sententiam sacer sermo sic exponit*: Et procedebat manus filiorum Israel, procedere & durescere aduersus Iabinum Regem Chanaan, quo ad exciderint Iabinum Regem Chanaan. *Israelis filiorum appellatio, Dei promissa & veritatem spectat: Chananæorum verò Regis repetitum nomen, eodem etiam pertinet, quippe Chananæorum calamitas & pernicies Israelitis non modò promissa, sed in mandatis etiam fuerat commissa. Quamobrem euentus successúsque omnes, non eorum, qui superiores euaserunt, virtuti; sed malo victi populi merito, atque Dei vltoris voluntati & præsidio, sunt adscribendi. Porrò Iabinum in torrente Cison funditus perditum, excissumq; Psaltes inter canendum commemorabit.* Israel. Psal. 82.

CAPVT

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT QVINTVM.

CEcineruntque Debora & Barac filius Abinoem in illo die dicentes.

Gratulationes & supplicationes.

ANTIQVVM & vetus, atque planè legitimum pij populi officium est, cùm primùm bellicæ res ex animi sententia successerint, Deo immortali, tutelari & propitio, certis verbis & carminibus supplicationem decernere, gratulationem ex rei gestæ argumento factam celebri conuentu habere. Id autem officium hoc loco ac tempore à Debora vate seruatum historia commemorat: ita tamen exponenda, vt carmen ipsum à prophetide compositum; carminis verò votiui gratulatorijq. decretum, ab ipsa pariter cum Baraco, iam tum exercitus Duce & populi Principe, fuisse de more factum. Quod verò actionem pronunciationemq. spectat, certo tempore ac loco versus aliquos intercalarium modo, vel ab ambobus, vel à pluribus decantatos intelligimus; historiam verò ipsam, canticiq. corpus suis membris & partibus ab inuentrice concinnatum fuisse. Huius autem carminis exemplar, illustrissimumq. exemplum in triumphali illo Mosis & Mariæ cãtico intueri licet; cuius artem ex eodem profectam spiritu, vates hæc nostra secuta videtur.

Poëticæ orationis genus & stylus.

Quod verò ad commentarium explicationemq. facit, nulli dubium est, ea quæ certo carminis genere, atq. sublimiori orationis magisq. Poëtico stylo descripta sunt, breuibusq. verbis magnam complectuntur sententiam, difficiliores explicatus habere, si quis ad medij & cõmunis sermonis normam reuocare omnia conetur: cùm magnum inter hæc dicendi genera discrimen sit; alterum videlicet, quod propriis magis, familiaribusq. verbis, ijsdemque ad vulgarem loquendi formam constructis, constat: alterum verò quod praeter sententiarum frequentiam, breuibus periodis coactam, verborum etiam splendentium delectum, constructionis varietatem & inuersionem (vnde versus nomen Latinis factum est) troporum, schematum, & figurarum variarum exornationem postulat. Quamobrem commodius, consultius, atque opportunũ magis esse obseruatum est, ea, quæ numeris ac pedibus cõstructa, Poëticoq. charactere distincta in alia lingua leguntur; dum alteri linguæ communicanda suscipiuntur, sacrarum musarum opem, hoc est, conficiendi carminis copiam Dei dono aceeptam, ad hoc munus petere & implorare, exorareq. vt quàm aptissimè id per interpretis ingenium, & linguæ in quam transferendum fuerit opus, facultatem, sententiarum cum primis ponderatum q. elegantiæ, si non omnibus ad amussim coloribus (id quod difficillimum fore nonnulli existimant) tamen ad exemplar, quantum fieri possit, alludentibus exprimantur. Illud verò difficillimum, nimisq. religiosum à compluribus iudicatum est, vt singulorum in exemplari lingua verborum certa ratio apud alteram linguam in carmine etiam habeatur. Quod quidem quamquam nos à nullo interprete acriter exegerimus, tamẽ dum sacra carmina, à Spiritu sancto suis verbis dictata, Latina facere studebamus; sancita nobis ipsis lege obseruare enisi simus: quali verò successu id egerimus, magis ex aliorum iudicio cognoscere, quàm ex nostro studio prædicare optamus. Certè dũ Dauidis Psalmos hac religione atq. cura redderemus, quatuor pietate insignium, & nostra ætate in sacris libris ac linguis exercitatissimorum virorum, plausum minimè captatũ, sed vltro liberaliter canditeq. datum excitauimus, Andreæ Masij, Francisci Raphelengij, Ioannis Harlemij, & Georgij Stenij quibus & sincerum Christophori Plantini iudicium quoque accessit. Eandem igitur rationem religionemq. hoc etiam loco ineuntes, Prophetidis huius gratulatorium carmen, vt faciliùs & breuiùs explicare possemus, Latinè pro tempore etiã cantare instituimus: quod si pro vertentis ingenij tenuitate, canentis voce, & numerorum varietate auditori cuipiam minùs placuerit; nostrum tamen studium, vt minimè displiceret, fuisse prædicamus: illudq. persuasum cupimus, nihil à nobis nostri causa susceptum; sed omnia ad Dei laudem, atque ad lectoris vtilitatem experiundo fuisse tentata.

Versus.

Carminum interpretatio.

Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, Benedicite Domino.

Vltoris Iæ, & vindicis hostium
(Sese libentem cui populus duci
Nuper ferebat) dedicatis
Carminibus celebrate laudes.

GRATVLATORII huius carminis exordium è duobus capitibus potissimùm nascitur: alterũ est, diuinæ primùm voluntatis ac virtutis consideratio: alterum verò, populi à Deo delecti animus & studium. vtriusq. enim capitis concordia, victoria illa parta fuit: cuius tamen vt authoritas omnis Deo tribuitur; ita etiam plena laus integraq. gratia debetur. Nam & ille vlcisci hostes voluit, atq. idem ipse Israelitas ad eam rem fortes animososq. effecit. Constat itaq. exordium partitione, & propositione, quæ totius carminis causam complectitur primam, hoc est, laudem gratulationemque Deo habendam, qui & vlcisci hostes voluit, & vltionem paucorum Israelitarum opera parauit. Hæc prima exordij pars est, qua Israelitæ omnes ad gratulationis officium appellantur. Quæ etiam in speciem diuisa, mox amplificatur professione officij à se faciendi, cuius etiam spectatores ac testes, præcipuos quosque ex populo conuocat.

Audite Reges, auribus percipite Principes: Ego sum, ego sum quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israel.

Audite Reges, vos quoque Principes
Attentiores, ac mihi subdite
Aures, canenti celebranda
Gesta Dei, monumentaque Iæ.

SAPIENTIS beneq. instituti consilij est, vt quicumque alios ad honestum aliquod studium inuitat & incitat, eiusdem studij atque exercitationis exemplum in se statuat; suaq. in primis opera quod honestũ esse clamat, capessendum comprobet. Sic Dauid vbi mundũ hunc, mundiq. partes omnes ad diuinas laudes celebrandas vocauisset; se ipsum in eiusdem officij partem ventu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psal.103. „ venturum pollicebatur. Sit gloria Domini in seculum seculi: lætabitur Do-
„ minus in operibus suis. Qui respicit terram, & facit eam tremere: qui tan-
„ git montes, & fumigabunt. Cantabo Domino in vita mea: psallam Deo
„ meo, quàm diu sum. Iucundum sit ei eloquium meum; ego verò delectabor in
Domino. Sic etiam Poëtæ studium nomenq; suum cũ aliis recenseri volunt.

Virg. Ecc.6. Nunc ego (namque super tibi erunt, qui dicere laudes
Vare tuas cupiant, & tristia condere bella)
Agrestem tenui meditabor arundine Musam.
Non iniussa cano, si quis tamen hæc quoque, si quis
Captus amore leget: te nostræ Vare myricæ,
Te nemus omne canet.

Nostra itaq; Debora, quæ iudiciis exercendis, atq; vatis munere obeundis, primas illo sæculo obtinebat: Barakum populi hactenus Ducem, ac deinceps Iudicem gubernatoremq; vnà futurum; & cum illo omnes, qui diuina tangerentur religione, Reges, Principes præterea, procerésque omnes, quorum exempla plebs facilè sequi imitariq; solet, spectatores, testes, auditoresq; appellat officij à se faciendi, hoc est, diuinarum laudum quas canere instituit: quos vt auditores, ita etiam plausores, acclamatores, imò & sui imitatores esse percupit. Audite. suã canentis vocem ab ipsis attẽtè atq; studiosè audiri postulat: nec audiri tantùm vocis verborúmque sonũ, satis esse dicit, nisi etiam interno eadem sensu percepta recondantur, alteq; animum moturã, mentemq; affecturã insideant. Hæc enim nobis schematis illius significatio est, Auribus percipite. quam eandem sententiam Iesus Christus clamans

Matei 4. „ ita pronunciabat: Qui habet aures audiendi, audiat. Latini autem sic eandem sensum exprimere volunt:

Horatius Epist. 1. Pers. Sat. 5. Est mihi purgatam crebrò qui personet aurem.
&: Cultor enim iuuenum purgatas inseris aures
Fruge Cleanthea: petite hinc iuuenesque senesquo
Finem animo certum, miserisque viatica canis.

Ego sum, ego sum. repetitio illa pronominis, certum, constans, atque deliberatum studium personæ professæ indicat, vt apud Latinos: Me, me, adsum, qui feci. —— atque huc etiam alludit illa celebris Poëtarum figura:

Verg Æn.

Tibull. lib. 1 Ille ego, cùm tristi morbo defessa iaceres,
Te dicor votis eripuisse meis.

Sic Debora sese suamq; apud Principes & populos adhuc vatis & iudicis personam tenere atq; agere professa, vtroq; munere ad laudes Dei celebrandas inducì significat: quas cùm ipsa concinuerit, cæteros omnes imitari consentaneum fuerit. Domino canam. Voce atq; cantu Deum misericordem, illo sacrosancto nomine appellatum se laudaturam significat: atque huic nomini eas etiam laudes adiunctũram, quæ Domini singularẽ erga Israelem patrem, Israelisq; genus prouidentiam & benignitatem prædicent. hoc est, quod subiungit, Psallam Domino Deo Israel. Inter canere, & psallere illud

illud hoc loco differre intelligimus, quòd canere, vocem ipsam, & cantũ voce numerisq; constantem significet: psallere verò verba cum vocibus atq; numeris ad sententiam argumentumq; referat. ita vt, Dialecticarum nostrorum more loquendo, canticum, ipsam cãtandi actionem; psalmus verò subiectum, siue obiectum indicent, duobus verbis Hebraicis, Sir, & Mizmor: Canticum. Psalmus.
in quorum vsurpatione, multa ac varia adnatauimus, hĩcq; aliqua breuiter indicare operæpretium esse ducimus. Primùm, quòd verbũ SIR nusquam à nobis, quamuis diligenter obseruantibus, cum accusandi casu constructum inueniatur, sed cum dativo semper: cùm ZAMAR rarò dativo, frequentiùs verò accusatiuo iunctum sit. Nam dicitur, Psallam nomen Domini, &, Psallam nomini Domini; sed hoc rarius multo, vti diximus. Cãtabo tẽ, hoc 2. Paral. 35.
est cum verbo Sir, nunquam: cantabo tibi, passim legimus. Deinde, quòd
cantici nomen cõmune est ad omnia carminum genera, cuiuscumque argumenti ea sint, ita vt Elegiam, Threnos, & Næniam etiam complectatur; vt
ex illo patet loco: Cuius omnes cantores atq; cantatrices vsque in præsentem diem Lamentationes super Iosiam replicant. Quod Hebraicè apertius
multo est. Adhuiusmodi significationem, ZAMAR vocabulum nusquam, זמר
quod sciam, vsurpatur: deinde verò quòd ex verbo Sir, Cantorum cantatri- שיר
cumq; nomen factũ est, quod solùm canendi significat munus; in qua significatione nullum ex ZAMAR factum comperimus, sed tantùm instrumenti
cuiusdam musici, quod sonitum fidibus pulsandis reddebat: denique quòd
MIZMOR, hoc est, Psalmus, authori suo adscribi solet in possessionis vel
acquisitionis casu, vt Psalmus Dauid, Psalmus Asaph; cuiusmodi exẽpla
nulla in Sir, siue cantico Hebraicè lecta meminimus (Nam illud Canticum
Canticorum Salomonis, alio modo sua in lingua enuntiatur.) Ita vt canticum, ad canendi solùm munus; psalmum ad condendi & concinnãdi artem
atque ad scientiam argumentumq; referamus. Atque hæc nobis prolixiùs, & vsq; ad doctiorum lectorum fastidium fortasse tractata sunt, à quibus
tamen, indoctiorum, hoc est, nostri similium causa, æquitatem patientiamq; impetrare cupimus; vel illud etiã postulare, vt cùm nos (qui nullã diligentiam in sacris libris explicandis à nobis non debitam arbitramur) in huiusmodi Grãmaticis minutiis hæsitãtes, offensi fuerimus, despecti & contẽpti
prætereamur; & si quæ suo palato gratiora aptioraq; reperiri poterunt, percurrendis qui subsequuntur versibus, petantur: vel alij etiã æqui censores
audiantur, quibus nullus vmquam in sacræ Grammatices obseruationibus
labor pœnitendus videtur. Est igitur ea in hac verborum repetitione Deboræ sententia, misericordis atque Israelitarum tutoris & gubernatoris
Dei laudes non solùm sibi canendas, verùm composito ab ipsa carmine condebrandas, audientibus Regibus ac Principibus. Atque hactenus exordium ex propositionis, causæ, & attentionis postulandæ locis petitum; cui
carminis genus, & qualitas, atque etiam conditoris authoritas accesserunt. Huic autem exordio narratio adiungitur, rerum temporúmque par-

Universidad de Deusto
Biblioteca

titionibus, ac notis distincta. cuius singulæ partes expositæ, consequentem laudem gratulationémque promerentur.

Domine, cùm exires de Seir, & transires per regiones Edom, terra mota est, cælique ac nubes distillauerunt aquis.

Seghira celsis montibus arduam,
Agrósq; Idumes iam pede concito
IAS relinquentem te, ab imo
Terra pauet tremefacta fundo.
Quin & beatas qui superum tenent
Sedes, polorum pondere maximo
Axes laborantésq; nubes
Roribus assiduis madebant.

NARRATIONIS *principio paulo altiùs repetito docet, Israelitarum populum ipsum sibi commeruisse, quo minùs illa admiranda, singularis, atq; hostibus tremenda Dei tutela continenter ac perpetuò, vt ab initio cœperat, deduceret, ita vt nisi misericordia illa Dei clementiaq; instaurandum susciperet, maximæ miseriæ continuæq; calamitatibus ad internecionẽ vsq; vexarent. Atqui argumentationis, quæ totius narrationis argumentũ summamq; complectitur, duo capita sunt, alterum videlicet, in quo prouidentia illa, singularisq; Dei tutela erga Israelitas, omni orbi testata, illustris manifestaq; fuit, affirmatur. Atque hoc caput Inductione Rhetorica, tãquam ossibus neruisq;, constans, admirationis exornatione absoluitur, quæ Dialecticis rationibus in hunc modum resolui possunt: Domine, te quondam Israelis tutandi causa fortem, efficacem, terribilemq; præbuisse, mundus hic omnis, singulæq; mundi partes testantur. Id quoa nec memoria recoli, nec verbis commemorari sine admiratione potest. Similis argumentatio, atque simtlis ferè admirationis ratio illa apud Poëtam est;*

Daphni, tuum Pœnos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesque feri syluæque loquuntur.

Atque propositionem Inductione fulcit, commemorationeq; signorũ in cælo & in terra editorũ eo tempore, quo ereptum ex Ægypto populum Deus per Arabiæ solitudines, atq; per Idumæa montes tractusq; deducebat; cuius tẽporis memoria omnibus postea seculis celebrata fuit. Nec verò homines solum Israelitarũq; hostes omnes illa tẽpestate permotos ac terrefactos fuisse ait, sed cælum etiam ac terram motibus, tremoribus, imbribusq; intempestiuis singularem, vt ita loquamur, Dei præsentiam, & peculiarẽ illius de Israelitis curam fuisse testatos. Quod verò narratur: Terra mota est, cælique ac nubes distillauerunt aquis, montes fluxerunt, *&c. vel ad Poëticam rationem referendum est, qua omnes mundi partes, cælum, nubes, ac montes laborasse, atq; ex labore insudasse significantur: vel, quod magis nobis probatur, veram respicit historiam; quæ quamquam in Exodi libro non ita singillatim explicata fuerit, hoc tamẽ in loco opportunè exposita est: ita vt & poëtim ex vero factam credamus. Nam tametsi imbrium pluuiarumq; mentio non fiat, motuum tamen, fulgetrorum, tonitruum, & terræ tremoris aperta*

aperta narratio est: atque adeò aquarum ex rupibus erumpentium, quas illo hemistichio intelligimus: Montes fluxerunt, *&c. Itaque & cum illis hoc carmine decantatos imbres quoq; descendisse credimus. Quamquam & illud ad asserendã carminis veritatem satis superq; fuerit, meminisse cunctis diebus, quibus in solitudine vagatum est, cælestem rorem cibo illi admirando, qui Man appellabatur, fuisse substratum.*

Montes fluxerunt à facie Domini, & Sinai à facie Domini Dei Israel.

Concussa celsis culmina montibus
IAM tremebant, quem colit Israel,
Et Sina, magni testis IÆ,
Assiduis liquefactus vndis.

HIC *versus ad priorem argumentationis partem relatus, explicatusq; est in antecedentibus; continet autem Inductionis partes, hoc est, terram, & firmissimam terræ partem, montes videlicet, in quibus Sina cum primùm appellatur vt testis, imò vt theatrum illius actionis, quam Deus adhibuit, cùm se Legislatorem publicè præberet. Iam ex hac Inductione illud sine vlla dubitatione confirmatur, Israelitas in singulari quondã Dei tutela constitutos, propter tutoris prouidentiam & virtutem, non solùm hostibus fuisse formidabiles; sed cælo, terra, atq; mari turbatis ac tremefactis, intactos incolumesq; euasisse, elementis omnibus cedentibus, & quasi Dei voluntati de populo illo educando, ornando, & amplificando applaudentibus. Huc autem illud Rachabæ testimonium pertinet, quod argumentationis huius complexionẽ comprobat: Noui quòd Dominus tradiderit vobis terram; etenim* „ Ios. 2.
irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores terræ. Audiuimus quòd siccauerit Dominus aquas maris ad vestrum introitũ, quando egressi estis ex Ægypto; & quæ feceritis duobus Regibus Amorrhæorum, qui erant trans Iordanem, Seon & Og, quos interfeciſtis. Et hæc audientes, pertimuimus, & elanguit cor nostrum, nec remãsit in nobis spiritus ad introitum vestrum. Dominus enim Deus vester ipse est Deus in cælo sursum, & in terra deorsum. Atque huc vsque prius argumentationis caput est, qua illud conficitur: Deo Israelitarum res suscipiente & fouente, neminem hominem perturbare potuisse. Iam verò alterum caput subiungitur, cuius argumentatio oppositum inducit. Ea verò ex contradictoria propositione adstruitur, vnde etiam opposita colligitur sententia.

In diebus Samgar filij Anath, in diebus Iahel quieuerunt semitæ: & qui ingrediebantur per eas, ambulauerunt per calles deuios. Cessauerunt fortes in Is-

Dum Ghanathidem Samgara consulens
Audit docentem prouidus Israel,
Non ausus est notos viarum
Intrepidus peragrare calles.
Iaghele quamuis incolumi, breues
Villæ atq; pagi rusticaq; oppida
Absente mærebant colono,
Et solito viduata cultu:

Universidad de Deusto
Biblioteca

rael, & quieuerunt, donec surgeret Debora, surgeret mater in Israël.

Donec benignam latior Israel
Matrem, & videret surgere me ducem,
Et iura dicentem & futura
Tempora (vatis opus) canentem.

SIMILI *superiori Inductione, oppositis tamen propositione & assumptione, contrariam argumentando rationem pronunciat, hoc pacto: Atqui Sangaris & Iaghelis temporibus Israelitarum res afflictæ admodū atque incommodæ fuerunt: apparet igitur illas eadem singulari illa & illustri diuinæ prouidentiæ tutela fuisse destitutas. hæc argumentationis summa est: cuius propositionem assumptio Inductionis velut enumerationis officio firmat. Namq; statum cōmemorat, in quem Respub. illa proximis antè temporibus deuenerat, non solùm eū in quo durissimè ageret ante Sangaræ præfecturam, sed ipsa etiā Sangaræ, atq; adeò ipsa Iahelis ætate, cùm melius ac leuius habere viderētur, tamen angustæ adeò, iniquæ, atq; oppressæ erāt res, vt neq; viarū publicarum vllus esset vsus, propter hostium infestationes & latrocinia atq; grassationes: nec pagorū, villarum, fundorū, & priuatorum agrorum, propter culturæ defectum, vlla commoditas vtilitasq; constaret. Nam quamquam Sangar stragem aliquam hostiū fecerit, nullam tamen aut insignē victoriam adeptus est, aut magnam populo salutem attulit, eo quòd illam suam singularē prouidentiam, tantis antè totq; argumentis ostensam, rursusq; ob populi malum meritū subductam, nondum Sangaræ tēpore instauratam Deus ostendisset. Meminit autē & Iaghel (cuius virtute & opera Sisara modò fuerat occisus) vt ostendat, illius præsentis atque illustrissimæ salutis consilium non antea explicari cœptum, quàm vaticinij officio per ipsam huius carminis concinnatricem præstito prædictum, declaratum, & commendatum fuisset; vt hac ratione euentus cum prædictione concordans, non ad casum, sed ad voluntatē authoritatemq; referretur Dei, qui & prædici rem iussit, & Ducem eligi mandauit, & Iaghelem consilio, animo, & virtute, ad insignem conficiendæ rei partem instruxit. Huiusmodi argumentationis genere, ad oppositam rerum conditionem significandam, & Latinus Poëta vtebatur:*

Virg. in Daphni.

Vitis vt arboribus decori est, vt vitibus vuæ;
Vt gregibus tauri, segetes vt pinguibus aruis,
Tu decus omne tuis: postquam te fata tulerunt,
Ipsa Pales agros atque ipse reliquit Apollo.
Grandia sæpe quibus mandauimus ordea sulcis,
Infelix lolium & steriles dominantur auenæ;
Pro molli viola, pro purpureo Narcisso,
Carduus, & spinis surgit paliurus acutis.

Debora munus.

Donec surgeret Debora. *Hebraico verbo* KAMTHI *in prima persona, suū munus non casu aut fortuitu, sed consilio efficientiaq; Dei, sibi initum fuisse significat, munus inquam publicum, idq; duplex, vaticinij videlicet, atque iudicij & gubernationis, in quorum munerū ratione & explicatione ver-*

verbum KAM *scriptoribus sacris; Latino autem interpreti, surgere, frequentissimè vsurpatur: vt, Inter natos mulierū non surrexit maior Ioanne Baptista. &, Surrexit interea Rex nouus, qui non nouerat Ioseph. Atqui prius munus, hoc est, propheticum, sui proprij nominis allusione significatum est. Nam Debora, apis Latino correspondens nomini, ex verbo* DABAR *factum adnotabamus. Significat autem* DABAR, *ratione sermonisq; vti, & verba concipere, eadem etiam pronunciare. vnde* DABAR *nomen duplici longa vocali, per excellentiam Dei Verbum illud vnigenitum dicitur: dicitur etiam eiusdem Dei verbum ita pronunciatum, vt audiri hominibus posit; atque adeò humanæ salutis Euangelium, Verbum quoque dicitur. quarum significationum exemplа illa sunt: Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Qui timuit verbum Domini de seruis Pharaonis, fecit confugere seruos suos. Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum. Sunt complura alia, ad quæ significanda verbum transfertur; verùm hæc velut illustria ac præcipua nobis vsui nunc sunt, ad efficaciā nominis* DEBORA *hoc loco appellati significandam. Donec surrexi ego vates, cui Dei verbum creditum, cuiq; bonus nuncius apparatæ, iam iamq; efficiendæ à Deo salutis mandatus est. Iam verò nos aliàs docere meminimus, nomen* NEBI, *quod Prophetam siue Vatem interpretari solemus, idem quod elocutorem, siue effatorem significare; cùm* NABAH *verbum nulli Latino simplici aptius, quàm fandi siue effandi voce, explicari existimemus: ex quo Fatum Latinis nomē est, quod doctissimi Poëtarum interpretes veteres, id quod Deus effatur, esse exponunt. Surgeret mater in Israel. Hebraicè in prima persona verbū est, vt in superiori membro; quod & carminis & sermonis ratio postulat, atq; ita Chaldaicus paraphrastes interpretatur. Latina versio Græcum interpretem imitatur. Matrem autem sese appellat, tum propter charitatem, qua Israelitas tanquam filios complectebatur; tū propter iudicandi regendiq; munus, quod Dei voluntate susceptum pie ac sedulò exercebat, incensoq; studio ac summis votis Israelem ad bonam frugem reciendisq; exercendis, monitis consiliisque repetendis, curabat. Namque optimarum matrum huiusmodi vota officiáque esse solent, ex quibus magnæ amicitiæ petuntur exempla.*

קם
,, Matth. 11
,, Exod. 21

דבר
Verbum.
,, Ioan. 1.
,, Exod. 9.
,, Marci 4.

נבי
Propheta.

Fatum.

Mater.

Quem damnosa Venus, quem præceps alea nudat,
Gloria quem supra vires & vestit, & vngit,
Quem tenet argenti sitis importuna, famesque,
Quem paupertatis pudor & fuga, diues amicus
Sæpe decem vitiis instructior, odit, & horret:
Aut si non odit, regit, & veluti pia mater,
Plusquam se sapere, & virtutibus esse priorem Vult, &c.

Hor. 3. Od.

Huiusmodi benigno affectu, huiusmodi incenso studio, ac sedulo officio sese instructam surrexisse ait, atque matris personam non ius tantùm, quas commemo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

memorauimus, partibus & muneribus; verùm etiam initio ipso salutis, Dei efficientia afferendæ, per se, tamquam per matrem, edito; quæ prima Ducem appellatum adsciuerit, prima hostem superandum declarauerit, prima se viæ commiserit, omninóque matrem sese præstiterit Israelitis, atque adeò Duci ipsi, dicenti, Si veneris mecum, vadam; si nolueris venire, non pergam: Ibo, inquit illa; sed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris traditur Sisara.

Noua bella elegit Deus, & portas hostium ipse subuertit: clypeus & hasta si apparuerunt in quadraginta millibus Israel.

Ias nouis tunc consiliis tulit
Author salutem, pressus vbi Israel
Firmas fideli claue portas
Præsidium sibi curat vnum.
Namscuta & hastã, millia quinquies
Deducta in octo quamlibet Israel
Gentem recenseres, ad vsus
Non poteras reperisse belli.

VARIAM *multarum rerum & vocum sententiam, vnius carminis sine strophij periodo comprehensam, totidem verbis explicat, apud alias linguas difficilem & obscuram: Chaldæus Paraphrastes, Græci & Latini interpretes paraphrasticôs exponere maluerunt; quamuis alius & alius aliam atq; aliam verborum significationem tradiderint, quæ verba nobis, ita vt sunt, prosè arctéq; reddere non piguerit.* Elegit Deus nouæ tunc ipsis portæ: scutum si videretur & lancea in quadraginta millibus Israel. *Magna Israelitarum oppressio carmine hoc describitur, amplificaturq; argumento à destinatis sumpto. Non tantùm enim villæ & pagi, agrorumque vicinia vastata desertáque fuisse narrantur; sed in vrbibus etiam ipsis, in quas incolæ sese omnes præ metu receperant, omnis defensionis, propter armorum defectum, commoditas opportunitasq; fuisse negatur, quòd ab hostibus ablata fuerant: quandoquidem apud quadragena virorum millia, vix singula scuta singulaq; tela reperiri poterant. Namque hæc ratio victoribus olim commodissima visa est, ad victos oppressosq; in metu & seruitute continendos: atque in huiusmodi etiam tempora Israelitas aliquãdo incidisse,*
2 Sam 13. *Regum historiæ auctor commemorat: Porrò faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israel: cauerant enim Philistiim, ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam. Atque ea etiam tempestate, qua canticum hoc describit, eadem conditione Israelitas oneratos fuisse, argumento sunt Samgharis & Iahelis facta, quorum alter, boum stimulo sexcentos; altera, clauo & malleo Sisaram confecit, non libenter ijs armis vsuri, si commodiora expeditioraq; apud se haberent. igitur, deficiente in omnibus vrbibus armorum vel ad defensionem vel ad offensionem copia, vnicum consilium præsidiumq; restabat in murorum portarumq; tutela, custodibusq; ad portas collocandis: non qui defendere quidem, sed qui excubias agere possent. Huiusmodi exemplũ nos, cùm primùm in Hiberniã adnauigãtes noctu peruecti essemus, apud*

apud IOHHOLAN *in portu sitam vrbem conspiciebamus, eodem nimirum inducti non per portã, sed comitibus ex nauigio adiuuantibus, & vrbanis ex superiori loco manum porrigentibus, murum conscendentes, quam difficultatem partim ciuilia cum Anglis bella, partim etiam mutua insulariũ latrocinia attulerant. Atque vt figura hæc, & hic vrbium habitus magnam oppressionem seruitutemq; depingit; ita rursus patentes portæ, armorumq; facultas & copia, aliquando etiam & murorũ neglectio, victoriam atq; securitatem indicant. ad quam etiam rationem illud pertinet: Absque muro habitatur Ierusalem, præ multitudine hominum & iumentorum in medio eius. Quam etiã descriptionis formã externi poetæ imitari ita solẽt:* Hibernlæ status.

„ Zachar. 2. „ „

——Signa ego Punicis
Affixa delubris, & arma
Militibus sine cæde, dixit,
Direpta vidi, vidi ego ciuium
Retorta tergo brachia libero,
Portasque non clausas, & arua
Marte coli populata nostro.

Horat. lib. 3. Od.

Ab hac igitur calamitosa miserrimaq; conditione adeò oppressi Israelitæ, suis aut artibus aut viribus minimè poterant liberari, nisi vt omnino liberarentur, noua bella instituentis Dei clementia benignitasq; efficeret; qui tunc in ipso magnæ oppressionis articulo sese propitiũ liberatoremq; præbuit. Nomen noua, *Hebraicè* HHADASSIM, *ita constitutum est, vt neutro genere à Latinis exponi possit, & masculino atq; etiam feminino: ita vt dicere possimus,* Elegit Deus noua, *subaudio bella, cum interprete nostro.* Elegit nouos deos, *nempe Israel, vt Græci interpretantur, Chaldaicum homeliasten potiùs hoc loco, quàm paraphrasten vocandum secuti. Atque ita explicationes vtriusque interpretibus aptari consentaneum erit. Verùm si carminis ratio & structura, si distinctionis obseruatio, si poeticæ elocutionis figura consulendæ sunt, orationis distinctio ita distribuetur:* Elegit Deus, nouæ tunc illis portæ: scutum si videbitur hasta, in quadraginta millibus, in Israel. *Atque hoc modo distinctio facilior explicatu fuerit.*

חדשים

Cor meum diligit Principes Israel, qui propria voluntate obtuliſtis vos discrimini, benedicite Dominum.

Quicumq; chartis ponitis Israel
Et bella & annos, vosq; libentius
Quos plebs videtq; auditq; summos,
Noster amátq; animus monétq;
Vnus dicato carmine, & omnibus
Ducendus IAS laudibus, vnicus
Dux ille nobis, & salutis
Et placidæ genitor quietis.

TANTÆ *victoriæ atque quietis decus, laudem, & gratulationem tum hymnis & versibus canendis, tum etiam historiis prosâ & carminibus composita oratione vni Deo authori referenda esse prædicat, ad eámque rem*

Universidad de Deusto
Biblioteca

eos omnes hortatur & incitat, qui scribendi & canendi arte præditi fuerint: quos pari secum studio in hoc argumentum omnes incumbere optat. Cùm, inquit, hoc manifestũ sit, ea tempestate, qua nobis hæc salus (qua nunc recenti vtimur) parta est, nullam nobis nec belli consilij opem, nec humanæ virtutis facultatem, imò nec armorum copiam constitisse; consequẽs omnino est, fateri, vnius Dei præsidio nos fuisse à tanta miseria vindicatos. Principes Israel. *Hebraicum nomen scribas, constitutores, & descriptores significat, quorum sententiis scriptis populus iuuatur ac ducitur. hos præcipuè ad partes vocat & officij à se faciendi; & curandi etiam, vt à populo, apud quem gratia authoritateq; valent, idem fiat.* Qui propria voluntate, &c. *Hebraicè,* Qui voluntate in populo valetis. *vos, inquam,* benedicite Domino, *propter salutem: vtpote quibus ad studia atq; ad artes vestras Reipub. vtiles exercendas, & locus, & tempus, & honestum otium diuina virtute factum est.*

Qui ascenditis super nitentes asinas, & sedetis supra in iudicio, & ambulatis in via, loquimini.

Vos & nitentes quos asinæ vehunt,
Et vos, cathedras qui sapientiæ
Pulso decoratis timore,
Quiq; viam peragrant loquentes.

Hi*s qui præcipuas colerent artes, atque contemplationi & carminibus vacare gauderent, superiùs numeratis, eos etiam adiungit ad gratulationem vocatos, qui cæteris munus & vitæ partibus, cùm ad priuatã, tum ad publicam rem agendam & promouendam, sese dedidere; nempe mercatores, & sapientes, quos practicos dicimus, vti iudices in vrbibus & oppidis constitutos, peritos atq; cõsultos iuris, demum eos omnes, qui vel negotij, vel animi causa iter faciunt. Namque hoc genus omne hominum belli tempore in metu ac mærore iacet; pace autem & securitate parta maximè gaudet, studiisq; fruitur suis.* Qui ascenditis super nitentes asinas. *In asellorũ genere præcipua Asiaticorum laus est; quibus non tantùm plebeios, sed etiam nobilissimos homines vehi solitos legimus, vt Bilghamum, & Prophetas complures, & Abedon Israelitarum iudicem, qui habuit quadraginta filios, & triginta ex eis nepotes, ascendentes super septuaginta pullos asinarũ. Est enim vehiculi genus placidioris molliorisq; sessionis, quàm cætera iumenta quæ sessorum membra duriori concussione exercent. Atqui mercatores, quorum vita permutationis causa in peregrinatione itineribusq; plerũque consumitur, asellis ad iter faciendum vsos consentaneũ est, præcipuè verò non ita magna spatia peragraturos, sed quæ intra regionis terminos cõcluderentur. Namque maiora itinera, vt ab Ismaelis terra ad Ægyptum vsq;, camelis plerũque conficiebantur. A Chanaan verò ad Ægyptum asinus frumentandi causa confici posse, Israelis filij docuerunt. Asinas verò nitentes poëtico epitheto significanter vates insigniuit, hoc est, albo colore insignes, longeq; conspicuas, quòd is color omniũ optimus & pulcherrimus existimetur; nisi propter superbiam candoris fumum (vt Vitruuius ait) conciperet: lætitia verò*

Asellus Asiaticus.

Num. 22. 3 Reg. 13. Infetius 12.

Albus color.

verò & exultationis apud mercatores signum erat, candidiorum asinarum vsus, quibus aliàs non securis nec pace vtentibus, vel nullæ inibantur viæ, vel non conficiebantur iis iumentis quæ longè conspici notariq; possent; sed atris & cinereis, quales colores mæsta & luctuosa tempora postulant, quiq; insidiatores fallere magis possent, iis qui non viis, sed tramitibus dissimulatè occulteq; egrediebantur. Tertio demum loco omnes communiter ad diuinarum laudum celebrationem & frequentationem appellantur; qui quacumque causa, quocumq; modo, siue curribus, siue equis, siue pedibus iter indirent, atque ab itinere instituendo retardari necesse fuerat, & mutatæ iam deinceps in plenam securitatem sortis vsura lætos, vtpote quibus viam non solùm tutam, sed minùs etiam, propter carmina & cantus, lædentẽ pergere contingat, idq; beneficio Dei, cuius nomen & laudes, vnicum carminibus, atq; miscendis per viam sermonibus argumentum esse Vates iubet. Et ambulatis in via, loquimini. *Hebraicè,* Ambulantes per viam, meditamini. *Qui, inquit, non ita pridem vel nulli vosmet viæ committere audebatis; vel, si propter vsum iter facere cogeremini, tamen tramitibus taciturni silentesq; egrediebamini; nunc iam liberè ac tutò publicam viam progressi, carmina, versus, cantusq;, qualia tranquillum hoc postulat tempus, meditamini, & concepta canite. Ita interpretamur hoc loco verbũ* meditamini, *vt,*

Omnia quæ Phœbo quondam meditante beatus
Audiit Eurotas, iussitque edisscere lauros. Virg. Ecl. 6.

Vbi collisi sunt currus, & hostium suffocatus est exercitus, ibi narrentur iustitiæ Domini, & clementia in fortes Israel. Tunc descendit populus Domini ad portas, & obtinuit principatum.

Iam nec sagittæ, nec hominum sonus
Lymphas petentum de puteo strepunt;
Sed gratulantum vox in I AE
Dona boni resonet canentum.
Deserta muris quamlibet oppida
Fretus frequentet latus & Israel,
Per rura & agros, perq; apertas
Tutus eat redeatq; portas.

Secvritatem, *libertatem, & otia populo restituta, antè actæ tempestatis comparatione agnosci, eámque salutem Deo auctori beneficio, ac seruatori, omnibus modis acceptã ferri præcipit. Quandoquidem antea magno tumultu turbatis agris, non mercaturam artesq; cæteras exercere, imò neq; per vias ingredi Israelitæ audebant; sagittariis & calonibus etiam ipsis omnia loca clamore & strepitu complentibus, sed nec in locis muro carentibus degere esseve poterant, nec clausarum vrbium portas egredi: nunc verò illis in locis, quæ minimè tuta erant, & esse, & agere, & ibidem iustitias beneficiaq; celebrare Dei, qui Israelem ex tam turbulenta tempestate in tantam traduxerit tranquillitatem. Hæc Hebraici carminis figura est, Antithetis poëticis eleganter ac verè concinnata. cuius sententiam versio nostra refert, securitatis illius explicata causa:* Vbi collisi sunt currus, & hostiũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

suffocatus est exercitus. *Hanc orationem interpres noster Latinus ex illis verbis paraphrasticῶς reddidit*: A voce sagittantium inter haurientes ibi dabunt iustitias Domini, iustitias pagi sui in Israel. Tunc descenderunt ad portas populus Domini. *Eadē verò verba in hanc sententiam Græci interpretes exponebant*, Vocem pulsantium inter lætantes, illic dabunt iustitiâ Domino: iusti confortati sunt in Israel. Tunc descendit in vrbes eius populus Domini. *His manifestum fit, vtrosq; interpretes paraphrasi ac periphrasi hoc loco vsos, nobis etiam aditum reliquisse ad Hebraicam poesim vtcumque ex verbo reddendam. Iam verò primam hanc carminis partem, in qua omnis laus ad vnum Deum referenda suscipiebatur, sui cum primis, deinde Baraki Ducis officij commendatione absoluit prophetis.*

Surge, surge Debora, surge, surge, loquere canticum; Surge Barac, & apprehende captiuos tuos fili Abi-noem.

Surge dicato Debora carmine,
Et vota latis dic age dic modis:
Barace tu surge, atq; captos
Abinodes age victor hostes.

TRIVMPHALIS *atq; gratulatorij carminis artem, numerosq; omnes epinicium hoc prorsus implet, atq; ita rem rei, sententiámque sententiæ adnectit,* Primum ne medio, medium ne discrepet imo.

Lingua sancta.

Quòd si nulla alia ex multis causa esset, vel vna hæc me mouere debuit, vt optarem neminem hominem, qui sacris litteris operā dare studeret, sanctæ linguæ expertem esse, ne videlicet huiusmodi à Spiritu sancto dictatorum carminum suauitate sensuq; fraudari dolerem: quam si quis, vti nos, alia quauis lingua vertendo imitari conetur, tamen longè aliud sibi promittere poterit is, qui ipsum authorem sua verba (vt ille aiebat) resonātem audierit.

Inductio. Complexio.

Ex Inductione, qua præteritorum temporum incommoda præsentibus comparata commodis demonstrabantur, Complexio, quæ totius argumentationis caput fuerat, facta est; deberi laudem & gratiam Deo, tantorum beneficiorum authori, atque ad ipsam commemorandam se primam prodire, cæterósque omnes prouocare quicumque salutis vel compotes, vel conscij, vel expectatores extiterint; quibus prouocatis, rursum se munus officiumq; suū prouehere velle ait, atque inceptum iam carmen ad finem ducere: quam quidem ad rem, se ipsam quater compellando excitat; eodem verbo sæpius repetito, quo debitum studiumq; suum, atque animum & consilium impensiùs probet. Surge, surge. *Hebraicum verbum* GHVRI, *quater eodem versu pronunciatur ad excitationis incrementum, cuius significatio non tam ad corpus, vt Latinorum* SVRGE, *quàm ad animum refertur. Namque ad eos excitandos vsurpatur, qui vel somno vel mœstitia oppressi, vel desidia & negligentia tardi, vel cessatione detenti sunt; maiori efficacia quàm Latinorum poetarum, eia, age, & quæcumque huius notæ sunt. Itaque hoc verbo sibi ipsi sponte currenti, tamen stimulos admouet ad canendum, atq; ad præeundum ijs, quos ad partes tamquam choreæ ductrix vocabat. Hæc verò repetitio*

Surgere.

petitio dici potest eiusdem verbi pondus, & momentum, eiusdem sententiæ augentis. Atque vt sese ad vatis officium, hoc est, ad Dei laudes cōmemorandas incitat: ita etiam Barakum ad suum quoque, hoc est, ad earundem laudum adiuuandam materiam appellat, alio vsurpato verbo KVM: *quod prōprie corporis habitum significat, & ad animum transfertur. Namq; vt illa suas partes, quamuis eodem loco consistens, tamē incitata mente agere poterat: sic ille suas rursus, non quieto corpore, sed animi & corporis simul promptitudine, & alacritate, atq; expeditione peragere iubetur. Atq; vt sæpius aliàs adnotabamus, verbum hoc,* surgere, *ad Regum, Principum, Ducum, victorum, triumphātum, Prophetarum ac Iudicum actiones, singulari notatione vsurpatur. Surge, inquit, Barak, officium factūrus tuū, & mihi materiam suppeditaturus ad carmen amplificandum, enumeratione rerum à Deo tua opera gestarum. Perge tu, inquam, ad victoriam tuam exercendā, captiuosq; tibi à Deo traditos maiori semper copia auge. Nam beneficiis diuinis matoribus, matoribusq; vti semper velle, pios homines decet, & sese paratos, promptos, præstoq; præbere, ad ea agēda, quæ Deus acta voluerit. Ita fiet, vt, dum tu Dei gesta officio obsequioq; tuo promoues, ego & Deū ipsum authorem, & ministrum, & eiusdem expeditionis administros omnes canendo commemorem. Atq; in hac excitatione duplici nomine vir appellatus est; altero proprio,* Barak; *altero patronymico, filius Abinogham, non sine adnotatione vtriusque significationis à nobis superiùs explicatæ: vt sui nominis paterniq; memor, & sese vt fulgur in ea victoria gereret; & victoriæ euentu populo decori iucunditatiq; esset. Opportunè autem illos commemorans laudat, qui in illam à Deo datam victoriam operas suas contulerunt: ius rursus incusatis & reprehensis, qui laborem illum perexiguum, magniq; fructus feracem subterfugerant, vtpote qui & Deo cum primis & legibus, & religioni, & patriæ, atque adeò sibimetipsis defuerint.*

Salvatæ sunt reliquiæ populi, Dominus in fortibus dimicauit.

Tum liberatis iam penitus viis,
Bellator instat multus, & horridus
Pugnas minatur; sed potentes
Eligit, & probat almus IAS.

SALVATÆ *sunt. Hebraicè,* Tunc descendit residuum ad fortes populus. *Declarat victoriam non pugnatorum multitudine aut copia constitisse, sed Dei efficientia, & paucorum, qui sese Deo obsequentes præbuerant, fortissimorum animo virorum opera, inermium quidem, sed quibus Deus & animum auxerit, & arma suffecerit. Nam post victoriā partam, post hostes in fugam versos, magnamq; partem cæsos, tunc vbi nullum periculū instare posse censebatur, scilicet confertis agminibus populus accurrere satagebat, otiosa iam & superuacanea alacritate: quippe sine istis iam salus omnis parta erat.* Dominus enim in fortibus dimicauerat. *Hebraicè,* Dominus præcelluit mihi in fortibus. *Rem, inquit, omnem Dominus non per multos, sed per paucos fortes, animoq; præstantes confecerat.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ex Ephraim deleuit eos in Amalech, & post eum ex Biniamin in populos tuos ô Amalech: de Machir principes descenderunt, & de Zabulon, qui exercitum ducerent ad bellandum.

Virtute functus protinus Ephraim,
Olimq; fratri Beniamino additus,
Deducet vltrices caternas,
Perdet & Hamalechi furorem.
Præcepta doctus ponere Machirus,
Et scriptor ingens, & calamo bonus,
Zebulus his iungentq; turmas,
Præliáq; impauidi subibunt.

Saulis victoria.

OCCASIONE *sapienter captata, reportandam à Saule de Amalechitis victoriam vaticinatur; quos fractos quidem Iosue quondam, verùm non penitus perditos; quos demum deuotos internecionisq; damnatos Moses reliquerat. Opportunè autem hanc victoriam, nondum partam, tamen certam commemorat, vt ex comparatione officiorum eos reprehendat, qui cùm iuuare suos fratres possent, tamen neglexerunt, indicatura euestigio quinam illi fuerint. Est autem hoc genus comparationum ad arguendum efficacissimum, cùm à minori ad maius in vtramuis partem, vel laudis, vel vituperij, fit comparatio, vt:*

Comparationes, Virg. Eclog. 10.

Quæ nemora aut qui vos saltus habuere puellæ
Naiades, indigno cùm Gallus amore periret?
Nam neque Parnasi vobis iuga, nam neque Pindi
Vlla moram fecere, neque Aonia Aganippe.
Illum etiam Lauri, illum etiam fleuêre myricæ,
Pinifer illum etiam sola sub rupe iacentem
Menalus, & gelidi fleuerunt prata Lycæi,
Stant & oues circùm, nostri nec pœnitet illas:
Venit & Vpilio, tardi venere bubulci,
Vuidus hyberna venit de glande Menalcas,
Venis & agresti capitis Syluanus honore
Florentes ferulas, & grandia lilia quassans:
Pan Deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipsi
Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem.

Huiusmodi comparationis exemplis ostendit Debora, solere amicos amicorum res non otiosè spectare, sed officiosè iuuare; nedum tribus omnes, quæ commodam operam præstare fratribus potuerunt, præstitisse vltro oportuerit; præcipuè cùm de publica & communi salute ac libertate ageretur. cuius huius generis exempla non tantùm eadem ipsa tempestate à fortibus & piis fratribus edita fuerint, sed minori etiam causa olim edendo expectentur: videlicet quo tempore Biniaminica tribus Dux belli constituta, aduersus Amalechitas exercitum in expeditionem eductura est, nulla id ex aliis tribubus detrectante, immò & Iudæ tribu, cuius in bellicis rebus prærogatiua sortitio deferebatur, in illo tamen bello minoris tribus imperium secuturæ. Atq; tota hæc nostra expositio ipso sacræ historiæ loco fundamentum agit.

1 Sam. 15. *Præcepit itaq; Saul populo, & recensuit eos quasi agnos, ducenta millia peditum,*

ditum, & decem millia virorum Iuda &c. Chaldæus autem paraphrastes hunc locum sic interpretatur: Ex domo Ephraim surrexit Iosue filius Nun quondam, & iniuit bellum in domo Ghamalek, post eum surrexit Rex Saul ex domo Biniamin, & occidit domum Ghamalek, & iniuit bellum in reliquis Gentibus. Hæc verò proposita exemplа quinam officiosè imitati fuerint, qui verò contrà neglexerint, subiunctis cõmemorantur versibus: De Machir Principes descenderunt. *ij à quibus bellica exercitatio minùs expectari, minusq; exigi potuisset, tamen suas in eam officij partem operas contulisse laudantur: non tantùm iuuenes, & robusti viri bello apti atque assueti, ex Machiri ac Zabulonis gente venerunt; sed sapientes & studiosi, qui literis & publicis normis, qui paci actogæ opportunis cognoscendis, describendis, & præcipiendis rebus operam nauant; illi etiam descenderunt: & ex Zabulon quoque mercatores, qui diuitiis familiariq; rei augendæ & conficiendæ incumbunt, & longis rationibus componendis vacant. Verbum* MEHHOKKIM, *quod in Machiri commemoratione vsurpatur, Principes in iis, quas exposuimus, artibus significat. In Zabulonis verò mentione duo verba coniuncta* MOSCHIM, & EBESEBET, *protrahentes in stylo, siue in radio interpretari licet. est autem stylus siue radius, Geometrarum, Arithmeticorum, atq; Cosmographorũ instrumentum. quod de scriptoribus minùs propriè vsurpatur: ad quam significationem illa apud Latinos exempla referuntur:* מחקקים

Stylus.

Nec qui Abaci numeros & secto in puluere metas
Scit risisse vafer——— Pers. Sat. 1.
In medio duo signa, Conon, &, quis fuit alter?
Descripsit radio totum qui gentibus orbem, Virg. Eclog. 3.
Tempora quæ messor, quæ curuus arator haberet.

Zabulonitæ qui in littore maris habitabant, & in statione nauium vsq; ad Sidonem pertingentes (sicut Iacob testamento prædicens, destinauerat) eam vitæ & artium partem præcipuè excolebant, quæ maritimis atq; emporiorum vicinis in locis frequentari solent. Erant autem Tyrus atque Sidon celeberrimum totius Orientis emporium. Atque ita verba illa ex Hebraico reddita, Protrahentes in stylo, *eandem nobis significationem referunt, quam Latini Poëtæ versus illi:*

Tyrus, Sidon.

Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere: dicat Hor. Poet.
Filius Albini, si de quincunce relicta est
Vncia, quid superat? poteras dixisse, triens. heus,
Rem poteris seruare tuam. redit vncia, quid fit?
Semis. at hæc animos ærugo, & cura peculi
Cùm semel imbuerit, speramus carmina fingi
Posse linenda cedro, & læui seruanda cupresso?

Res quidem ipsa experientiáque docet, eos qui familiari rei per negotia augendæ, atque mercaturæ sese dediderint, non solùm literarum studia aspernari,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nari, sed à bellicis laboribus & curis abhorrere. Nam hæc tria vitæ genera plurimum inter se differre, antiqui authores obseruauerunt.

Hor. lib. 1. Od. 29.

——Quis neget arduis
Pronos relabi posse riuos
Montibus, & Tiberim reuerti:
Cùm tu coemptos vndique nobiles
Libros Panætii, Socraticam & domum
Mutare loricis Iberis,
Pollicitus meliora, tendis?

Iuuen. Sat. 14.

Sed hic author duorum tantùm generum, hoc est literarum & militiæ studia comparauit; ille verò tertium etiam complexus est. ——At nunc,
Post finem Autumni, media de nocte supinum
Clamosus iuuenem pater excitat: accipe ceras,
Scribe puer, vigila, causas age, perlege rubras
Maiorum leges, aut vitem posce libello.
Sed caput intactum buxo, narésque pilosas
Annoter; & grandes miretur Lælius alas.
Dirue Maurorum attegias, castella Brigantum,
Vt locupletem aquilam tibi sexagesimus annus
Adferat: aut longos castrorum ferre labores
Si piget, & trepido soluunt tibi cornua ventrem
Cum lituis audita, pares quod vendere possis
Pluris dimidio; nec te fastidia mercis
Vilius subeant ablegandæ Tiberim vltra.

Mirari profectò hoc loco subit, vti sæpiùs aliàs, magnum Spiritus sancti artificium, qui vati huic duobus ferè verbis omnem sententiam elegantissimè dictauerit, quam alij authores, ingenio atq; arte præditi, tam multis versibus vix expressêre. Atq; hunc ipsum locum sic Græci interpretes reddiderunt: Ex me Machir descenderunt scrutantes, & de Zabulon potentes in sceptro scribæ. *Chaldæus verò paraphrastes ita exposuit:* Ex domo Machir descenderunt signati in bello, & ex tribu Zabulon scribentes in calamo numeratoris. *Ita laudationis huius sententia colligitur, videlicet ex his quæ commemorantur tribubus, non solùm eos, qui vsu atque exercitatione bello apti erant; sed eos etiam, quorũ studia à bello abhorrerẽt, in auxilium fratribus suis, communi religionis atq; gentis Reipublicæq; causa, vel potiùs pietate, concurrisse. Quibus etiam alij deinceps, eiusdem officij nomine commendandi, adnumerantur.*

Duces Issachar fuêre cum Debora, & Barac vestigia sunt secuti, qui quasi in præceps ac barathrum sẽ discrimini dedit, diuiso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio.

Isacarenses Debora principes
In monte secum fert comites libens,
Barachius in vallem secutum
Hunc populum videt, atque ducit.
Dissentientis pectora Reubeni
Quis non malarum deferat artium?
Quis hos dolose mentis vsque
Liberet, opprobrióq; fraudis?

EORVM *qui officium fecerunt, cum iis qui deseruerunt, exempla comparantur, omnibusq; rerum & actionum deductis & pensatis partibus, alterorum studia probatione & laude; alterorum verò fraudes vituperatione excipiuntur. Cecinerat proximè præcedentibus Machiritarum & Zebulonensium concordiam: quorum quamuis diuersæ artes, tamen ad communem huius belli causam magna animorum conspiratio fuit. Nunc verò Isacarensium rationem probat, qui in eandem expeditionem prodeuntes, inter se diuisi quidem fuêre; ita tamen diuisi, vt ex diuisione, magna animorum tum fortitudo, tum communio constantiaq; probari posset. Namq; hi cùm exercitui illi duo esse capita intellexissent, alterum Deboram, consilij quidẽ Principem & matrem, atq; adeò prophetidem, feminam tamen, & ad res manu gerendas minùs idoneam; alterum verò Barakum, cuius opera & labore conficienda res erat; inito consilio, nobilitas omnis Deboræ in monte conseruandæ, tutandæ, atq;, vbi opus esset, quamcumque in partem iuuandæ, sese sociam dedit: ita vt paucorum, tamen fortiorum, numerus obsequio, studio, & opera Principi feminæ adesset. Cæteri verò omnes, qui numero longè plures erant, Ducem alterum, id est, Barakum, ad rem conficiendam secuti sunt. Namque illic animi constantia, fide, & virium præstantia in quemcumque euentum; hic verò apud expeditionis ministrum, multitudine magis opus erat, quò tam multis hostium turmis conficiendis, iugulandis & confodiendis, idonea militum ac satellitum sufficeret manus. Ita effectum est, vt in hoc bello Debora Regis locum tenere videretur, quam ideo Principibus summisq; virorum ordinibus stipari decuit; Barakus verò Imperatoris, summíve Ducis partes ageret, quas expeditiorem militum manũ sequi oportuit. Ex his omnibus apparet, quantam culpam sustinere debeant ij, quorum nec vlla conspiratio, nec diuisio vlla ad hanc cõmunem causam vtilis fuerit: in primisque Reubenitæ accusantur, qui hac eadem tempestate cùm in auxilium fratrum conspirare & conuenire debuissent, tamen dissedisse atque discordasse arguuntur, ex quo tamen dissidio nulla ad publicam vtilitatem auxilij pars allata fuerit. ita fit, vt nec culpa vacent Reubenitæ, nec mali doli suspicione elabi possint; tamq; ipsi vltro ab aliis tribubus dissederint, vel domestica intestináque dissidia propterea vel mouerint, vel simulauerint, vt fratribus auxilium subsidiumq; postulantibus, ciuilis seditionis metum laboremq; excusarent. hunc nobis sensum facit hemistichium illud:* Diuiso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio. *Quam orationem interpres noster paraphrasticõs ex illis paucis verbis reddidit, quæ Hebraico carmine in hunc modum transferri possunt:* In diuisionibus Reuben, magnæ statutæ cogitationes cordis. *Postrema hæc verba Græci interpretes in hanc sententiam reddidêre:* In diuisionibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

nibus Ruben magnæ indignationes cordis. *Chaldæus verò Paraphrastes ita exponebat*; In semine Reuben multi insidiatores cordis.

Quare habitas inter duos terminos, vt audias sibilos gregum? diuiso contra se Ruben magnanimorum reperta est contentio.

Inter quietos quid iuuat ordines
Cessasse? numnam sibila vt audias
Pastoris & vocem? maligni
Tene animi caruisse culpa?

ANTEA *ab animo, animiq; impulsu; nunc à loco & situ, Reubenitæ* deserti officij accusantur. *Siquidem temporibus duris, quibus de communis ac publicæ rei salute agitur, nullam vel loci, vel negotij, vel priuati muneris excusationem admitti probarive oportet. Quamobrem eleganti redargutionis figura, id est, interrogatione, premuntur Reubenitæ, quòd cæteris ad auxilium communiter ferendum excitatis, atq; vigilantibus, officiumq; facientibus, ipsi tamen, perinde atq; si nihil aliud quod agerent haberent, in otio securè degerent; gregibusq; pascendis, vel potiùs contemplandis vacarent: ita vt per Ironiam dicantur sedis illius vsum sibi gratum optatumq; in hac tantam rem probasse, vt gregum balatus & pastorum sibila audirent, neque aliud sibi dari negotij cogitasse. Ex qua etiam ratione, desertionis maliq; dolo arguuntur, superiori videlicet hemistichio repetito. Hunc verò versum Chaldæus paraphrastes luculenter interpretatus est*: Quare reditis ex exercitu belli, ad sedendum inter terminos, ad audiendum legationem, ad sciendum manum exercitus vincentem in præho, vt sitis cum eo Baracho vos dicentes, Tui nos; & zzizzaræ vos dicentes, Tui nos; num ita rectum vobis ad faciendum domus Reuben? nónne cognouistis, quòd ante eum apertæ cogitationes cordis? *Igitur excusationis argumenta cùm ex loco lociq; importunitate ducta, tum ratione ipsa officij ac debiti, tum etiam aliorum comparatione infringit. Præcipuo quodam iure arguitur tribus illa, & reprehenditur, vtpote quam natura & ordine cæterarum omnium primam, præcipuas etiam in laboribus ac periculis pro omnis generis nominisq; Israelitici gente partes subiisse decuerat oportuerátq; præsertim cùm nulla ex iis, quæ remotiores etiam à Biniaminitis & Zabulonensibus regiones erant, tale quid excusauerit, quo minùs fratribus in auxilium veniret.*

Galaad trans Iordanē quiescebat, & Dan vacabat nauibus; Asser habitabat in littore maris, & in portùbus morabatur.

Iordanis vltra flumina Gilgheditis
Sedem tenebat; Danica nauibus
Plebes morabatur; marinis
Portubus Asserius vacabat.

SI *dicas, inquit, ô Reuben, te vltra fluuium habitantem, atq; à prælij loco nimium remotum, non potuisse tanta celeritate & res tuas componere, & fratribus suppetias ire; ipsis profectò vicinorum exemplis redargutus condemnabere. Nam Manassensium dimidia tribus vltra Iordanem etiam, non secus*

secus atq; tu, habitabat; illi verò negotia & studia priuata communi fratrum causæ posthabuere. Iam hic locus præcedentibus versibus expositus est; De Machir Principes descenderunt. *Danitica verò gens, quæ maritima loca incolebat, longiusq; etiam abesse videbatur, tamen suas partes agere studebat, hoc est, nauibus instructis curare, ne per mare vel hosti subsidiū pararetur, vel fuga pateret. similis quoq; Asseritarum genti in portubus seruandis cura atq; opera ponebatur; ita vt nulla tribus fuerit, quæ vel vocata, vel non vocata, hutus tempestatis diebus in otio atq; ignauia desederit, præter vnicam Reubenitarum gentem. sed præcipuam laudem Zabulon & Nephthali sibi iure vsurpabunt; qui nihil morati, sese periculo obiecerunt, quamquam nihil tunc de auxilio ab aliis exspectando cogitauerint.* Supra.

Zabulon verò & Nephthalim obtulerūt animas suas morti in regione Merome.

Deuota morti pectora Zabulo
Nephthalensi cum populo dabat,
Atque eminentis celsa mentis,
Culmina non trepidi subibant.

OMNIBVS *rerum numeris fortitudinem pietatemq; suam duæ illæ tribus probasse cōmemorantur; quòd non compulsæ, sed vocatæ; non ad monstratam iam victoriam, sed ad creditam tamen; non ad fusum hostium exercitum, sed ad integrum inuadendum; nec speratis, nec promissis ceterorum fratrum auxiliis aut subsidiis; verùm soli, exiguoq; pro rei gerendæ magnitudine, numero, inermes, &, si rerum quidē ratio humanis calculis expendatur, veluti ad necem deducti, tamen vltro, volentes, alacresq; prodierint, seseq; pro religione, pro omni Repub. atque omni gente Israelitarum deuouerint: nec occulto & ad insidias opportuno loco constiterint, sed in editissimo totius agri regionisq; monte; cùm ex ceteris tribubus aly vel cessauerint prorsus, vt Reubenitæ; aly verò, fracto atq; effuso hostili exercitu, nulla periculi opinione retardati, accesserint. Atque huius versus postrema verba Hebraica* GHAL MEROME SADE, *duplicem nobis indicant significationem, cōsultò à Vate (vti sæpè aliàs in sacris carminibus obseruauimus) concinnatam: alteram interpres noster indicauit quidem, nec tamen omnino expressit, nimirū quòd vocabulum* MEROME, *non simpliciter positū intelligeret, quamobrem integrā Hebraicam vocē reliquit. deducitur autem vox hæc à verbo* RVM, *quod altū esse, excellere, præcellere, præstareq; interpretari Latinè possumus. Ita* MEROMEI *plurale nomen, excelsa, & excellentes præstantesq; dicere possumus, & ad loca pariter, atq; ad viros referre.* SADE *verò à* SADAD, *siue* SVD *verbo producta vox, plenitudinem, copiam, abundantiam, integritatem, & quæ ad hoc genus referuntur, vertere licet; eoq; fit, vt pro agro Latinorum vsurpetur, quòd præcipuam rerum ad vitam degendam opportunarum copiam agri suppeditent. Hinc etiam* SADAL, *epitheton Deo fortissimo attributum, deriuatur, quod plerumq; interpres noster omnipotentem interpretatur; nos verò Hispanicè* abbastado *dicere solemus. & quoniam commodè nunc indicare hoc possumus, voces*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mat. *illas* SAT, *&* SATIS, *Latinis frequentißimè vſurpatas, ex hoc ipſo antiquißimo primæuæ linguæ verbo* SAD *natas arbitramur. Igitur duplex nobis elucet in his verbis ſententia: altera, Zabulonitas & Nephthalitas, vltro ſeſe periculo pro ſalute publica offerentes, conſpicuũ fortißimæ virtutis ſpectaculũ edidiſſe; conſeſo videlicet editißimo totius regionis loco, hoc eſt, Tabore monte: altera verò, quæ huic etiam adiungitur, eoſdem omniũ fortißimorum, & nomine ac fama præſtantium, exemplum eodem officio longè ſuperaſſe: ita vt duabus expoſitionibus coniunctis, illud conficiatur:* Obtulerũt animas ſuas morti in regione altitudinum, ſiue in editiſſimis agri vel regionis, idque ſupereminentes præſtantia, *vltra eminentiſſimos præſtantiſſimosq; antiquorum. Perſtat autem in Reubenitis deſerti officij inſimulandis, comparatione non modò cæterarum tribuum, ſed hoſtium etiam gentium contentione.*

Venerunt Reges, & pugnauerunt; pugnauerunt Reges Chanaan in Thane iuxta aquas Maggedo, & tamen nihil tulere prædantes.

Coniuncta Regum bella iuuet manus
Quos miſit atrox æmula Chanaan.
Hos nullius argenti ad pericla
Egit amor, ſtudiúmve prædæ.

CHANANÆORVM *Regum animos, ſtudium, curam, & operã commendare ideo videtur, vt ex illorum comparatione hos omnes impenſiùs reprehendat, qui Zabulonitis & Nephthalitis debuiſſent adeſſe, tamen defuerant. Nam Chananæi Reges Iabinienſes partes ſecuti, ſuas copias ad illud bellum contulere; neq; verò id mercede conducti fecerant, nec prædæ ſpe ſuſceperant; ſed tantùm vt vicinum Principem, tyrannidem ſuam conſeruare cupientem, ſeruarent. Porrò hi nec numerum tantùm hoſtium auxerant, nec ſpectatores otioſos ſeſe præbuerant: ſed operam ſuam ſedulò ſocijs præſtiterant pugnando, idq; non ſemel, ſed in Thaghanach primùm, atque etiam apud aquas Maghedo, loci oportunitate ad pugnam captata, cùm flumen pro muro haberent, cuius præſidio à tergo ſidentes, manum cum Iſraelitis fortiter conſerere tentarunt.*

Pugnauerunt, pugnauerunt Reges Chanaan in Thane, iuxta aquas Maggedo, & tamen nihil tulere prædantes.

Hos nempe vidit Thaghnaca ferre opem
Genti ſuorum: vidit & acriter
Depræliantes: hóſq; largo
Purpureo Megidon cruore.

REPETITIO *verbi*, pugnauerunt, *amplificationem ſtudij ſignificat. hoſtes illos narrat non ſemel, nec vulgariter pugnaſſe; imò non tantùm peditum equitumq; turmas, ſed ipſos etiam Reges promptam manũ operam in prælio poſuiſſe, ait.* Pugnauerunt Reges Chanaan. *Cùm rarum exemplum ſit Regum, aliorum cauſa pugnantium manumq; conferentium; eorumq; ſatis commodum auxilium exiſtimetur, ſi conſilio & potentia auctoritateq; deducti milites vtantur; & tamen hi pugnaſſe memorentur; vt populo*

pulo in fugam verſo & pudorem retinerent, & animos reuocarent, atque augerent, & tamen nihil tulerint prædantes: hinc comparatio ſumitur & argumentum ad Reubenitas notandos, quos etiam oportuit auxilium fratribus attuliſſe; propter communem ſalutem, atq; etiam prædæ ſpem, nõ parua profectò meritorũ præmia laturos ex tanti belli tantiſq; multorum ſpoliis hoſtium. Verumenimuero nec iſtorum, nec omnium quicũque abfuere, abeſſeq; potuere, defectus, incommodi aut moræ aut difficultatis quicquã attulit, quo minùs inſignis hæc victoria integra, plena, opima, atq; celerrima, breuiſſimo tempore ijs conſtaret, qui vocati affuerunt, magis adeò vt fidem ſedulitatemq; ſuã probarent, quàm vt ipſi rem conficerent: hoc eſt, vt exigua inermium manus tantas hoſtiũ copias, tamq; inſtructas, profligaret ac perderet. Verùm ſtudiũ quidẽ eorum qui ſeſe Deo pios obſequentesq; præbuere, officij nomine probatũ eſt: res verò horum quidem opera, quamuis exigua, Deo volente virtutemq; ſufficiente, geſta confectaq; fuit. Namque

De cælo dimicatum eſt contra eos, ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo aduerſus Siſaran pugnauerunt.

Inſtructa certos aſtra per ordines
Inſanientem & cadere ZZIZZARAN,
Et viſa pugnare, & ſuperbas
Sternere humi, ſine clade, turmas.

TANTAM *hoſtium ſtragem tanta celeritate editam, nulli alij, quàm ſingulari Dei prouidentiæ, adſcribi poſſe ait, qui cæleſtis militiæ virtutem in impiorum exercitu perdendo exercuerit. hæc ſimul & poëticè canuntur, & verè affirmantur; eoq; pertinent, vt victoria miraculo parta fuiſſe declaretur. Nec enim magna virtus, niſi à maiori, ſuperari poteſt; nec inſtructæ ordinibus apparatúque munitæ copiæ, niſi ab inſtructioribus firmioribuſq; funduntur. hoſtium copiæ magnæ valdèque inſtructæ fuerant: conſequitur igitur (cùm nullæ in terris tunc ſimiles apparerent) ab iis fuiſſe diſſipatos hoſtes, quæ ordines ſuos firmiſſimè conſeruant, & efficaciſſimè exacto parentes præbent. Sicut ſcriptum eſt: Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes ſe, & in eis qui ſperant in miſericordia eius. Atq; hac etiam ratione amplificatur crimen eorum, qui illi ſacro bello cùm intereſſe debuiſſent, non interfuere tamen; quando cælorum etiam virtus obſequium Deo ad illam rem præbuerit: nec verò cæli tantùm, ſed inferiora quoque loca, vt flumina & ſitus ipſe & hoſtibus optata perniciem quoque attulerint.* Pſal. 146.

Torrens Cyſon traxit cadauera eorum, torrẽs Cadumim, torrens Cyſon: conculca anima mea robuſtos.

Chiſon cruentis vorticibus tumens
Voluebat vrgens rapta cadauera.
Dicebat huic torrens Kedumim,
Agmina contegimus potentum.

MAXIMAM *hoſtium illo in bello conturbationem, ſtragem & cladem, fluminibus illis Chiſone & Cadumino factam, carmen hoc indicat. Cui*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psal.54. „ *etiam illud à Psalte decantatum adstipulatur: Fac illis sicut Madian & Sisaræ, sicut Iabin in torrente Cyson. Atq; hunc quidem locum, munimenti*

Loca ad bellum. *causa sibi optatum, hostes incommodissimũ experti fuere. Est enim locorum ratio in bellicis commoditatibus cum primis commendata: atq; in eo genere*

Flumina. *præcipuam partem fluminum opportunitas sibi vendicat, cùm ad alia multa, tum ad firmitudinem ex eo latere exercitui, propugnaculi à natura dati vsu, sibi statuendã, atq; etiam ad propriorum militum fugam coërcendam, animumq; confirmandum. vtpote quibus illa parte effugere minimè licet, aut eodem loco vincendum, aut pereundum sit, nisi virtus adsit, qua per medios irrumpatur hostes. Legendi de hac re Vegetius ac Frontinus. Verùm omnia hæc nihil prodesse, imò magis etiam obesse iis, quos Deus victos perditosq; voluerit, illustria in sacris prophanisq; historiis exemplа declarant.*

Psal.3. „ *Quippe salus Domini est, & super populum tuum benedictio tua. Euenit autem, vt perterrefacti hostes, partim sese fluminibus, euadendi causa, committerent; partim etiam instantium & propellentiũ impetu, præcipites darentur; præterea & ipsorum fluminum alueis immersi, & vndis rapti ac prouoluti, perirent: hoc autem pacto & flumina, & vndæ, atq; adeò natura omnis, Dei bellum promoueret. Hebraicũ carmen decenti translatione rem describit:* Flumen Chison verrit eos. *Quæ verò versum hunc claudunt verba,* Torrens Cyson conculca anima mea robustos; *ita ex Hebraico reddi etiam possunt,* Torrentem Cyon calcabis anima mea fortitudine. *Atque hoc exponi tribus modis potest, in eandem tamen sententiam. Vel quòd ipsos hostes in flumine stratos, sibi conculcatu faciles fuisse dicat, quod Latina nostra, hoc est, vulgata, versio innuit: vel quòd affirmet, flumen illud hostibus elabi volentibus vadum transitumq; negasse, sibi verò, hoc est, Deboræ & victrici parti, sese calcandum peruadendumq; præbuisse, instar quondam rubri maris, atq; Iordanis fluuij, ita vt non timidè aut temere, sed fortiter atq; potenter, constantiq; animo, non minùs in flumine quàm in sicco solo, pugnatum fuerit ab Israelitis: vel quòd poëticè inducatur fluuius ipse suas etiam partes agens, atq; commemorans, seq; ipsum ad iuuanda Dei bella hortatus dicat:* Conculca anima mea fortiter Dei hostes. *Nam Hebraico idiotismo idem significat* anima mea, *quod ego ipse. Bis autem repetitum huius fluuij nomen, maximam stragis partem in ipso editam indicat: quamobrem huius tantùm fluminis mentio à Psalte facta fuisse videtur. Iam verò quemadmodum non opportunitate, vel aquarum vi & impetu tantùm, sed ipsa etiam natura & virtute, flumina hæc pariendam victoriam iuuerint, deinceps Vates exponit:*

Vngulæ equorum ceciderunt fugientibus impetu, & per præceps ruentibus fortissimis hostium.

Tunc præcalentis quadrupedis furens
Feruor salutis concidit vngulas:
Clamor, tumultus, vox cadentum,
Et fremitus sonitúsque equorum.

DECLARAT, *quemadmodum id, quod hostes sibi commodum opportunumq;*

tunumq; fore putauerant, importunum atq; exitiale demum senserint, nimirum quòd equorum vngulæ, impotenti furoris, cursus, atq; laboris vi calentes, cùm primùm aquas subiere, fissæ atq; hiantes, equorum curruúmque vsum inutilissimũ bellantibus dominis reddiderint: atq; ita tum aquis impeditis, tum dolentium equorum hinnitu & sono, tum etiam cadentium, oppressorum, & vulneratorum clamore, magna meuitabilisq; ipsis clades & pernicies, animorumq; turbatio ad exitium vsque acciderint. Ceciderunt. *Hebraicum verbũ casus causam indicat,* Contusæ ac fissę sunt. HALMV. *quod Græci cõsequi volentes ἀπερθάπησαν descripserunt. Hactenus remotiora auxilia earũ tribuũ, quæ huc cõcurrerant; atq; etiã cæli & stellarũ, deinde etiam proxima, aquarũ, fluminum, & loci in quo pugna commissa fuerat, cõmemorata, & ad laudem etiam appellata, atq; ad diuinæ gratulationis partes vocata sunt, reprehensis culpatisq; iis, qui cùm venire potuissent ac debuissent, tamen cessare deprehensi fuerunt, quibus nulla interuallorũ aut negotiorũ exceptio admittenda censebatur. Nunc verò longè grauiùs ac diuiùs detestandam esse ait eorum negligentiam, vel desidiam, siue malitiam potiùs, qui cùm proximi & pugnæ & loco fuissent, in otio tamen atque ignauia torpentes, vel malæ mentis vitio laborantes, ab illius expeditionis communione sese abalienarunt.*

Maledicite terræ Meroz dicit Angelus Domini: maledicite habitatoribus eius. Quia non venerunt ad auxilium Domini, in adiutorium fortissimorum eius.

Magno Merozæ dedecore indite
Infame nomen (sic iubet Angelus
IÆ) & malignam deuouentes
Ingerite mala probra in vrbem.
Namq; illa & Jæ prælia vindicis,
Et dimicantum robora fortium
Spectabat, at nec his, neq; vllo
Subsidio veniebat IÆ.

QVOD *reprehensione & nota aduersum Reubenitas, atq; illorum similes cessatores, agendum antea decerneret, nec tamen duriùs etiam illos insectaretur; in causa fuit excusatio aliqua vel interualli, vel dubitij, saltem inepta; cuiusmodi cùm nullã Merozitis suppetere posse intelligat, maledicta & probra, atq; imprecationũ verba adhibenda censet; idq; non sua tantùm sententia, sed diuino monitu fieri suadet, ac iubet. Namque hi nec longè aberant, nec vllo impedimento ab auxilio ferendo detinebantur; præcipuè cùm bellum illud Domini esse scirent, & per fortissimos fideq; constantes viros geri intelligerent, quibus militibus, cuiq; Duci non adesse, impietati magis, quàm timiditati adscribendum esse arbitratur: ideoq; grauiori etiam opprobrio damnandos, traducendosq; statuit.* Dicit Angelus Domini. *Quamquam canticum omne hoc, prophetico spiritu dictatum & pronunciatum credi oporteat; tamen si maximè quis argumenta sensaq; ipsa à Deo profecta; canentis verò Vatis affectibus & verbis, orationibus, atque adeò ingenio elaboratam, ornatamq; esse existimet; hanc tamen partem, qua de Me-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rozæ crimine, atque etiam proximam, qua de Iahelis fortitudine agitur, & rebus & verbis ipsis planè diuinitus dictatas, exceptasq́, Vates affirmat: quapropter omni studio prorsus obseruandas docet. Atq́, hæc expositionis figura cùm in omni orationis genere, tum verò in poëtica elocutione, ad confirmandam amplificandámque rem, ponderis ac momenti quàm plurimum habet. Vt illud:

Iuu. Sat. 8. Quod modò proposui, non est sententia; verùm
Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.

Itaque probra & maledicta hæc, quæ Merozitis inferri non semel præcipit, non suo priuato odio, verùm diuino consilio ac iudicio profecta affirmat,

Poëtica allegatio. Dicit Angelus Domini. *Vt Poëtæ in grauissimis rebus Musas Apollinésque suos auctores falsò laudant: sic vates hæc diuinæ voluntatis ministrum Angelum, cantici huius dictatorem verissimè profitetur. Siquidem*

Heb. 1. „ *multifariam multísque modis olim Deus per Angelos ad Patres locutus*
„ *est in Prophetis.*

Benedicta inter mulieres Iahel vxor Abner Cinæi; & benedicatur in tabernaculo suo.

Hebri benignam Iaghela coniugem
Non desinendis dicite laudibus,
Quas nulla degens per vagantes
Vsq́, domos mulier reportet.

CÆTERIS *omnibus, qui voluntatem operamq́, suam ad illam sacram expeditionem contulerant, ad laudum & gratulationis cõmunionem in genere appellatis, singularem prærogatiuam vni Iaheli feminæ adscribit, cuius vt opera & virtus postremam victoriæ manum imposuisse videtur; ita etiam nomen singulariter celebratum est, atque ad carminis & Laudationis finem consultò dilatum. eadem videlicet auctoritate, qua detestationes & maledicta in Merozam dici iubebantur: hoc est, auctoritate & iussu Angeli Domini. atque vt illorum culpæ, huius feminæ officium oppositum est, ita & illarum precum acerbitati, laudis & commendationis huius dulcedo opponitur. Comparantur autem personæ, personis; conditio, conditionibus, & obligationi, vt sic loquamur, obligatio. Merozitæ quidẽ & incolæ erant, communem cum cæteris populis Rempub. fortiti, & viri, & multi: sed tamen ad auxiliũ Domini venerunt minimè. Iahel autem femina fuit vnica, nec incola, sed hospes, nec certam sedem habens, verùm quam pro commodo suo mutare poterat, atq́, etiam eodem loco retinere; vtpote quæ Aber Cinæi vxor esset, cui gratia amicitiáque cũ Iabino constabat: & tamen non leuem aut simplicẽ, nec vulgarem operam præstitit; sed quæ cum magno studio admirabilem fortitudinem probet. Id quod facti expositione continuò declarabitur. Quòd verò præ cæteris mulieribus laude atque cõmendatione hanc dignam esse ait, non ad vniuersum feminarum genus, sed ad suum tantùm conditionis ac loci ordinem referimus; hoc est; ad eas quæ eandem vitæ formam colerent, in tentoriisq́, per agros habitarent, aut vagarentur; quarum nulla tantum facinus, tanta dexteritate ac felicitate, peregisse memoratur,*

ideoq́, nulla tantis laudibus præmiisq́, digna censenda est. Nam supremam vltra omnes mulieres laudem & gratiam, summúmque decus vni Mariæ, perpetuæ Virgini, Iesù Christi matri, adscribi Deus voluit. Hanc explicationem tum res ipsa ratioq́, verisimè suggerit; tum etiam sacri sermonis simplex lectio interpretatioq́, docet. Benedicetur præ mulieribus Iaghel vxor Heber Kenei. *præ mulieribus*, In tabernaculo benedicetur. *præ mulieribus, ait, in tabernaculo degẽtibus, eodẽ orationis tropo quo ille dixit,* Fortissima Tyndaridarum. *Atq́, hanc de feminæ illius virtute ac laude sententiã, strenuè, fortiter, ac piè gestæ rei narratione & expositione cõfirmat.*

Maria virgo mater.

Horat. 1. Serm. 1.

Aquam petenti lac dedit, & in phiala Principum obtulit butyrum.

Lac dulce plenis largiùs vtribus
Lympham petenti sufficit, & virum
Cremore permulcens inerti
Cauta premit, sepelitq́, somno.

STVDIVM, *voluntatem, & industriam, atque omnem animi attentionem, excogitatæ subitò atq́, expeditæ actionis descriptio indicat: opportunitatem autem hominis affectione natam, Dei prouidentiæ adscribendam docet. Quòd hostis quamprimum fessus cubuit, aquam petierit: quòd illa, cùm aquam præbere posset, lac tamen dederit, cuius vis sopire magis, quàm sitim extinguere posset: quod tamen cùm lassis non ita conueniat, vtpote quibus ventriculi calor, si vehementior æquo est, exuri lac, caputq́, tentare faciat; si minor, acescere cogat: tamen illa adeò prudẽter præbuit, vt recusare ille non potuerit, nimirum lassus, mœstus, turbatus, & qui animi dolorem & timorem quocumque modo pressum imminutumq́, vellet, maximè verò dulciori potu allectus, lactis inquam pinguissimi, ex quo nulla butyri secreta fuerat pars.* In phiala Principum. *In disputatione de re vasaria, de toto hoc genere diligentiùs disseremus, Deo votis annuente. Latinus interpres Chaldæum paraphrastẽ secutus est. nos phialam hoc loco coriaceum vas intelligimus, quod vt largiùs epotaretur, plenum à Iahele propinatum est.* Principum, *id est, quæ valentes potores deceret.* ADIRIM, *fortes & potentes* *propriè significat; atque ad Principes per analogiam transfertur. hoc loco verbum pro argumenti ratione exponendum est. Nam fortes etiam dici solent qui aliàs acres potores appellantur. vt illud:*

Lac.

Phiala.

Horat serm. lib. 2. sat. 8.

Siccat inæquales calices conuiua solutus
Legibus insanis, seu quis capit acria fortis
Pocula, seu modicis humescit lætiùs.

Sinistram manum misit ad clauum, & dexteram ad fabrorum malleos: percussitq́. Sisaram, quærens in capite vulneri locum, & rempus validè perforans. Inter pedes

Ad̃o sinistra fortiter in caput
Clauo, ministrum dextera malleum
Impingit altè, & comminutum
ZZizzareum cerebrum tutudit.
Confixus inter femineos pedes
Angustiori concidit in solo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ruit, defecit, & mortuus est, voluebatur ante pedes eius, & iacebat exanimis ac miserabilis.

Et sese contorquens iniquum
Exiguus spacium metitur.

TANTÆ *superbiæ exitum quisquis attentiùs contemplatus fuerit, sese diuinæ ac potentißimæ manui modestißimum deditißimumq́ permittere, consultißimum ducet. Constat autem descriptio hæc collationibus rerum & personarum, temporum, institutorum, affectionum, studiorũ, apparatuum, actionum, ac demum euentuum, quibus hominum vanæ cogitationes Deo*

Psal. 2. „ *non modò ridiculæ, verùm odiosæ etiam ostenduntur. S. S. E. Qui habitat*
„ *in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Tunc loquetur ad eos*
„ *in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Huiusmodi exempla sapientiores inter Gentium populos ad vitæ modestiam, actionúmque temperantiam hominibus obijcere solent.*

Iuu. Sat. 10.

Expende Hannibalem: quot libras in duce summo
Inuenies? hic est, quem non capit Africa Mauro
Perfusa Oceano, Niloque admota tepenti.
Rursus ad Æthiopum populos, aliosque Elephantos,
Additur imperiis Hispania, Pyrenæum
Transilit. opposuit natura Alpemque, niuemque;
Diduxit scopulos, & montem rupit aceto.
Iam tenet Italiam; tamen vltrà pergere tendit.
Actum, inquit, nihil est, ni Pœno milite portas
Frangimus, & media vexillum pono suburra.
O qualis facies, & quali digna tabella,
Cum Getula ducem portaret bellua luscum.
Exitus ergo quis est? ô gloria, vincitur idem
Nempe & in exilium præceps fugit, atque ibi magnus
Mirandusque cliens sedet ad prætoria regis,
Donec Bithyno libeat vigilare tyranno.
Finem animæ, quæ res, humanas miscuit olim,
Non gladij, non saxa dabunt, non tela, sed ille
Cannarum vindex, ac tanti sanguinis vltor
Annulus. I demens, & sæuas curre per Alpeis,
Vt pueris placeas, & declamatio fias.

Longè autem obscurius, humilius, & probro propius huius, qui nunc commemoratur, summi Ducis exemplum, quàm Hannibalis est. Nam quòd ille fuga primùm salutem sibi consuluerit, quòd tentata postea, & tandem desperata suarum instauratione rerum, ipse sibi suo annulo mortem conciverit, exitus ille vtcumque hominis est, hominis verò, iuxta suam ipsorum disciplinam, & sententiam, atrocis fortisque animi, qui nulli alij præterquam sibi ipsi cedere voluerit. Namque olim, quod naturæ lege admittere non licet, vt sibi quisquam manus inferat, tamen nonnullorum opinione hominum,

minum, ignominiosæ vitæ, aut inimicorum insolentiori, insultationi, anteponendum censebatur. vti ille cantabat:

Audire & magnos iam videor duces,
Non indecoro puluere sordidos,
Et cuncta terrarum subacta,
Præter atrocem animum Catonis. Hor. 2. Od. 1

Verùm de hoc argumento differendi locus ac tempus aliàs dabitur. Nunc verò ad ictium magni Ducis ignobilem exitum commentando conuersi, dicimus hanc habitus, casus, & mortis descriptionem consultò à sacra Vate factam humanæ gloriæ ac superbiæ retundendæ causa. Nemo enim vir non huiusmodi mortem pudendam ducet, vt qui tanto hodie exercitu, tanta fulcatorum curruum multitudine, crudelißimum exitium Israelitis minatus afferre se putabat, illo tanto apparatu in ignominiosum vitæ suæ finem prodijsse arguatur, quippe qui non vt homo, sed vt sus potiùs lacte & somno ebrius, ante feminæ pedes impacto temporibus paxillo pronolutus ceciderit, & exspirauerit. Componere quidem Poëtæ solent huiusmodi magnorum virorum exitus, siue tragica siue satyrica oratione, dum vitæ miseriã ad humanarum mutationem rerum indicare volunt. quale illud nunc occurrit:

Incolumi Troia Priamus venisset ad vmbras
Assaraci magnis solennibus, Hectore funus
Portante, & reliquis fratrum cernicibus, inter
Iliadum lachrymas, vt primos edere planctus
Cassandra inciperet, scissaque Polyxena palla.
Si foret extinctus diuerso tempore, quo iam
Cœperat audaces Paris ædificare carinas.
Longa dies igitur quid contulit? omnia vidit
Euersa, & flammis Asiam ferroque cadentem.
Tum miles tremulus posita tulit arma tiara,
Et cadit ante aras magni Iouis, vt vetulus bos,
Qui domini gladiis tenue ac miserabile collum
Præbet ab ingrato iam fastiditus aratro.
Exitus ille vtcumque hominis, sed torua canino
Latrauit rictu, quæ post hunc vixerat vxor. Iuu. Sat. 10.

Atqui huius feminæ miserabilißimi exitus exemplum ab authoribus positum, longè vincitur illo, quod in sacra historia de Iabino tam multis narratur verbis: Inter pedes eius ruit, defecit, & mortuus est, voluebatur ante pedes eius: iacebat exanimis & miserabilis. *Hebraicè sic*, Inter pedes eius ineuruatus genu est, cecidit, vbi curuatus genu est. *Ibidem*, cecidit [mente] abreptus. *Quibus verò armis percussus perierit, ad ignominiæ amplificationem, non dißimulandum Vates duxit. Clauo nimirum transfixus, temporibus plaga non etiam ferro inflicta, sed ligneo malleo, quo lini contusores vtuntur.* Ad fabrorum malleos. *Hebraicum nomen* HALMVTH, *id lignum quod describimus significat: atq; expositionis causa adiunctum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

iunctum est possessiuum GHAMALIM, Laborantium, *quòd videlicet eiusmodi arte, illius domus familia exerceretur. Nec enim qui agris peruagabantur, otiosè agere poterant; nec aliis agriculturæ partibus vacare, nisi iis quæ cum vitæ ratione conuenirent: cùm nec hortos, nec vineta colerent, sed pecuariæ rei, vel frumentis & lino, atque eiusmodi (quæ plus quàm annuas non postulant curas) operam dare solebant. Atq; ad hanc rationem exponendum est nomen* fabrorum, *ab interprete nostro redditũ pro* GHAMELIM. *Igitur huius hominis catastrophe, grauissimum exemplum præbet mortalibus, ad superbiam, ambitionem, & humanam gloriam fugiendam; maximè verò ad impietatem, improbitatemq; omnem vitandam: vt quæ magno apparatu, molimine, atque labore nihil demum pariant, præter infelices miserrimosq; exitus, cum magna ipsorum authorum ignominia, magnoq; sui generis, atq; eorum præcipuè, quibus cari sunt, dolore, pudore, atq; dedecore, quæ etiam non leuis infelicitatis pars, imò grauissima omnino hominibus habetur. Siquidem*

Iuu. Sat. 10.

Bellorum exuuiæ, truncis affixa trophæis
Lorica, & fracta de casside buccula pendens,
Et curtum temone iugum, victæque triremis
Aplustre, & summo tristis captiuus in arcu
Humanis maiora bonis creduntur: ad hæc se
Romanus, Graiusque, ac Barbarus Induperator
Erexit; causas discriminis atque laboris
Inde habuit: tanto maior famæ sitis est, quàm
Virtutis: quis enim virtutem amplectitur ipsam
Præmia si tollas? patriam tamen obruit olim
Gloria paucorum, & laudis titulique cupido
Hæsuri saxis cinerum custodibus, ad quæ
Discutienda valent sterilis mala robora fici:
Quandoquidem data sunt ipsis quoque fata sepulchris.

Qualem ergo euentum impij huius hominis ambitio, superbia, & crudelitas habuerit, ex eiusdem fuga & nece cognouimus; quantum etiam doloris ac dedecoris parentibus, cognatis, amicis, atque omni suæ genti impresserit, exspectatione ac votis cum exitu ipso comparatis metiri licebit.

Per fenestram respiciens vlulabat mater eius: & de cœnaculo loquebatur: Cur moratur regredi currus eius? quare tardauerunt pedes quadrigarum illius?

Fixo è fenestris lumine ZZIZZARA,
Immota mater prospicit in vias,
Et cantat expectans moratos
Iam nimium queriturq; currus.

OPORTET *iuuenem adhuc fuisse Zzizzaram, vtpote quem mater superstes anxiè exspectaret: cuius vota quanta qualiaq; fuerint, ipsa mulieris oratio indicat, nimirum victoriæ celerrimæ, atq; opimis spoliis, diuitiisq; predæ glorioſissimæ: quam cùm vltra opinionem tardari videret, materno affectu*

fectu & amore impatiens iam accusabat; nihil tamen minùs, quàm infelicitatem cogitans: ita vt differri magis, quàm turbari suam lætitiam quereretur. adeò aliàs certam sibi nati virtute ac felicitate spem ipsa conceperat. Atque exspectantis matris affectus ipso habitu & situ indicatur, quòd ea ex feneſtra in agros viásque prospiceret, idque tam breui post filij discessum tempore, quæ descriptio insignem illam, à Latino Poëta decantatam, exspectationem longè superat:

Vt mater iuuenem, quem Notus inuido
Flatu Carpathij trans maris æquora
Cunctantem spatio longiùs annuo
Dulci detinet à domo:
Votis ominibusque & precibus vocat,
Curuo nec faciem littore demouet, &c.

Hor. lib. 4. Od. 1.

Non tanto ex desiderio, quoniam desiderare nimium esset tempestiuum, matris omnia sibi secunda pollicitæ, verùm tanto ac maiori etiã affectu feruentis illa oratio interrogatioq; effluebat. Hebraicum carmen prospectionis locum bis cõmemorat, Per HAHALON spectabat & canebat mater Zzizzaræ, per HAESNAB, &c. HHALON: *commune nomen est omnibus aperturis, queis lumen in domum admittitur, præter portam.* ESNAB *verò bis tantùm in sacris scriptis repertum, certæ alicuius formæ ad prospicientium commodè locum significat: quod Latinus interpres, in Salomonis Cantico, cancellos dixit. Atq; ex hac voce* Esnab; *si nostram de linguarum affinitate coniecturam sequamur; Latinum nomen* Fenestra *factum videtur. Nam si vltimam syllabam, quæ ad claudenda quàm plurima nomina communis esse solet, demamus (quippe ter, tera, tra, trum, tantùm ad compositionem Latinis adscitæ fuerunt, vt magister, pater, frater, dextera, sinistra, dextrum, theatrum, &c.) relinquetur nobis* FENES. *hinc exceptis vocalibus, constabunt litteræ tres* FNS. *quòd si tenuem in crassiorem, vti sæpiùs fit, vertamus, fiet,* SNF, *& per metathesin* FNS, *quæ adiunctis vocalibus,* FENES, *faciant: atq; ita nostrorum fenestram confectã arbitramur. vtcumq; sit, duo loca fuisse intelligimus, ex quibus mater exspectatum iuuenem non prospiciens modò, sed prospectans opertebatur; facitq; repetitio & locorum mutatio ad affectuũ amplificationem, ostenditq; illam non ex vno loco, sed ex alio atque alio, vnde variæ viæ dispici poterant, exspectasse, aspectasque frequentiùs. Hispanicè,* Por ventanas, por corredores miraua. *& canebat. canticum querelæ admixtum vox* THEIABEB *significat, qualem philomelæ, atque eiusmodi auibus Latini poëtæ adscribunt. Atq; existimare quidem possumus huiusmodi canticum, quæ & à Zzizzaræ matre conquerendo, & ab aliis mulieribus respondendo canebantur, sortium superstitione non vacasse. Namq; huiusmodi auguriorum captatione omnis illa Gentium antiquitas abundabat; maximè verò eares à mulieribus obseruabatur. tale illud exemplum exstat:*

Ter, terã, Latinorum.

Auguria.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Trib. Eleg. 1.

Deliâ non vsque est, quæ me cùm mitteret vrbe,
Dicitur ante omnes consuluisse Deos.
Illa sacras puero sortes ter sustulit; illi
Rettulit è triuiis omnia certa puer.
Cuncta dabant reditus; tamen est deterrita nunquam,
Quin fieret, nostras respiceretque vias.

A quo ritu matris huius querelam non alienam esse arbitramur. Idq. etiam ipsa quæ subiunguntur carmina, personarum etiam collationis ratione obseruata, indicare nobis videntur.

Vna sapientior cæteris vxoribus, eius hæc socrui verba respondit.

Illi vicissimq, omina fœminæ
Docti perita carminis accinunt,
Quæcumque præstantes maritos
Vsque manent, memorantq, voto.

PRINCIPI *mulieri, atque summi Imperatoris matri, plures alias nobiles etiam fœminas, quarum viri Ducem in bellũ secuti fuerant, adfuisse consentaneum est, omnésque dominæ exspectatione simili, pro suo quamque pignore, laborasse oportuit. Inter eas autem non defuisse aliquas, quæ sortium, auguriorum, atque ominũ callentes artem, illo ipso tempore, cum mætre exercerent. Has Debora sapientiores appellat, quòd & augurandi, & canendi cæteris peritiores essent, atque aliis etiam sortes ducerent. Namque studium hoc nonnullis nobilioribus fœminis non vulgariter aut segniter quondam fuisse cultum, vel illo testimonio cognouimus:*

Ilius occursus etiam vitare memento,
In cuius manibus, ceu pingoia succina, tritas
Cernis ephemeridas, quæ nullum consulit, & iam
Consulitur: quæ castra viro patriámque petente
Non ibit pariter numeris reuocata Thrasilli.
Ad primum lapidem vectari cùm placet, hora
Sumitur ex libro: si prurit frictus ocelli
Angulus, inspecta genesi collyria poscit.
Ægra licet iaceat, capiendo nulla videtur
Aptior hora cibo, nisi quam dederit Petosiris.
Si mediocris erit, spatium lustrabit vtrumque
Metarum, & sortes ducet, frontemque manumque
Præbebit vati crebrum poppisma roganti.
Plebeium in circo positum est, & in aggere fatum.

Fast. lib. 6.

Quod verò Latinus interpres Vnam ex vxoribus, *vtpote cæteris sapientiorem, socrui respondisse interpretatus est; id ad rei rationem singulariter explicandam feciſſe videtur: quandoquidem non omnes pariter responsum idé & cogitare, & edere potuerint; sed nunc hæc, nunc illa suas partes agebant. Hebraicum certè Deboræ carmen illas vicissim respondisse declarat, huiusmodi ferè verbis:* Sapientes Principum eius respondebunt, etiam ipsa reddit dicta sua sibi. *Chaldæus verò paraphrastes:* Sapientes præcipuorum

puorum eius respondebant ei, etiam ipsa in sapientia sua referebat ad dicendum eis. *Græci verò interpretes eandem sententiam sic reddidere:* Sapientes Principum illius responderunt ad illam: illa autem respondit in verbis suis. *Omnia hæc eam, quam commemorauimus, ducendarum dicendarúmque sortium rationem significant: quid verò certi illis suæ retulerint sortes, audire iam licet.*

Forsitan nunc diuidit spolia, & pulcherrima feminarum eligitur ei, vestes diuersorum colorum Sisarę traduntur in prædam, & supellex varia ad ornanda colla cõgeritur.

Cessare mater nil queritor, grauis
Quos præda dulci detinet à domo,
Ac diuidendis multa opimis
In spoliis studium retardat.
Huic vnæ virgo, ast huic detur altera;
Huic purpurarum sit geminus nitor,
Auriq, splendentisq, lanæ
Dona duci repetita cedant.
Iam iam decorum duplice Zizzaram
Curvus reducet munere purpura.
Iam colla fulgentemq, gemmis,
Punicco & varium colore.

PRÆCIPVÆ *atque optimæ prædæ caput, captas in bello virgines olim fuisse, historici, & pœtæ ferè omnes commemorant, atq, eam partem primam in diuisionem venisse, proq, bellatorum ordine, loco, & meritis distributam; nimirum iunioribus primo loco gratissimam, quòd militaris feruor & ardor cum nequitia atq, petulantia veluti coniunctus esse videatur: vnde etiam Martem Veneri addictum non indoctè fabulabantur antiqui. Atque omnis quidem Homeri Ilias ex hoc argumento profecta est: quam Latinorum Pindarus breuissimis complectitur carminibus:*

Ne sit ancillæ tibi amor pudori
Xantia Phoceu. priùs, insolentem
Serua Briseis niueo colore
Mouit Achillem.
Monit Aiacem Telamone natum
Forma captiuæ dominum Tecmessæ,
Arsit Atrides medio in triumpho
Virgine rapta.

Hor. lib. 1. Od. 4.

Idem etiam ad Iccium sic scribit:

Icci beatis nunc Arabum inuides
Gazis, & acrem militiam paras
Non antè deuictis Sabeæ
Regibus, horribilique Mœdo
Nectis catenas, quæ tibi virginum
Sponso necato barbara seruiet?

Lib. 1. Od. 29.

Atque hoc prædæ genus pro meritorum iure distributum præmiũ apud Homerũ appellatur. Igitur tum Zizaræ mater, tum aliæ etiam augurandi

peritæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

peritæ, & Duci & Ducis comitibus bene ominatæ felicem, fauſtam, fortunatamq; illorum reditus moram, interpretabantur, vtpote natam ex occupatione tum prædam, tum cætera diuidendi ſpolia, quæ non ſolùm magnitudine & copia, ſed elegantia atque æſtimatione præſtarent: adeo vt nō vnā tantùm ex optimis puellis, verùm plures ſingulis addicendæ eſſent: maximè verò ipſi Imperatori & ſelectiſſimæ & formoſiſſimæ deligendæ. Atque hunc huius carminis ſenſum ex verborum ſignificatione interpres noſter expoſuit, quòd Hebraica verba, poëtico ſtylo concinnata, obſcuriora cognoſceret. Nonne inuenient, diuident prædam, vterum vterorum par capiti viri fortis. *Singulis, inquiunt, ſtrenuis militibus vna atq; altera virgines concedentur. Quod Latini Poëtæ nomine virginum, Hebraicè vocat* RAHHAM, *id eſt, vteri canendo ſignificant, integram videlicet puellam, & ætate atq; pudore commendabilem. Proximo verò loco vaſorum veſtiumq; omniū ratio in ſpoliis habebatur, quibus veſtibus victores & nitere, & cognatos, amicos, aliósque ſibi charos donare ſolebant. Hinc illud à Dauide in*

2 Sam 1. » *elegia deſideratū lugebatur. Filiæ Iſrael, ſuper Saul flete, qui veſtiebat vos*
» *coccino in deliciis: qui præbebat ornamenta aurea cultui veſtro. Hoc verò*
genus poſterior carminis huius pars commemorat, & cauſam quoque ſuggerit, quamobrē Zizzara cum ſuis diutius moraretur; verùm eam morā prædæ atq; ſpoliorum præſtantia & magnitudine compenſatum iri augurantur.
Veſtes diuerſorum colorum, &c. *Hebraicè*: Spolium tincturarū Zizaræ, ſpolium tincturarum acu intertextum, tinctura bis intertexta

Purpura. ceruicibus ſpolij. *Summam in veſtibus laudem purpura olim adepta eſt, nunc nullis hominum (quod ſciam) vſu nota, maximè verò dibapha, hoc eſt, iterum infecta cōmendabatur, cui ſi auri argēti q; pictura intexta eſſet, ſpoliis barbari Principes vſi fuere, nihil pulchrius ſpectabiliusq; eſſe creditur: namque aurum, argentum, & quæ geſtari non ſolent cætera omnia, ad ſpoliorum copiam & diuitias referuntur, quæ non adeò ſpectanda circumferre victores conſueuere, atque illa, quibus corpora domúſque ornantur. Cuiuſmodi illa ſunt, quæ Satyricus commemorat:*

Iuuen. Sat. 8
Plena domus tunc omnis, & ingens ſtabat aceruus
Nummorum, Spartana chlamys, conchylia Coa,
Et cum Parrhaſij tabulis, ſignisque Myronis
Phidiacum viuebat ebur, nec non Polycleti
Multus vbique labor, raræ ſine Mentore menſæ.
Inde Dolabella eſt, atque hinc Antonius, inde
Sacrilegus Verres, referebant nauibus altis
Occulta ſpolia, & plures de pace triumphos.

Summarum autem deliciarum nomine quondam amandi primùm copiam & commoditatem humana laſciuia, ſecundo verò loco pretioſarum ſupellectilium affluentem vſum commendabat.

Ferreus

Ferreus ille fuit, qui, te cùm poſſet habere,
Maluerit prædas ſtultus, & arma ſequi. Tibull. Eleg. 1.
Ille licet Cilicum victas agat ante cateruas,
Ponat & in capto Martia caſtra ſolo,
Totus & argento contextus, totus & auro,
Inſideat celeri conſpiciendus equo:
Quid Tyrio recubare toro, ſine amore ſecundo
Prodeſt, cùm lachrymis nox vigilanda venit?
Nam neque tunc plumæ, nec ſtragula picta ſoporem,
Nec ſonitus placidæ ducere poſſet aquæ.

Atqui ſummæ felicitatis augurio cantatrices illæ mulieres, & Zizzaræ Imperatori in primis, & comitibus, atq; cæteris qui ſtrenuè ſeſe in illo bello geſſiſſent, & amoris & ornatus copioſam facultatē atq; materiam hariolabantur, nimirum puellas lectas, veſtimētorumq; precioſorum multiplicem variumq; vſum. namq; hæc hoſtilium votorū ſumma fuerat, illi perſimilis:
Dixit enim inimicus, Perſequar, & cōprehendā, diuidā ſpolia, implebitur Exod. 15.
anima mea: euaginabo gladium meum, & interficiet eos manus mea. Huius »
tanti voti exitum cognoſcere operæpretium fuerit. Flauit ſpiritus tuus, & operuit eos mare, ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus. Hu- »
iuſmodi euentus, humanæ ſuperbiæ atque inſolentiæ magna conſilia notanda tradere ſolet ille cæli ac terræ Iudex gubernatórque Deus, quod ſumma cū veneratione admirationeq; exemplū laudare, perpetuumq; optare, atque pius modeſtiſq; hominibus fauſta omnia rurſus precari ſolent Vates.

Sic pereant omnes inimici tui Domine; qui autem diligūt te, ſicut ſol in ortu ſuo ſplendet, ita rutilent.

Hoſtes vt IAS ſic pereant tui,
Aſt qui piorum te numerus colit,
Præſtantis vt ſolis fideli
Lumine præniteant ab ortu.

NON *tam notandi modo, quàm prædicendi tempore futuro hæc Hebraicè enunciantur, atq; hac ratione improbitatis, malitiæ, fraudis humanæ impudentia deprimitur; contrà verò ſimplicitatis, modeſtiæ, & pietatis candore ad optimi exitus ſpem corroboratur, promiſſione videlicet æquiſſimi iudicij Dei, agnoſcētis piorum viam, & impiorū exſecrandum iter demum* Pſal. 1.
perdituri. cuius rei exemplum tum aliàs ſæpè, tum hoc loco apertū atq; illuſtre ſtatutum eſt, cùm magna, ambitioſa, glorioſaq; Iabini & Zizzaræ vota & conſilia, turpi, ignobiliſſimo, & pudendo euentu, obſcuroq; exitu damnata ſunt. Qui ſic, inquit Vates, & optant, & agunt, atq; Deo bellū ita inferre parant; qui ſic denique inſaniunt, ſic etiam peribunt. Rurſus verò qui nihil aliud quàm Deum ſuū amant, nihil optant, nihil ambiunt, nihil præcipuè aliud ſibi aut agendū, aut ſperandū, aut petendū ducunt; hi, quāquam magnis calamitatū tenebris obruti oppreſſiq; videantur, tamen exitus habebunt illuſtriſſimos, felicißimos, atque ampliſſimos, quales videlicet ſuo in ordine ſol ortus tum maximè ſortitur, cùm per mediam æſtatem ſublimem ſigniferi locū occupauerit, hoc eſt, cùm primū Cancri gradū tenet. Ita ſimi-

 litudi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

litudinem hanc ex Hebraici carminis verbis exponimus: Sicut exire solem in virilitate sua. *Hoc autem tunc fieri videmus, cùm altissimũ locum supra terram sol occupat, quem Augem Astrologi nominant.* Quieuitque terra per quadraginta annos. *Summa annorum capita, in sacris historijs interdum citata, vbi ad certa nomina referuntur, efficiunt vt quadraginta hos annos ab huius tempestatis initio computemus; hoc est, ab illis tẽporibus, quibus Israelitarum res Iabini tyrannide occupari & proteri cœperant. Atq; ratio hæc & à multis examinata, & à nobis in Apparatu sacro breuiter ac dilucidè subducta est; ita vt viginti ferè annis, quibus Debora & Barakus Reipub. clauum tenuere, à vicinis & finitimis gentibus, quamuis inuidentibus, nihil bellorum illatũ Israelitis fuerit, diuina videlicet prouidentia ac tutela fretis, quam certam totoq; illo tempore perpetuam, illis experiri contigit, propter optimi viri, sanctæq; feminæ authoritatem; quorum altera sacræ disciplinæ studia docebat, alter verò sacrarum legum sanctitatem moribus, & iure, atque iudicijs sartam tectamque curabat.*

Solis locus supremus.

Annorum ratio.

CAPVT SEXTVM.

FEcerunt autem filij Israel malum in conspectu Domini, qui tradidit eos in manu Madian septem annis.

DEI in Israelem ornandum & amplificandum, atque ad æternæ ac promissæ felicitatis præmia promouendum, constantem semper certamq; suæ voluntatem; ipsos tamen Israelitas illum felicitatis cursum, atque terrenæ etiam beatitatis vsum, sua ipsorum culpa & noxa sibi identidẽ interrupisse, totius huius libri argumentũ esse dicebamus, quod multis deinde narrationibus exponeretur. Atque hanc illius loci declarationem afferebamus, videlicet: Cumq; Dominus iudices suscitaret, in diebus eorum flectebatur misericordia, & audiebat afflictorũ gemitus, & liberabat eos de cæde vastantium. Postquam autem mortuus esset iudex, reuertebantur, & multo faciebant maiora, quàm fecerant patres eorũ; & sequebantur Deos alienos, seruientes eis, & adorantes illos. Non dimiserũt adinuentiones suas, & viam durissimã per quã ambulare consueuerant. Hanc perpetuæ prouidentiæ, & constantis Dei tum iudicij tum misericordiæ doctrinam, omnibus seculis in exemplum statuendam, superiores narrationes comprobabant: quam etiam consummauit ætas illa, quæ post Prophetidis Deboræ, Barakiq; Ducis obitum mox defluxit. Num qui salutem & misericordiam, clementiamq; Dei, quæcũque illa ætate iam grandiores natu viderant, vel illis viginti annis, quibus pax duravit, vita defuncti fuère, vel si qui ex seniorũ turba superstites adhuc relicti erant; ij iuniorũ stultitia, temeritate & insolentia contempta, disciplinã illam optimorum præsidum magis adeò corrumpi dolebant, quam colendam cõmendare poterant. Ferè enim euenire videmus, vt hominibus

Supra 2.

ad libidinem licentiamq; procliuibus, seueriores censuræ tempus, vbi diutinum videri cœperit, vitiosam offensionem, fastidium, satietatemq; afferat. cuius profectò rei nec rara nec obscura exempla, nostra patrumq; memoria, Romanæ ciuitatis varij tumultus edidere: quotiescumque videlicet grauis aliquis ac seuerus, virtutisq; veræ rigidus custos Pontifex decedit. Nam nisi quam primùm easdem suscepturus partes, maturo Patrum consilio & consensu, delectus quispiam succedat; nemo modestis sedatisq; moribus est, qui in Vrbe sibi manẽdum existimet: adeò insolenter, adeò temerariè atque iniustè vulgus agere solet iis diebus, quibus interregnum (vt sic loquamur) durat. Igitur Debora & Barako desideratis, Israelitarum filij, posteritasq; mox insecuta, cùm inclusa & in prima ætate compressa & constricta fuisset, se totam subitò ad omnem improbitatẽ impietatemq; profudit, idq; publicè & palàm, contra ius, contra phas, contra Israelitici nominis integritatem & sanctitatẽ, in oculis Domini. quamquam enim sese illi Israelis filios & appellarent, & iactarent, tamen nihil minùs agebant, quàm vt nominis illius virtutem Deo probarent, quemcumque illi studijs, rebus, actionibusq; suis colorem dare satagerent. Nec enim Deus nominibus ducitur inanibus, nec facis coloribúsve delectatur aut capitur, cuius oculi æquitatẽ vident, atque res ipsas non ex specie, sed ex natura cognoscunt, agnoscuntq;. S. S. E. Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est, quia prouocauerunt eum filij sui & filiæ. Igitur cùm ea ab Israelis filijs magno studio admissa essent, quæ oculis Domini praua damnataq; iudicabantur, hoc est, ea omnia quæ Israelitis vetita cum primis fuerant, vt iniuriæ tum priuatæ, tum publicæ, morum peruersitas omnium, atque adeò superstitiosi vanorum deorum cultus, quos humanum ingenium magna prauitate libentiùs, quàm veri Dei pietatem suscipere solet, castigatione sese dignos præbuere, quãobrem Deum non modò auersum, sed infensum sensere; cuius iudicio, Madianitarum crudelitati permissi sunt, imò traditi etiam eo modo, quo fontes ad pœnam tortoribus tradi solent. Qui tamen nec ipso castigationis initio, nec etiã grauiùs indies inflictis pœnis resipuere, adeò vt totis septem annis torti ac fatigati, tamen in crimine ac impietate perseuerauerint. Primus autem huius capitis versus & delicti, & pœnarum summam continet, quæ mox subiecta expositione explicatur.

Popularis licentia ex boni Principis defectu.

Et oppressi sunt valde ab eis: feceruntque sibi antra, & speluncas in montibus, & munitissima ad pugnandum loca.

PRINCIPIO illos à Madianitis hostibus, non procul dissitis, petitos & bello oppressos fuisse intelligimus, atque horum crebris & frequentibus inuasionibus vexatos, & molestijs affectos, sæpiusq; spoliatos, vrbibus & oppidis relictis, antra primùm sibi fecisse, superne lumen ex fenestris admittentia, & incluſorum custodũ atq; speculatorum prospectui opportuna; ex quibus aduenientis hostis turbæ procul videri & denunciari possent; postremò sibi fuga consulturo: quam etiam ob rem speluncæ in montibus quæsitæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

comparatæq; fuere; quibus latebris, vti feræ à venatoribus exagitatæ, cum prolibus & vilißima iam ſupellectile ſeſe hoſtium metu occultarent. In eas profectò difficultates & miſerias incidunt, qui Dei clementia, benignitate, & ſingulari prouidentia vti neſciunt: imò qui preſsi etiam & caſtigati, non magis reſipiſcũt quàm belluæ, quæ ex paſcuis & ſyluis exagitatæ, montoſa arduaq; loca & præcipitia petunt; & quæ canes & venatores adſcẽdere difficiliùs poſſint. S.S.E. Montes excelſi ceruis, petra refugium erinaceis. Tria locorũ genera ſibi illos ad præſidium paraſſe legimus: alterum illa lingua MINHAROTH *dicitur; latibula ſiue ſpeluncas dicere poſſumus, non adeò amplas, verùm cuniculorum modo productas, certisq; locis lumen ſupernè accipientes; quæ quidem ſpeculandi magis, quàm latendi cauſa parata videntur; cuiuſmodi in arenariis cryptis, non longè ab Vrbe, ab antiquis relictæ hodieq; viſuntur. Alterum verò genus fuere* MAGHAROTH, *capaciora antra, vel fornices ſaxis ſtructæ aſperis, qualis noſter hic, in quo nunc ruſticamur, ſeceſſus habet, partim naturæ opificio factas, partim, vti coniectamus, hominũ labore (quo tempore in his locis Sarraceni degebant) amplificatas & cõmunitas. argumento enim ſunt, ſupellectilis teſtaceæ ac fictilis veſtigia, pariter & humana oſſa, quæ iiſdem in antris aliquando defoſſa conſpiciuntur. Tertiũ verò curæ genus Iſraelitis fuit* MATSEDOTH, *munitiones operibus, muris atq; ſaxis, non ad habitationis, verùm ad defenſionis vſum, conſtructa opera, quæ mole lapidum ad nocendum adſcenſures hoſtes impedirent. huiuſmodi in Rhethiis alpibus difficiles tranſitus, opere & natura inſtructos, vidimus. Atqui laborum huiuſmodi omnium monumenta, ad proſperitatis etiam memoriam manſiſſe dicuntur, quæ miſeram, ærumnoſamq; admodũ Iſraelitarum illius tempeſtatis conditionẽ teſtarentur, non ſine ipſorum probro, qui Dei præſidio, in quo tutiſsimè ac munitiſsimè latere potuiſſent, relicto, id per ſummã prauitatem negotij ſibi dabant, quod Iſraelitarum nomine indigniſsimum erat, quiq; cùm Deo, nedum cùm hominibus præſtantes præbere ſeſe debebant, metu, terrore, & ignauia affecti, poſtrema omnia ad latendum remedia tentarent. Omnia hæc ſingularis verborum ſignificatione & iunctura, oratio ipſa cùm Latina, tum Hebraica indicat:* Fecerunt ſibi filij Iſrael [*illas notas*] MINHAROTH, quæ in montibus, & [*illas notas*] MAGHAROTH, & [*illas notas*] munitiones. *Expoſitio autem*, quæ in montibus, *omnia genera complectitur. atq; ex pluribus nominibus, quibus editiora terræ loca declarantur, vnũ hîc vſurpatum eſt* HARIM, *quod aſperioris & ſitus & formæ montes ſignificat, in quibus varia plantarum, mineralium, lapidum, & glebarũ natura eſſe ſolet. ad idemq; videtur nobis alludere, quod paulo antè citatũ eſt: Montes excelſi ceruis, montes excelſi filius Iſrael. Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo Iſraele, cuius fidei virtutem & præſtantiã nec homines, nec Angeli, quamuis tentantes, quondam frangebant, quiq; nihil ſibi ſine Deo agendum, nihil propitio ſibi Deo metuendum vel cogitabat, vel referebat.*

Pſal. 101.

Latibula.

Arenariæ cryptæ Romæ.

Atacenenſis rupes.

Rhetiæ alpes.

Gen. 33.

S.S.E. Deus qui paſcit me à iuuentute mea vſque in præſentem diem, Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis. Gen. 48.

Cumque ſæuiſſet Iſrael, adſcendebat Madian & Amalek, cæteríque Orientalium nationum.

NON *longè diſſitis, nec remota origine ab Iſraele diſtantibus nationibus (quales Chananæi fuerant) ſed vicinis ferè, atq; ex eodem Abrahamo, antiquo patre, prognatis, direptioni & ludibrio Iſraelitas fuiſſe indicat hiſtoria. Namq; Madianitæ, ex Abrahamo & Chetura vxore; Amalecitæ verò Eliphazen, Eſau (quem vnicum fratrem Iſrael habuit) ex filio nepotem, patrem laudabant. Cùm verò Iſraelitica felicitas magnam his omnibus mouiſſet inuidiam, ad impetus, incurſiones, & vaſtationes opportunitatem attulit impietas, quæ à Deo abalienatos, faciliùs perdendos vaſtandosq; tradidit. Atque temporum quidẽ ſic ſeries habet, vt principio in ipſos populos hominesq; Iſraelitas debacchatum fuerit, vſq; ad oppidorum deſertiones, & montiũ difficillimorumq; locorũ ſalutis cauſa vſurpationes, quas proximo antè verſu relatas exponebamus. Deinde verò, cùm deſertis oppidis & vrbibus, neglectis q; vinetis & hortis, ac cæteris cõmoditatibus, quæ perpetuam poſtulant curam, vni tantùm frumentariæ rei ſibi comparandæ Iſraelitæ operam darent, quòd illa breuiori tempore abſoluitur, nimirũ ſex, aut ad ſummum octo menſium, in illis regionibus videlicet, quæq; laborẽ ac culturã eo tempore maximè exigit, quo hoſtilia bella minùs metui poſſunt; hoc eſt, ſub Autumni finem ad ipſam vſque brumã, hoc ſibi vnicũ vitæ ſubſidium Iſraelitæ magno labore parare moliebantur, quem etiã caſſum atque irritum demum experiri coacti ſunt. Quandoquidem fructus ſpem, quam ſegetes & ſata promittebant, vaſtabundus hoſtis importuna & infenſa irruptione & vagatione prorſus adimebat: vtpote non vnus, nec rarus, nec breui impetu nocens, verùm linguis & moribus varius, turba frequentiſſimus, & nocendi auidiſsimus, nulloq; metu aut negotio ab inferendo dãno prohibitus, magnoq; ad lædendum conſenſu coniunctus, magnoq; molimine in Iſraelitarum calamitatem incumbens. Id quod hiſtoricus hic ſacer rei geſtæ imagine non tam audientium auribus, quàm legentium ſubiecta oculis, exactiſsimè deſcribit.* Madian. Amalec.

Et apud eos figentes tentoria, ſicut erant in herbis, cuncta vaſtabant, vſque ad introitum Gazæ: nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Iſrael: non oues, non boues, non aſinos.

NON *veloci ac temerario aliquo breuique impetu illos irruere ſolitos ait, ſed* Figentes tentoria, *diutiúſque hærentes apud illos, non ſtatim tneunte vere, ſed cùm altiore culmo ſurgentes ſegetes lactescentem iam fructum offendiſſent. Namque minori damno ſata primùm virentia, imò vtiliter aliquando, maximè infertilioribus agris, tonderi poſſe, ruſtici operis magiſtri docuerunt:*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Virg. Geor. 1. Quid, qui ne grauidis procumbat culmus aristis,
Luxuriem segetum tenera depascit in herba
Cùm primùm sulcos æquant sata ——

Igitur eo tempore, quo iam segetes fructuum annonaq; spem promittere poterant, quã Hebraicus sermo IEBVL, *vocat, hostis varius, magno ad damnum inferendum consensu, non equis tantùm excursurus, verùm diu hasurus, vtpote qui ad eam rem tentoria cum familiis afferret, veniebat; & quidquid in omni Israelitarum regione ad Gazam vsq;, hoc est, ad ipsa Palæstinorum, infensissimorum etiam hostium, confinia satum cultumq; excreuerat; tum propriis ipsorum equis, camelis, bobus, & cæteris iumentis immissis vastabant; tum etiam pedibus, & liberis vagationibus ita conculcabant, vt nihil omnino miseris Israelitis ad vitam alendã relinquerẽt. Quibus tamen cùm inter montes asperioraq; loca aliquid pecudum armentorumq; pastioni opportunum superesset, poterant quidẽ vel suos ouium caprarumq; greges, vel paucas admodum boues aut asellas, vendendi, atq; annonam mutandi causa alere; interim dum illa hostium collectio, quæ agros vastabunda occupabat, discederet. Verùm neq; hoc quidem pacto quicquã Israelitæ proficiebant, qui non sibi, sed hostibus, dum abire liberet, quidquid aluerant direpturis & abacturis, curatum & alitum demum lamentabantur. Itaque illi alienis laboribus armenta ac pecora propria abundè pasta reducebant, & adiectione etiam eorum, quæ ab Israelitis pascerentur, auctiora agebant, vt nulla vitæ etiam ferarum ritu traducendæ ratio, & opportunitas aut copia, Israelitis relinqueretur; non oues, quarum lacte & carnibus vesci; non boues, quorum vendendorũ pretio frumenta sibi cõparare; non asini, quorum dorso vel à remotioribus regionibus aliquam humani cibi partem Israelitæ quærere possent: vt quondã ipsorũ patres, angustissimis publicæ famis temporibus, ex Ægypto dicuntur asportasse. Quodverò Latinè legimus, nihilque omnino ad vitam pertinens relinqueretur in Israel; omnia coborum & fructuũ, plantarum, olerum, leguminum, & similium rerum genera, quibus vtcumque viuere homines possunt, complectitur, excipitq; tantùm gramina tumentorumq; pascua, & pecorum, quæ ab hostibus minimè vastabantur, sed ad discessus vsque tempus Israelitarum pecoribus & armentis pascendis relinquebantur; quæ demum pasta, ipsorum hostium direptioni ac prædis cessura essent.*

Ipsi enim & vniuersi greges eorum veniebant cum tabernaculis suis, & instar locustarum vniuersa complebant, innumera multitudine hominũ & camelorũ, quidquid tetigerãt, deuastantes.

NON *vt sibi tantùm rebusq; suis prodessent, veniebant, sed vt Israelitæ impensè nocerent. hoc significat expositio illa,* Quidquid tetigerant, deuastantes. *Hebraicè ex verbo,* Et veniebant in terram, ad deuastandam eam. *Nocendi, damnique inferendi, atque populandi animo & studio adfuisse commemorantur. Demum Israelitæ hostibus vndiq; extrinsecùs circũcincti, ac pressi;*

pressi; interiùs verò oppressi, atq; rerum omnium, quibus ali vita potest, non solùm difficultate, verùm extrema prorsus inopia & egestate affecti sunt.

Humiliatusque est Israel valde in conspectu Madian.

HOMINVM *non tam spiritu quàm sensu degentium ingenium, hoc versu ad viuum depingitur, qui belluarum more ac modo, inopia, esurie ac fame magis, quàm vel beneficiis, vel aliis artibus mitescere coguntur; aliàs enim, dum rerum copia suppetit, maxima non solùm insolentia (nã id quidem vulgare vitium est) sed insipientia adeò insaniunt; vt nec Deum, bonorum omniũ authorem, curent; nec se etiam ipsos agnoscant. S. S. Inter-* Copiæ vitiũ.

„ Deut. 32.

tus; dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo. Igitur malis quæ prosperitate fulciuntur, tenuantia remedia præcipuè conuenire, ipsa medicandi ars ratioq; docet. Motui quies, quieti motio, exinanitioni repletio, repletioni exinanitio, inquit Hippocrates. Sicut scriptum est: Et hæc nescisti, quia ego dedi ei frumentum, & vinũ, & oleum, & argentũ multiplicaui ei, quæ fecerunt Baal. Iccirco conuertar, & sumã frumentũ meum in tempore suo, & vinum meũ in tempore suo, & liberabo linum meum & lanam meã, quæ operiebant ignominiam eius. & nunc reuelabo stultitiam eius in oculis amatorum eius, & vir non eruet eam de manu mea, & cessare faciam omne gaudium eius, solennitatem eius, neomeniam eius, sabbathum eius, & omnia festa tempora eius, & corrumpã vineam eius, & ficum eius, de quibus dixit, mercedes hæ meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei: & ponam eam in saltum, & comedet eam bestia agri. & visitabo super eam dies Baalim, quibus accendebat incensum, & ornabatur inaure sua, & monili suo, & ibat post amatores suos, & mei obliuiscebatur, dicit Dominus. Ita igitur subducta paulatim primùm secundarũ rerum affluentia, deinde vero sublata prorsus copia, macer effectus, viam ad sanitatem redeundi Israelitarum populus à Deo edoctus est: quippe post vastatam omnino regionem, humiliatus est valde in conspectu Madian. Hebraicum verbũ DAL, *attenuationem significat, antithetumq; est illi, incrassatus, impinguatus, & dilatatus. Oratio verò,* in conspectu Madian, *eiusdẽ in illa lingua significationis est, cuius in Latina,* opera Madianitarum. *Quamobrẽ & pastorem suum verum agnoscere, & pecudum iumentorumq; instar ad balatus & mugitus, hoc est, ad miserabiles preces recurrere coacti sunt. sicut in huius rei exemplum olim sapienter à Ninuitarum Regibus & Principibus consultũ fuisse legimus: Homines & iumenta & boues & pecora non gustent quicquam, neq; pascantur, & aquam non bibant, & operiantur saccis homines & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, & conuertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate, quæ est in manibus eorum. In hunc igitur modum ex insolentia ad meliorem mentem, atque ad humilem locum redactus Israel,*

„ Hippocrat. aphorif.
„ Oseæ 2.
„ Ionæ 3.

Clama-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Clamauit ad Dominum, postulans auxilium contra Madianitas.

DVORVM *versuum orationes Hebraicas vna tantùm breui periodo interpres noster complexus, reddit. Namq; ex Hebraico ita exprimere possumus*: Et attenuatus est Israel valde à facie bus Madian, & clamauerunt filij Israel ad Dominum. Et fuit cùm clamauerunt filij Israel ad Dominum super causas Madian. *Prior versus Israelitarum rerum catastrophen attingit, dum ostendit, Israelitarũ sensum non antè permotum fuisse, quàm omnis illa insaniæ conceptæ materia expurgaretur, ægrotumq; corpus ex magno vitio ad summam esset attenuationem redactum. Namque*

Hippocrat. *in medicis præceptis est: Non pura corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes. Primùm itaq; materiam, quæ malo alimenta suppeditaret, detrahi*

Redundantiæ curatio. *oportuit, vt lethargicus æger sentire incipiens, medicinam sibi fieri optaret & posceret. Neq; enim medici opera renuentem & auersantem remedia*

Hipocrat. libro 2. Aphor. 1. *ægrũ sanare potest; vt in artis suæ initiis curandi peritissimi tradunt. Non*

Oseæ 5. *solùm, inquit, medicum seipsum præstare oportet, opportuna facientem, sed*
» *ægrotum ipsum, & adstãtes, & quæ exteriùs etiam sunt. S.S.E. Cùm sa-*
» *nare vellem Israel, reuelata est iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ,*
» *quia operati sunt mendacium, &c. Igitur detracta omni fouendi alendiq;*
vitij materia, per quam venis neruisq; occupatis & oppletis Israelitæ le-
thargo laborantes non dolebant; tandẽ excitati sentire, atq; dolentes demum
clamare, medicumq; suum, malorum omnium expulsorem notissimum, im-
plorare & appellare cœperunt. Quod verò deinde repetitum posteriori ver-
su subiungitur, Et fuit cùm clamauerunt filij Israel ad Dominum,

Prouidentia per causas Madian; *magnam rerum connexionẽ breui oratione obseruandam indicat: in primis autem diuinam prouidentiam, singularibus mirisq;*

Psal. 45. *modis, opportuno idoneoq; tempore sese probantem, laudat. S.S.E. Deus no-*
» *ster refugium & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos*

Psal. 9. » *nimis. Et factus est Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunita-*
» *bus, in tribulatione. Deinde illud animaduertendum versus hic cõmendat,*
saluberrimã esse hominibus Dei castigationem, quibus eum sensum affert,

Castigatio diuina. *vt pœnitentiam veram excitet. huiusmodi verò opportunam pœnitentiam*
bonos semper habuisse euentus, maximè autem cùm oppressorum hominum
dura & calamitosa tempora diuinam clementiam mouent; clementia verò
» *iustitiam mitigat, & misericordiam ciet. S.S.E. Et sperent in te, qui no-*
» *uerunt nomen tuum, quoniam non derelinques quærentes te Domine. Par-*

Dei clementia. *rò nomen Dei nosse dicuntur, qui illius naturam salutarem, benignam, mi-*
sericordem, pacis potiùs quam afflictionis studiosam esse intelligunt.

Hier. 29. » *S.S.E. Ego scio cogitationes quas ego cogito super vos, ait Dominus, cogi-*
» *tationes pacis, & non afflictionis, vt dem vobis finem & patientiam. Et*
» *inuocabitis me, & ibitis, & orabitis me, & ego exaudiam vos. Quæretis*
» *me, & inuenietis, cùm quæsieritis me in toto corde vestro, & inueniar à*
» *vobis, ait Dominus. Quamquam verò castigationem publicam, diuino iu-*
dicio decretam & permissam, salutis rationes exspectare cognouerimus; illam tamen ius, per quos exercetur, non impune vnquam cessisse obseruauimus: maximè vero quibus odio nocendi cupiditas suscepta fuerit, tum vl-

Iniurioso exitus. *tiscenda cùm animaduersionis excesserit modum, humanitatisq; sensum superauerit. Nam quæ huiusmodi fuerit, iniuriæ culpam vitare potest minimè. Porrò iniuriam publicam publicè impunitam euadere diuina iustitia non patietur. Id quod pluribus exemplis ostensum diuina oracula iustissimum contestantur. S.S.E. Væ Assur, virga furoris mei & baculus ipse*

Esaiæ 5. *est: in manu eorum indignatio mea, ad gentem fallacem mittam eum, &* »
contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat spolia, & diripiat præ- »
dam, & ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum: ipse autem »
non sic arbitrabitur, & cor eius non ita existimabit, sed ad conterendũ erit »
cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum. Itaq; cùm ad eum lo- »
cum hominum, per quos castigatio decreta fuerit, insolentia immanitasq;
deuenerit, calamitas per hos allata tum castigationis nomen exuit, & con-
tumeliæ, iniuriæ, & afflictionis, atq; huiusmodi grauissima nomina accipit;
tum clementis ac misericordis Dei viscera tangit, iram mouet, iustitiam ap-
pellat, atq; vltionem postulat. S.S.E. Vidi afflictionẽ populi mei in Ægy-

Exodi 3. *pto, & clamorem eius audiui, propter duriciem eorum qui præsunt operi-* »
bus; & sciens dolorem eius, descendi, vt liberem eum de manibus Ægyptio- »
rum. Quamobrem significanter admodum historiæ huius author Spiritus
sanctus scribendum dictauit: Humiliatusque est Israel valde in conspectu Madian. *Vt enim humiliaretur, siue attenuaretur illis calamitatibus ferendis, Dei, populum suum obiurgare volentis, cõsilio permissum fuerat, & eatenus probari potuit, quatenus ij, per quos res gerebatur, sese Dei ministros præstarent; non autem priuati ody, suarumq; cupiditatum affectibus ducerentur. nam cùm huc ventum est, & castigationis modum attenuatio excessit; is ipse excessus eos, qui ministri tantùm esse debuerant, authores habuit. Vtrumque significatur illis verbis*, Valde, & In conspectu Madian; *siue, vt Hebraica sonãt*, A facie Madian. *Cuiusmodi verborum structura voluntatem authoritatemq; appellatis personis adscribit, vt exilluans allisisti me; &, A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob. id est, Domini voluntate atque authoritate hæc facta sunt. atque ita Israelitæ traditi quidem fuisse dicuntur à Domino in manum Madian, vt castigarentur; verùm vt valde, vltra humanitatis sensum, hoc est, vt immaniter tractarentur, hoc ex illorum feritate, & effrenata petulantia, atque vitiositate insolentia effectum est: cuius rationis summa in ipso narrationis initio, id est, primo capitis huius versu, breuiter posita fuit*: Fecerunt autem filij Israel malum in conspectu Domini: qui tradidit illos in manu Madian septem annis, & oppressi sunt valde ab eis: *ex quibus & opprimentium malitia atq; immanitas, & ipsorum qui opprimebantur proter-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

uitas, arguitur. Illorum quidem, qui in afflictos, calamitosos, atq; exspoliatos numquam sibi satis videbantur sæuire: istorum verò, qui cùm à Deo castigarentur, immo curarentur, non antè resipiscere cœperunt, quàm exhausti omnino attenuatiq; essent. verùm horũ potior pars fuit, quæ quamuis seram, tamen pœnitentiam tulit, & diuinam misericordiam commouit: non quòd illi propter suam virtutem salute digni essent, sed magis propter extremam miseriam, clementiam sibi appellatam conciliarent iudicis optimi, maximi, & clementissimi, qui summam iniuriam summè odit, seuerissimeq; vlciscitur. Diximus autem sæpiùs aliàs, clamoris, atq; clamare verba, in extremis iniuriis significandis frequenter vsurpari. vt, Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam, & videbo vtrùm clamorem qui venit ad me, opere cõpleuerint; an non est ita. & illud, quod suo loco obscuriùs aliquanto ostensum, nunc citatum explicatu facile erit: Exspectaui, vt faceret iustitiam, & ecce clamor. Significat itaque clamor, eiulatus, preces, fletus, detestationes, imprecationes, & voces ad Deũ ab iis profectas, qui acceptarum iniuriarum sensu ac dolore impellũtur. Cuius rei exemplum illud apertum est: Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat; & clamor eorum in aures Domini Dei sabaoth introiuit. Atqui hoc loco ac tempore, Israelitarum clamor orationem siue supplicationem Deo factam continebat: ea verò duobus potissimùm argumentorum locis petita fuerat. alter quidem fuit, paterni nominis commemoratio, in qua promissorũ diuinorum continebatur summa. Non quòd illi sese, virtutem, probitatem, pietatemq; suam commendarent; cùm potiùs his partibus, ob propriam culpã destitutos agnoscere & fateri debuissent; sed quòd ad paternum ex diuino beneficio olim factum nomen confugerent, cuius nominis assertorem atque vindicem Deum credebant, & appellabant. hoc est, quod priore argumenti huius parte indicatur: Et fuit, cùm clamauerunt filij Israel ad Dominum, authorem videlicet, custodem & conseruatorem nominis, gentisq; illius. Atque hæc diuinæ fidei implorandæ ratio, antiqui ipsorum parentis Iacobi exemplo nitebatur, qui insectati se Esau fratris insolentiæ, tum præteritæ memor, tum futuræ metuens, Deum sibi auxiliarem & vindicem appellabat: Erue me de manu fratris mei Esau; quia valde eum timeo, ne fortè veniens percutiat matrem cum filiis. Tu locutus es, quòd bene faceres mihi, & dilatares semen meum sicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non potest. Huiusmodi itaque argumentationis exemplo vsi Israelitæ, & initium, & colorem deprecationi suæ inuentiebant: quòd, cùm Israelis essent filij, arenæ maris numero pares ex promisso diuino futuri, tamen ita miseris modis premerentur & attenuarentur, vt penè essent ad internecionem redacti; idq; adeò non ab alienigenis omnino, extraneisq; hostibus; quales Chananæi Palæstiniq; erant: verùm à consanguineis & cognatis Madianitis, ab Abrahamo ex Ketura prognatis, perinde

Clamor
Gen. 16.
Esaiæ 5.
Iacobi 5.
» »
Gen. 32.

perinde atque Iacob olim ab Esau fratre insidiis petebatur. atque hic alter argumentorum locus fuit ad opem implorandam, rerum suarum, inquam, calamitatumq; breuis expositio, cum commemoratione authorũ ad indignitatem miseriæ augendam. Intelligebant nimirum illi, Dei vindicis iudicium, in Israelitarum rebus à tanta iniuria liberandis, non forè otiosum. Atque hæc sententia nobis illorum verborum est: Super causis Madian. Namque in hutusmodi sacris narrationibus, argumentorum tantùm sedes indicare historici consueuere; quarum explicatio ex singulorum verborũ rationibus petenda est, idq; cum primis Dialecticæ artis negocium fuerit, in qua præcepta ad hanc rem, quamquam obscuriori oratione, tamen apta traduntur, etiam apud nostrates scholarum cultores cùm Dialecticos, tum Theologos: quorum illi verba pro formali, siue (vt breuiùs loquuntur) formaliter exponenda docent: hi verò eandem rationem, compositi sensus nomine indicant. Quamquam verò hanc Israelitarum deprecationem ex illius Iacobeæ supplicationis imitatione institutam dixerimus; tamen vno etiam argumenti loco defectam deprehendimus, nempe earum, qui orabant, personarum commemoratione, cum expositione vel suorum meritorum, siue officiorum, vel saltem certa & ingenua grati animi significatione, quam accepta tam antea beneficia postulare videntur; demum si nihil horum sit, confessionem tamen propriæ culpæ indignitatisq; minimè deesse oportuit, cum pœnitentiæ & correctionis in posterum professione. Neque enim satis rectè oratio texitur, absq; aliqua orantis ipsius ratione, quæ vel officia commemoret præterita, si non rebus ipsis, saltem animo atque sedulo studio præstita; vel futura in posterum polliceatur; qualia illa sunt: Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. Atqui Iacobus ille, populi huius pater, cùm quondam similem ferè his causam peroraret, sui ipsius mentionem oportunissimè faciebat, eam videlicet qua suam professus tenuitatem, se quicquid esset omnino acceptum Deo referebat. Deus patris mei Abraham, Deus patris mei Isaac, Deus, qui dixisti mihi, reuertere in terram tuam, & in locum natiuitatis tuæ, & bene faciam tibi: minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua quam expleuisti seruo tuo. In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior. Dauid, quòd nihil in causa quod prætenderet, habebat; tamen dolorem, pudorẽ, peccati agnitionem, animi pœnitentis, consilium & studium in melius mutaturi, professionem præferebat. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. Atqui populus hic oppressionem illam deprecatus, hac omnino supplicationis parte imminutus videtur, in qua cùm nihil haberet coloris, quo sese Deo commendaret, præter parentum nomen, filij Israel, quod promissorum diuinorum continebat summam; debuit saltem, vel acceptorum quondã à Deo beneficiorum memoriam confessione & gratulatione renouare, vel propriæ

Argumentorum loci.
Dialectica.
Pro formali.
Compositus sensus.
Psal. 50.
Iacob.
Gen. 32.
Dauid.
Psal 50.

Universidad de Deusto
Biblioteca

culpæ atque impietatis nuda ac ingenua agnitione, miseriam sibi castigationis nomine allatam, iustam fateri, misericordisq; Dei implorare clementiam. Verùm illi magnam calamitatis suæ immanitatem, vel omnem prorsus, vel maxima ex parte, hostium sæuitiæ magis, quàm suis sceleribus adscribentes, Israelis patris nomen tantùm iactabãt, quod ab hostibus illis tam crudeliter vexari atque deprimi, indignum censebant; atque Dei iudicio & vltioni eam causam totam committere studebant. Verùm enimuero misericordis Dei propositum de conseruanda gente illa, promissorum à se antiquis Patriarchis factorum causa, opportunum auxilium cùm iam ferre statuisset; quæcumque illis ob longam, consuetudinemq; auctam ignorantiam deprecantibus in oratione defuerant, benignè vltro repræsentauit, satisq; habuit, illos illa magnæ insciliæ tempestate eo deuenisse, vt dolorem sentientes, & medicum exoptarent, & exoptatum appellarent. Namq; insanientibus, curari velle, sanitatis initium ducitur; & sapientia prima, stultitia caruisse est. Quamquam verò non ea, qua par est, obseruantia rusticioribus ægrotis appelletur medicus; tamen medicæ artis est, tam rusticos quàm ingenuos ægrotantes, dum salus omnino non fuerit desperata, curare. Atque hanc benignissimi ac fidelissimi medici rationem cum populo illo, quamuis sæpiùs recidente, Deum tenuisse, diuina carmina declararunt. Non disperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis. Et commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & factum est illis in scandalum. Et immolauerunt filios suos, & filias suas dæmoniis: & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerũt sculptilibus Chanaan. & infecta est terra in sanguinibus, & contaminata est in operibus eorum: & fornicati sunt in adinuentionibus suis. Et iratus est furore Dominus in populum suum; & abominatus est hæreditatem suam. Et tradidit eos in manus gentium; & dominati sunt eorum, qui oderunt eos. Et tribulauerunt eos inimici eorum, & humiliati sunt sub manibus eorum; sæpè liberauit eos: ipsi autem exacerbauerunt eum in consilio suo, & humiliati sunt in iniquitatibus suis. Et vidit cùm tribularentur, & audiuit orationem eorum. Et memor fuit testamenti sui, & pœnituit eum, secundùm multitudinem misericordiæ suæ, & dedit eos in misericordias in conspectu omnium qui ceperant eos. Atqui omnium ferè, quæ de Israelitarum calamitatibus leguntur, historiarum illa summa argumentumq; est, illos suis sibi sceleribus malũ omne molitos, nequitia & proteruia auxisse, clementia ac misericordia Dei, ad pœnitentiam identidem reuocantis, & extremo exitio conseruatos; demum promissorum diuinorum causa sæpè sæpiùs liberatos, interim dum publicæ salutis, toti orbi per illius gentis regem futurum afferendæ, optatum speratumq; tempus existeret. Sicut scriptum est; Perditio tua ex te Israel: tantummodo in me auxilium tuum. Igitur cùm Israelitæ à Madianitis oppressi, tandem sentire, medicinamq; suo malo postulare cœpissent: salutare sospitis Dei tum consilium, tum etiam auxi-

Medicinæ artis benignitas.

Psal 105.

Israelitarũ historiarum summa.

Osee 13.

lium opportunum atque celerrimum habuerunt, misso cum primis monitore, à quo sui mali certam causam rationemque edocti, de cætero sapientiùs cogitare atque agere discerent.

Qui misit ad eos virum Prophetam, & locutus est: Hæc dicit Dominus Deus Israel, Ego vos feci conscendere de Ægypto, & eduxi vos de domo seruitutis, & liberaui de manu Ægyptiorum, & omnium inimicorum, qui affligebant vos: eiecique eos ad introitum vestrum, & tradidi vobis terram eorum.

NIHIL quippiam ex iis quæ ad Israelitarum gentem fouendam, condam prospici, consuli, parari, agi, atque fieri opportunum esset, à Deo præmissum fuisse, sacræ omnes testantur historiæ; idq; historiarũ author, Spiritus sanctus, certissimo sermone indicare in loco solet. S. S. E. Mittebat autem Dominus patrum suorum ad illos per manum nunciorum suorum, de nocte consurgens, & quotidie commonens, eo quòd parceret populo, & habitaculo suo. Antiquum itaque obtinens Deus, illi, quã modò descriptam legimus, Israeliticarum rerum tempestati auxilium salutemq; allaturus, ne quispiam eam aliunde, quàm diuina ex prouidentia, allatam interpretari vmquam posset, monitorem cum primis nuncium instruxit, qui vera atque aperta oratione populi insaniam indicaret, & mali totius certam causam, principio altiùs repetito, aperiret. Huius verò nuncij ministrum, vtpote pro tempore vnius tantùm breuis animaduersionis causa electum, sacra historia certo nomine non indicauit, sed virum fuisse dicit voce Hebraica monosyllaba, Is, quæ & virum, & singularem, & virtute præditum significat, quem ad horam prophetico spiritu diuinitus instructum fuisse intelligimus ex ipso verborum contextu: Et misit Dominus virum Prophetam ad filios Israel. Cùm illi commuuni filiorum Israelis nomine, & publica causa clamauisse dicerentur, intelligimus totius populi consensu & consilio deprecationem illam fuisse pronunciatam, & vota publicè suscepta. Atque ita Ecclesiasticam actionem fuisse interpretamur, conuentu videlicet vno atq; altero, aut etiam pluribus, magna virorum mulierúmque frequentia actis. Eodem igitur tempore quo Deus publicè est appellatus, partes acturum, hoc est, responsum diuino redditurum nomine, virum ad frequentem conuentum delegauit, qui causam ageret, non singularem cuiuspiam vel capitis, vel tribus, vel illius tempestatis tantùm, sed totius Israelis, commemoratione acceptorum à Deo beneficiorum, & ingrati atq; impij ipsorum erga Deum suum animi & studij. tota autem nuncij ratio constat expositione personarum, eius videlicet à qua, & eius ad quam nuncius est missus, cùm declaratione etiam authoritatis eius qui mitteretur: qui non alienam à se referendam, sed veluti præsentis Dei orationem sibi dictatam pronunciaret. Hæc dicit Dñs Deus Israel. Quidquid (inquit) proponã, non à me ex Dei sententia tantùm, citra ipsius orationem, concinnatum; sed ita, vt dixero, diuinitus

Dei cura & sedulitas.

2. Paral. 36.

Monitor diuinus.

אִישׁ

Ecclesiastica actio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nitus dictatum recitari credite. Quandoquidem verò vos, Israelitică personam gerentes, Deum appellastis, eundem, vt nominis istius authorem atq; tutorem, illum iam vobiscum de officiis agentem, & certantem auditote, & causa exposita pernoscatis, vtri nam partes suas vel officius actionibúsque sustinuerint, vel negligentia, alióve vitio deseruerint; vósne, qui Israelis filij nominari dicíq; vultis, an Dominus, qui sese singulari prouidentia & cura, erga Israelem à se delectum & nominatum, futurum esse pollicitus est. Namq; vos in vestra oratione & exclamatione vtrumque nomen vsurpastis, & Domini misericordis, in vosq; beneficentissimi; & Israelis, qui cum Deo potens esse tussus, & potuit, & debuit esse. Nihil autem quicquam in ista vestra oratione, vel ex parte vestra allegastis, prater nomen hoc, quod valde ab hostibus vexari, & labefactari conquerebamini. Verùm enimverò huius causæ rationem omnem his verbis explicandam mihi Dominus ipse credidit: quam vos attétissimis auribus atq; animis audire excipereq; oportet; vtpote grauem atq; expedientissimam, ex parte personæ orantis, Domini inquam Dei, prouidentis & gubernatoris: atque etiam ex parte personæ cuius res agitur, nempe Israelis, hoc est, vestri ipsorum, quos omnium hominum præstantissimos dicere posset, quisquis spectaret cum comparatione cæterarum gentium, quas Deus, vti Deus, quidem regit, gubernat, & moderatur, castigat, & tuetur pro suæ prouidentiæ consilio; vti Dominus verò, Deut. 4. id est, vti singularis illius nominis compos, non est hucusque prosecutus. Ne-
» que enim est alia natio tam grandis, vt habeat deos appropinquantes sibi,
» sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Itaque causa quam vates hic Dei nomine ac verbo perorat, in iudiciali genere versatur; & ad coniecturalem definitiuamq; constitutiones pertinet, hoc modo: Ego vos feci conscendere de Ægypto, & eduxi vos de domo seruitutis, & liberaui de manu Ægyptiorum, & omnium inimicorum, qui affligebant vos, eiecíque eos ad introitum vestrum, & tradidi vobis terram eorum. Orantis consilium propositumq; est, inquirere primùm vtrum persona officia & partes suas aptè egerit, atque ex eare vtriusque nominationem definire. Atqui Deus suam causam non latentibus aut obscuris coniecturis, verùm amplissimis manifestissimisque beneficiis declarat confirmat; quorum formæ omnes & circumstantiæ, quinque capitibus expositis & explicatis concluduntur. Primum caput est, Israelitas, durissima seruitute oppressos, libertatem à solo Deo accepisse: quo munere ac beneficio nihil suauius bonis & ingenuis contingere possit. Ego vos conscendere feci. Neque enim vestra, aut vllius mortalis virtute, tugum illud depellere potuissetis, nisi ego ipse vos liberarem, atque de ergastulo eductos conscendere facerem: ipse tempus statui exeundi, ipse viam vobis muniui. Igitur duo beneficia fuêre, quòd educti estis de domo seruitutis, quodq; ex inuisa regione conscendere feci. tertium verò caput, quod seruitij consuetudine longa confracti, nec dominorum metum exuere poteratis. Nam quamuis educti, atq; ex

Iudicialis causa, coniecturalis status ac definitiuus.

Beneficia Dei.

ex Ægypto iam profecti, maximè tamen consternato & fracto animo fuistis, cùm inimicos, hoc est, dominos antea vestros, ponè sequentes, vobisque iam infestissimos fore existimatos videretis. S. S. E. Cumq; persequeren- Exodi 4.
» tur Ægyptij vestigia præcedentium, repererunt eos in castris super mare.
» omnis equitatus & currus Pharaonis, & vniuersus exercitus erant in
» Pihahhiroth contra Bethaphon. Cumq; appropinquasset Pharao, leuantes
» filij Israel oculos, viderunt Ægyptios post se, & timuerunt valde, clama-
» uerunteq; ad Dominum, & dixerunt ad Mosen; Forsitan non erāt sepulcra
» in Ægypto, ideo tulisti nos, vt moreremur in solitudine. quid hoc facere
» voluisti, vt educeres nos de Ægypto? Nonne iste est sermo, quem loquebamur ad te in Ægypto, dicētes, Recede à nobis, vt seruiamus Ægyptiis? mul-
» to enim melius erat, seruire eis, quàm mori in solitudine. Ita manifestū est,
» nullam de dimicando aut resistendo cogitationem illis illo tempore fuisse,
» immo nullam salutis, humanis viribus aut artibus querendæ, spem insedisse
» genti illi, tam de se actum conclamatumq; esse existimanti; vt omnis illius victoriæ laus vnius Dei beneficio tribuenda sit: quod & Moses monitor,
» illos ad spem reuocabundus, affirmabat. Nolite timere, state, & videte ma-
» gnalia Domini, quæ facturus est hodie; Ægyptios enim, quos nunc videtis,
» numquam vltrà videbitis vsq; in sempiternum. Dominus enim pugnabit
» pro nobis, & vos tacebitis. hoc est, quod à se illorum causa factum, in hac
» oratione commemorat Deus: Et liberaui vos de manu Ægyptiorum.
Quartum verò caput est, illos non tantùm ab Ægyptijs, verùm ab omnibus hostibus, qui vel in itinere sese infestos infensosq; præbuerant: vel promissam regionem, hoc est, suas ipsorum sedes & patrias defensuri, in Israelitarum exitium conspirauerant, vltore atq; propugnatore Deo, fuisse saluos incolumesq; seruatos. Et omnium inimicorum qui affligebant vos,
» vt Amalechitarum, Amorrhæorum, & Basanensium primùm, demum
» etiam Chananæorum omnium. S. S. E. Qui percussit gentes multas, & oc- Psal. 134.
» cidit reges fortes, Seon regem Amorrhæorum, & Ghog regem Basan, &
» omnia regna Chanaan: & dedit terram eorum hæreditatem Israel populo
» suo, &c. Quintū porrò diuinorum beneficiorū caput fuit, non solùm Cha-
» nanæorum gentes pulsas cessisse, verùm illarum vrbes, agros, diuitias, spolia omnia, rusticam, domesticam, vrbanamq; rem, in vsum possessionemq; fuisse Israelitis concessa ac tradita. S. S. E. Quoniam memor fuit verbi Psal. 104.
» sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum. Et eduxit populū suum
» in exsultatione, & electos suos in lætitia. Et dedit illis regiones gentium, &
» labores populorum possederunt. Hæc verò beneficia quonam pacto in illos
» collata fuerint, idem Psaltes adiuncto versu declarabat: Vt custodiant iu-
» stificationes eius, & legem eius requirant. Hac itaq; priore orationis parte,
» suam causam à se omnibus modis firmatam stare, Deus probauit, dum nihil excipiendum reliquerit, quod in Israelis Deo atque IEHVEH requiri possit, non virtutem, non voluntatem, non constantiam: namque hæ tantis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tam diuturnis, & sæpiùs instauratis exemplis testatissimæ fuerant. Igitur cùm idem Deus ille semper esset, cuius singularem in se prouidentiam omni in loco, periculo, ac beneficio præsentem sibi experti fuissent Israelitæ, ea tempora, quæ nunc dura aduersaq. videbantur, non Madianitarum, aut gentis cuiuspiam egregiæ vel virtuti, vel felicitati, (quæ nulla aduersus eos, quos Deus foueret, esse valeréve poterat) verùm alij potiùs causæ tribuenda oportuerat: hoc est, Dei iudicio, à quo in eam miseriam incidere permittebantur. Igitur cùm Deum sua sponte immutabili consilio esse nossent, eundemq. omni opportuno tempore Israelis patronũ, pastorem, defensorem, iuratorem, atque amplificatorem fuisse intelligerent; diuinandum inquirendumq. fuerat, num quid in Israele desideraretur vel deesset, quamobrem illius perpetuæ felicitatis cursus, tam turbulentæ tempestatis procella interciperetur. Quod si diuinãdo inquisissent, inuenissent profectò, agnouissentq., sese in culpa causaq. esse earum miserarũ, in quibus versari laborabant: non autem vel Dei sponte obliti negligentiam, vel magnam aliquam Madianitarum virtutem & potentiam, cum potentiaq. coniunctam crudelitatem, quæ nullæ in Madianitis natura esse potuerant, maiores quàm in Ægyptijs cæterisq. hostibus, à quibus Dei vindicis beneficio liberati olim fuerant. Atqui huiusmodi causam, si, vt par fuerat, agnouissent, sua in deprecatione confessi, pœnitentiaq. ducti, pronunciassent; quandoquidem nihil aliud, quod ad se attineret, allegationis causa haberent; saltem Iacob

Gen. 31. *patrem imitati, indignitatem manifestarent suam. Vtq. ille dixerat: Minor*

» *sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua quam expleuisti seruo tuo:*
dicerent etiam illi, quod ad culpam agnoscendam, misericordiam & fidem

Psal. 51. *implorandam faceret; Quoniam iniquitatem nostram nos cognoscimus, & peccatum nostrum contra nos est semper. Ecce veritatem dilexisti. & huiusmodi proferrent alia, quæ illos nõ adeò insanire, sed morbum malumq. suum sentire declararent: quod cùm ab illis minimè fuerit præstitum; posteriori orationis parte indicatum Deum voluit.*

Et dixi, Ego Dominus Deus vester, ne timeatis Deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis: & noluistis audire vocẽ meam.

ALTERA *certaminis pars ad comparationem hoc loco affertur, qua Israelitarum gens causa cadere cogitur: siquidem Deus partes suas sese vltro professum abunde præstitisse, rebus ipsis demonstrauit, idq. nemine cogente, immo nec monente, egisse ait; qua in re suam curam, vigilantiam, voluntatem, ac benignitatem probauit, opportunissimis quibusq. ac maximis beneficijs vltro conferendis: contrà verò Israelitarũ res rationesq. sese habuisse, qui officium suum, quod non solùm breui præceptionum summa edocti, sed sæpius etiam vt seruarent moniti & commoniti fuerant; tamen omnino peruerterunt, atque adeò prætermissum neglexerunt. Erat autem officij æquissima ratio, vt illi sese totos ei Domino traderent, cuius tantam, tamq. singularem prouidentiam fuerant experti, dignúmque sese tanto Principe popu-*

populum exhiberent. Nam cùm nullus populus sine religione, religionisque studio & exercitatione constare possit; religionis autem ratio eò tendat, vt homines Deo suo similes, probabilésque reddat: eam optimam, veram, & sanctissimam religionem esse oportet, quæ Dei, quem coluerit, naturam rectè cognoscendam, & voluntatem apertè intelligendam obseruandámque tradiderit. Namque vt ille sapienter canebat:

Religionis ratio.

Heu primæ scelerum causæ mortalibus ægris,
Naturam nescire Deũm. *Qui enim naturam ignorat, quemadmodum ea purè coli possit, ignoret necesse est. Atqui ceteræ gentes præter Israëlem, quæcũque illis tempestatibus fuere, diuinam naturam humanis arbitrijs ac documentis definitam, variè, incertè, inconstantérque colebant, prout ducebantur euntes, atque Poëtarum doctas ingenioseq. compositas secuti fabulas, innumerabiles errorúmque plenas vias tenentes, suis, quos colere credebant, diis sese similes reddebant, ludis, iocis, pompis, atque adeò impudentissimis moribus & studijs operam dantes, sacrificijs plerumque nefarijs, saltem ineptissimis, vanitate mera tempus, rem & animum consumentes. At verò Israël singulari beneficio veri Dei naturam, & legitimum cultum edoctus, frequentissimisque oraculis & exemplis instructus fuit. S.S.E. Qui annunciat verbum suum Iacob, iustitias & iudicia sua* Psal. 147
Israël: Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. »
Igitur quo tempore Deus illis sese Dominum gubernatorémque probabat, viam deinde rationémque sui cultus tam externis ritibus, quàm internis animorum studijs tenendam indicabat, seseq. cũ nullo alio ex ijs, quos pro diis gentes colerent, componendum, comparandum, aut coniungendum, nedum permutandum declarans. S.S.E. Locutus est Dominus ad Mosen, dicens: Loquere ad omnem cœtum filiorum Israël, & dices ad eos: Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester. Nolite conuerti ad idola, » Leuit. 19.
nec deos conflatiles faciatis vobis. Ego Dominus Deus vester, &c. quæ illo loco, lege omni in breuem summam redacta, exponuntur. Ad quem locum hæc, quam nunc explicamus, oratio referenda est. Namque vbi Latinè legimus, Ne timeatis deos Amorrhæorum, Hebraicum verbum THIREV (*pro quo timere, ac metuere, interpres noster sæpè reddit*) *maximè affine est alteri verbo* THIREV, *cuius prima pars per i breuem scribitur, significanti idem quod videre, respicere, rationem habere, obseruare, & huiusmodi alia, quæ ad obseruationem referri possunt. Atque hoc verbo, quod obseruationem, rationem, & inspectionem, simul etiam timorem, & metũ significaret, vsus hoc in loco Deus, duo simul monita cõplexus est, quæ ad vtramque significationem referenda sunt. Alterum quidem, id quod modò citabamus: alterum verò illud; Caue diligenter, ne obliuiscaris Domini, qui eduxit te de terra Aegypti, de domo seruitutis. Dominum Deum tuum timebis, & illi seruies, ac per nomen illius iurabis. Non ibitis post deos alienos* Deut. 13.
cunctarum gentium, quæ in circuitu vestro sunt: quoniam Deus æmulator

תיראו
תראו

Universidad de Deusto
Biblioteca

» *Dominus Deus tuus in medio tui, nequando irascatur furor Domini Dei*
» *tui contra te, & auferat te de superficie terræ. Atque hoc loco timoris ac ti-*
mendi vocabulum pro religionis sensu, affectu, & studio accipimus, in qua
significatione & à Latinis eleganter vsurpantur. Vt,

Silii. Ital. Hor. lib. 2. Sat. 3.

Primus in orbe Deos fecit timor. *& illud;*
Quóne malo mentem concussa? timore deorum.

Igitur Israëlitas, quem, & quemadmodum colere, & à quibus animum
mentémque abalienare oporteret, non verbis modò, sed etiam rebus & be-
neficiis edoctos, identidémque admonitos, tamen ab hac disciplina volentes
desciuisse arguit Deus: Et noluistis audire vocem meam. *illos non co-*
actos, sed sponte à perenni contestataq; virtute Israëlis degenerasse affir-
mat. Audire. *Obsequium & studium hæc vox hoc loco significat; vt in illo,*
Qui habet aures audiendi audiat: & illud apud Latinos;

Audire.

Horat. ferm. lib. 1. Sat. 2.

Nemo adeò ferus est, qui non mitescere possit,
Si modò culturæ patientem commodet aurem.

Atque hactenus oratio constructa, aperta, & explicata est; adeò vt pero-
rationem sua sponte sese explicantem pronunciari non opus fuerit: sed tantùm
iis pronunciatis, ex quibus necessario constare & consequi peroratio posset,
ipsorum, aduersum quos agebatur, æstimatione epilogus cogitandus relin-
quitur. Erat autem huius actionis scopus, inuenire causam, quamobrem Is-
raëlitæ miseris modis opprimerentur. Illis quidem causa ad Dei neglectio-
nem, & ad Madianitarum potentiam & immanitatem referebatur: Dei
autem vera ac certa causæ inueniendæ ratio proposita est, atque duabus ar-
gumentationis partibus concinnata; ex qua tamquam per enthymema dedu-
ci complexio posset. Israëlitarum oratio per coniunctionem constructa est
hoc modo: A Madianitis opprimimur, & à Deo negligimur: verùm vtrius-
que partis ratio non fuit adiuncta, atque ita vulgari modo argumentandi
conclusum est, Deum esse clamoribus prouocandum ad Madianitas vlti-
scendos. Dei verò actione altera orationis ab Israëlitis coniunctæ pars, vi-
pote minùs apta, reiecta est, videlicet, Madianitarum potentia illos oppri-
mi, cùm id antea commemoratis beneficiis planè fuerit redargutum. Neque
enim Madianitæ vel Ægyptiis, vel aliis olim hostibus, potentiores erant, à
quibus tamen hostibus, Dei prouidentia & efficacia, Israelitæ liberati, ere-
pti, & seruati fuerant: quare illos in causa inuenienda paralogizare appa-
ret, ac non causam pro causa vsurpare. Nam qui coniunctiuã pro condi-
tionali sumit, mendosè colligit, & in absurdum atque incredibile delabatur
necesse est. Vt hi delapsi sunt, intelligentes Madianitarum potentia nimia,
coniuncta cum Dei neglectione, sese vexari atque opprimi; nisi fortè ali-
quid absurdius etiam cogitarint, dubitantes num Madianitarum potentia
felicitas aliqua accederet, quæ Dei auxilium impediret. quæ quidem non so-
lùm absurda, sed planè insana atque impia cogitatio esset. Verùm enimue-
ro remota iam & reiecta Madianitarum potentiæ allegatione à causæ defi-

Peroratio signata.

nitione; argumentandi rationem ab illis institutam corrigit Deus, docétque
assumendam fuisse conditionalem, ab ipso quondam firmatam, eamq; dupli-
cem: nempe aientem alteram, alteram negantem: vtramque enim in pactio-
ne quondam prædictam & denunciatam nemo inficias ire posset. Atque vt
apertissima hæc fiat res, pactionis summam referre non pigebit. Ego Domi- Leuit. 19.
nus Deus vester, nolite conuerti ad idola, nec deos conflatiles faciatis vobis. »
& rursum: Non ibitis post deos alienos cunctarum gentium, quæ in circui- » Deut. 13.
tu vestro sunt. Quoniam Deus æmulator Dominus, Deus in medio tui: ne- »
quando irascatur furor Domini Dei tui contra te, & auferat te de medio »
terræ. Ex vtraque oratione illud efficitur, fore, vt Israelitæ Domini Dei » Prouidentia in vtráque parte.
efficientiam & virtutem experirentur quidem, eam tamen non vno modo
semper, sed vel in suam ipsorum salutem & amplificationem; vel rursus in
suam miseriam & castigationem. nam si præsenti semper memoria, atque
legitima obseruantia Deum, vt sui quondam ex Ægypto liberatorem, cole-
rent; perpetuò sibi propitium & conseruatorem habituri essent. sin verò, il-
lius obliti, ad superstitionis insanam proclines, religionis veræ iudicium
adulterarent; non absentem nec negligentem, sed æmulatorem, sed acrem ac
diligentem animaduersorem, atque adeò vltorem essent habituri. Igitur
cùm vtriusque cõditionis assumptum ab ipsis fuerat peruersè obseruatum,
causa etiam suarum calamitatum vltro ab ipsis allata est. & vt in summam
argumentatio colligatur, non Dei neglectio, non Madianitarum poten-
tia vel felicitas, sed ipsimet sibi malum pepererunt. id per quosnam allatum
fuerit, nihil refert, siue per Madianitas, siue per alios quosuis, dummodo il-
lud constet, Dei æmulatoris iudicio & auctoritate allatum. S. S. E. Si erit Amos 3.
malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit: quia non faciet Dominus »
Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas. »
Atque ita hoc loco Deus, vt iustificetur in sermonibus suis, & vincat cùm
iudicatur; consilium iudiciumq; suũ huic Prophetæ, ad hanc causam actio-
nemq; appellato, exposuit, eidémque ad Israelitas referendum credidit, as-
seueraturo, veram suarum calamitatum causam fuisse, quòd illi in condi-
tione atque pacto non manserint. Et noluistis audire vocem meam. *quæ*
me vobis pietatem obseruantibus Dominum, Deum, consulentem, fauen-
tem; rursus verò reiicientibus æmulatorem, & iudicem, acremq; animad-
uersorem fore declarauerat. Atque conficitur, illos culpa sua, iudicioq; Dei,
in eas, quibus vrgebantur, angustias compulsos esse: vnde non, nisi ex vnius
Dei clementia, misericordia, & bonitate, educi possent: vt omnia quæ sibi
aduersa acciderent, sibi ipsis; quæ verò secunda ac felicia, Deo auctori acce-
pta referrent. Igitur hactenus dolentibus atque sentientibus Israelitis, me-
dicúmque verum appellantibus, non solùm consilio & monitu, expositioneq;
morbi & causæ, verùm auxiliis etiam, & remediis efficacissimis, adesse
Deus benignè voluit. S. S. E. Ipse autem est misericors, & propitius fiet Psalm. 77.
peccatis eorum, & non disperdet eos. Et abundauit vt auerteret iram suam, »

Universidad de Deusto
Biblioteca

» & non accendit omnem iram suam. & recordatus est, quia caro sunt. Spi-
» ritus vadens, & non rediens.

Venit autem Angelus Domini, & sedit sub quercu quæ erat in Ephra, & pertinebat ad Ioas patrem familiæ Ezri. Cumque Gedeon filius eius excuteret, atque purgaret frumenta in torculari, vt fugeret Madian.

Propheta Angelus.

PROPHETAM *illum, cuius modò orationem commentabamur, Phineam Eleazari filium, Aaronis nepotem, fuisse, nonnulli ex interpretibus tradunt, coniectura ducti longissimæ vitæ viri, qui Dauidis etiam ætate exstitisse commemoratur. Atque hunc eundem hoc loco Gedeoni visum esse; illicq. Prophetæ, hic verò Angeli, siue nuncij Domini nomen obtinere, quod Prophetis etiam tribuitur; vt Aggæo, Domini Angelo nuncupato. Verùm nos dum institutum nostrum tenemus, neque illius Prophetæ nomen ex sacra lectione confirmare, neque huius nuncij alium, quàm ex natura numeróque cælestium spirituum statuere possumus. Igitur post expositam tam Israelitis publicè suarum rerum calamitatis causam, salutis rationem inaturus Deus, Angelum, quem illius populi procurandæ saluti præfecerat, salubrem nuncium allaturum delegat; qui sedisse dicitur, hoc est, constitisse, quoad à Gedeone conspiceretur. Namque huius etiam significationis verbum est id, pro quo interpres noster modò sedere, modò habitare reddit. Vt,*

Sedere.

Psal. 83. » *Beati qui habitant in domo tua Domine. Idem verbũ illic vsurpatur, cùm tamen præter sacerdotem summum, & Regem in sacro tẽplo nemo sederet. Verùm hic sedendi siue cõsistendi habitus voluntatẽ & studium, atque certum rei seriò & curandæ & agendæ propositum significat: quo tropo Deus,*

Psalm. 79. *cũ populi Rex, gubernator & protector describitur, sedere dicitur. Vt, Qui*
» *regis Israel, intende; qui deducis velut ouem Ioseph. Qui sedes super Cher-*
» *rubim, manifestare coram Ephraim, Beniamin & Manasse. Excita potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos Domine. Conuerte nos, & osten-*
» *de faciem tuam, & salui erimus. Ex qua etiam tropi ratione illa apud*

Lucæ 4. *Euangelistam exponimus; Et ipse sedebat docens. &, Vidit hominem se-*

Matth. 28. » *dentem ad telonium. &, Angelus Domini reuoluerat lapidem ab ostio*
» *monumenti, & sedebat super eum. à qua significatione studij ac seriæ voluntatis, non longè abest verbum idem à Latinis aliquando vsurpatum: vt,*

Iuuenal. Sat. 8.

——— populi frons durior huius,
Qui sedet, & spectat triste supercilia patritiorum.

Igitur qui iam Israelitas, responso illo per Prophetam relato, conuertere Deus, hunc faciem suam, eo modo quo seculis illis commendabat, in salutem ostensurus, Angelum à se missum, sedentis habitu statuit, eundemq. et conspectum viro volebat, quem salutis illius ministrum parauerat. Sub quercu quæ erat in Ephra. ex glandiferarum arborum natura vni generi

Quercus Ilex. אלה Elah *in sacra lingua nomen factum est, cui Latinorum Ilex affine vocabulum sortita videtur. verùm genera hæc plantarum latioribus nominibus*

δρυὸς & quercus, Græci Latinique interpretes declarant. nam quercus quamquam speciem quandam plantæ significet, quam Itali Quercia, *Belgæ* Eycke, *Hispani* Roble *dicunt; tamen generis ratione interdũ init, vt:*

Glandiferas inter curabant corpora quercus. Lucret. 5.

Atque iam aliàs certis exemplis ostendebamus, nomina huiusmodi plantarum, animalium, & lapidum, in singulari numero multitudinem sæpè significare. Vt, Abscondita sub quercu, quæ erat in Mambre. Sicut & apud Singularis pro plurali.
» Genes.
Latinos:

Contemplator item, cùm se nux plurima siluis
Induit in florem, & ramos curuabit olentes. Verg. Geor. 2
——— si quercus & ilex
Multa fruge pecus, multa dominum iuuet vmbra. & illud: Horat. epist. lib. 2.

Atque ita hoc loco quercum pro querceto accipimus, quod in illo loco, cui Chananæũ nomen GHOPHRA *fuit, densioribus plantis constabat, quam ipse Angelus vnam quamptam sibi ad sedendum delegisset, vnde citiùs commodiusq. à Gedeone conspiceretur. Quo autem in statu Israelitarum essent illa tempestate res, apertè existimare licet ex huius viri studio, actione, habitu, & gestu, qui cùm & familiæ nobilitate inter primates esset, & propria virtute inter Israelitarum fortissimos, vel ipsius Angeli salutatione & compellatione censeretur; tamen offensus est, ea agens, quæ victi ac tristes ad vitam angustissimè tuendam agere solent: hoc est, victum sibi qualemcumque parans, idq. festinatione ac trepidatione multa, ex metu & suspicione propinqui iam & instantis hostis. Hæc nobis ita censenda, loci, temporis, & causæ notationes exhibent. Nam cùm tritici manipulos ab illo in torculari excussos legimus, intelligimus hoc eo tempore factum, cùm iam segetes maturari cœpissent: quo tempore Madianitæ populabundi aduentare solebant, atque adeo iam non longè abesse putabãtur, vt ex ipso historiæ contextu indicabitur, atque ex huius versus verbis:* Vt fugeret Madian. *Hebraicè sic:* LEHANIZZ MIPENEI MADIAN. Ad faciendum fugere à facie Madian. *Quæ oratio indicat illum pro viribus ad aliquã frumenti, aliàs ipsis perituri, partem Madianitis aduenientibus præripiendam, quantum id fieri posset, festinantem, quoad hostis iam conspiciendum se præberet: nam tunc consilium erat, cum parato sibi victu se, patrem, suosq. omnes in illa prærupta & tutiora loca recipere. A facie Madian. conspecto iam hoste. Hactenus ille virtute atque dexteritate sua præstare poterat. Parum autem oportuit esse tritici, quod tanta festinatione ac trepidatione compararetur ab vno viro, non opportuno solis æstu maturum; sed grauidis ac virentibus aristis, citiùs quàm par esset, demessum, atque breuiter leuigatum, vbi numquam triticum terendum quispiam suspicari posset; nec in aperto ac libero loco, sed inter vineta & quercetа, vbi hosti fortè aduenienti aggressus difficilior, vni verò viro, regionis incolæ ac perito, elabendi opportunitas*

Universidad de Deusto
Biblioteca

portunitas facilior esse posset. in has adeò angustias illorum publica priuatáq; res coniecta erat. Oportet autem Gedeonem hæc agentem non securum, aut ita intentũ excussionis operi fuisse, quin subinde respiciendi & circumspiciendi cura admoneret. Quamobrem Angelus sedendi aut consistendi habitu, hostilis personæ suspicionem sustulit. Nam si hostis quispiam accessisset, nusquam profectò aut consisteret, aut sederet, ne eiusmodi mora viro ad effugiendum spatia daret; sed, quantum fieri posset, vel clàm ponè, vel subito impetu è regione adortus negocium faceret, aut vim afferret. Nec obseruatoris illa species, aut insidiatoris erat: immo custodis potiùs amici, vel saltem non inimici, atque adeò monitoris & indicis, aut eiusmodi officiosi hominis; ita vt à sedente sibi cõspecto nihil timere vir cordatus ac fortis potuisset: secus verò ab eo qui improuisus adesset. atque hæc non ambiguam significationem præferebant, Dei iam populo suo prospicientis, & compositioni atque quieti publicarum rerum præuidentis: vbi illum diuinum nuncium esse constaret. Cætera porrò verba, quæ ad loci descriptionem & notationem adduntur, vltra situs rationem, quæ opportunè in historiis induci solet, ad viri familiam & tribum, atque etiam ad illius familiæ disciplinam non latenter significandam, pertinẽt. Namque vt manifestum in primis fieret, illum virum paratæ iam salutis ministrum à Deo esse delectum, non tantùm eundem Angelus allocutus est, sed conueniendi tempus & locum etiam præscriptum voluit in paterno agello, eo tempore, quo ipse de patris domo abhostibus seruanda agitaret. quod etiam officium Deo probatum constat missse
Lib. Misdras Angelo, qui non modò nũcium, sed custodem ageret: id quod antiqui Homeliasſæ opportunè adnotandum censuerunt. Iam verò ad personarum excussandam rationem, in quánam tribu Gedeon conscriptus decuriaretur, obiter indicatum est, patris appellato nomine Ioas; qui in Manasse tribu, Israelitarum familiæ caput duxq; erat, quem oportet præter ceteros Israelitas antiquæ & veræ pietatis reliquias familiari disciplina conseruatas reuinuisse, quæ quo minus publicè ac palàm excolerentur, temporum ac morum publica malitia & peruersitas, maiorq; peiorum potentia, ac vis impediebat, id quod quam primùm per oportunitatem declarari licuit, liberè ac sapienter declaratum est, vt ex narrationis contextu postea ostendetur. Optimè autem interpres noster inter vertendum familiæ vocabulum induxit, sine quo Latinis obscurior aliquanto locus hic esset, atq; adeò Hebraicè etiam scientibus, tribuum tamen distributiones minùs attentè recensentibus, namq; Hebraicè in hanc formam hæc leguntur: sub quercu quæ in Ghaאב phra, quæ ipsi Ioas ABIHAGHEZRI. atq; AB, patrem Latinè significat, cui aliquando iota adiungitur ad cõpositionem, vt ABSALOM, & ABISALOM; vel ad possessionẽ; siue, vt logici loquuntur, ad relationem, vt etiam ipse est ABICHENAN. quamobrem euenire posit, imò euenisse notauimus, vt nonnulli hoc loco Ioas viri cuiuspiam, nomine GHEZER, patrem fuisse existimarent, atque vtrumque nomen substantiuæ ducerent formæ,

formæ, quod tamen patronymicum verè est, adiectiuorumq; seruat Hebraicorum formam, à nomine, ABI-GHEZER, qui in filiorum Manasse numero secundus recensetur. S.S.E. Cecidit autem sors tribui Manasse, ipse Iosue 17.
enim est primogenitus Ioseph. Machir primogenito Manasse patri Galaad »
& Basan, & reliquis filiorum Manasse iuxta familias suas, filiis Ezer, & »
filiis Helek, & filiis Esriel, &c. ex huiusmodi primitiuis Abighezer, Ger- »
son, Kehhath, patronymica sua Chananæus sermo hunc in modum derivat, Patronymica.
HAGHEZRI. HACHEHHATHI. nostra pronũciatione Ghezræum, Gersonæum, Kehhatæum sonare possumus, cùm Latini aliàs patronymicis omnino careant, præter vnum Saturnium, cognomẽ à Virgilio vsurpatum, quod patronymici vim antiqui Grammatici obtinere aiunt. Igitur cùm hũc Gedeonis patrem Ioasum ex Abi Eghezeri posteris esse historiographus docere vellet, ABIHAGHEZRI cognominauit, in eaq; familia primas tenuisse significauit: Latinus verò interpres, idem etiam significaturus, patrem familiæ EZRI transtulit, vt Eghezeritarum, siue Abighezritarum vnam ex Manassensium familiis intelligeremus: quod & nos fusiùs explicare non piguit, vt in hoc, & multis aliis locis minimè futurum importunum. Nec verò hæc antiqui patris appellatio mysterio, ad rem ipsam referendo, caret. siquidem ABIGHEZER, patrem auxilij, auxiliũ paternum, Mysterium nominis.
patris mei auxilium significat, ita vt ab ipsa prima impositione, Iacob ex huius filij prosapia auxilium omni genti futurum portendisse videatur: idq; hoc loco ac tempore præstitum fuisse, historiæ author indicet. Iam verò narrationem persecuturi, cùm intelligamus Angelum tam diu exspectasse, quoad à Gedeone, aliàs operi studiosè intento, conspectus rogaretur: tamen non est antea rogatus, quàm ipse vltro virum compellaret, quod nos partim ex operis festinatione & studio, partim etiam ex quadam pro tempore securitate factum existimamus, cùm eo habitu ac vultu visus fuerit Angelus, quo nullæ inimicitiæ, aut insidiarum, vel periculi sui commoueri posit suspicio. Atq; etiam fieri potuit, vt ipse quoque ab eo, quem è regione sedentem conspiciebat, vel ob modestiam, vel ob admirationem aliquantulum hærens, primam vocem audire cuperet, quam demum audiuit benignæ, suauis, & efficacis salutationis interpretem. Namq; antè visum fuisse Angelum, quàm allocutum, subiunctus declarat versus:

Et apparuit ei Angelus Domini, & ait: Dominus tecum vir fortissime.

SVPERIOR versus Angelum venisse, consedisse, & exspectasse narrauit; hic verò à Gedeone visum auditumq; fuisse exponit. Nam verbum apparuit, in sacra lingua passiuum est, à radice RAAH, quæ videre, conspicere, contemplari, & obseruare significat; vt interpretari possimus: Et visus est ei Angelus Domini, & dixit ei: Dominus tecum GIBOR virtutis. Nominis GIBOR significationem vno atque altero loco in cõmentariis Iosue exponebamus: cui in iis, quas nouimus, linguis nullum aptari commo-

Apparere. ראה

גיבור

Universidad de Deusto
Biblioteca

commodiùs posse dicebamus, quàm antiquum Hispanicum Barragan. *ita vt salutatio hæc Hispanis verbis sonare possit*: El Señor contigo Barragan de Valentia. *Longè autem grauius est dicere*, Barragan de Valentia: *quàm si dicamus* Varon de Valentia, o Varon Valiente. *atque* H H A I L *nomen ad omnem virtutem, quæ studio ac meditatione augeri potest, significandam vsurpatur. vt fortitudo apud Latinos; quæ cùm vna ex quatuor primis officiorum parentibus sit, tamen omnium officiorum formam vt genus appellando complectitur. vt*; Strennus & fortis causisq. Philippus agendis Clarus. *Sic etiam in nostra versione, mulierem fortem legimus. Verùm cùm idem nomen, nomini* GIBBOR *additur, propriè eam virtutem, quæ in bellicis rebus strenuè gerendis spectatur, intelligimus. Sic Poëta:*

חיל

Fortitudo.

Horat. Sat.

Ouid. Met. lib. 14.

Occidit à forti (sic Dij voluistis) Achille. *Atque ita Iudas cognomento Machabæus fortissimus appellatur. Vt verò salutationis sententiam apertiùs cognoscamus, verborum constructio examinãda est. Nam cùm verbum non expressum fuerit, ad præsens vel ad futurum tempus referri oratio potest: ita vt quæ expressa pronunciataq. sunt verba, integrum sensum componant, formaliter, vti Dialectici; siue in sensu composito, vti Theologi loquuntur. idemq. est dicere,* Dominus tecum vir fortissime, *ac si diceretur, Tu vir es fortissimus, eo quòd Dominus tecum est: atq. ideo tuam istam propriam fortitudinem ipse præsens instruit, auget, promouet, successibus secundat. vel etiam illud significat,* Dominus tecum *futurus est, qui te virum fortem instruat, & promoueat, quiq. fortitudinem istam maximè gerendis rebus amplificet. Atqui hanc posteriorem rationem Angelus; Gideon verò priorem tenuisse videtur, qui admiratus se illa tempestate, illa rerum trepidatione omnium, illo in metu, atq. illa festinatione, &* GIBOR *& fortem appellari, cùm nihil rei præclaræ egisset, atq. id tantùm studeret, quemadmodum se patrisq. sui domum aliqua victus vel exigua & simosissima portione, ab hostibus non vi, sed fuga eripere, & in vita tueri posset, & non tantùm illis nominibus salutari, verùm audire etiam,* Dominum *secum esse, qui fortitudinem illam suam curaret, & augeret. quod quemadmodum cum præsenti rerum statu conuenire posset, admiratus, respondit:*

Obsecro Domine, si Dominus nobiscum est, cur ergo apprehenderunt nos hæc omnia?

Ovm, *qui se alloquebatur, non Angelum, verùm Prophetam quempiam esse, Gedeon tunc primùm salutatus existimauerat, eundem videlicet, aut eiusdem ordinis, cum illo, qui nuper Israelem incusaturus exstiterat. Nam cuius naturæ certè esset, ante colloquij finem non videtur cognouisse. Igitur non humanam, sed ex Deo profectam atq. per vatem pronunciatam salutationem, pro præsenti rerum facie, interpretatus, quemadmodum certam propriamq. definire posset miratus, dilemmate excipiendam duxit: quod argumentationis genus ad verum extricandum magnam obtinet vim. sed id facilius nobis Latinè explicandum dabitur, si orationis Hebraicæ simplici-*

Dilemma.

citas Romanis verbis vtcumq. reddatur. In me Domine mi, & est Dominus nobiscum, & cur inuenit nos hæc omnis? *Latinus verò sic:* Mihi ne Domine, & est Dominus nobiscũ, cur nam igitur hoc omne nos offendit? *Quod Latini interpretes plerumque vertere solent* Obsecro, *in sacra lingua legitur* BL. *Cuius significationem exponentes, quid Latinum,* Obsecro, *hoc loco valeat, declarabimus. Atqui salutationẽ non simplicem, verùm duplicem sibi factã intellexit Gedeon; altera parte, quæ suam singulariter personam; altera verò, quæ omnem Israelitarum Remp. attingeret. Nam si tantùm illud audiisset,* Dominus tecum, *singulari nomine, atq. munere Dei sese ornatum intelligeret; verumenimuero cùm elogium additum cogitaret* GIBOR fortitudinis, *eam rem in totius Reip. ac populi vtilitatem cedere interpretatus est. Namque nemo est, qui sua vnius causa* Gibor *vel esse, vel cognominari visus fuerit, cùm id & virtutis & cognomenti ei insit, qui vel malorum depulsione magnorum, vel aliàs rebus præclarè ad publicam vtilitatem in bello aduersus hostẽ gestis, clarus insignisq. euaserit. quamobrem illam ipse salutationis expositionem excepit, nempe Dominum magnã illi populo salutem ipsius salutati ope atq. opera præstare. quod quemadmodum constare affirmaretur, sese minime assecutum planè mirari, ideoq. cupere omnino doceri, quemadmodum id cum ipso rerum vsu stare posit. Nam cùm ipse nihil tanto elogio dignum egerit; nec quicquam in Repub. sua præter angustiam & calamitatem videat: quorsum illa salutatio euadat, minimè intelligere sese ait, cùm audiat se* Gibor fortissimum *appellari, cuius nullum fortitudinis exemplum in publica commoda editum exstet: cùm etiam audiat eam fortitudinem Israelis causa ex Domini munere & authoritate constare, qui præsentem sese populo probet. Atque omnia hæc cum præsenti rerum statu an aptè cohæreãt, sibi nondum esse ostensum, idq. vt ostendatur desiderare se significat; & priorem quidem salutationis partem ad se pertinentem, tanquam sibi notam & exploratam, breuiter expedit; non negatione, sed admiratione excipiens:* In me Domine mi. *Ac si Latinè diceret, Sic aduersum me loqueris, cùm ipse mihi conscius sim animi, mentis, atq. roboris proprij, qui magna trepidatione nunc id ago, vt me meosq. fuga ab hostibus eripiam; quod verò publicam Israelitarum rem spectat, cui præsentem, propitium, & fauentem Dominum esse asseris, id vt à viro sapienti ac veraci, quem nihil otiosè proponere decet, doceri curo & rogo.* Et est Dominus nobiscum, & cur inuenit nos hæc omnis? *Dissertissimam argumentationem instituit Gedeon, ad salutationis constantiam & veritatem inquirendam, inuento medio firmissimo, & argumento ad oppositum deducto. Medium autem est nomen illud* IEHVEH; *quod, preterquam quod diuinam naturam significat, efficacem, immo efficientem etiam, & agentem indicat, atq. iis præcipuè exemplis sese probantem, quæ malorum depulsionem, bonorum conciliationem, felicitatis instructionem ostendunt. namque hoc nomine sese ipse appellandum indicauit, cùm de*

Obsecro.

Universidad de Deusto
Biblioteca

publica libertate ac salute populi, cum antiquis vatibus ageret. S. S. E. Ego

Exodi 6. „ Dominus qui apparui Abraham, & Isaac, & Iacob in Deo omnipotente,
„ & nomen meum IEHVEH non indicaui eis. Pepigiq; fœdus cum eis, vt
„ darem eis terram Chanaan, terram peregrinationis, in qua fuerunt adue-
„ næ. Ego audiui gemitum filiorum Israel, quo Ægypty oppresserunt eos, &
„ recordatus sum pacti mei. Ideo dic filiis Israel: Ego Dominus educam vos
„ de ergastulo Ægyptiorum, & eruam de seruitute in brachio excelso, & in-
„ dictis magnis. Assumam vos mihi in populum, & ero vester Deus: & scie-
„ tis, quòd ego sum DOMINVS Deus vester, qui eduxerim vos de ergasta-
„ lo Ægyptiorum, & induxerim vos in terram, super quam leuaui manum,
„ vt darem eam Abraham, Isaac, & Iacob, daboq; illam possidendam vo-
„ bis. ego DOMINVS. Qua oratione quid huius nominis DOMINVS,
sive IEHVEH titulo ac ratione, hominibus à se delectis præstare posset,
atq; vellet; Deus luculenter exposuit, nempe salutem, libertatem, ingenui-
tatem, hæreditatem, possessionem, quietem, regnum, felicitatémque omnem

Rerũ copia vmbræ. etiam temporalium, quas vocant, rerum, quæ futurarum æternarumq; vm-
bræ erant. eaq; omnia eiusdem nominis, quo exponi cœpta sunt, authoritate
demum confirmauit: Ego DOMINVS. quæ totius tabulæ atque legatio-
nis quædam veluti subscriptio fuit. Iam verò Gedeonis argumentatio ad
Dialecticam formam instituta sic habet: Quibuscumq; DOMINVS ad-
est, salus, pax & felicitas est. Nobis nec felicitas, nec pax, nec salus est: quid
ergo nobis DOMINVM adesse ais? Huius argumentationis propositio,
quam maiorem vocant, ex nominis ipsius etymo, satis in sacra lingua nota,
atq; expositione diuina, superius nobis citata constat. quam expositionẽ nulla
exceptione diminuendam, alia etiam apud eundem vatem Mosen asseueratione confirmauerat Deus; qui vatem de certa legationis authoritate rogan-

Exodi 3. „ tem, sic edoctum confirmatumq; dimisit: EGO SVM QVI SVM. sic di-
„ ces filiis Israel: QVI EST, misit me ad vos. Dixitq; iterũ Deus ad Moy-
„ sen: Hæc dices filiis Israel, Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abra-
„ ham, Deus Isaac, Deus Iacob misit me ad vos. hoc nomen mihi est in æter-
„ num, & hoc memoriale meum in generatione & generationem. Vade &
„ congrega seniores Israel, & dices ad eos: Dominus Deus patrum vestro-
„ rum apparuit mihi, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, dicens:
„ Visitans visitaui vos, & vidi omnia quæ acciderunt vobis in Ægypto: &
„ dixi, vt educam vos de afflictione Ægypti in terram Chananæi, & He-
„ thæi, & Amorrhæi, & Pharezæi, & Hæuæi, & Iebusæi, ad terram fluen-
„ tem lacte & melle. Itaq; locus vnde argumentum Gedeon petiuit, ex eorum

Locus deriuatis. genere est, qui intrarem ipsam esse dicuntur, vocaturq; à contugatis, non
tantùm nomine, sed re etiam. Confirmata primùm propositione, atq; confes-
sa & pro manifesta habita, assumptum ex opposito deductum stabilit. Est
autem assumptum: Nobis nec pax, nec felicitas, nec salus est. quod ex Ent-
thymematis festinatione non pronunciauit quidem, verùm ex contrariis re-

repugnantibus, quò tandem deueniendum erat, non docere modò, sed firma-
re etiam tendit: Cur apprehenderunt nos hæc omnia? Hebraicum in-
terrogando signum LAMAH Latinæ orationi, Quî sit, aptè consentit, vt,
Quî fit Mæcenas, vt nemo quam sibi sortem, &c. Qui sit igitur vt omnia
hæc, sive, vt Hebraicè legimus, omnis hæc nos offenderit? Femininum ge-
nus illa lingua pro neutro, quo caret, vsurpat: vt: Vnam petij à Domino, & Femininum genus. Psal. 26.
hanc requiram. ita omnis hæc, rectissimè interpres noster vertit, Omnia
hæc. fieri autem nequit, vt felicitas & miseria simul, eodem tempore, eo- Felicitas. Miseria.
demq; loco constet, cùm altera alteram expellat: nec verò se felicitate carere
tantum, atq; in medio quodam vitæ loco cõsistere, sed miseriis abundare ait.
Namq; fortassis populis alijs accidere possit, vt si non felicitate, parco ta-
men tenuiq; vitæ genere vtendum sit, victu sibi per laborem sudoremq; pa-
rato; nullis tamen hostium vexantibus vel terrentibus; nullis id, quod labo-
re partum sit, diripientibus. Verumenimuerò se non felicitatis carentia
tantùm, verùm calamitatis variæ sensu, ac dolore multiplici laborare asse-
uerat; quamobrem verbis vtitur, non quæ priuationem, sed quæ rem habi-
tumq; (vt Physici loquuntur) significant: Inuenerunt nos hæc omnia.
Atque assumptum hoc argumento alio, præterquam præsentis experimenti
sensu, probare noluit; quamobrem pronomen demonstratiuum protulit, hæc.
Nam quæ præsenti sensu percipias, ratione confirmare superuacaneum fue-
rit, cùm maxima secundùm naturam euidentia ad sensum, & ad tactum,
vt Hippocrates docet, sit. Est autem oratio in coniecturali Rhetorum statu;
quæritur enim an DOMINVS populo adsit: definitur status eorum, qui-
bus adest. Is cum præsenti confertur, præsenti rei atque apertæ nulla conie-
ctura exigitur, sed indicatio satis superq; est, hæc. Demum non simplici,
sed vario ac multiplici miseriarum genere se, populúmque suum premi, ait
Gedeon. Omnia hæc, sive Omnis hæc. conficitur itaq; argumentatione
grauissima ex multis anthitetis, vt miranda atque difficilis Gedeoni, illius
salutationis relinquatur explicatio, DOMINVS tecum vir fortissime.
Quandoquidem præsens publicarum priuatarumq; rerum status, cum feli-
citatis vsura, quam DOMINVS iis, quibus adest, præstare solet, apertè
pugnare videatur. Iam verò exceptionem omnem, quæ propositioni dari
posset, remouere Gedeon studet. Nam si quis diceret non semper tis, quibus
Deus nomen illud suum IEHVEH probat, salutem felicitatemq; esse, id
profectò tum à pronunciatis, tum à præiudicijs atq; experimentis, ac de-
mum ab authoritate diuina, cui maximum ad fidem faciendam pondus mo-
mentúmque tribui debet, depellitur.

Vbi sunt mirabilia eius, quæ narrauerunt patres nostri, atque dixe-
runt: De Ægypto eduxit nos DOMINVS?

NOMEN DOMINVS, sive IEHVEH, secundùm formam & an-
notationem accipiendum hoc loco est, sive (vt vulgato Dialecticis vocabulo
vtamur) formaliter, atq; in sensu qui compositus dicitur. Sic enim cùm di-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cimus Regem iubere, regium iussum edictumq́. interpretamur, vt ad mu-
nus & personam, non ad hominem, authoritas atque efficacitas referenda
sit. Iam verò argumentatio à præiudiciis sic instituitur: Quod semel à Deo
ex certa ratione profectum est, id Deo (in quo nulla mutatio esse potest) per-
petuum propriumque sit oportet, atque vt ex eadem etiam ratione proficis-
catur, cõsentaneum est. Sed Dominus, vti DOMINVS, *hoc est,* IEHVEH,
patres nostros de Ægypto magnis iudiciis eduxit. ergo si idem Dominus
hoc eodem nomine nobiscum est, aliter nobiscum agi, quàm nunc agitur,
oporteret. atqui laboriosissimè nobiscum agitur: ergo Dominus nobiscum
eadem ratione, qua sese IEHVEH *probat, nõ est; hoc est, qui seruare possit,*
& velit vt possit, inficias iri non potest; vt velit, mihi adhuc incompertum
esse ipsa rerum aperta facies vult. Nam in tam perspicuis rebus nec argu-
mentatio quærenda, nec etiam coniectura capienda videtur; sed præsentis
affirmationis probatio ex præsenti etiam sensu & experimẽto exigenda est.
Vbi igitur sunt mirabilia eius? Vbi, *inquit*, istius nominis IEHVEH
virtutis atque efficientiæ exempla apud nos, qualia apud maiores nostros
fuere? Acutissimè ac sapientissimè hoc etiam loco à collatione duorum loco-
rum arguit; altero, efficientis causæ; altero verò, eius rei quæ circa effectum
versatur. Eiusdem argumentationis genus à coniunctis dicitur. Nam cum
efficiens causa suam exserit vim, euentũ aliquod exstare oportet. Sol quidem
& lucere, & illuminare, & calefacere potest, eamq́. vim perpetuò apud se
obtinens, iis probat, quibus elucet. Igitur cùm terræ atque maris pars altera
illustrata calidaq́. conspicitur, sol adesse, vimq́. suam ei parti cõferre ac præ-
stare cognoscitur: quod si vtraque hæc desiderentur, solem abesse euestigio
arguunt. Efficientis causæ virtus perpetua illis verbis affirmatur, Mirabi-
lia eius, *eius propria, non aliena, aut aliunde petenda; sed eius, qui, quam-*
tione IEHVEH *est, eadem in salutem eorum, quos seruare tuerique velit,*
mirabilium efficax authorq́. est: itaque illum posse non ambigo; adesse vero
& velle, non video: nam Vbi sunt. *veluti si quis ei parti, quæ nec illustrata*
nec calescens fuerit, solem adesse negauerit. Atque huius argumentationis
rationem, siue confirmationem, ex illo diuino Moysis carmine, quod cum
Gedeon vir bonus ac pius, nec sacræ legis immemor, animo ac mente re-
Deut. 32. *luisset, petiisse nobis videtur: Foris vastabit eos gladius, & intus pauor, ue-*
» *uenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene. & dixi, Vbi nam*
» *sunt? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum. & paulo inferiùs:*
» *Quomodo persequebatur vnus mille, & duo fugarent decem millia? Nõ-*
» *ne idea quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos? Concludere*
hoc loco idem quod, emptori tradidit, interpretamur. Atqui is qui vendit,
quam vendit rem, à se abalienare dicitur. Atque idem argumentum, quod
ex præiudiciis deductum obseruabamus, à pronunciatis, hoc est, à verissimo
& grauissimo antiquorum testimonio, non quidem auditu, sed visu ac sen-
su comprobato, corroboratur. Quæ narrauerunt patres nostri, arque

dixerunt. *Verbum* ZZAPEVRV, *& narrare, & enumerare significat, &* ספר
ad vtramque significationem simul hoc loco facit, indicatq́. non vnum aut
simplex, sed multa ac varia Dei salutaris miracula patribus (quorum gra-
uissima auctoritas est) fuisse ipsis enumerata, & singula etiam longiùs nar-
rata & commemorata sæpissimè; eaq́. omnia eo pertinuisse, vt salus illa ex
Ægyptiaca seruitute ac miseria, misericordis Dei voluntate ac virtute
constitisse agnosceretur. Cuiusmodi exempla cùm inpræsentiarum desi-
derentur, Deum ab ipsis alienatum, iter illud antiquum flexisse, & contra-
rium modò ire videri, arguunt.

Nunc autem dereliquit nos Dominus, & tradidit in manu
Madian.

TOTIVS *argumentationis commodissimis è locis petita complexio, est*
ab oppositi consequentis ad antecedentis oppositum deducta, conditionalis
antecedentis proposito atque destructo signo. cuius argumentandi formæ
nonnulla exempla huiusmodi apud Poëtas leguntur:

Pastor Aristæus fugiens Peneia Tempe,
Amissis (fama est) apibus morboque fameque,
Tristis ad extremi sacrum caput adstitit amnis,
Multa querens, atque hac affatus voce parentem:
Mater Cyrene, mater, quæ gurgitis huius
Ima tenes, quid me præclara stirpe Deorum
(Si modò quem perhibes pater est Tymbræus Apollo)
Inuisum fatis genuisti? aut quò tibi nostri
Pulsus amor? quid me cælum sperare iubebas?
En etiam hunc ipsum vitæ mortalis honorem;
Quem mihi vix frugum & pecudum custodia solers
Omnia tentanti extuderat; te matre relinquo. Virg. Geor. 4

Pugnantium secum aduersis frontibus compositione & comparatione, acer-
rimæ huiusmodi argumentationes conficiuntur, quibus vel antecedens non
constare; vel, si constet, cum repugnanti vnà conuenire euincatur. vt:

Sub Rege Medo, Marsus, & Appulus
Anciliorum, nominis, & togæ
Oblitus, æternæque Vestæ,
Incolumi Ioue, & vrbe Roma? Carm lib. 3. Od. 5.

Hoc est quod Gedeon nomine illo salutari appellato cõficere & euincere stu-
debat, mirabile & nouum esse, Israeliticum populum IEHVEH *tutela ac sin-*
gulari prouidentia muniri, & tamen in hostium manum traditum acer-
bissimè vexari; quin potiùs id sibi magis consentaneum videri, vt relicti
atque hostibus à Deo traditi dicendi sint: non quidem permissi, sed in mi-
seram illam seruitutem traditi ac dati. Qua in exquisitione, ab euentis cau-
sa & consilium ponderatur. Enthymema verò ita conficitur, vt consequens
antecedenti præponatur, quod ad posteriorem argumentandi rationem fa-
cit: nam ad priorem, hoc est, ad naturæ ordinem, quamquam rectè hoc in lo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

co colligat Gedeon, tamen hanc collectionem non antè instituit, quàm à posteriori, id est, à re & euentis ratiocinatus est. priùs quidem sic egit: Si Dominus nobiscū est, cur ergo apprehenderūt nos hęc omnia? *declarandā priorē partem expositione & exemplis, atq; præiudiciis pronunciatisque maiorum; posteriorem autem, re atque euentis ostendit. nunc verò priorem illam refellit, oppositámque constituit:* Dereliquit nos Dominus. *Atque causam hanc, siue consilium & factum ex euentu ponderauit:* Et tradidit in manu Madian. *Quæ expositio illius quæsiti est,* Cur apprehenderūt nos hæc omnia? *Nam quæ in priori argumentatione cōfusè enunciabantur; in hac posteriori, quæ & summam & expolitionem prioris continet, apertiùs & pleniùs exponuntur. Vt illud:*

Hora. Epist. lib. 1. Ep. 1.

Bellua multorum es capitum; nam quid sequar, aut quem?
Pars hominum gestit conducere publica: sunt qui
Frustis & pomis viduas venentur auaras.

Ita seriò omnia obseruata & expensa antè Gedeoni fuerant, quæ diuinæ tutelæ rationem spectare videbantur: vt quamuis repentinæ salutationi, tamen quid tam grauiter & artificiosè obiiceret, in promptu habuerit. Sed de huiusmodi sacris argumentandi rationibus proprio loco, si Deus votis annuet, disseremus.

Respexitque ad eum Dominus, & dixit: Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israël de manu Madian. scito quòd miserim te.

QVAMQVAM *eligendorum ad Reip. vtilitatem ministrorum libera* » *& integra Deo optio semper sit, sicut scriptum est; Non vos me elegistis, sed* » *ego elegi vos; vt eatis, & fructum afferatis: tamen virtutem aliquam in* » *iis, qui delecti optatiq; fuerint, non rarò obseruauimus, quam Dei virtus efficacitasq; auctam, ad munus rectè atque feliciter obeundum promouerit. Omnes enim eorum, quibus Deus olim ministris à se, nullo hominum suffragio, delectis vsus est, indices euoluenti, cōplures in quibus laude dignum aliquid inuenias, obseruare est: & nescio an vnus & alter ab hac obseruatione excipiatur, vt impius ille Iscariotes Iudas, quem tamē electionis tempore vel dexteritatem ad loculorum & viatici rationem expediendam, vel sedulitatem initio probasse par est, quando connumeratus inter Apostolos, & ministerij illius sortitus est sortem: quāquam ipse cupiditate auaritiaq; corruptus, sese suo scelere Episcopatu abdicauerit. S. S. E. Nónne vos duodecim elegi, & vnus vestrum diabolus est? Neque enim inficias imus, morum virtutumq; propriæ in ministris sanctimoniam à ministerij ipsius sanctitate esse diuersam, possęq; improbum hominem vel sacro, vel aliàs publico ministerio rite ac legitimè fungi; quod vel Balaam, Iudas, & Cayphas manifestus exemplis docebunt: verùm in iis optionibus, quæ vni Deo tribuuntur, aliquid tamen apud optatum delectumq; fuisse, plerumque obseruauimus, cuius ratio optanti habita fuerit, siue id vis aliqua vel à natura insita, vel industria & labore parata ad rem agēdam; siue, quod potissimum &*

& commendatione dignissimum est, animi mentisq; probitas, & pietatis studium arbitremur. Ita Abraham, quamquam in illa vanarū religionum perturbatione natus & educatus, cùm tamen illo suo in sæculo vir aliàs bonus & sanæ mentis esset, multarum gentium pater, & credentium exemplar cōstitutus est. Ita Paulus, qui ex vera ignoratione, discipulorum Christi acerrimus delator exstiterat, tamen ob studium atque amorem pietatis, quam ipse sibi cultam cupiebat, & illo modo cultum iri censebat, ab illis tenebris ad lucis magnæ prædicationem delectus euasit. taceo Samsonem, Mosen, Samuelem, & cæteros, qui pietatis studium proprium ab ineunte ætate probauerant: taceo seminarum omnium sanctissimam, Mariam, cuius modestia summa ad summum matris Dei honorem euecta est. S. S. E. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; cuiúsque exemplum cæterorum omnium, qui delecti fuerint, exempla & commendat, & superat. Atque illud nobis statuendum ostendit, nullam partem ex iis, quas in hominibus varias esse oportet, ad diuinæ electionis opportunitatem videri aptiorem, quàm modesti animi studium, ad Dei primùm laudem, deinde ad hominū publicam vtilitatem propensum. Nam cætera omnia quæ ad agendarum facultatem rerum pertinent, quamquam in his, qui diliguntur, requisita & desiderata, tamen Deus ipse sufficit ac præstat: animi verò studium, & voluntatis mentisq; opportunam propensionem ab ipsis, quos eligit, postulare solet: vt ex diui Pauli vocatione manifestè animaduertimus, illud respōdentis: Domine, quid me vis facere? Dicebamus autem hanc rationem plerumque obseruatam ita conilare, vt quæcumque his diuersa exempla indicabuntur, vel communem obseruationem nō interturbare, vel occultiore iudicio etiam comprobari posse intelligamus. S. S. E. Omnia in mensura, numero, & pondere disposuisti. Hæc obiter nos adnotare Gedeonis, viri optimi, exemplum hoc loco monebat: qui tametsi inter gentis suæ corruptos mores illo tempore conflictatus versaretur; tamen antiqui Reip. illius felicisq; status non ignarus, & diuinæ efficacitatis notitiam habebat, & magnorum olim Dei beneficiorum memoriæ recordationem repetens, eiusmodi suis temporibus desiderabat exempla, atque sanæ pietatis erga Deum, & curæ erga publicam salutem specimen, pronunciata oratione probauit. Huiusmodi verò officia sibi grata esse, Deus ipse re atque munere primùm, deinde verò verbis declarauit: re quidem, quòd virum respexit; verbis autem, quòd illum augustè sanctéq; appellatum, iliis, quas parabat, tantis rebus gerendis præfecerit. Vade, inquit, &c. Latinum verbum, Respicere, cùm ex Hebraico PANAH *trāsfertur, complures significat actiones, quarum exterior explicatio in faciei oculorumq; habitu ac gestu cognosci; interpretatio verò, ex subiecti sermonis materia, rationeq; peti solet. Vnum autem genus est, quod ad fauorem probationemq; refertur; & cùm Deo tribuitur, propitium ipsius nomen significat. Cuius exempla illa occurrunt:* Respiciam vos, & crescere faciam; multiplicabimini, & firmabo pactum meū vobiscum. &, Respice ad orationem

Electio ad ministeriū, & electi partes.

» Sap. 37.

פנה

» Leuit. 26.
» 3. Reg. 8.

serui

Universidad de Deusto
Biblioteca

„ *serui tui, & ad preces eius, Domine Deus meus. Namque ipse respiciendi habitus, quocumque subeatur consilio, attentionem volũtatemq; indicat: atq; ita Deum Remp. respicere, dicebat Cicero. semper enim verbum* PANAH, *sensus atque animi intentionem, certumq; consilium ad eam rem, cuius causa pronunciatur, significat. Atque huiusmodi gestu & Gedeonem, intuente Angelo qui Dei partes agendo sustinebat, Deus ipse spiritu & animo, & opportuna ad gerendas res virtute instruxit, & auxit; atque ita repentè expeditionem maturare iussit.* Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israël de manu Madian: scito, quòd miserim te. *Quamquam ex primo illo alloquio atque iussu quantũ sibi virtutis atque felicitatis additum fuerat, non intellexerit Gedeon; tamen re vera iam auctus adornatusq; euaserat, quippe qui fide in Deum præditus antè erat, quæ primum fundamẽtum est cæterarum omnium virtutum, quæcumque vel ad propriam vniuscuiusque, vel ad publicam multorum vtilitatem diuino dono hominibus contingere possunt. Nam de diuino* IEHVEH *nomine tam sapienter disseruisse, antiquas diuinorum beneficiorum historias memori mente recoluisse, patrum testimonia citasse, illum illarum rerum omnium fide instructum testabantur. Quippe qui manifestè confiteretur, Deum efficacem esse ad salutem populo afferendam, atque suam prouidentiam, singularemq; erga Israelitas curam eiusmodi magnis beneficiis probare solitum, posse etiam nũc & perpetuò renouandis exemplis comprobare, seseq; diuinam virtutem in dubium minimè vocare, voluntatem verò hoc tempore requirere, quam tamen is qui se alloquebatur, præsentem significabat. Quamquam verò virtutes omnes, quæcumq; in homine laudari possunt, auctorem primũ Deum*

1.Cor.4. „ *agnoscant; S.S.E. Quid habes, quod non accepisti? &, Si accepisti, quare*
„ *gloriaris, quasi non acceperis? tamen vna fides, quæ prima omnium ad omnem pietatis partem exigitur, præcipuo quodã nomine hominibus attribuitur: vtpote quæ, tametsi in intelligendi vi sita sit, tamen voluntatis imperio ac nutu inducitur. S.S.E. Captiuãtes intellectum in obsequium fidei. Nulla autem animi pars, siue vis, magis propria hominis esse dicitur, quàm vo-*
Voluntas. *luntas, quæ alio nomine arbitrium à Latinis dicitur. nam cæteræ partes vel cum inferioribus naturis communes nobis sunt, vt sensus cum brutis; vel cum superioribus, vt intellectus cum spiritibus incorporeis: optandi verò libera perpetuò vis, hominum propria esse videtur, atq; ita quæcumq; ex optione proficiscũtur actiones peculiari quodam modo ac iurè hominibus adscribuntur. Ex eaq; re euenit, vt laudis atq; culpæ rationes ad eam tantùm partem, quæ optionis cõpos est, referantur. Nam quæ naturæ opus tantùm sunt, vel aliunde exteriùs collata accedunt, in vituperationis aut commendationis albo antiqui sapientes non scripserunt. cuiusmodi in animo, perspicax sensus, beatum ingenium; in corpore, robur, forma, membrorum agilitas; in externis, diuitiæ, atque opes & potentia: quæ omnia sua quidem sponte & natura bona dici possunt; bonum autem eum, cui contingunt, vt non semper effectum*

fectum videmus, ita non necessariò appellandum iudicamus. At verò quæ ex nobis ipsis magis propriè proficiscuntur, qualia sunt intellectus, volũtas, conatus, ea si rectè exerceantur, laude; sin verò praue, culpa digna habẽtur. In religionis verò pietatisq; rationibus, primas fidei deferimus, cuius ope, intellectui, vti dicebamus, voluntas imperat. S.S.E. Audi Israel: Dominus „ Exod. 6.
Deus tuus, Deus vnus est. Audiendi enim verbo obsequiũ obedientiamq; „
significari constat. atque viuam efficacemq; fidem charitas per dilectionem operata, comitatur. Porrò fides ea vi est, eaq; efficacitate diuinitus prædita, vt hominis animum maximarum, ac planè diuinarum, naturæq; modum longissimè superantium, tum actionum, tum rerum capacem compotémque efficiat, atque (vt vno & verbo, & exemplo rationem absoluamus) eũ Deo Genes. 15.
potentem reddat, imbecillum aliàs, & de se nihil promittentem, immo sesè humillimis atque extremæ notæ hominibus comparantem, adeò vt quæ naturæ negata sunt, ea vni fidei virtuti diuinitus cõcessa videantur. sic emortuorum virorum, sic sterilium feminarum fecunditatem, sic in communi totius terrarum orbis inundatione & vitam, & salutem promissam præstitamq; scimus, sic inter alienas nationes præsentem tutelam, & perpetuam prouidentiam adfuisse; huic, in mediis fraternæ inuidiæ incendiis securitatem; huic marta aperta itineris vsum præbuisse; huic in vasta solitudine victum suppeditatum; huic hostes victos ac fusos cessisse: denique huic virginei atque integerrimi vteri Deo authore donatum nouimus, huic, inquam, illud præconium tributum: Beata quæ credidisti, quoniã perficientur ea quæ Luc. 1.
dicta sunt tibi à Domino. Vt verò eò redeat oratio, vnde digressa est; illud in summa repetendum, cùm ea omnia quæ vel bona dici, laudariq; possunt, nõ sine numinis authoritate & ope hominibus constẽt, fidem virtutẽ vnam esse, quæ in veræ pietatis rationibus & primas obtinet, & præcipuo quodam modo hominis arbitrio tribuitur, in eaq; virtute opportunitatem esse, maximas atque diuinas planè res tum excipiendi, tum agendi, ex Dei efficientia suam vtiro communicantis volũtatem. S.S.E. Deficiet me tempus narran- „ Hebr. 11.
tem de Gedeon, Barac, Samson, Iephte, Dauid, Samuel, & Prophetis: qui per „
fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, „
obturauerunt ora leonum, exstinxerunt impetum ignis, effugauerũt aciem „
glady, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum. Huiusmodi fidem iusto examine in Gedeone probatam virtutem suam Angelus appellabat. Vade, *inquiens*, in fortitudine tua hac. *Hebraicè,* BECHOHHACHZEH, *in hac ipsa tua virtute. Nam* CHOAHH, *in sacra lingua & virtutum genus omne, & vim atq; robur, & vnam ex quatuor virtutibus, quæ in magnis rebus gerendis spectatur, significat: quam Latini etiam fortitudinem vocant: quibus idem etiam nomen ad omnem virtutem transfertur. Vt,*

Strenuus & fortis, causisque Philippus agendis Clarus, &c. Horat. epist. lib. 2.

Fuerat autem Gedeonis hæc vnica ostensa ac declarata fortitudo, nempe, Fi-

des.

Universidad de Deusto
Biblioteca

des. nam qui illa tempestate in metu, suspicione ac trepidatione illud tritum satagebat, quemadmodum semotiore, tutioréque, ac minùs perito loco reductus, annonæ simplicissimæ atq; immaturæ copiam aliquã sibi, patriq; domui magna festinatione pararet, mox periculum atque hostium impetum fuga declinaturus; tamen salutationem illam, quæ Dominum sibi adesse declarabat, ita excepit; vt Domini virtutem & efficacitatem maximam, propriam, æternam, certamq; iis, quibus ipse vellet, constanter se credere, affirmaret: voluntatis verò à salutante indicatæ significationem tãtùm reposcere. Hanc duplicem responsionem, duplici etiam oratione diuinus nuncius exceptam, & sibi probari, & secundo numine promoueri declarauit. Vade in fortitudine tua hac. *In ista, inquit, quam profiteris, & ostendis fide tua Domini virtute & efficacitate, deq; illius virtutis antiquis exemplis, in ista eadem ito quamprimum; non dissimilia in Israelis salutem, pro temporum locorumq; ratione, exempla per te edenda visurus, & huic atque pòst venturis seculis probaturus. quod verò ad voluntatis, quam modo requiris significationem attinet:* Scito quòd miserim te. *Cùm nullum verbum otiosum vnquam fuerit, esseve possit, tuq; te missum, ad eamq; rem delegatũ audiuerit, eadem fide & certam voluntatem esse intelliges; & tibi omnia, quæ ad rem peragendam opportuna fuerint, præstanda credes. Hebraicè huiusmodi tropo hæc enuntiantur: Nonne misi te? Cuius orationis in certissimis asseuerationibus frequens vsus est. Nam quæ ita rogantur, vt à rogato negari non possint, ea pro exploratis haberi oportet. Atque hæc interrogatio confirmationis vim obtinet, illudq; iussum spectat,* Vade. *Nam satis est Deũ dixisse vt ea, quæ fieri minimè posse videntur, fiant: quippe qui solo verbo & nutu*

Interrogatio in sacris.

Psalm. 32. *dum, & omnia quæ intra mundum sunt, in lucem ediderit. S. S. E. Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt. Statuit ea in æternum & in seculum seculi: præceptum posuit, & non præteribit. Illo igitur verbo, Vade, & liberabis Israel, meam de salute Israelitarum, tua opera atque istius fidei virtute, voluntatem tibi indicatam ita declaro, vt non possis te non iussum dicere; cùm verò iussus fueris, eadem fide iussum meum, vti pignus ad conficiendam rem præstantissimum, apud te retinebis: quippe quod à me habetur, decretum certúmque esse oportet.*

Qui respondens ait, Obsecro, mi Domine, in quo liberabo Israel? ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei.

MAXIMORVM *donorum, munerum, & beneficiorum Dei fidem capacem esse, atque ad magnas gerendas res virtutis diuinæ compotem fieri solere dicebamus. verùm enimuerò non semper necesse est, eum qui fide præditus fuerit, ea omnia cognoscere atque intelligere, quæ ad cõficiendam rem opportuna commodáque esse possint; donec quemadmodum id expediendum sit, edoceri contingat. imò plerumque videmus eos, qui ad magnas res destinantur, suæ primùm electionis admonitos non dubitare quidem de*

virtute atq; efficacitate, quem solũ omnia perficere posse credunt; sed tamen modum, rationemq; conficiendæ rei rogare, cùm ea vulgaribus & humanis, aliasq; iam exploratis viribus aut artibus, fieri non posse consiet. ex qua interrogatione demum euenit, vt non solùm consilium, & incepta ipsa, sed modi, rationes, ac formæ (quæ à disputantibus media dici solent) vni Deo authori tribuenda sint, atque ita opus ipsum totum numini adscribatur; vt (sicut D. Paulus de hoc genere differens ait) non glorietur omnis caro. Ita legimus Abrahami vxorem anum, non quidem dubitasse de promisso filio, verùm de insoluto inauditoq; conceptus exemplo hærentem, animóque cogitantem, omniáque in se viroq; suo fecunditati iam repugnantia cognoscentem, risum tenere non potuisse, non quæ promissum rideret, sed se potiùs ipsam rei tantæ sibi præstandæ rationem ignorare, atque admirari illo risu confiteretur. Ita Moses se viribus, eloquio, & ceteris artibus ad eas, quæ sibi imponebantur, peragendas partes, minùs natura sua instructum agnoscẽs, quòd se agendis rebus tantis imparem intelligeret, suam excusans inopiam dicebat: Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudiustertius: & ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum: ita vt sese minùs quàm antea idoneum fateretur, donec rem omnem nõ ex sua, aut aliàs naturali virtute, vel ex humana industria, sed ex Dei efficacitate expeditum iri edoctus est, dicente ad eum Domino, Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum & surdum, videntem & cæcum, nónne ego? Perge igitur, & ego ero in ore tuo, docebóque te, quid loquaris. Sic seminarum omnium sanctissima, virginumq; præstantissima, cùm sese eo modo, quo tunc habebat, integritate, inquam, summa præditam, tamen illo eodem, quo salutabatur, tempore concepturam audiret; insolitt, numquamq; aliàs auditi exempli admirabunda modum rogans, edocta est, omnem illius maximi miraculi efficacitatem penes Deum esse, id in illa efficere volentem, cuius causa & ipsa inter mulieres felicissima prædicaretur; & quod ex illa natum esset, sanctum, Deiq; appellaretur Filius. Atque hæc omnia eò pertinent, vt huiusmodi interrogationum & hæsitationum quam plurima exempla, non ex fidei defectu, sed ex modi ignoratione, atque suæ singulorum tenuitatis confessione, proficisci interpretemur, apud quosdam ex electis obseruata. Zachariæ vero exemplum, quod obiici nunc posset, lõgiorem, quàm hic locus capit, tractationem postulat, qui etiam de ratione conficiendæ rei dubitans, tamen & reprehẽsionem, & animaduersionem iure subiit. Oportuit enim virum sacerdotem nulla hæsitatione teneri eius rei, quam iam olim Abrahami seculo factam nouerat. Igitur Gedeonis exceptio nullam illi fidei laudem detrahit, quod ad diuinam virtutem & efficacitatem pertinet; sed modum, rationemq; conficiendæ rei quæstam indicat. Neque enim ille Deum rem confecturũ vel dubitabat, vel inficiabatur; sed ex demandãtis oratione modum difficillimum, immo secundùm naturam impossibilem,

Sarræ risus.

Mosis excusatio.

Exod. 4.

Mariæ interrogatio.

Lucæ 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

admiratus rogabat: quippe cùm audisset, Vade, & liberabis Israel de manu Madian: & scito quòd miserim te: ad eam rem magno apparatu, hominumq; armatorum frequenti manu opus esse arbitratus, & sese, quem nominatim missum intelligebat, tum aliis Israelitarum tribubus, familiis, & viris, tum hostilis exercitus immensitati comparans, modum aliquem doceri cupiebat ab eo, quem ipse minimè idoneum commodumq; tenebat. Atq; ita inquit: Obsecro, mi Domine, in quo liberabo Israel? Sacræ linguæ idiotismum hoc loco obseruatum ita ex verbo reddimus: In me, Domine mi, in quo liberabo Israel? Nomen ADONAI, quod rogatione hac præfatus ejus Gedeon, orantis obseruantiam indicat: nec Deo tantummodo, sed hominibus etiam laudandis salutandisque acclamari solet. Nec enim hactenus ille cum Deum, vel spiritum alium cælestem secum colloqui intellexerat, verùm magnum aliquem virum, ac summum quidem Prophetam quempiam existimabat: qualem illum esse intellexerat, quo verba faciente, omnis Israelitarum gens reprehensa fuerat. Huiusmodi igitur personam reuerēs, primùm rationem vel sibi planiùs exponi, vel aliàs temperari mollirique postulat, Hebraico tropo, idem significante quod Latini dicere aliquando solent, Parcius ista. Nam & sese, virtutemq; suam tantis rebus conficiendis minorem; & iisdem intelligendis, mentem cogitationemq; suam longè imparem esse fatetur, cum expositione verissima sui, suorumque contribulium status. Est igitur exceptionis sententia eiusmodi: Mihine ita loqueris Domine mi, qui & propriæ imbecillitatis atque tenuitatis, & meorum etiam, per quos res agenda esset, extremæ inopiæ conscius sum? Si quidem tu mihi imperas, ut ipse eam, & liberem Israel, idq; futurum affirmas: igitur vel ego solus iubeor, vel cum iis, qui in nostram familiam conscripti sunt; nostriq; vexilli aut signi nomine recensentur. Atqui ij & numero, & viribus, cæterorum contribulium tenuissimi sunt, & præterea quantuli qualesq; sunt, alijs ex patris mei domo, vel patri, inquam, vel fratribus pareant, potiùs quàm mihi, vtpote qui postremus minimusq; ceterorum omnium habear, & sim. Itaque nec ipsimet sponte sequentur, nec vocantem audient, nec, si virtute conueniamus, tamen id efficere, præstarèque poterimus viribus nostris, quæ si cum aliis conferantur contribulibus, vel cum tribubus alijs, longè minores esse deprehendentur. Aut igitur aliter tu me de hac re compellato, vt rationem doceto, quemadmodum id fieri possit, vt ego vel solus, qui in domo patris mei minimus sum; vel cum iis, qui nobis addicti recensentur, liberare possim Israel. Ecce familia mea minima est in Manasse. Tantarum rerum conficiendarum facultati quatuor obiicit Gedeon, quarum exceptionum cum humanis rationibus & experimentis contenderet; tribum suam, ex eadem tribu eorum qui familiæ suæ adscripti erant partem vel turmam; suam itidem familiam; demumq; propriam ipsius personam. Omnesq; has partes omnibus modis extenuatas, ad tantum suscipiendum opus minimè idoneas esse cōtendit. Atque duplici comparatione vsus tum sui cum suis; tum suæ

sui suorumque cum hostibus; humanè id, quod iuberetur, præstari sibi non posse indicat; si quid verò præstandum sit, ad Dei voluntatem & efficacitatem reuocat. Atqui viri huius patrem Ehihar in sua tribu fuisse, oratio ipsa indicat.

Dixitque ei Dominus, Ego ero tecum, & percuties Madian quasi virum vnum.

IMPOSITVM sibi munus duplici oppositione excipiebat Gedeon, propriæ opis tenuitate, quòd nimirum ipse singularis, atq; suorum omnium postremus esset; & hostilium copiarum ac virtum magnitudine, quæ manifesta cùm esset, indicari non postulabat. Vtramque verò exceptionem Angelus auertit, indicans ad eam rem, quæ pararetur, non humanis, verùm diuinis rationibus, modis, atque viribus vtendum esse. Quippe omnia ita constituta erant, vt qui se solum ac singularem rem conficere iuberi existimabat, ipsius qui secum loqueretur auxilium experturus certissimum, & hostem, quem multiplicem validumq; putabat, singularem tamen atque pauiribus præstare difficillimum esse; atq; ita quidem res habet: verùm hac in conflictione ita res constituenda est, vt hostis vnum; ego ac tu duos agamus viros. Atqui duos vni præstare, consentaneum est. Itaq; deinceps te non solum ac singularem, nec imbecillū, vel inopem cum vnico ac singulari homine depugnaturum existimato. Atque iam hac expositione magnum aliquid concipere, sibiq; ex promittentis authoritate polliceri potuit, quandoquidem eum, quem sibi adstiturum audierat, non tantùm humana, verùm diuina virtute id effecturum intelligere par erat: quem tametsi nec Deum, nec Angelum arbitraretur, tamen Prophetam diuinitus missum putabat. Iam verò quæ diuina ope conficerentur, nulla, quamuis maxima, difficultate impediri interturbarive poterant. S. S. E. Tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutem Iacob. In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nos. Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me. Saluasti nos de affligentibus nos, & odientes nos confudisti. Igitur Gedeon ad eam rem, quam agere iubebatur, cùm non multis copiis indigere admonitus esset, duosq; tantùm satis superq; futuros ad vnum conficiendum virū, Dei iam promissum agnoscens, atque ex sermonis figura rationem subducens, iamq; ad credendum commotus, id quod sibi proponeretur promissum, vt nouum atq; singulare, ita certum, constans, omni dubitandi exceptione semotum esse cupiens, in hunc modum popposcit. Psal. 43.

Et ille: Si inueni gratiam coram te, da mihi signum, quòd tu sis, qui loqueris ad me. Nec recedas hinc, donec reuertar ad te, portans sacrificium, & offerens tibi.

SI, vt Latinè oratio hæc sonat, exponenda est, vix cohærentem sententiam nobis exhibebit. Namque audienti ac videnti, superuacanea postulatio

Universidad de Deusto
Biblioteca

esset signi, quo is qui loqueretur, sese loquentem esse probaret. huius autē orationis obscuritas primæuæ linguæ idiotismo illustranda videtur: Si inueni nunc gratiam in oculis tuis, & facies mihi signum, quòd tu loqueris. Ne quæso recedas ex hoc, quoad redeam ad te, & proferam munus meum, & apponam ad facies tuas. *Propheticum atq; planè diuinum illud de vincendis hostibus promissum interpretatus Gedeon, familiari atque grata communione sibi confirmari postulat, antiquo more usus eorum, qui vates, responsi referendi causa petitos, munusculo quopiam allato, salutare consueuere. non qui diuina vel mysteria, vel ministeria mutare, aut emere muneribus putarent, sed qui vatis voluntatem & gratiam ex benigna acceptione probari posse, arbitrarentur. Nam cùm magnus quispiam vir ab eo, qui se obseruantiæ nomine adit, munusculum, quo ipse aliàs minimè egeat, accipit: suæ erga donantem facilitatis specimen humanissimum præbet. Sic aliquando Saul, cùm de Samuele vate adeundo à comite suo moneretur, sibi nihil in promptu esse, quod munusculi obseruantiæq; ergò viro Dei proferendum esset, excusabat: demum verò exigui, quod cōtigerat, argenti certior à comite factus, consilium laudatum executus est. Optimus, inquit, est sermo tuus; veni, eamus. In hunc igitur morem atque modum, promissum illud ab eo, quem Dei Prophetam arbitrabatur, factum, confirmatum, certum, ratumq; euasurum sperabat Gedeon, si obseruantiæ munusculum pari facilitate atque benignitate exciperetur; qua colloquium cœptum absolutúmque fuerat. Equidem, inquit, tuum istum humanissimum & benignissimū sermonem, vltro ad me habitum, quo tantum Dei erga nos beneficium indicasti, munusculo ex me exspectando atque excipiendo confirmatū velim; quod ex tanti promissi gratulatione debita profectum, voluntatem aduersum me tuam probabit. Atque orationis argumentationisq; constructio sic nobis paraphrasticôs explicanda est: Si eadem, inquit, gratia ac facilitate, qua magnum istud signum mihi pollicitus es, præstiturum te confirmare vis, munusculo parumper à me exspectando, atque benignè suscipiendo, probare potes. Maximum quidem signum diuinæ erga nos voluntatis ac misericordiæ, victoria ista quam promittis, erit: id verò quo credam, atque constātiùs exsequar, te duce auxiliatoreq; edendum prædicas: atque ita me tibi comitem eligis, & appellas. æquum igitur fuerit, te à comite militeq; tuo inuitari, & munusculo, exiguo illo quidem, verùm grati & obsequentis animi studiique indice, coli sinere. Itaque non postulat hoc loco victoriæ signum, sed voluntatis atque constantiæ verborum illorum, quibus se ad illud signum diuinitus edendum, vt comitem administrumq; appellari audierat. id autem cùm summo studio atque ardente animo Gedeon optatum popposcerit, magna eius, qui secum loquebatur, liberalitate obtinuit.*

Munuscu'a variātur.

1 Sam. 9.

Qui dixit, ego præstolabor aduentum tuum.

Ex *Hebraico*; Ego sedebo, quoad tu redeas. *Dicebamus munusculi exspectationem & acceptionem, ad gratiæ, voluntatis, atque facilitatis argumentum à Gedeone optatam ac postulatam fuisse: eam verò non vt postulabat modò, sed cumulatiùs impetratam, responsum ipsum indicauit. nam qui munusculum operiri rogabatur, sese id quod ille agere vellet, libenter exspectaturū, nec tempus præfixurum respondit; sed veluti obsequio vsum, agendi spacium, oportunitatemq; quātam is, qui sese rogabat, cuperet, præbiturum, omni alia vel negotij vel discessus cogitatione interim prætermissa. Postularat quidem Gedeon breuem exspectationem, quàm citissimè excursurum & officium festinaturum sese hac deprecatione subindicans,* Ne quæso recedas hinc. *Nam qui alterum hoc modo interpellat, festinationem suam ciuiliter pollicetur. non, inquit, in mora ero tibi, dum modò officiolum à me exspectare tibi placeat, tantisper dum propero. Ille verò non tantùm exspectare, inquit, verùm, vt tuam actionem mihi magis probari intelligas, sedere etiam placet, quoad ipse & eas, & tuam rem commodè agas, non importunè etiam cùm redieris, rediturus. Siquidē sedendi habitu inter alia multa, quæ in sacro Apparatu doceri indicabamus, attentionem etiam, et q. animi verga dicentes agentē, ve concitationem significat: vt, Maria sedens circa pedes Iesu audiebat verbum, &c. Sic apud alios authores:*

Sedere. Lib. Hieiem. Luce 8.

Consedere duces, surgis tu pallidus Aiax. *&* Virg.

ab hoc non alienum illud est:

Dicite: quandoquidem in molli consedimus herba.

Atque nobis aliquando vsu venit, vt cùm multa peregrinationibus nostris narratione Philippum Regem meum, semotis arbitris, nos audientē lassum iam existimantes, vlteriùs tenere vereremur, benignè iubentem progredi, atque ad audiendi commoditatem maioremq; nobis narrandi opportunitatem scamnum sibi poscere, ac de integro sedere conspiceremus.

Ingressus est itaque Gedeon, & coxit hœdum: & de farinæ modio azymos panes: carnemque ponens in canistro, & ius carnis mittens in ollam, tulit omnia sub quercu, & obtulit ei.

Mvnvs à se ad studium suum, atque accepturi veritatem probandum, singulari verbo MINHAH *vocauit Gedeon, quo propriè munera illa significantur, quæ vel grati animi officio, vel ineundæ, conciliandæ atque retinendæ gratiæ causa donantur; siue ea Deo, siue magnis obseruandisq; viris, siue amicis præbeantur. Deducitur autem nomen ex verbo* NANHAH, *quod quiescere, consolari, gaudere, placidè agere, atque huiusmodi gratæ significationis verbis Latinis respondet. Existimo autem, vt aliàs aliquando annotaui, Latinorum munus a voce* MINHHAH *defluxisse, quod certè ex tribus principibus elementis duo retinet, M, N, Latinorum pectore densissimam illam aspirationem H H minimè exprimente. Igitur bonum, grate lautas, & commodas existimabat epulas, diligenter paranit. Nouimus apud Homerum regia conuiuia assis capris celebrata. Quieto atque tranquillo tempore vsus Abrahamus hospites rogatos, atq; benignè annuentes, bene excepit, non auibus captis, non piscibus vrbe petitis; sed vitulo, lacte ac butyro,*

מנחה

נוח

Conuiuia rustica.

Universidad de Deusto
Biblioteca

butyro, laganis ex similà confectis, quæ placentarum vicem ferrent: Gedeoni verò, cui, inter montes vitam vtcumque tuenti, nec vitulorum, nec agnorum copia fuit, nec ad aucupium suppetebat otium, sed ex capris qui montanis asperisq; locis aluntur, qui vni hospiti, mentem magis quàm munus existimaturo, satis esse posset, fercula nullis ornata macellis contingere, sed illis simillima, quæ honestis olim frugalibúsque viris placuisse accepimus, quarúmque exempla legimus.

Iuu. Sat. 11. De Tiburtino veniet pinguissimus agro
Hœdulus, & toto grege mollior, insçius herbæ,
Needum ausus virgas humilis mordere salicti,
Qui plus lactis habet, quam sanguinis, &c.

Secunda verò illi cura panis fuit, qui vt quàm recentissimus apponeretur, ex farinæ Epha, id est, satis tribus, celebri & frequente in sacris rationibus mensura, in furno decoctus est; nullo fermento adhibito. nam interim dum hœdinæ carnes decoquebantur, eiusmodi etiam expediri panis potuit, qui si fermentandus esset, tantam celeritatem non ferret. Atque hoc loco conuiuatoris tum fidem, tum studium laudare oportet, qui promissam à conuiua & hospite exspectationem gratiæ nomine interpretatus, non obuium quemque cibum, sed pro temporis ac loci opportunitate optimum gratissimúmque diligenter curauit, spatiumq; sibi tantum ex fide surripuit, quàtum ad commodè parandum ferculum opus erat. Ferculum verò ipsum non temere aut incomptè, non negligenter obiecit, verùm pro ratione atque vsu mundè atq; eleganter comportare apponereq; studuit; carnem ponens in vanistro, non sine lancibus aut discis, quibus esuro apponere instituebat, & ius carnis immittens in ollam, quo calidius, temperatius, ac mundius in patina deinde effusum ministraret: mappæ autem minimè sordidæ curam illi viro non neglectam, epulæ ipsæ demonstrant, & locus quo conuiuium instruere constituebat. Hospitalitas *Subter quercum. subter querceta, quæ elegantis tecti atque vmbræ vsum ferrent. Huiusmodi hospitalitatem magno humanitatis exemplo probatam, nũquam satis laudare atque cõmendare Apostoli sibi videtur; proposito atq; indicato exitu honestissimo, vt, qui homines inuitatos existimarint viri, Angelos demũ sibi susceptos experti fuerint. Agnoscere etiã subdigeat, tamen pietatis atque fidei exemplis adeò delectatur, vt Angelos suos, ditissimos atque beatissimos cælestis regiæ ministros, piorum hominum hospites agere, & sese ad humani exiguiq; officioli gratiam & probationem comparare accommodareq; iubeat, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Hinc igitur euenit, vt Gedeon hospitij illius breuissimi probatum munus ex euentu cognosceret, quippe qui suas epulas non modò conuiuæ (quem hominẽ putauerat) vsu ipso placuisse, sed cælestibus spiritibus, atq; adeo ipsi cælorũ ac terræ Domino, superorumq; Regi gratã iucundamq; hostiam exhibuisse; & non hominẽ, sed Angelum sibi conuiuio exceptũ fuisse intellexerit.*

Rom. 12. Heb. 13. 1 Petri 4.

Hebr. 1.

Cui dixit Angelus Dei: Tolle carnes, & azymos panes, & pone supra petram illam, & ius desuper funde.

QVAM sapienter, promptè, ac diligenter piorum hominum studia & conatus à supernis ministris instruantur & adiuuentur, exempli huius exacta consideratione docemur: atque illud verum perpetuumq; experimur, quod ab Apostolo pronunciatum est: Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundùm propositum vocati sunt sancti. Exiguum quidem, verùm ex magno, pio, atq; studioso animo profectum munusculum Gedeon hospiti apposuerat, satis lætus futurus, si acceptum, gustatum, gratumq; esse vsu ipso cognosceret: verùm id officium, quod à se ad Deũ transferretur dignum esse ostendit Angelus: non qui ipse ederet, aut edentis speciem præberet, qualem apud Habrahamum quondam Angeli præbuerant, sed qui ex appositio munere hostiam Deo ad apponentis vtilitatem prouideret, ipsumq; apponentem eius sacrificij ministrum institueret. Namque sacrificandi ministerium soli hominum generi demandatum sacra præcepta exemplaq; testantur. Quamobrẽ apposita fercula, quæ ad hostiæ vsum destinata Angelus voluit, non ipse tetigit, aut aræ imposuit (quippe qui nõ hominis illa sua legatione, sed Dei vicem personamq; sustineret) verùm aræ instar viuum lapidem instituit, in eoq; hostiam futuram collocari iussit, ita vt carnes & panis hostiam, ius verò carnium libamen esse iuberet. Atque hoc pacto legationem suam planè diutnam, se verò legatum mortali vice maiorem, hoc est, Angelum, Deiq; virtute & efficientia instructum ostenderet. Iubet itaq; carnes in lapide frigido poni, iubet ius infundi, quod iam ex mora tepidum saxi frigore citiùs frigesceret. quo etiam exemplo Elias in Carmelo monte vsus, diuinam virtutem apertiùs comprobabat. Atque hoc loco adnotandum est, Angelum Dei significantiùs appellari non quidem IEHVEH, *sed* ELOHIM; *cùm alias plerumque Angelus* IEHVEH, *hoc est, Dei Israelitis singulariter cogniti (vt aliàs exponebamus) dicatur. id verò nobis ob eam rem factum videtur, quòd cùm sacrificiorum Israeliticorum ritus certo loco, id est, intra tentorium lege sancitum, peragi iuberentur, atque hoc sacrificium ex iis esset, quæ pro tempore aliquando singulariter fieri concessa sunt; altare illud quod ab Angelo instituebatur, non sub singulari* IEHVEH, *hoc est, Dei Israelitis singulariter cogniti & culti; sed sub* ELOHIM *nomine ad horam sacraretur, Dei, inquã, totius mundi ac cæli Domini, Principis, Præsidis, atque Gubernatoris, cuius cælum sedes, cuius pedum scabellum terra est, cuiq; omnis orbis templum constat, atque vbique locorum sese coli & iubere potest, & admittere, sicut scriptũ est: A solis ortu vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio mũda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum, & vos polluistis illud, &c. Et quidem Gedeonis æuo veram sacrificandi rationem Israelitæ contaminauerant, sicut & postea Eliæ tempestate contaminatam legimus.*

Rom. 8.

Malach. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cumq́. in huiusmodi tempora deuentum esset, vt sibi mundæ gratæq́. hostiæ, prouidentiæ suæ ostendendæ causa, immolarentur; ipse locum diligens prouidebat, qui totum cælorum ac terrarum orbem sibi authori Principique Deo consecrauit: nec ita tabernaculi sanctitatem exceperat, vt pro tempore non hunc vel illum diligere posset locum, interim etiam dum illa sæcula durabãt, quibus Israel secundùm carnem ipsum Deum IEHVEH *titulo ac nomine*
Ioan. 4. *manifestiùs illis, & futurorum vmbram referentibus, sacris colerent: quando*
» *hora illa veniret, quando nec in monte Garizim, nec in Ierosolymis ador-*
» *tur Pater, sed veri adoratores adorent Patrem in spiritu & veritate. Atq́*
hoc semel opportunè tetigisse satis fuerit, ad disputationem indicandam de huiusmodi priuatis sacrificiis, quæ (vti Israelitæ authores concedunt) ad horam instituebantur; Latini, pro tempore dicere solent, vti:

Virg. Eccl. Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si fœtura gregem suppleuerit, aureus esto.

Aliàs autem disseremus, quando, quo pacto, quóue ritu, quóque authore huiusmodi singularia sacra fieri liceret.

Cumque feciſſet ita.

VT *boni officiosiq́. conuiuatoris est, ea quæ contingunt libenter, sedulò ac mundè ponenda curare; ita etiam boni gratiq́. conuiuæ est, hilari animo conuiuium celebrare, atque singulas, vti aiunt, gustu ipso & vsu, quamuis mensæ breuis, honorare dapes. Rursus verò nihil omnino gustare, aut superbo dente malè singula tangere; fastidiosi & ingrati conuiuæ est, quæ*
Iuuen. Sat. Artic. *boni frugalèsque viri improbarunt;* ——Ergo (*inquit ille*) Superbum
Conuiuam caueo, qui me sibi comparat, & res Despicit exiguas.

Molestum potuit hoc modò atq́. inciuile videri Gedeoni, nihil omninò ex ferculo suo conuiuæ illi gustatum fuisse, sed contrà se eadem & in saxo ponere, & ius effundere iussum; nisi iam fides, quam ex dicentis authoritate conceperat, mentem illustrare cœpisset, atq́. mysterium in actione illa subesse indicare; nam qui tam diu hærentem ac munus exspectantem expertus fuerat, sibi conciliatum & beneuolum impensiùs crediderat. iam verò
מנחה *ipsa verba, quibus monebatur, & instruebatur, sacrum quid atque gratum sonabant,* Accipe carnes & azymos panes, & pone supra petram.
Ponere. HANAHH. *idem verbum ex quo* MINHHAH *deductum nomen docebamus, quod & munus, & sacrificium significat.* Pone, *inquit, vti munus atque sacrum. Latinè religioso iam vocabulo dici posset,* Offerto.
Azymos. Fundere. *Deinde nomen azymorum eodem tendebat, cùm aliàs panem dicere solitus fuisset. Præterea verbum,* Funde, *legitimum quoque sacrorum commemoratione erat. His demum vultus habitúsque iubentis addebantur; quæ non ad fastidium, sed ad gratiam & studium referenda fuerunt, viro & sacrarum rerum gnaro; & iam illum, qui se alloquebatur, Dei vatem, atque adeò omnia consultò ac seriò agentem credenti: quamobrem nulla cunctatione omnia ex præscripto curata atque acta fuere: atque ita sacra faciendi*

facientis munus magna sedulitate atque pietate subitum, mox verò deinceps felici exitu probatum fuit.

Extenditque Angelus Domini summitatem virgæ quam tenebat in manu, & tetigit carnes & panes azymos. Adscenditq́. ignis de petra, & carnes & azymos panes consumpsit. Angelus autem Domini euanuit ab oculis eius.

VT *qui hactenus Gedeoni propheta quispiam esse videbatur, nunc deinceps humana vice maior natura, hoc est, spiritus crederetur; hoc signum diuina virtute atq́. efficientia editum interpretamur. Audierat quidem vir Israelitarum verum restitutionem à ministro vero, eodem qui sese alloquebatur, futuram; eum verò hominem existimauerat diuino vaticinij atque etiam fortitudinis dono auctum, qui vnà secum rem esset acturus. ex his cogitationibus fide animatus, promissi exitum optabat; & eum, qui secum de hac re ageret, nomine Prophetæ & amabat, & humanè atque piè excipiebat. hac fide atque hoc studio illud amplius obtinuit, vt eum, qui sese alloqueretur, Angelum Domini esse certior fieret. Siquidem signum hoc non salutis promissæ ac futuræ, sed naturæ atque veritatis eius qui cũ agebat, interpretamur. Quippe ex omnibus earum rerum, quæ videri sentiriq́. possunt, generibus nullum præstantiæ, efficientiæ, ac præsentiæ suæ ostendendæ ac manifestandæ causa familiarius, quàm ignem apud antiquos vsurpare* Ignis.
voluit Deus (magna profectò significatione, quam nunc explicare non vacat) ita vt in antiqua omni historia imitandi ignis potestas & facultas Satanæ, atque ipsius ministris omnibus, nulla fuisse permissa videatur. Atqui duplicis ignis in antiquioribus sacris lectionibus mentio fit. alterius quidem communis huius, qui caloris efficientia vel in bituminis, ac sulphuris, oleiq́. natura latet; vel ex duro silice aut ferro, aut aliàs densiori ligno vel asse excuditur, cuius obtinendi copia & ars nulli mortalium negata est. quod & ipsi etiam externi authores cognouerunt:

Vt varias vsus meditando extunderet artes
Paulatim, & sulcis frumenti quæreret herbam,
Et silicis venis abstrusum excuderet ignem. Virg. Geor. 1

Alterius verò ignis frequens commemoratio est, qui nulla humanæ operæ aut arte, nulla communi ac vulgata naturæ efficientia incenditur; sed sponte ac repentè ardere incipit, nec tamen certa, ac perpetua, inuariabiliq́. efficientia esse conspicitur. lucet quidem ille & maximè & purissimè, si cum nostro hoc igni comparatur: cætera verò non ex perpetua constanteq́. norma, vt naturæ elementa omnia, sed ex consilio arbitrioq́. efficere comprobatur; quandoquidem interdum repentè exstans ea vrit, atque absumit, quæ sibi assumenda videtur optasse; vt cadauera ab Abrahamo in terram strata: interdum verò etiam tenuem atque vsu facillimam materiam, qualis spinarum, senticeti, atque ruborum est, occupatam, diuq́. incensam, tamen illæsam tandem relinquit; cuiusmodi spectaculum Moysi omnem philosophandi

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gen. 15. facultatem aliquando adimebat, viro in omnibus humanis Ægyptiorum
Exod. 3. disciplinis apprimè docto, tamen in huiusmodi exemplo ad stuporem vsque
hærenti; nonnumquam verò iucundam, gratam, atque opportunam lampa-
dis ac lucis vsuram, sine vlla aliàs molestia hominibus confert, quod &
Psal. 77. Israelitarum exercitui per totas quadraginta annorum noctes contigit. Atq;
huius generis ignì præsentiam efficiētiamq; suam veluti familiari quodam
Deut. 4. signo antiquis singulariter comprobari, & agnosci Deus voluit. S.S.E. Et
» acceßistis ad radices montis, qui ardebat vsque ad cælum, erantq; in eo ter-
» nebræ & nubes & caligo. Locutusq; est Dominus ad vos de medio ignis:
» vocem verborum eius audistis, & formam penitus non vidistis, &c. Non
» vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est vobis Dominus in
» Horeb, de medio ignis: ne fortè decepti, faciatis vobis sculptam similitudi-
» nem, aut imaginem masculi vel feminæ, similitudinem omnium iumento-
» rum quæ sunt super terram, vel auium sub cælo volantium, atq; reptilium
» quæ mouentur in terra, siue piscium qui sub terra morantur, &c. Atque
huiusmodi ignis non humana opera, aut vulgata naturæ vi contingentia,
verùm diuina planè ac singularis exempli efficacitate producti sanctam
perpetuamq; in templo, sacrisq; faciendis, atq; lucernis conseruandis copiam
esse Deus voluit: grauemq; vltionem minatus, & præsenti etiam exemplo
molitus est, iis qui alienũ ab hoc ignẽ in sacra inferrent. Nã sicuti Deus alie-
naturæ diuinos deferri honores non patitur; ita nec ignis hic, quem sibi vsq;
societ, vel comparet, aliũ præterea admittit ignem; vt hac similitudine illud
Deut. 4. verißimum constantißimumq; euadat: Caue ne quando obliuiscaris pacti
» Domini Dei tui, quod pepigit tecum, & facias tibi sculptam similitudinem
» eorũ quæ fieri Dominus prohibuit, quia Dominus Deus tuus ignis consu-
» mens est: Deus æmulator. Atq; huius generis ignis, à singulari Dei effi-
cientia exstantis, natura aliquando pabulo suppeditata procuratus, & hoc
pacto ad multos vsq; annos conseruatus est, ex legitimo sacrorũ rituum pre-
Leuit. 6. scripto. S.S.E. Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos,
» subiiciens ligna manè per singulos dies; & imposito holocausto desuper ad-
» olebit adipes pacificorũ. Ignis est iste perpetuus, qui nũquam deficiet in al-
tari. De cuius vsq; ad humanæ salutis tempora conseruatione & vsu, pri-
uata disputatione, Deo annuente, narrabimus. Nonnũquam verò repentè
vel de cælo descẽdens, vel ex inferioribus obortus, vim efficientiamq; suam
certis in rebus partim exurendis tantùm, partim absumendis etiam admira-
Leuit. 10. bilem indicauit. Alterius quidem effectus exemplũ illud fuit: Egressus ig-
» nis à Domino deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino. vocatis au-
» tem Moyses Misaele & Elisaphan filiis Oziel patrui Aaron, ait ad eos: Ite
» & tollite fratres vestros de conspectu sanctuarij, & asportate extra ca-
» stra. Confestimq; pergentes tulerunt eos, sicut tacebant, vestitos lineis tu-
» nicis, & eiecerunt foras, vt sibi fuerat imperatum. Alterius verò hoc quod
Gedeone præsente atq; teste editum legimus. Ascenditq; ignis de petra, &

& carnes azymósque panes consumpsit. *Miraculum cum primis ma-*
gnum, nec id vel naturæ vel casus vi, sed singulari Dei efficientia præsti-
tum, & locus & modus declarant, cùm saxum natura sua frigidum, atque
infuso iure humidum frigidiumq; redditũ, nec vllo graui ictu percussum, sed
baculo admoto leuiter tactum, non scintillas ignis, quod fortasse fieri posset,
si grauem alterius durißimi corporis plagam accepisset; verùm ignem adeò
magnum protulerit, qui & carnes & azymos fermentatis frigidiores pa-
nes breuißimo tempore absumpsit. Atque hoc pacto & Deum sibi cõuiuam
fuisse, & munusculum suum in sacrificium abiisse Gedeon intellexit. Per-
simili etiam argumento Dauid aliquando sacrũ pro publica salute faciens,
sibi litatum esse cognouit. S.S.E. Et ædificauit ibi altare Domino: obtulitq; » 1. Par. 21
holocausta & pacifica, & inuocauit Dominum, & exaudiuit eum in igne »
de cælo super altare holocausti. Iam verò vbi diuinæ legationis à se obitæ, sa- »
tis certiorem Gedeonem fecisset Angelus, admiratum, atq; omni cura de rei
magnitudine cogitantem, subitò etiam discedens reliquit. Euanuit ex ocu-
lis eius. *Euanescere, verbum, quo interpres noster nõnumquam vtitur, non* Euanescere.
Latinæ significationis vim hoc loco obtinet, qua vinum aut salsamentũ ve-
tustate euanescere, & augurum ars vetustate & negligentia euanuisse di-
citur. Namque hoc modo, qui sua natura corrumpi non potest Angelus, eua-
nescere etiam minimè potuit; sed idem nunc verbum hoc significat, quod re-
pentè discessisse, atque ex conspectu viri sublatum fuisse, dicere Latinè pos-
semus. Hebraica oratio & Græca etiam versio rem aperiunt. Abiitq; An-
gelus Domini ex oculis eius. *Verùm quid sit ex oculis abire, Chaldæus*
paraphrastes planißimè docuit: Adscendit, *è regione oculorum eius. id ve-*
rò eiusdem sententiæ est, atq; illud apud Lucam: Et videntibus illis, eleua Act. 1.
tus est. Nam poterat terga vertente Gedeone Angelus discedere; eodemq; re-
spiciente, non videri, neq; sciri, quánam vel quò discessisset, vtrùm currẽdi
celeritate magna conspectum effugisset, an intra terram delituisset, an inter
vineta aut fruteta, an aliò sese abdidisset: verùm vt cælestis declararetur
nuncius, vidente viro, versus cælum (vt ita loquamur) euolauit ab oculis
eius, non à tergo aut occipite, sed à conspectu ipsius admirantis & pauentis.
Nec verò hoc loco prætermittendum est, virgam qua, post appositum munus,
lapidem ab Angelo tactum legimus, sacra lingua, MISGHENETH *dici,*
quod ex verbo sustentaculi, fulcimentum, siue Latiniùs bacillum dici po-
test. Atqui bacillum quo ambulantis gressus iuuantur, quòd dextera te- Lib. Ioseph.
neri atque premi soleat, vimq; innitentis excipiat, authoritatis atque effi-
cientiæ symbolum esse, alia etiam, præter hoc, exempla declarant, virgæ il-
lius, Mose gestante, mirificæ: & baculus etiam, quem Eliseus famulo mi- Exod. 4.
nùs credenti, puerò ad vitam reuocandi causa, commodauerat. ad quam 3 Reg. 3.
etiam rationem illud pertinet: Virgam virtutis tuæ mittet Dominus » Psal. 109.
ex Sion.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Videnſque Gedeon, quòd eſſet Angelus Domini, ait: Heu mi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciem.

Ex comparatione humanæ infirmitudinis cum diuina virtute, atque ex religioſo timore nata fuerat antiquis opinio, ſuperiorum ſpirituum ſpeciem mortalibus oculis citra mortis diſcrimen videri non poſſe: cõuenire quidem aliquo modo hominum animis cum cæleſtium ſpirituum natura, atque cognationem quandam inter vtrumque genus eſſe; verùm quàm diu corporis huius terreni carcere incluſa humana detineretur mens, ſuperiorum naturarum cõgreſſum ferre non poſſe putabatur; quòd ſi id aliquando eueniret, corporis & animi diſſolutio proximè inſtare credebatur, quòd anima iam ſuperioris ſpiritus vim & efficientiam ſecuta, ſuoq; loco mota, ad ſeparatorum ſpirituum conſuetudinem aduocari, vel educi potiùs exiſtimaretur, eo modo, quo ferrum magnetis efficacitate, atque potenti principeq; in illo genere vi, rapi videmus. Ita autem hæc ratio & opinio illis nata creuerat, vt cuiuſcumque oculi huiuſmodi ſpectris ferirentur, niſi morte euẽtigio ſubſequente opprimerentur, inſigni miraculo, aut ſingulari Dei beneficio ſtaretur adſcribendum. huius rei cauſa Iacob loco, in quo cum Angelo colluctatus fuerat, nomine Phanuel impoſito, gratulabũdus dicebat: Vidi Deminum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea. Huius etiam rationis illud hoc in libro inferiùs legendum exemplum fuit: Statimque intellexit Manuẽ Angelum Domini eſſe, & dixit ad vxorem ſuam; Morte morietur, quia vidimus Dominum. & huiuſmodi exceptionis nomine illud à Moſe annotatum videtur: Nec ſuper eos qui procul receſſerant de filiis Iſraël, miſit manum ſuam; viderunt q; Deum, & comederunt ac biberunt. Simili igitur opinione imbutus Gedeon, viſum Angelum quàm primùm obeundæ ſibi mortis cauſam fore interpretatus, pauere, timere, deprecarig; cæpit: Heu Domine Deus. Vox, quam ſua ille lingua vſurpauit, & ſuſpiry & deprecationis index eſt, AHAH. Eadem quæ à Ieremia impoſitum fuit. AHAH, Domine, neſcio loqui. Duobus autem nominibus pronunciandis & diuinam naturam, vt Iſraëlitis peculiari notam ratione ac prouidentia obſeruatam, & eandem vt totius mundi rectricẽ gubernatricemq; appellabat. Deprecor, inquit, IEHVEH ELOHIM. quidnam hoc eſt, quam ob rem ego IEHVEH Angelum facie ad faciem, apertè hiſce mortalibus oculis viderim, cùm vel nuncius aliàs afferri mihi idem poſſet, vel voce audienda, vel ſpectro aut vaticinio intra animum oſtendendo, vel ita vt ipſi hominem quempiam, non Angelum, mihi conſpectum fuiſſe crederem? Namq; in huiuſmodi euentibus ipſa animi humani cogitatio, metum; metus verò, moleſtiam; moleſtia, morbum; morbus afferre mortem poteſt. Quamobrem Sara quamquam conuiuas illos tres ad ſe diuertentes vidiſſet, audiſſetq; tamen, quia viros à Deo miſſos exiſtimauerat, non timuit, ſed riſit potius, ac ſibi nuncium gratulata, id, quod nunciabatur, proprium certumq;

Magnes.

Genes. 32. » lucratus fuerat, nomine Phanuel impoſito, gratulabũdus dicebat: Vidi Deminum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea. Huius etiam rationis illud hoc in libro inferiùs legendum exemplum fuit: Statimque intellexit

Iud. 13. » Manuẽ Angelum Domini eſſe, & dixit ad vxorem ſuam; Morte morietur, quia vidimus Dominum. & huiuſmodi exceptionis nomine illud à

Exodi 24. » Moſe annotatum videtur: Nec ſuper eos qui procul receſſerant de filiis Iſraël, miſit manum ſuam; viderunt q; Deum, & comederunt ac biberunt.

Genes. 18.

tumq; perobtauit. Hebraica oratio orantis diſceptationem indicat, & cauſam poſtulantis quamobrem ita ſibi viſus & agnitus fuerit Angelus. ex verbo ſic verti poteſt: Deprecor Domine, Iſraëlitarum patrone, ac Princeps beneficentiſſime, atq; Deus iudex æquiſſime & ſapientiſſime, quid quamq; obrem Domini Angelum his mortalibus oculis te authore vidi? Quàm deprecationem ita Deus benignè excepit, vt eiuſdem Angeli, iam è conſpectu quidem ſublati, nondum tamen vimium remoti, voce virum metu omni liberatum, in ſpem magis ac magis inducẽtem confirmauerit.

Dixitque ei Dominus, Pax tecum: ne timeas, non morieris.

EIVSDEM Domini, cuius authoritate fungebatur Angelus, nomine, etiam appellatur, qui opportuniſſima primùm ſalutatione, virtutis animum reſtituere atque reficere, deinde iuſſu ac monitu ſtabilire, poſtremò confirmare intendit. Namque in huiuſmodi perturbationibus ſedandis, eius, qui cum agitur, mentem ac volũtatem primùm indicari expedit. quæ cùm certa propitiaq; intelligitur, ad attentionem parandam & ad perſuaſionem efficacitatis plurimum habet. Hanc voluntatis oſtenſionem ſalutatio illa continet, Pax tecum. ſiue, vt illius linguæ idiotiſmo dicitur, Pax tibi. Ac primum nomen fauſtiſſimum SALOM, pro quo Latinus interpres pacem plerumque reddit, omnem ſalutis, ſanitatis, quietis, concordiæ, ac, vt vno verbo concludamus, perfectionis continet ſummam: id quod nullum nec Græcum, nec Latinum vocabulum ita amplè ac propriè complecti obſeruatur. Iam verò huiuſmodi pax illi ipſi Gedeoni indicitur: Pax tibi. Quidquid vidiſti, ad pacem bonorumq; ſummam referas licet, idq; tibi contingere exiſtimes: tantum abeſt vt mortem tibi portendi metuas, deinde ſacrum ipſum, quod conuiuij nomine appoſueris, gratum, atque in tuam vtilitatem acceptũ probatumque interpreteris. ita ſit, vt duobus vocabulis, Pax & tibi, geminam enunciationem ſubeſſe intelligamus. Curandarũ autem animi affectionum ratio diuina planè hoc loco oſtenditur; quemadmodumq; in repentinis perturbationibus expedienda ſit, docetur. Namq; de vitiis diutiùs hærentibus alia fortaſſe opportunior diſputatio erit; eorum verò affectuum, qui repentino breuiq; impulſu exiſtere ſolent, atque ita animo nocere poſſunt, contrarium quidem remedium adhibendum eſt, idq; quàm breuiſſimè ac celerrimè fieri poſſit, antequam prior ille, ſiue pauor, ſiue dolor, ſiue ſtupor incumbens inſideat. Veluti ſi corpori cuipiam ſubita ignis flamma correpto priùs aquam infuderis, quàm carbones aut torres eos, qui incenderant, detrahas; meliùs profectò ac celeriùs incendium, imò & calorem auertas; idq; in omni medicinæ, etiam naturalis, parte vtiliter curabitur, ſi repentinũ malum admoto quàm primùm remedio præuertatur. Cœperat iam Gedeon mortis opinione atque pauore laborare, ſed præſenti vitæ atque ſalutis promiſſo per Angelum reuocatur, Pax tibi; quæ prima vox viri animum ad vitæ cogitationem reduxit: deinde verò concepta periculi opinione liberauit, Non morieris. Cauſam itaq; vitæ ac ſalutis primùm docetur, pacem videlicet ſibi allatam

Universidad de Deusto
Biblioteca

latam & firmatam, ex qua posterior enunciatio, quæ complexionis obtinet vim, cõsequitur: Non morieris. Atque hoc pacto Enthymematis huius ratiocinatio consequitur: Cuicunq; diuina pax affertur, mors non incumbit: atqui diuina tibi affertur pax; non igitur morieris. Illud etiam prætermittendum minimè sese hoc loco indicat: medicinam à Deo rebus iis fieri, quæ sanitatem propriè continent, quibus allatis & admotis, morbus ex consequenti effectu depellitur: cùm vice versa naturalis atq; humana (vt sic loquiliceat) medicina ab ægritudinis detractione ad sanitatis reuocationẽ instituisoleat: quamobrem paulatim vt procedat, necesse est. In cæterũ nãque rebus, quæ Deus non sunt, vita & sanitas non natiua, hoc est, non ex propria natura, sed ex maioris efficientiæ cõmunicatione esse possunt. In Deo verò, qui maximè efficax efficiensq; est, sanitas ac vita propria ac perpetua simplicissimaq; constitut. S.S.E. In ipso vita erat. &: Ego sum via, veritas, & vita. Hinc adeò factum videmus, vt in sanatione etiam corporũ, absolutum ac præsentissimum, atque adeò subitum effectũ diuina virtus probet. Cuius rei exemplorum & antiquioris & noui Testamenti libri pleni sunt. Sic Naaman Syrus, quamprimùm in Iordanem descendens lauit, lepra mundatus est, non quidẽ singulari fluminis natura aut virtute, cuius aqua Amnæ & Pharphari Damasci fluminibus non censebatur præstare; sed diuini verbi, à Vate præcipiente pronunciati, virtute. Sic femina totos duodecim annos desperata medicis fluxione laborans, Iesu vestimentis semel cõtactũ, confestim se à plaga sanatam, liberato ac refecto corpore, persensit. & statim „ Iesus in semetipso cognoscens virtutẽ quæ exierat de illo, conuersus ad turba „ m, aiebat, Quis tetigit vestimenta mea? Hæc latiùs hoc loco annotãda duximus, illius salutationis admonitu serie, Pax tecum, ne timeas, non morieris. quavoce Gedeon fretus, animatus, atque magis etiam in salutis publicæ spem confirmatus, animum atque studium ad gratulationem adiecit.

Medicina diuina.

Medicina naturalis.

Vita.

Naaman.

4 Reg. 5.

Mat. 5.

Ædificauit ergo ibi Gedeon altare Domino, vocauitq; illud, Domini pax, vsque in præsentem diem. Cumque adhuc esset in Ephra, quæ est familiæ Ezri.

ANTIQVÆ atque probatissimæ maiorum suorum pietatis exemplum hoc loco ac tempore sibi instaurandum Gedeon curauit, non tamen id priuato ipsius consilio tantùm, sed diuino monitu ac iussu egisse dicitur. Abraha- Gen 12. „ mus quondam Chananæa regionis possidendæ promisso accepto, altare Do- Gen 25. „ mino, qui apparuerat ei, eodem loci ædificauerat: Iacob apud Bersabath di- „ ctum puteum gratulabundus idem fecit: quod pòst etiam secundum Luzam repetiit. verùm illi, quamquam non citra monitum consiliúmque Dei suas aras struendas curauissent; tamen suis tẽporibus liberiùs fortasse, quocunq; loco essent, curare id poterant, nulla certi loci excepti aut prohibiti lege, qualem posterioribus seculis interprete Mose Deus ediderat. Quæ huiusmodi ararum priuatis ædificiis cauerat, nec tamen eadem omnino vetauerat, quo minùs vel ad præsentis alicuius, atq; obseruandæ rei monumentum, vel ad

Aræ priuatæ

aliam opportunam pietatis actionem, nouæ aræ non quidem perpetuis sacrificandi vsibus, & instituerentur, & vnica imbuerentur hostia. Huiusmodi aram & Helias ad tempus ædificasse dicitur: huiusmodi etiam Gedeon nunc instruxisse narratur, ad memoriam sempiternam diuini in se suósque beneficij, dicato atque imposito nomine, commemorandi: quod antiquorum monimentorum genus inter prima atque præcipua monimenta, apud omnes nationes censebatur. Cumque adhuc esset in Ephra, quæ est familiæ Ezri. Hanc rursus huius partem ad altare à Gedeone instructum explicando referimus, qua authoris testimonium significatur, indicantis, quo loco altare illud suo tempore adhuc viseretur; nempe eodem, quo Gedeon ab Angelo cõuentus ac salutatus fuerat, intra paternum Abighezeritæ Ioasi agrum. Namque Hebraica sic ex verbo verti possunt: Et ædificauit ibidem Gidghon altare Domino, & vocauit illud, Domini pax, vsque in diem hanc. adhuc illud in Gaphra Abihaghezri. Domini IEHVEH veri Israëlitarum Dei nomini ac numini dicatam aram significat: quæ cæteras ab Israëlitis vanè ac superstitiosè consecratas damnaret. atque hanc aram quamquam in monimentum, vti diximus, instituta, non tamen priuato ipsius instituentis consilio, sed monitu ac iussu Dei positam & conseruatam, adiuncta expositio indicat.

Nocte illa dixit Dominus ad eum: Tolle taurum patris tui, & alterum taurum annorum septem: destruesque aram Baal, quæ est patris tui; & nemus, quod circa aram est, succide.

IAM aliàs non semel docebamus, moris esse sacrarum historiarum scriptoribus, rerum summam initio proponere, deinde verò certa continuatione ac serie explicare: eamq; rationem lectori diligenter esse tenendam. Ex quo obseruationis genere hoc etiam exemplum est, quo aræ superiùs appellatæ ratio, causa, modus, locus, atque authoritas exponitur. illius diei subsequente nocte, vani cultus ac superstitionis opportunitatem & materiam Gedeone ministro sublatam voluit Deus; quippe qui ad salutem populi, iam singulari atque præsenti, vt ita dicamus, prouidentia expediendam & præstandam accedens, regionem, qua ipse ingrederetur, expiatam volebat: atq; expiationis initium ex propria Gedeonis familia profectum est, iubente Deo, Tolle taurum patris tui. Vero simile est, plures Gedeonis patri fuisse tauros, nec illam familiam, quæ in montes recepta colere agros, vt antè, liberè non posset, armentis & gregibus, quæ montanis loci ali possunt, caruisse; sed hunc taurũ à Ioa Gedeonis patre sacrificio aliquãdo faciendo destinatũ fuisse intelligimus, atq; illius nomine iã notũ illis q; similem, quos Poëtæ depingunt:

Si res ampla domi similisque adfectibus esset,
Pinguior Hispulla traheretur taurus, & ipsa
Mole piger, nec finitimis nutritus in herbis:
Læta sed ostendens Clitumni pascua sanguis
Iret, & à magno ceruix ferienda ministro,

Iuu. Sat. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Igitur taurum priuato nomine à Ioa deuotum, atq; illis vanis, quæ colerentur, numinibus dicatum, ad veri Dei cultum traduci Deus iubet, eidemq; alterum iungi, qui eodem, quo ipsi Madianitarum potentiæ cesserant, anno ortus fuit, atque, vti res ipsa indicat, ad seruitutis illius finem mactandus conseruabatur, siue is publico sumptu, siue singulari etiam Ioæ cura ad eam rem pasceretur. Hæc interpretatio est illius alterius tauri annorum septem, quibus annis illi à Madianitis fuerant oppressi, vt ex huius capitis initio intelleximus. Atqui tauri, qui vsui ad legitimum vsum traduci poterant, seruantur quidem, quoad ea, quæ impia omnino atque superstitiosa erant, abruerentur, nimirum statua numini illi vano posita, & lucus eiusdem numine iam diu & dicatus & cultus. quippe his nomen impositum ita iam increbuerat, vt tolli minimè posset, nisi rebus ipsis diruptis atque ex medio sublatis: quoad enim & statua & ara & lucus manerent, Baalis, cui sacrata fuerant, nomine appellabantur. Vt lucus & ara Dianæ, & Martis lucus apud Poëtas celebrantur. Tauro autem priori, quamquam ad victimam seruato, nullum adhuc nomen, præterquam possessoris, fuerat. Taurum patris tui, siue, vt Hebraicè est, qui patris tui, videlicet & est, & dicitur. Alter verò taurus ad illius oppressionis finem, vt videtur, seruatus, nomen ab annorum numero tenebat; hic vero cùm seruitutis finem ad victimæ vsum exspectaret, ei numini, à quo salus afferretur, mactandus erat: iure igitur Deo, calamitatis illius depulsori, feriendus.

Victima. Lucus.

Horat. Art. poet. Iuu. Sat. 2.

Et ædificabis ibi altare Domino Deo tuo in summitate petræ huius, super quam ante sacrificium posuisti, tollesque taurum secundum, & offeres holocaustum super struem lignorum, quæ de nemore succideris.

MATERIAM, tempus, & locum sacrificij pro tempestatis illius ratione singulari quadam ratione mutata conspicimus. verùm id responso & oraculo, ac monitu Dei iubentis, vti dicebamus, afferenda Israëlitis salutis, & mutandarum causa rerum regionem expiari, atq; pro vsurpata superstitione, pietatis antiquæ legitimum ritum instaurari. Altare itaque ædificare iubet non eodem loco, in quo Baghalis antè viseretur ara, sed illo eodem igne peracto sacro atque cælestis ignis virtute absumto, litatum fuisse Gedeoni probauerat. Eidem, inquit, IEHVEH *Deo gubernatori præsidiq; tuorum, cui tu nuper litasti, & arâ eodem loco posito, & hostias mactato, nõ vnam tantùm, sed & secundum taurum illum, idq; curabis, atque compones super struem lignorum, quæ de nemore succideris. atque ita attentionem cum diligentia curaq; coniunctam adhibere iubetur Gedeon. Nec enim tumultuarè temereq; poterant illa fieri, quæ tanta ratione atque serie curanda erant, excidendus lucus, vetus ara repudianda & diruenda, noua* IEHVEH *vero Deo sacranda, saxis viuis extra omne cementum construendis & firmãdis, ita vt ad posteritatis memoriam manere durareque posset; inuocato eiusdem Dei nomine; deinde gemini ducendi erant tauri, alter qui paternam familiam,*

liam; alter verò, qui totam Israëlitarum gentem, certo ritu statuti, mactati atque incensi, expiarent, idq; peragendum ligneis ex illo luco excisis, atque in sacrum vsum coportatis & structis. Omnia hæc, antequã popolari atq; vulgari tumultu cognita impediri possent, sapienter ac maturè sibi præsciendo multùm celer atque fidelis Gedeon, diligenter curauit: qui cùm secundum taurum statuere atque incendere iuberetur; alterum, cui hic secundus accederet, sibi etiam mactandum esse intellexit. nam secundus, nomen ex connexorum ordine cùm sit, primum etiam sibi adsciscit, quippe non aliter dici secundus posset; atque ita & sibi, paternæq; domui, & omni etiam genti, duplici illa victima litandũ esse intellexit. his etiam illud arcani accedit, quòd nomen SENI, *pro quo Latine secundum dicimus, & vocem & significationem valde affinem habet cum* SANA, *quod Latinis detracta prima litera,* ANVS *est. vtrumque enim &* SENI, *&* SANA, *quod repetere itemiseræ tempestatis anno ad libertatis aliquando futuræ gratulationem destinatus videbatur, epithetum factum fuisse* SENI: *quod & secundũ, & annuarium vicumque Latinè pronunciare licebit, hoc est, annorum testem atque iudicem: qui antiquus & annosus diceretur, si diuturniorem etiam miseriam ætate & annis ipse æquaret. Namque in sacrificiorũ hostiarum, tum materia, tam ritu, varia ac multiplex olim, etiam apud Græcos, ratio obseruabatur, pro rerum ac temporum definitione atque vsu. Ita taurus, quòd armenti pater & violentior natura sit, dominationem ac potentiam significabat; & bellorum, tempestatum, atque tyrannidis deprecandorum causa immolabatur. cuiusmodi mysteriorum exempla Poëtas diligenter attenteq; legenti cognoscere est:*

שני שנה

Secundus. Connexa ordinata.

Hostiarum materia & virtus. Taurus.

Sed procul extensum petulans quatit hostia funem
Tarpeio seruata Ioui, frontemque coruscat,
Quippe ferox vitulus templis maturus, & aræ,
Spargendusque mero, quem iam pudet vbera matris
Ducere, qui vexat nascenti robora cornu.
Si res ampla domi, similisque adfectibus esset,
Pinguior Hispulla traheretur taurus, & ipsa
Mole piger, nec finitima nutritus in herba:
Læta sed ostendens Clitumni pascua sanguis
Iret, & à magno ceruix ferienda ministro.

Iuu. Sat. 12.

Atque Horatius pro componenda inter fratres discordia petulantiorem iuuencam sibi ad sacrificium paratam esse dicebat: ——At vos

Seu calidus sanguis, seu rerum inscitia vexat,
Indomita ceruice feros, vbicumque locorum
Degitis, indigni fraternum rumpere fœdus,
Pascitur in vestrum reditum votiua iuuenca.

Epist. lib. 1.

Atque ita antiquis rituum legibus, quibus hostiis, cuiq; Deo immolandum, cui maioribus, cui lactentibus, cui maribus, cui feminis, cautum fuisse legimus,

Cic. de leg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus. Adhuiusmodi itaq; mysticarum rerum genera illi duo referebantur tauri; alter priuata Ioæ, alter verò publica Israëlitarũ dedicatione deuotus. Hos autem sibi vni, vt vero atq; vnico malorũ depulsori, salutisq; authori destinari, atque sacrari incendiq; Deus iubet, idq; eodem loco, quo præsentiam atque voluntatem ipse suam nuper probauerat; vtpote certo iam atque manifestis documentis consecrato: quod sibi iniunctum maturè ac fideliter faciundum Gedeon curauit.

Assumptis Gedeon decem viris de seruis suis, fecit sicut præceperat ei Dominus: timens autem domum patris sui, & viros illius ciuitatis, per diem noluit facere, sed omnia nocte compleuit.

Virtutes, Fides, Prudentia.

Ad ea, quæ ad pietatem spectant, serio ac diligenter peragenda, atque ab improbissimorum hominum malitiosa obtrectatione & insidijs vindicãda, prudentia opus esse, huius viri sancti exemplum docet. quippe non in omnibus, quæ ad Deum pertinent, actionibus miracula exiguntur; virtutum verò opportuna exercitatio semper exigitur, cùm virtutes à Deo profectæ Deiq; ministræ sint, quarum dux fides, prudentia verò moderatrix est, qua & res, & rerum tempora ac loca peruidere, atque ad optatũ exitum sapienter appositeq; aptare solet. Nouerat Gedeon populi illius vulgare & corruptum ingenium, atque superstitiosos nimis mores: nouerat etiam fraternæ familiæ naturam: hos pro tauro ab ipsis iam destinato, illos pro suo etiã tauro, atque pro numinis luco & ara propugnaturos intellexerat. Quod igitur facere iubebatur, cùm non iussus esset pugnando, sed quietè, diligenter, & maturè facere, noctu sibi peragendum censuit: ad eam verò rem decem ex seruis suis, quorum fidem, taciturnitatem, ac diligentiam antè probauerat, delegit. Atque hunc numerum ad Ecclesiam constituendam, sacraq; publica peragenda legitimum esse, ex antiquis ac ritualibus definitionibus cognouerat; tempus verò proprium nocte fore, ex prudenti exceptione, atque temperatis, qua iactabatur, vsu ac ratione, cognouit. Decem igitur his viris assumptis, lucum succidit, aram demolitur, tauros ducit, mactat, & incendit, atque rem omnem vnius noctis, nempe vernæ, spacio expedit. Namque vere iam cedente hæc acta esse, ex demessi nuper tritici obseruatione affirmare licet, quod regionibus illis secundo, aut ad summum tertio ab æquinoctio mense demeti solet.

Ecclesia.

Cumque surrexissent viri oppidi eius manè, viderunt destructam aram Baal, lucumque succisum, & taurum alterum impositum super altare, quod tunc ædificatum erat.

Novarvm rerum admiratorem, atque ad superstitionem nimiùm propensum vulgus, tam insperato & notabili spectaculo non solùm commotum, sed vehementer fuisse turbatum, credibile est: cùm ex huiusce generis minoribus multo exemplis magnas turbas cõcitatas, immo & magnas tragœdias excitatas legendo cognouerimus. Variis autem nominibus populus ille offensus & permotus, atque ad vltionis cupiditatem impulsus fuisse dicitur,

dicitur, idq; publicè ac tributim, vt ex vocabulo viri, quod Hebraico ANASSIM *respondet, adnotare licet. est autem* ANASSIM, *idem quod viri omnes ac singuli. Prima autem offensio ad violatæ religionis crimen relata est,* Destructã aram Baghal. *numinis, inquã, sanctitatem contemptã, maiestatem spretã, ornamenta imminuta. Namq; arã tanto nomini sacratã, artificiosè constructã fuisse oportet, non simplicè, qualem sibi statui verus Deus postulauerat. Alterum crimen est, lucũ succisum, qui nõ solùm ad religionis cultũ, sed ad loci vrbisq; ornamentũ, & ad amœnitatẽ longè prospicientibus iucundã, atq; eodem succedentibus gratam & sanctam, excultus fuerat. Tertium porrò crimen,* Et taurum alterum impositum. *Iam cæteris criminibus hoc adiunctũ, & damnum & cum damno metũ afferebat. Namq; hostia illa maiori, quæ in oppressionis depellendæ finem dicabatur, sublata, atq; alij Deo dicata, Numen ipsum, cui primùm destinabatur, offensum iniquumq; ipsis reddendum augurari in promptu ius erat, qui eius modi superstitiosis artibus fidem haberent. Iam verò eam, quæ sacrilegium illud consecutura erat pœna, non priuatam aliquam, vel personam vel familiam, sed cunctum populũ correptura esse metuebatur, cuius culpa totius populi esse videretur, cuius sumptu ac studio taurus secundus siue annalis alebatur, & negligentione, aut minùs diligenti cura nunc sublatus, & alij numini immolatus esset. Addebatur etiam his culpis, publicæ authoritatis contemptæ & spretæ iniuria: nam si alter tantùm taurus, qui à Ioa priuato consilio dedicatus fuerat, raptus & immolatus deprehenderetur, ea iniuria ab vna familia accepta, ab eadem duceretur vlciscenda; nunc verò secundo tauro sublato, publicam authoritatem imminutam publicè vindicandam esse, populus omnis tributim censuit. Ideoq; cùm duo tauri sublati essent, suus tantùm à populo requiritur, & religionis violatæ crimen conflatur, atq; contentionis æmulationisq; inter numina periculum denunciatur. nimirum tauro altero, qui numini suo in propria ara immolandus destinabatur, nunc alterius numinis cultui in noua recentiq; ara immolato. Quamobrem alterius, siue secundi, siue annalis, tauri ratio ac mentio à populo habetur.*

Viri. אנשים

Dixeruntque ad inuicem: Quis hoc fecit? Cumque perquirerent authorem facti, dictum est: Gedeon filius Ioas fecit hæc omnia.

Tvmvltvosam populi admirationem atq; trepidationem, incertam vagamq; suspicionem illam, quæ huiusmodi exemplorum initijs oriri solet, alijs aliud significantibus, singulisq; & culpam & periculum declinare studentibus, oratio illa indicat, Dixeruntque ad inuicem. *Nam qui rogat & quærit, facti ignorationem prætendens, crimen declinare videtur. Atq; ita initio alij alios percontabantur,* Quis hoc fecit? *non casu, sed consilio factum, orationis verba indicant, Hebraicè sic habentis,* Quis fecit rò DABAR. *hoc* DABAR *& consilium & rem omnem & verbum significat, & vtrumque etiam interdum complectitur, vt hoc loco.* Quis (inquit)

Universidad de Deusto
Biblioteca

quit) fecit rem hanc, *quæ nunc in ore omniũ versatur? eam profectò non sine certo consilio atque magno molimine factam constat, cum magna contemptione sermonis, ac famæ ex hoc facto orituræ. Itaque de facto & facti definitione nulla omnino quæstio, nulla inter populum dubitatio fuit; sed cura omnis in authore vel diuinando, vel quærendo ponebatur: id quod cùm nemo palàm exponere affirmaretq; auderet, ad secreti iudicij diligentiam & industriam deductum fuit:* Cumque inquirerent authorem facti. *Hebraica duo verba* DARASSV VAIBAKESSV, *sic Latinè verti possunt; Et scrutati sunt, & inquisiuerunt. alterum ad verborũ, alterum ad rerũ examinationem & æstimationem refertur: coniecturus namq; & indicijs ex omni sermonum genere, ex facti natura, ex personarum opinione, ex consiliorum obseruatione, ex vsu demum atq; ex varia suspitionum multorũ, deinde verò ex antecedentibus & consequentibus factis, dictis, habitibus, aliisq; argumentis, ex interrogatione diligenti testiũ, vel eorum qui indicare aliquid posse viderentur, ex temporis notatione, ex facti vestigijs, denique ex collatione comparationeq; horum omniũ, vt facti author sciretur, effectum est. Nec verò occultari res poterat, cuius periculũ ad omnem populum vt pertinere putabatur; inquisitio etiam attinebat, maximè religionis opinione intercedente: & iis qui facti experies erant, publicè ac priuatè agentibus & inquirentibus, vbi toti præcipuè conscij erant, nimirum seruitutem, quorũ opera res peracta fuerat, necideo sic occultari poterat vt nihil omnino vel sermonis, vel alterius indicij in medium dimanare posset. Nam cùm vnusquisque de se seruisq; suis, quot essent, quid eadem nocte egissent, vbinam fuissent, & profiteri, & posset testari: vel ex vno à remotione petito argumento cõiectura primùm capi, deinde inquirendo deduci, demum de facto statui potuit: id quod verba ipsa indicant:* Gedeon filius Ioas fecit hæc omnia. *Hebraicè sic:* Gedeon filius Ioas fecit verbum hoc. *nam* DABAR *Hebraicum nomen, & verbum significat, & rem omnem, præcipuè verò insignem ac memoratu dignam. Itaque res ipsa suspicionem iniycere potuit authoris sui, nempe neminem alium illud aggredi & confecere potuisse præter Gedeonem, vtpote qui à Baalim cultu alienus esse cognosceretur, & à patre eiusdem mentis atq; animi educatus esset, familiamq; aleret suis moribus persimilẽ; cùm cæteri omnes illius aræ, quæ diruta erat, atq; numinis in eadem consecrati, superstitiosissimi cultores essent. hũc accessit loci notatio, ipsius nempe altaris, in saxo dicati apud paternũ prædium, comportatarumq; eodem atq; exustarum arborũ carbones, victimarumq; cineres, multaq; alia, tum à re ipsa, tum à destinatis ad rem argumenta, quibus facti author prodebatur; præter rumores ex suspicione natos, ac præter testimoniorum ab alijs atq; alijs datorum confirmationem. Itaque Gedeon vnus facti author affirmatur, non tamen sine paternæ disciplinæ nota,* Gedeon filius Ioas.

Remotio argumentosa.

רגל

דרש

בקש

רבר

Et

Et dixerunt ad Ioas: Produc huc filium tuum vt moriatur: quia destruxit aram Baal, & succidit nemus.

HEBRAICA, *Chaldaica, & Græca publicè, & communi populi totius tumultu ac sermone, ad supplicium postulatum fuisse Gedeonem declarant. sic enim legimus:* Et dixerunt viri ciuitatis. *Cunctus populus, & singuli ex vrbe illa. Nec verò illũ iudicio sisti, sed iam ab ipsis damnatum, ad necem rapi volebant, tamquam sententia communiter tam pronunciata ob duplex crimen: alterum quidem religionis, vt illi criminabantur, per magnũ nefas violatæ,* Quia destruxit aram Baal. *Alterum verò eiusdem notæ, atque etiam damni cum magna iniuria & ignominia populo illati,* Et succidit nemus. *Hebraicè, Chaldaicè, & Græcè,* Nemus quod apud illam erat. *Ita ex vnius orationis verbis multa crimina diuiduntur. Aræ namque destructio vnum genus est, idq; vel verbis ipsis grauissimum, quod constanti audacia, & magno numinis contemptu admissum arguitur; non enim contaminasse, aut confregisse, aut casu vel impetu aliquo alio violasse notatur, sed destruxisse, funditusq; euertisse arguitur; deinde in eiusdem numinis contemptum data opera, ac pertinaci studio lucum sacro loco vicinum, atque eidem dicatum, penitus excidisse. Dignum igitur damnatumq; esse pœnis per totum populum sumendis, qui & numen à cunctis cultum violasset, & communis voti atq; cultus publici nomine diu altum & conseruatũ lucum excidisset. Huiusmodi iudiciorum à tumultuante populo editorum exempla passim legendo reperimus, non solùm in sacris libris, quale illud est; Nos legem habemus, & secundùm legem nostram debet mori, quia Filium Dei fecit, sed in prophanis etiam lectionibus, immo & non ita pridem per omnem Galliam, ac Lutetiæ præsertim, edita audiuimus. Verùm quantum ad huius generis tumultus sedandos, atq; indicta corrigenda, optimorum virorum constantia, authoritas, oratioq; valeat, subiuncta Ioæ responsio docet.*

Tumultuatis turbæ sententia.

Quibus ille respondit: Numquid vltores estis Baal, vt pugnetis pro eo? Qui aduersarius est eius, moriatur antequã lux crastina veniat. si Deus est, vindicet se de eo qui suffodit aram eius.

VVLGI *atque popularis tumultus insolentia non solùm ex consilio ac iudicio (si modò cõsilium ac iudicium dici potest, nullo defendente antè sententiam pronunciari, quàm crimen suis conuictum, ac definitum rationibus diiudicaretur) sed etiam ex verborum ac nominum petulanti & odiosa appellatione agnosci posset: quippe cùm illi patrem adorti, non Gedeonem, sed filium postularunt, quo maiore illato dolore turbatum vexarent: nec id ad causam dicendam vel agendam ab ipsis, sed ad capitis pœnas crudeliter sumendas, postulari.* Filium tuum, vt moriatur. *Quanta autem animi fortitudine sceleratus ille ac repentinus populi impetus à Ioaso compressus primùm, ac deinde quanta dexteritate ac prudentia vltionis ardor restinctus fuerit; operæpretium erit cognoscere. Namque strenuus atq; grauis vir*

intre-

Universidad de Deusto
Biblioteca

intrepido primùm vultu, & constanti corporis habitu consistens, nihilq; hæsitans orationem habuit, & sententiarum pondere & verborum modo efficacem, qua se non suam, vel filij, sed Numinis eius, quod ab illis vindicabatur, causam melius agere ac defendere ostendit: atque inuidiam omnem illius criminis à se filioq; suo, quem nec nominauit quidem, ad illius tumultus authores transtulit. Atqui coniecturalis huius causæ status, vtpote diligenter iam tractatus, hoc loci à Ioa nulla ratione tentatus est. Non enim negari iam permittebatur, quod tantopere à populo inquisitum, ac propè deprehensum fuerat: quod si negaretur, Gedeonis partes debilitari in promptu erat, tamquam confessi iustam contra se actionem, si factum sibi adscribi posset. Quam ob rem defensio alia via expedienda fuit; vt videlicet facti vel inficiatione vel confessione prætermissa, in aliud prorsus consilij atq; orationis neruos intenderet Ioas, quo actionis illius ius omne populo adimat, ostendatq; illos ea quæ hactenus egerint, agere quidem potuisse, vt, dum à se sibi quisque facinoris illius suspicionem amouere studeret, verum authorem omnes inquirerent, quem deprehensum aut repertum tamen vel damnare, vel vlcisci, nec decenter, nec sine numinis contumelia possent. Nam si hic ageretur de populi re, tamen populus rei suæ iudicem sese præbere non poterat, defensorem in præsenti re exhibere fortasse poterat, aut populari & seditioso feruore vindicem & vltorem: vt ille aiebat,

Publica cùm lentas non tulit ira moras. Atqui nihil sibi actione hac à populo repeti manifestum erat: quippe in illo facinore tria primùm enumerata fuerant, videlicet ara diruta, lucus excisus, annalis siue secundus taurus occisus & exustus. hoc postremum ad populum præcipuè pertinere videri posset, cuius cura, consilio, & sumptu taurus ille numini deuotus alebatur. Atq; si quid populi nomine postulari potuit, hoc vnum fuerat, quod tamen duplici de causa non videtur fuisse postulatum; altera quòd non maiori iure populus taurum suum requirere posse censebatur, quàm Ioas suum, cui plus damni, vnico tauro ablato, quàm populo, vnico etiam perdito, fuerat illatum: ille verò iacturam suam maiorem ferebat, nec capitis crimen ob eam rem tentandum censuerat: minùs ergo populo id curandum credebatur, cui impar damni ratio, cuiq; id quod perdere videbatur, ex alio vel armento vel agro, eiusdem etatis inuento boue, reparari posset. Altera causa, quòd iam constaret taurum illum non furto abactum, sed IEHVEH, antiquo ac certo Israelitarum gentis Deo, fuisse immolatum, quem non ita publicè remouerant, & ablegauerant illius tempestatis Israelitæ, vt non Deum suum etiam dicerent, tametsi BAGHAL, hoc est, numini alteri vel priores, vel pares, vel secundas saltem deferrent. Atque ideo quamquam tria illa initio admissa offendissent, Destructam aram Baal, & lucum succisum, & taurum alterum impositum super altare, quod tunc ædificatum erat: tamen ex tribus illis duo ista in crimen vocant, atq; ad vltionem postulant, Quia destruxit aram Baal, & succidit nemus quod apud illud, vt Hebraicè

braicè est. itaq; causam à se non de suo ipsorum damno, sed de numinis vel contemptione, vel contumelia susceptam iactant, eamq; iam sibi damnatam contumeliam sese animaduersuros profitetur. Hunc iudicij atque orationis impetum, animi primùm constantia, & vultus atq; totius corporis moderatione & grauitate, deinde etiam sapienter initæ defensionis virtute, à Ioa compressum, narratio ipsa & verborum exemplum indicat. Atq; animi & corporis vultus constans, & intrepidus habitus illa expositione ostenditur: Quibus ipse respondit. quam expositionem Hebraica verba apertè explicant: Et dixit Ioas omnibus iis qui steterunt super eum. instantibus, incumbentibus, in suas partes diuisa, singulares efficit quæstiones, quas in verbis ipsis latentes commentatori eruere operæprecium fuerit. Est autem totius orationis scopus, depulsio actionis eius, quam sibi populus arrogabat. Cuius hæc breuiter subducta summa est; Rationem illam nec rectè, nec sapienter, immo nec, vti existimabatur, piè à populo esse initam: quippe cùm ita natura comparatum, ita iure sanctum, ita etiam moribus receptum sit, vt ne quis in Rep. suarum partium terminos modosq; excedat; quicumque verò excesserit, in culpa esto. atqui populũ hunc alienas omnino partes suscepisse, atq; ex consequẽti vel temeritatis, vel improbitatis, vel, quod grauius multo suerit, impietatis pœnas sibi esse commeritum. Siquidem populus populariter coactus, & tumultuoso fremitu irritatus, nullius causæ iudicẽ agere potest; cùm sint iudices qui de causis omnibus respondere, & statuere, ex iure possint, ac debeant. Iam verò populũ sese in hac causa non iudicem præstitisse, manifestũ est. quippe qui nec diem reo dixerit, nec denunciarit crimen, nec defensionis copiam fecerit, nec etiam vel festinam ex quacumque criminis æstimatione sententiam in iudicio pronunciauerit, immo qui causam illam non suam, sed BAGHAL, id est, NVMINIS, esse affirmarit, cui vel iniuriam, vel contumeliam recenti atq; presenti potiùs facto illatam, populus clamaret: reliquum ergo erat, vt populus in illa re vel dimicatorem pro numine, vel seruatorem sese præstare ostenderet; quemadmodũ fit, cùm quispiam ab alio vel diripitur, vel de possessione deturbatur, aut aliàs grauiter oppressus læditur, accurrere solent cùm amici, tum opitulatores alij, quorum dimicatione ab oppresso iniuria propulsetur, afferaturq; salus. itaq; populus nec accusatoris partes in hac re agebat, vtpote qui non accusare hominem, sed rapere ad necẽ studuisset; nec etiam iudicis, cùm causa indicta damnasset. Reliquum itaq; erat, vt illo impetu ac tumultu depugnatorem, siue potiùs dimicatorem ageret. Namq; hoc significat verbum Chananæũ à Ioa dictum, identidemq; repetitum, RIB. sæpè aliàs in contentionibus, rixis, ac dimicationibus vsurpatum: cuius plurima exempla sunt; vt, Facta est rixa inter pastores gregum Abraham & Lot. &, Ne quæso sit iurgiũ inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos, fratres enim sumus. quo in loco Rixam & iurgiũ pro verbo RIB reddidit interpres. Atq; huiusmodi iur-

ריב Rixa. Iurgium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gia vel inter pares animo atq; viribus exsistere solent, vt inter pastores illos, quos in exemplum protulimus; atque hoc pacto rixa dimicatioq; Latinè dicitur: vel inter impares, ita vt altera pars alteram viribus & impetu pressam pessumdare studeat; & tunc non propriè rixa, sed oppressio, seu iniuria dicenda est, vt ille aiebat:

Iuu. Sat. 4. ——Miseræ cognosce præmia rixæ.
Si rixa est, vbi tu pulsas, ego vapulo tantùm.

Quòd si interim debiliori parti auxilium vel ab amicis, vel aliàs oppressis vicem miserantibus asseratur, ad dimicationis rationem redit res; & ab eos qui depugnant relata, rixa dicitur; ad eum verò cui auxilium affertur, salus eadem appellatur. Sanè huius verbi vim multis versibus sacer vates

Psal. 34. » exposuit: Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me. Appre» hende arma & scutum, & exsurge in adiutorium mihi. Effunde framcam, » & conclude aduersus eos qui persequuntur me. Dic animæ meæ, salus tua » ego sum. Confundantur & reuereantur quærentes animam meam, &c. quæ illo in carmine producuntur, cuius initium est: RIB IEHVE RIBENI. quod Latinè diceremus, Rixare Domine rixam meam, expugna impugnantes me. In dimicationem pro me descendito. Iam verò verbi significatione cognita, Argumentationis vis atq; efficientia facilè declaratur. Si vos, inquit Ioas, rixæ studio in hanc venistis causam, id altero ex duobus nominibus factu sit oportet, aut dimicationis cum Gedeone non de vestris, sed de BAGHAL dignitate ac rebus; aut salutis ipsi BAGHAL, vtpote à Gedeone oppresso, afferendæ. Vtrumque autem & officio vestro & BAGHAL nomine ac numine indignum esse constat. Primùm, vti videtur, hæc causa nõ furti aut rapinæ est, sed, vt res ipsa indicat, contentionis inter duos; alterum quidẽ Gedeonem, qui BAGHAL ex agri ac religionis possessione, altari euerso & luco excisso, pellere voluisse putandus est: alterum verò BAGHAL, qui dignitatem possessionemq; suam tueri, atq; vim sibi illatam vlcisci curabit. Hoc ita cùm sit, nec vestrarum partiũ, nec BAGHALIS dignitatis authoritatisq; fuerit, vt illius vos defensionem, tamquam dimicatores ineatis: primùm quòd ab illo ad hanc rem numquam vel vocati, vel appellati fueritis: deinde quòd tantus hominum ac populi numerus hominem vnicum ad dimicationem prouocetis: egregiam verò laudem, tametsi victoria potiti fueritis, relaturi scilicet. longè autem æquius ac dignius est, vt eam curam BAGHALI ipsi relinquatis, vicem suam, si modò BAGHAL est, vlturo, & nomen decusq; non deserturo suum. Namq; alias dedecori adscriberetur, vnum Numen cùm homine vno, à quo spoliatus fuerit, non dimicare, & magni populi frequentiam ad sua res asserendas vel appellare, vel vltro sese offerentem vindicem pati; cùm homo ipse non populum, sed Numen ipsum potuisse, & exspoliasse constet. quòd si ipse suas res non dimicet, BAGHALIS titulum ac nomen nec iure mereri, nec virtute retinere potest; longè etiam minùs, si vos ei, non vt dimicatores, verùm vt oppressio

seruatores adestis. Hæc, quam hactenus descripsimus, expositio est depulsionis illius à Ioa institutæ, duabusq; partibus constantis; quarum altera nõ alterius expolitio, sed noui argumenti explicatio fuit: quod Latinè legimus, Numquid vltores estis BAGHAL, vt pugnetis pro eo? ex suæ ipsius linguæ verbis ita Latinè sonabit: Numquid vos dimicabitis ipsi BAGHAL: numquid vos seruabitis illum? Argumentationem instituit à repugnantibus & absurdis, atque adeò ab indecoro facto: cuius præcipua vis in nominis Baghal ratione & expositione ostenditur. Cuius significationem iam sæpe aliàs docebamus, ius, imperium, potestatemq;, facultatem atq; efficacitatem continere, deduciq; à verbo Baghal, quod præstare, superare, posse, potestatem exercere, efficereq; significat; atque ad hanc rationem Latinorum Numen referendum dicebamus, à nuere verbo factum nomen. Iam verò argumentatio sic à Ioa initur: Baghal nomen ius, possessionem, & vim & facultatem, atq; adeò imperium & authoritatem ei, cui impositum est, attribuit, ita vt ipse nullius hominis tutela egeat, quin potiùs is à quibus colitur, tutelarem, vindicem, vltorem, & assertorem sese præbeat, si modò Baghal nomen authoritatemq; tueatur, ita vt vos illius virtute seruari ac defendi, res vestrasq; in tuto esse, non autem illum illiusq; res vestra dimicatione aut ope asseri par sit. Aliàs verò nec ipse nomen illud, nec vos numen illud habebitis, quod sibi ipsi præstare nihil possit, vestroq; auxilio ad suam salutem indigeat. Nam si vno homine suas destruente res, dimicare non vult; cur vos, quæ ille neglixit, tanto studio & conatu vlciscenda curatis? Sin verò vult, & non potest, cur Baghal appellatur, cùm minimè Baghal sit, atq; ex consequenti nec vobis colendus? Iam verò virtutis efficientiæ atq; authoritatis illius, ab vnico homine (quem vos altaris ac luci destructorem accusatis) vnius noctis spatio factum est periculum, quod illi etiam æquali temporis interuallo, iusta ac manifesta animaduersione propulsare potest. atque hoc quidem pacto suum ille decus, suum inquam numen, vobis palàm probabit, & nullo vestro negotio auxilij vobis, cùm opus fuerit, asserendi facultatem confirmabit. Iam illud primùm vobis ita affirmantibus compertum est, vnum esse hominem, qui contentionem cum BAGHAL inire ausus fuerit, atq; rixantis cum BAGHAL cognomen trahere cæperit, si vos illum vlciscimini, an BAGHAL vel sit, vel vlciscì suam rixam possit, minimè compertum erit; si verò vel æquali, vel maiori etiam temporis spatio, hoc est, vnius diei atq; noctis spatio, ille suum impugnatorem vlciscetur, & se sibi vobisq; salutarem confirmabit: quamobrem Qui aduersarius est ei, moriatur antequam lux crastina veniat. si Deus est, vindicet se de eo qui suffodit aram eius. Latina hæc versio ex præcedenti commentatione explicata esse iam videtur, si ad vnam tantùm personam duo pronomina referantur, hoc sensu: Assertionis huius, quam Baghalem expedire decet, argumentum illud manifestum est: pœna videlicet capitis diuinitus illata ei, à quo numinis maiestas, authoritasq; læsa, & ara diruta fuerit:

Argumentũ ab absurdo & pugnãtibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

idq; fiat, antequam lux craſtina veniat, vt non ad naturam, vel ad alium caſum, ſed ad certum numinis conſilium, mors ex præſcripto oblata referatur. Hæc, vt diximus, huius noſtræ verſionis expoſitio ſatis ſequax apertaq; fuerit. Verùm Hebraica lectio duo pronomina ad duas perſonas referre videtur; hoc pacto: Qui vltor fuerit illi, moriatur vſque manè: Si ELOHIM ipſe vlciſcatur ſe, quia demolitus eſt aram ipſius. *Primùm non conſidis eum morte dignum non eſſe, qui numinis maieſtatem & authoritatem non contempſerit modò, ſed læſerit etiam: imò maturo ac manifeſto ſupplicio afficiendum cenſet, quo ſupplicio numinis authoritas atque veritas comprobetur: id quod non fiet, ſi quiſpiam vel publicè, vel priuatè partes illas vltionis cauſa ſuſceperit. Nam qui id egerit, quo minùs authoritas diuina Baghali eſſe pernoſcatur, obſtabit: ſiquidem ex ea re illud eueniet, vt non numen ſibi, ſed homo numinis vicem vltus eſſe palàm dictitetur. Quam quidem ob rem, Numinis maieſtatem aſſeri debere non inficiatur Ioas; illud tamen contendit, eam aſſertionem nec aptè, nec decenter, priuata vel publica hominum opera fieri poſſe: quippe cùm nullũ hactenus iuſſum aut mandatum Numinis alicui hominum ad eam rem factum exſtet: nullum etiam vel exemplum, vel argumentum virtutis, aut efficacitatis illius numinis apud illos conſtet. Nunc verò periculi faciendi oblatam eſſe opportunitatem, qua numquam commodiùs vti Baghal poſſit, atque hoc tempore; idq; ſi aræ ſuæ demolitorem quàm citiſſimè interimens, nefarium, ſacrilegum, atque impium declarauerit. Hoc enim pacto & ſe ſuis atque cultorum ſuorum rebus prouidere oſtendet, & honores etiam ſibi, ampliores quàm hactenus, tribuendos arrogabit. Atque ita Hebraicè ſcientibus (quibus etiam vt Latinis conſultum volumus) illa prior huius orationis pars* ASSER אשר יריב לו IARIB LO, *Qui dimicabitur illi, moriatur vſque manè, ſic à nobis explicatur: Huius facinoris declarandi atque vlciſcendi terminus ad craſtinam vſque diem definiatur, ea tamen lege atque omine, vt, ſi quiſpiam horum ſeſe numinis huius vltorem ac dimicatorem præbere voluerit; eo numine ipſo irato atq; infenſo moriatur, idq; intra idem temporis ſpatium. Oportet enim eum pœnas ſubire grauiſſimas, qui numini, quo minùs authoritas dignitasq; ſua aſſereretur, impedimento fuerit. Atque verbum illud, moriatur, vel ad exſecrationem, atque prærogatiuũ malum omen, quod in religioſis comitiis valere antiquorum vulgus credidit: vel ad terrorem damnationis & minas referri poteſt, Ioa ducis ac principis in tribu ſua vltori partes agente, atque temerariæ populariſ iudicij ſententiæ intercedente. Quandoquidem nulla lege vetitum antea fuerat, ne Baghal aræ euerteretur; immo contrà, vt omnino eiuſmodi aræ cum ſuis ſimulacris, ſtatuis, &c. adeò cum omni vanorum Deorum nomine perderentur, Dei veri lege, per Moſen pronunciata, decretum imperatumq; fuiſſe conſtabat. Vtrancumque orationis huius explicationem quo minùs adhibeamus, nihil obſtat: quamquam priorem cum re ipſa, cum loco, ac tempore, cumq; orantis viri ſtatu &*

& inſtituto cohærere arbitramur. Namque totius huius controuerſiæ caput ex præſenti facto petitum, illud eſt: Aræ Baghal authoritas ac dignitas vindicanda aſſerendaq; ſit. Quam controuerſiam ita orator hic tractat, vt authoritatem omnem aſſerendam non inficiaretur: verùm nõ omnibus permiſſum eſſe ait, alienam cuiuſque dignitatem tueri; minimè verò vulgo id concedendum: ſed ſingulis ſuam authoritatem conſtare, ad ſeſe ſuaq; defendendum; diutnamq; dignitatem eius, qui in dubium vel in periculum vocetur Baghalis, non eſſe hominum, ſed potiùs ipſius, qui periclitetur, defendere atque aſſerere. Nunc iam periculum fieri dignitatis & authoritatis Baghal, cuius aram qui demolitus fuit, numen etiam impugnare, nec cum hominibus, verùm cum Baghale ipſo RIB, *id eſt, dimicationem inſtituiſſe viſus eſt. Oportere igitur Baghalem, nomen numenq; ſuum tueri volentem, hoc eſt, Domini atque præſtantis, ſeſe ipſum in ſua re Baghalem præbere & probare. Hac vna quæſtione de Baghalis nomine abſoluta, altera ſuſcipitur abſoluenda:* Si Deus eſt, vindicet ſe de eo qui ſuſfodit aram eius. *Ex Hebraico ſic explicationis cauſa, orationem miſcebimus:* Si ELOHIM *ipſe* IAREB *illi, quia demolitus eſt* aram ſuam. *Sæpè iam aliàs admonuimus,* ELOHIM *nomen, diuinæ naturæ adſcribi ea ratione, qua humanarũ rerum cognitio, iudicium, gubernatio, atque adeò prouidentia omnis Deo tribuitur: ita vt, cùm pronunciatum auditur, Dei iudicis, vindicis, gubernatoris, atque hominum rebus prouidentis, & omnia hæc pariter præſtantis ſignificationem animo audientis repræſentet. Atqui prouidentia cum iudicio coniuncta non ſolùm in honeſtis hominum actionibus promouendis, ſed in turpibus & nefarijs, atque indignis vlciſcendis ſpectatur. Nam ſi quiſpiam iudex factam alicui iniuriam debitis pœnis non proſequatur, iudicis profectò nomine & munere ſeſe præbuerit indignum. Nec verò quiſpiam ſeſe iudicem probare cõfirmareq; poteſt, niſi, occaſione data, muneris authoritatisq; ſuæ documentum, atque etiam officij exemplum re ipſa perſpicuum ſtatuerit. Atqui nullo tempore id commodiùs opportuniusq; ſtatui poſſe, quàm cùm ipſa iudicis & gubernatoris dignitas ſingulari facinore tentata eſt. Oportere igitur illum, ſi modò aliorum iudicum vindicem, & iniuriarum propulſatorem ſeſe eſſe oſtendere, ac declarare iuuet; ſuæ ipſius dignitatis periculum, ſupplicio de tentatoribus ſumendo, perrumpere; atque hoc pacto & ſeſe iudicem, & humanis rebus prouidentem probare, atque formidandum colendumq; hominibus confirmare. Namque aliàs ſi diuina, hoc eſt, propria, nõ curabit; quomodo humanorum cognitionem & curam ſibi, tamquam Deo, arrogare poterit? Iam verò certam rem eſſe, quæ diuinam authoritatem ac dignitatẽ propriè ac ſingulariter exſpectet, quæ re aſſerta & vindicata, diuinos honores ipſi vltori aſſeri conſentaneum fuerit: eam autẽ rem aram illam eſſe, quam tentator demolitus fuiſſe dicitur: eandem igitur Baghali, tamquam Deo, diuinitatem ſibi arrogaturo, & proponendam & permittendam eſſe. Siquidem Luci, quamuis Deo dicati, exciſo diuinitatis ex-*

Iudicis partes.

אלהים

Universidad de Deusto
Biblioteca

plorandæ, non vsque adeò idonea materia fuerat: quoniam huiusmodi lucrum vsus non solùm ad diuinos honores, sed etiam ad populorum & locorum ornamenta, ad hominum oblectamenta & commoda, inductus est, atq; adeò non diis tantùm, sed hominibus interdum dicatos, & hominum titulis ac hominibus distinctos lucos nouimus: atq; ita Dianæ lucum & aram, Martis lucum, Albanos tumulos atque lucos, & Pisonis lucum legimus. At verò aram vlli præterquam Deo poni, fas & iura omnia vetuerunt. Quam ob rem non luci exeisi nunc, sed propriam, hoc est, aræ sibi dicatæ iacturā & causam vleiscendam, atque certo, maturo, & singulari iudicio absoluendam, idq; intra præscriptum tempus, nempe diem vnum, noctu etiam, si libeat, vt facinori vltio respondeat, diuinitatem suam asserturo Baghali relinquendā cēsuit Ioas: idq; in hac sententia, quæ perorationis etiā vim obtinet, vnius aræ mentionem fecit: Si deus est, vindicet se de eo qui suffodit arā eius. hoc primum ille agat, se vt Deum iudicem, gubernatorem, prouidentémque esse ostendat illo documento, nempe animaduersione in eum tantummodo sontem, qui suffodit, quæ sibi cum nullo homine cōmunis fuerat, arā suam. Hebraica vox CHI, relatiui & causæ officium sortitur, eleganterq; exponendo ad vtramque rationem reflectur. Meminerimus autem orationem conditionalem esse affirmatiuam, cuius posteriore parte negata, conditionis negatio infertur: vt, Si Filius Dei est, descendat nūc de cruce, & credemus ei: quod si non descenderit, se nō credituros asseuerabāt. ita Baghal, si deus est, vleiscatur se ipse quàbreuissimè: quod si non facit, arguatur Baghal nō esse, potiusq; eum, à quo impugnatus fuerat, præstantē esse dicig; mereri.

Ex illo die vocatus est Gedeon, Ierobaal; eo quòd dixisset Ioas, Vleiscatur se de eo qui succidit aram eius.

QVALEM Gedeonis facinus, atque patris actio exitum habuerit, versus hic opportunè docet, nobilissimo narrato euentu, qui præter publicā vulgi exspectationem secutus fuit, videlicet exploratæ, conuictæ, ac diiudicatæ vanitatis illius, qui vulgo Baghalis siue Numinis, atque Dei nomine mendosè colebatur; cuius cùm nulla præstantia, nulla virtus, nulla facultas eo tempore, quo in periculum examenq; deducta est, apparuerit; non solùm nomen sublatum de medio, sed ab ipso, cui antè impositum fuerat, ad illius impugnatorem cum victoriæ elogio, atq; insigni appellatione traductum fuit. Nam omnis, quæ in illa actione tractabatur, causa summa fuit: Gedeonem, Baghalis ara diruta, numen & authoritatem impugnasse, omnemq; præstantiam, atque adeò vim & efficacitatem detrahere, imminuere, atque abrogare voluisse; hac mēte rixā occepisse, ara cùm primis euersa: atq; hoc pacto Rixantis cum Baghal vsurpasse nomen: quod si non impune ille tulisset, consequebatur apertè, Baghale sese præstantiem probare; & præter Baghalis nomen, illud etiam cognomen siue elogium sibi arrogare, IARVB, hoc est, vindicis, authoritatem, inquam, dignitatemq; suam vindicantis & asserentis: ita adeò euenirent, vt qui antè BAGHAL dicebatur, hoc est, Dominus, siue præstans, siue cōpos; IARVBAGHAL, hoc est, vindex BAGHAL, vindicationisq; suæ compos ac præstitor diceretur: cuius tamen virtutis cùm nullum argumentum exstiterit, effectum est, vt ad Baghalis ignominiam, illiusq; vanitatis æternam infamiam, idem nomen Gedeoni, qui Baghalis authoritatem oppugnauerat, ex vero ac merito adhæreret, ita deinceps posthac IERVBAGHAL, hoc est, Baghalis vindex appellando: ita tamen vt IARVB impugnatoris significationem apud Gedeonem conseruet, quod si Baghali adscribi potuisset, propugnatoris notione exponendum esset. Namq; vocis IARVB Chananææ, idem ferè quod vindicis Latinis vsus est: vt Iarub ei tribuatur, qui impugnat; & ei etiam qui impugnata propugnat, & vindicat. Sic enim & Romano seruone, leges Libertatis vindices, & Gladiatorum ac bestiariorum vindex; & furiæ facinorum & sceleris speculatrices ac vindices dicuntur. Iam igitur cùm sapientis Ioæ oratione BAGHAL suæ dignitatis vindex constitutus eatenus esset, si religio etiam illius præsentis penè confirmaretur exemplo ad exemplum, cùm nullum exstiterit, IARVBAGHAL cognomen impugnatori, impugnationisq; compoti Gedeoni, optimo iure arrogatum est; atque honoris illius Numinis falso putati ac dicti religio omnis labefactata & abrogata, cum magno vsu eorum hominum, qui antea vanò Numinis ac nominis illius metu premebantur. Huiusmodi gloriæ ac laudis præconium Græco illi homini deferendum censebat Lucretius, qui vanas gentium de Deorū natura opiniones, vanasq; religiones redarguere, & impugnare primùm fuerat aggressus.

Cicer. 3 de leg. & Q. fr. & 3. de nat. Deorum.

יהוב

Humana ante oculos fœdè cum vita iaceret,
In terris oppressa graui sub religione:
Quæ caput è cæli regionibus ostendebat,
Horribili super aspectu mortalibus instans:
Primùm Graius homo mortalis tollere contrà
Est oculos ausus, primusque obsistere contrà.
Quem nec fama Deûm, nec fulmina, nec minitanti
Murmure compressit cælum: sed eo magis acrem
Virtutem irritat animi, confringere vt arcta
Naturæ primus portarum claustra cupiret.
Ergo viuida vis animi peruicit, & extra
Processit longè flammantia mœnia mundi:
Atque omne immensum peragrauit mente animoque.
Vnde refert nobis victor, quid possit oriri,
Quid nequeat; finita potestas denique cuique
Quanam sit ratione, atque altè terminus hæreat,
Quare religio pedibus subiecta vicissim
Obtetitur; nos exæquat victoria cælo.

Lucret. lib. 1

Verùm de cuiusmodi religionum, siue superstitionum potiùs, impugnatione hæc debeant meritò concini, idem Poëta paulo pòst aperto exposuit exemplo.

Explicatio sententiæ Lucretianæ.

Magnum igitur Gedeoni decus illo diruti Baghalis aræ facinore arrogatum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum, magnam superstitionem hominibus repudiandam, veramq; pietatem erga vnius Dei cultum, allatum carmen hoc, quod exposuimus, declarat. Ex ille dic vocatus est Gedeon, &c. Detecta igitur, atque de medio sublata erroris ac mali publici occasione, hoc est, superstitionis vanitate turpissima exclusa, & materia etiam summota ac disiecta, religione procurata & expiata, reconciliati iam populo suo Dei veri felicissimum, vt sic Latinè loquamur, auspicium habuit Gedeon, nouoq; Ierubaghalis nomine, futura rerum in melius conuersionis curam insigni initio facto suscepit. Nullū enim agendis gerendisq; rebus fundamentum firmum esse potest, quod præsentis Dei gratia voluntateq; non innitatur.

Igitur omnis Madian & Amalec, & Orientales populi, congregati sunt simul, transeuntes Iordanem, & castrametati sunt in valle Iezrael.

Sapiētia humana. Fides.

QVAM timoris atque perturbationis materiam humani iudicij sapientia definiret, victoriæ, salutis, atque libertatis felicem opportunitatem sibi diuinitus allatam piorum animorum fides certissimè interpretatur. Israelitæ irruentium vastantiumq; hostium inuasionibus & populationibus afflicti, ad summamq; inopiam redacti, atque adeò ad speluncas & montium inaccessibiles sterilesq; tractus, vitæ tantummodo tutandæ causa, coacti, nūc denuo messis tempore, tantarum copiarum tratos animos, atque horribiles impetus quonam pacto vel reprimere, vel refugere possent? maximè iis præceptis præoccupatisq; locis, in quibus vlla spes esse potuisset, magnam manum propugnantium, industria, dexteritate, virtute atque contentione impediendi & propulsandi. Nam quæ difficiliora inuadentibus, faciliora propugnantibus esse putantur loca, tum fluuiorum vada, tum etiam montium fauces angustiæq; sunt, quæ cùm hostiles obtinuerint copiæ, cætera omnia sibi tam capta promittūt. Hæc ratio est, quamobrē historiæ huius scriptor tantā gentium illarū frequentiā coniunctis viribus firmatā, fluuioq; impune transmisso opportunissimā vallē occupasse cōmemorat, vt, quæ mox narrāda erit, victoria vnius Dei beneficio authoritatiq; tribuatur; nulla aliàs futura, si humanis viribus aut cōsiliis peteretur. Hostes, inquit, iam permulti, omnis Madian & Amalec, cæteriq; Orietales populi, siue, vt Hebraicè est, Orientis filij. Namq; hi omnes tū antiquæ cognationis, tū vitæ militaris professioni, tū verò cōmuni aduersum Israelitas, atq; adeo hæreditaria inuidia inducti, cōiunctis viribus, copiisq; coactis, in illius, quā oderant, gentis perniciē conspirauerāt. Erāt verò Madianitæ ex Abrahamo & Chetura oriundi: Amalechitæ autem Esau, siue Edomum suæ gentis authorem laudabant; vtpote ex Eliphaze & Thāna concubina prognati. Qui porrò Orietis filij, siue Orientales populi appellantur, complurium familiarum nominibus Ismaële patre deducti, regiones definiebant suas; in quibus Nabathæi primas obtinuere: hos certa serie alij sequebantur, vt Chedarenses, Adbedenses, Mobsamitæ, Masmaitæ, Dumatæ, & Massatæ, Hadadenses, & Themates, Ieturēi, Naphi-

Madian. Genes. 25. Amalech. Orientis filij.

Genes. 25.

Naphisi, & Cedmatæ. Isti sunt filij Ismaēlis, & hæc nomina per castella & oppida eorum, duodecim principes tribuum suarum. Habitauit autem ab Heuila vsque Sur, quæ respicit Ægyptum introeuntibus Assyrios. igitur cùm tantæ copiæ pari consilio, eodemq; studio sese simul coniūxissent, Iordanis vadis, nemine interturbante aut obsistente, tratectis, opportunissimum tum ad castra figenda, tum ad cæteras regionis partes variis excursionibus infestandas, locum primùm occupauere, vallem videlicet Iezraghel vrbi adiacentem, cui diuinæ & incomparabilis fructuum felicitatis rarissimo exemplo nomen factum fuerat; ita vt nec hærentibus annona deesset, nec excurrere, & prædas agere volentibus, ad comportandum locus commodior & angustior optari posset. His etiam loci atque nominis accedebat omen, quod ad omnes actiones, præsertim bellicas, Orietis filij, augurio- rum & huiusmodi superstitionum celebres magistri, captare consueuerant. Huiusmodi itaque illa tempestate Israelitarum publicæ rei, & hostium status erat, qui singulis narrationis huius verbis obseruatus describitur. Congregati sunt simul, magno studio communiq; consilio. Et transierunt. Interpres noster expositionis causa flumen nominauit, Iordanem, quem illo tempore exundare solitum sacræ historiæ tradidere. sed nec aquarum copia, nec vllo propugnantium obice, vel a transitu impediti vel repulsi fuerant hostes, nec aliàs etiam transmisso amne interturbati, quo minùs omnia loca liberè peruaderent; vsque ad occupandam Iezraghelis vallem in tribu Iudæ sitam, lateq; patente agro totius exercitus capacem. Hæc verò veluti virtute, industria, atque dexteritate, sibi iam parata rerum Israelitarum possessione, cùm nullis humanis aut viribus, aut consiliis deturbari se posse existimaret hostis, diuinæ prouidentiæ & efficientiæ per paucissimos depugnatores, ac potiùs per vnius viri fidem, deturbatus, pulsus, ejectusq; fuit.

Iezraghel.

Nominum omen.

Iordanis.

Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina conuocauit domum Abiezer, vt sequeretur se.

SI copiæ copiis comparandæ essent, cæteraq; ad conficiendam rem opportuna conferrentur, temeritati magis, quàm audaciæ adscribi potuisset, vnum virum, vnius tantùm, vinci ac fugere & latère assuetæ, familiæ ope aduersus innumerabiles hostis copias, vincere ac diripere, prædari & exspoliare docitas, multisq; annis potētiam obtinentes, regionis propugnationem suscipere: cuius incepti nuncius pergratus sortassis hosti fuit, eā sibi occasionem dari existimantis, qua fortioribus audacioribusq; Israelitarum confectis, cæteri ad extremam redigerentur seruitutē. Verum enimuero certæ, veræ, atque solidæ victoriæ, & manifestæ opportunæq; salutis authoritatem & facultatem, nec humanis viribus, nec armis, nec exercitationibus consiliisve bellicis, nec vlli alij rei, pij, fideles, cordatiq; viri tribuerūt, præterquam voluntati vnius Dei. Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia principum. Consilium autem Domini in æter- num

Psal. 32.

Universidad de Deusto
Biblioteca

» num manet: cogitationes cordis eius in generatione & generationem. Be-
» ta gens cuius Dominus Deus eius, populus quem elegit in hæreditatem. De
» cælo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum. Et præparato habita-
» culo suo respexit super omnes qui habitant terram. Qui singit sigillatim cor-
» da eorum, qui intelligit omnia opera eorum. Non saluatur Rex per multam
» virtutem, & gigas nō saluabitur in multitudine virtutis suæ. Fallax equus
» ad salutem; in abundantia autem virtutis suæ non saluabitur. Ecce oculi
» Domini super metuentes eū, & in eis qui sperant super misericordia eius.
» Vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Oculi igitur Domini,
hoc est, singularis erga Israëlem prouidentia & voluntas, immensi exer-
citus viribus, artibus & armis non sufficere modò, verùm infinito inter-
uallo præstare, manifesto exemplo comprobatur; id autem effectum est, vir-
tute Gedeoni diuinitus communicata, virtute, inquam, tum cōsilij, tum vi-
boris atque virium, cæterarumq; partium, quibus ad rem vltra omne hu-
manum exemplum conficiendam opus fuit. hanc adeò virtutem sacer scri-
ptor Spiritum Domini appellat; quo nomine nihil potest dici aut aptius, aut signi- Spiritus. Cato. Isaiæ 31.
ficantius ad perfectam efficacitatem indicandam. Namque spiritus præstan-
tia, carnis imbecillitati fragilitatiq; opponitur. Vt, Et Ægyptus homo est,
& non Deus; & equi eorum caro, & non spiritus. Omni enim spiritui &
vis & promptitudo, & celeritas arrogatur; verùm Dei spiritui, incompa-
rabili excessu, hæc atque alia omnia, quæ vim efficientiamq; spectant, tri-
buuntur. Huiusmodi spiritu, sapientiæ, inquam, cōsilij, & fortitudinis non
modò imbutum, sed plenè instructum, animatum, & auctum, Gedeonem,
verbum, Induit, significat. Vt illud, Consurge, consurge, induere fortitudi- Induit. Isaiæ 51.
» nem brachium Domini: consurge sicut in diebus antiquis, in generationi-
» bus seculorum. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draco-
» nem? Chaldæus paraphrastes loci huius vim breui expositione indicabat: Et
spiritus fortitudinis à Domino induit Gedeonem. Cuius ille virtute & ef-
ficientia spiritus, non animatus tantummodo, sed in victoriæ firmam spem
adductus, ad rem quam maturrimè expediendam, cogitationem & operam
omnem conuertit, atque ita belli signa buccinæ sono edere cœpit, cuius buc-
cinæ vsus ad bellicam tempestatem imperatus à Deo fuerat. ei verò expedi-
tioni sese primum proferens, familiæ suæ gentem felici nomine insignitam
adiunxit: Vocauit domum Abiezer, vt sequeretur se. ex Hebraico ho-
mistichium hoc sic Latinè sonare potest: Et clanxit buccina, & clamatus
est Abighezer post illum. quam narrationem ita exponimus, videlicet
Gedeonem fortitudinis auctum spiritu, vltro primùm prodisse, signúmq;
quod ex antiqua consuetudine notum Israëlitis erat, buccina dedisse, cōcur-
risse ex agris cum primis propinquos, hoc est, propriæ familiæ ac vicinitatis
homines, nomenq; Abighezer inter concurrendum frequentius repetitum
vsurpasse, eo se mutuò ad familiaris ducis comitatum exhortatos: cum Abi-
ghezer paternum auxilium interpretari liceat, id illa appellatione significari,
nempe

nempe oportere Abighezeritas omnes & Dei Patrij omnium voluntario auxilio, & suo ipsorum nomini, generi, atque decori minimè deesse. Atque hoc exemplo cæteras confines tribus in eandem expeditionem commouere: quas dux ipse vocandas euestigio curauit.

Misitque nuntios in vniuersum Manassem: qui & ipse secutus est eum, & alios nuncios in Zabulon & Nephthalin, qui occurrerunt ei.

VICINAS, ac finitimarum tribuum gentes ad illam expeditionem celeritatis causa adsciscēdas curauit Gedeō, quibus & viri virtus & studium, atq; certum iam ac deliberatum exemplum, facilè laboris partem suscipiendam persuasit, animum addente cum primis fide ex denunciatione voluntatis Dei; quam per nuntios oportuit significatam, cum narratione earum omnium, quæ præcesserant, rerum, quam vero simillimum est fuisse perlatam. hoc est, de Baghalis ara diruta, numine oppugnato atque conuicto. Harum autem primùm mentio facta est, quæ proximæ omnium & expeditissimæ accersiri potuerunt, & itineribus instituendis commodissimè aptari: videlicet Manassensium, inter quos ipsa Abighezeritæ Gedeonis familia moratur: & Zabulonēsium & Nephthalitarū, qui & sibi in hostes iter agenti primi suppetias ferre poterant. Namque hostium castra ad Iezraghelam vrbem in Isacharitarum tribu locata erāt. Illi autem tribui Manassensium regio finitima ab occasu adiacebat: Zabulonensium verò & Nephthalitarum tribus ad sinistram, hoc est Septētrionem versus, patebant: ita, vt duobus lateribus ab Occasu & Borea coactus hostis & petitus, vel Ortum versus, vnde venerat, adigendus esset; vel, si in dexteram diuerteret, quinq; tribuum copias perruptum priùs iri existimaret, quàm sese ex Israëlitarum ditione expedire posset. Oportet Iosue Geographicam rationem ad huiusmodi loca explicanda rectè teneri; quam nos nostris in sacro Apparatu tabulis commodè exponere arbitramur: atque tabulas illas Commentariis hisce adiunctas operepretium inspicientibus facturas putamus. Aptè itaq; Manasses Gedeonem secuti, Zabulonēses verò & Nephthalitæ obuiam sēse dedisse narrantur; quando duæ illæ tribus Manassensibus Ortum versus euntibus Orientaliores erant. Fides.

Dixitque Gedeon ad Deum: Si saluum facies per manum meam populum Israël, sicut locutus es; ponam hoc vellus laneum in area. si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas, sciam quòd per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israël.

FIDEI *confirmandæ cum primis, & rei, quæ gerenda erat, apertiùs cognoscendæ causa, secundum hoc signum postulatum interpretamur, diuersum quidem ratione, & consilio atque modo etiam à priore illo, quo tantam authoritatem personæ sese alloquentis pernoscere cupierat Gedeon. Quippe illud ita oratione exceptum fuerat: Si inueni gratiam coram te, da*

Universidad de Deusto
Biblioteca

mihi signum, quòd tu sis, qui loqueris ad me; nec recedas hinc donec reuertar ad te portans minha quod offeram tibi, atque illius muneris, grato admirabiliq; modo accepti, argumento alloquentis sese naturam, dignitatem, atq; authoritatem humana maiorem esse intellexit Gedeon: Heu mihi, inquit, mi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciem. demum verò spectrum illud suis salutare fuisse edoctus, iam de rei ipsius promissæ, hoc est, de salutis publicæ cõfirmatione cogitare agereq; cæpit; &, vt in magnarum rerum mutatione Vates optare consueuere, signum expetiuit, quo denunciatæ rei formam atque rationem plenius, commodius, certiusq; doceretur. Itaque signo hoc non ad efficacitatis virtutisq;, sed ad voluntatis Dei cognitionem sibi dari postulat Gedeon, quippe cui infinita Dei virtus, & efficacitas plena fide credita & confirmata fuerat, atque aperta confessione contestata, roganti nuper: Vbi sunt mirabilia eius, quæ narrauerunt nobis patres nostri, atque dixerunt; De Ægypto eduxit nos Dominus? hoc enim illi minimè in ambiguis latebat, nempe Deum iis, quibus bene vellet, salutem afferre, præstare & conseruare posse; illud verò sibi non planè constatum compertumq; censebatur, Deum videlicet sibi, contribulibusq; suis, atq; omni Israelitarũ genti propitium illa tempestate sese præbere: atq; ideo rogauerat: Obsecro mi Domine, si Dominus nobiscũ est, cur apprehenderũt nos hæc omnia? hanc igitur de voluntate Dei quæstionẽ sibi hoc experimento expeditam cupit, & orat, An ita sese illis benignũ sit præbiturus Deus, vt ipsius orantis opera populum illum ad salutem sit reducturus? atque expositionem confirmationemq; expetit promissi illius: EGO ERO TECVM, ET PERCVTIES MADIAN SICVT VIRVM VNVM. *Arbitramur autẽ priorem hanc signi partem & actionem prima illa nocte fuisse peractã, qua Baghalis aræ demolitionem, luci excisionem, & taurorum mactationem Gedeon expediuerat: posteriorem verò, quæ mox exponetur, partem proximæ noctis, hoc est, copiis iam cogi cæptis, absolutam constitisse. Atque significationem, siue symbolum, arcanamq; rationẽ, quod ad præsentem rem explicationem attinet, exponemus. (Namque alia huiusmodi mysteriorum sublimior tractatio compotibus solidæ abstrusæq; sapientiæ animis reseruatur.) Sacra linguæ nomina, pro quibus Latinis vellus laneum reddimus,* GIZATH TSAMAR, *& idipsum quod Latinè dicimus significant, & affini etiam notatione excisionem siue tonsionem summitatis dici possunt. quippe eadem vtriusq; significationis fontes obseruantur. Voluit igitur Gedeon res eas explorandi signi causa optare; quæ suam ipsius modestiam, & populi sui fiducietatem, & Dei voluntatem, & gentium aliarum diuersitatem referrent. Principio autem sese (quem in tota sua tribu ac familia postremum fuisse professus) velleris lanei, aliàs excisi atque postremi, nomine & imagine significauit; ros autem gratiæ & misericordiæ atque benignitatis Dei symbolum esse & intellexit, & postulauit. cuius significationis complura exempla sunt, vt illud: Quomodo descendit imber & ros de cælo, & illuc vltrò non*

נזת צמר

Vellus. Ros.

Iudic 55.

non reuertitur, sed inebriat terram, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti; sic erit verbum meum, quod procedit ex ore meo. non reuertetur ad me vacuum, sed in omnibus, ad quæ misi illud, prosperabitur. Itaq; sese exiguum, ferè omnium suæ gentis postremum hominem, lanei velleris nomine & imagine descripsit; aream verò certum locum constituit, quod in miraculorũ signorumq; rationibus obseruari frequenter solet: eum verò sibi tunc optauit, in quo visio sibi contigerat, vt quem admodum ipse solus, cùm ab Angelo salutabatur, in area fuerat, sic etiam ros, vni velleri eodem loco strato infusus, sibi vni illius expeditionis facultatem diuinitus donatam interpretaretur. Totam autem terram, gentes alias omnes exponimus, quibus nihil, quod cum concessa sibi virtute pugnare contendereque posset, commune futurum erat.

Factumque est ita, & de nocte consurgens, expresso vellere concham rore impleuit.

CONDITIONEM *Deo gratam atq; euentu probatam prima huius versus pars Hebraico sermone indicat.* Et fuit CHEN. *Nam* CHEN *& rectè, firmiter, aptè, appositè, atque idem etiam quod sic, siue ita, Latinis dici potest. Fuit inquit, rectè atq; aptè, cùm à Gedeone optatum, tum à Deo præstitum, id quod euentus declarauit, quem cætera carminis verba narrando exponunt: ita vt proximam coniunctionem expositiuæ, siue causalis vim hoc loco obtinere nouerimus.* Et de nocte consurgens. *Nam cùm ille de nocte, siue summo manè, vt Hebraicè est, consurrexisset, Hispanicè,* Y madrugo de mañana. *(quo sermonis genere & fides, & cura, & studiũ viri declaratur) non solum vellus vdum sensit, verùm vsque adeò madidum, ac rore perfusum inuenit, vt miraculi amplificandi, seq; in lætissima victoriæ spe confirmandi causa, quæsito vase, expresserit, atq; expressione, quæ suis tantùm curata fuit manibus, lagenam aquæ impleuerit, vellere, vt naturæ ratione intelligere licet, adhuc vdo manente. Concha genericum vasis nomen, quod Latinus pro* ZZEPEL *Hebraico reddidit, Chaldaicus & Græci interpretes singulari figuræ capacitatisq; notatione Lagenam exposuere. Est autem Lagena ex maiusculorum vasorum ordine, è quibus olim vinum in conuiuia effundebatur largiùs, vt ex illis liquet versibus:*

Concha.

Lagena.

Inuertunt Aliphanis vinaria tota
Vibidius Balatroque, secutis omnibus imis.
Conuiuæ lecti nihilum nocuere lagenis.

Hor. 2. Ser. Sat. 8.

Miraculum verò ex eo etiam amplificatur, quòd tanta humoris copia vnico vellere per omnem ferè noctem combibi contineriq; potuerit, perinde ac si nõ in rarissimo ac tenuissimo lanæ corpore, sed vel in dolio, vel in vtre fuisset excepta, ita vt nihil in terram etiam subiectam defluxisset. Quippe in omni terra siccitatem fore exceperat Gedeon, cuius exceptionem valuisse, huius versus initium significauit: Et fuit CHEN. *Atq; hanc optionis expositionisq; suæ partem vbi tam abundè doctus euasisset Gedeon, alteram*

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam edoceri cupit, quæ ad Israeliticarum rerum cum aliis gentibus comparatarum, singularem exitum atque statum facerent.

Dixitque rursus ad Deum: Ne irascatur furor tuus contra me, si adhuc semel tentauero signum quærens in vellere, oro, vt solum vellus siccum sit, & omnis terra rore madens.

PERSONARVM, *quæ in sacris lectionibus indicantur, obseruatio & ad res planè cognoscendas, & ad obiectiones diluendas commodissima semper habetur. Atque hoc loco Gedeonem vtraque in postulatione diuinũ nomen,* HELOHIM, *mente animoq. appellasse, ipse historiæ contextus declarat,*
Lib. Iosephi. *cuius nominis rationes ad fabricam gubernationemq. mundi, & ad humanarum rerum prouidentiam, atq. adeò ad gentium omnium totiusq. habitabilis orbis imperium, & arbitrium referri, iam sæpe aliàs ostendebamus, & in Apparatu sacro pleniùs disserebamus. Atqui prius signũ ex propriæ humilitatis conscientia & agnitione à Gedeone postulatum significabamus, qui cùm se tantæ rei agendæ imparem cognosceret, illius salutis authoritatem omnem Deo, efficacissimo, atq. rerum omnium gubernatori vnicè supremæ adscripturus, voluntatis sibi declaratæ signum, tamquam authoramenti sui sigillum, exoptabat. Quod perinde fuit, ac si quispiam à Principe ad rem, quæ ex sola Principis authoritate proficiscatur, agendam demandatus, legationis suæ confirmationem, vel obsignata tabella, vel annulo tradito, vel alio quopiam noto & indubitabili Principis signo postulet. cuius consilij atque cautionis exempla apud Moysen, alios q. diuini cõsilij legatos obseruare est. Nunc verò cùm voluntatis erga se diuinæ certior factus fuerit, cur tamen nouum de integro signum repetierit, in causa fuisse arbitramur, animum ex fide atque lætitia gestientem, & totam, quæ peragenda erat, rem quemadmodum exspectare fas esset, cognoscendi cupidum, qui hoc tamquam argumento rationem complecteretur omnem, atq. opportunè postea actionibus commodissimis exsequeretur. Igitur salutem operæ suæ Israelitico populo diutnitus præstandam, priori signo intellexerat; quid verò hostibus futurum esset, cognoscere auebat, idq. adeò doceri exoptabat postulabatq., veniam cum primis petens, si fortè importuniùs audaciusq. hæc ageret, quàm pro sua tenuitate, proq. Dei, quem orabat, maiestate par esset. itaq. importunitatem suam sedulitatis nomine excusare studet. Nam cùm Deum illo nomine* ELOHIM *compellaret, ipsa nominis notatione intelligere potuit, rem omnem, reiq. exitum ipsi* ELOHIM *curæ esse: suarum verò partium fore, sese ad agendam rem, verbo obsequentem præstare. Verùm fide illa, qua interiùs calebat, imò feruebat, excitatus, & rem omnem animo antecapere expetens, à Deo (cuius erga fideles omnes benignitatem credebat) edoceri cupit & postulat, Abrahæ antiqui patris exemplum secutus; qui exactam diuini de improbis atq. probis iudicij rationẽ, eiusmodi petita venia, acriùs etiam quondam exigere pergens obtinuit. Quod verò in veniæ præfatione*
Gen. 18. *legimus, Si adhuc semel tentauero signum quærens: Latinus interpres no-*

ster ex vnico verbo ÆNAZZEH *transtulit: quod simplici Latina voce reddi non facilè posse intellexit. Atque verbum* ANAZZ *tentare, experiri, periculum facere, argumentum referre, signo certo, atque adeò miraculo etiam confirmationem postulare, significat. Est etiam militare verbũ, quod signis & trophæis, atque eiusmodi aliis vexillis, victoriæ gratulatione ponendis, vsurpari solet. Ex quo verbo nomen* NEZZ *deductum, signum, argumentum, vexillum, miraculum, atque ex translatione documentum, periculum, experimentum, tentationem, & huiusmodi plura ad hoc genus refe-* נץ
renda, interpretari licet. nunc verò liceat nobis vnicum etiam verbum Latino sono, ad huius loci explicandam sententiam, fingere; cuius ratio non ex Romani sermonis vi, sed ex nostro vsu omnes has Latinas voces complectatur. hoc verò verbum placet illud esse, videlicet Significari *passiua voce. Erit itaq. huius postulationis sententia: Ne mihi, quæso, Domine succenseris, si audaciùs ac importuniùs significari me iterum postulem, hoc est, mirabili signo & argumento commonitum, de toto rei euentu edoctum atq. instructum, euadere cupiam & orem. Quòd si quispiam tentationis significationem hoc verbo comprehensam cognoscere studeat, quæratq. an viro pio, atque diuinarum legum perito, Deum tentare fas fuerit, non ignaro aliàs prædictionis cautionisq. illius, Non tentabis Dominum Deum tuum; hic* Deut. 8.
longiorem de omni tentationis ratione disputationem aut aliunde petat, ex variis antiquorum scriptis; aut à nobis, Deo opportunitatem præstante, exspectet; illa nunc interea distinctione contentus, videlicet, periculum virtutis atq. efficacitatis Dei, numquam sine nefario crimine fieri; at verò certum voluntatis illius argumentum & signum à sanctis viris persæpe sine offensa postulari. Atque huc illud spectat, Respondens Moyses ait, Non Exod. 4.
credent mihi, nec audient vocem meam: sed dicent, Non apparuit tibi Dominus. Dixit ergo ad eum, Quid est, quod tenes in manu tua? Respondit, Virga. Dixitq. Dominus, Proijcito eam in terram, & c. Totum hoc signum & illud alterum quod huic subiũctum legimus, de Moysis manu repentè leprosa, atque eueštigio sanata; diuinæ voluntatis ac veritatis documenta, confirmationesq. fuerunt. Nam de virtute atque efficacitate, nulla Moysi aut Israelitis dubitatio tunc erat. Iam verò signi à Gedeone denuo exoptati cuiusmodi sit à coniectoribus facienda explicatio, operæpretium fuerit attendere. Vellus, vt in priori miraculo exponebamus, Gedeonem ipsum, siue Velleris significatio.
eundem, vti populi ducem, cum populo coniunctum exponere licet, eodẽ pacto atque modo, quo vellus pluribus lanæ partibus, atq. innumeris villis vnica pecudis pelle ortis constat. atque terræ nomine gentes iam exposuimus, milleq. exemplis exponere possumus. vt, Omnis terra adoret te. Constat itaque Terra.
,, Psal. 65.
sibi hactenus vtrumque signum. Verùm rorem hoc loco sudoris laboriosq. significatione exponimus, quo cùm perfusam terram omnem, vnico vellere excepto, postularet Gedeon: illud edoceri, exoptat, num victoria illa, quemadmodum ab Angelo indicata videbatur, magna cum inimicarum gen- Ros.

tium

Universidad de Deusto
Biblioteca

tium calamitatè, nullo sui ipsius aut Israelitici populi negocio atque labore, constitura esset. atq; hoc erat quamobrem ipse, dum postulat, significanti illo verbo ANAZZEH, *vsus est. Exoptabo, inquit, non modò voluntatis tuæ, sed rei totius exspectandæ signum amplissimum, quod non solùm exoptantem, sed studiosè etiam anxieq; postulantem Hebraicæ orationis figura Gideonem indicat.* Sit, quæso, siccitas super ipsum vellus solummodo, &

חרב super omnem terram esto ros. *Atque nomen* HHEREB, *pro quo Latinè siccitatem dicimus, litterarum inuersione, cuius frequens in symbolis vsus est, quietem, latitudinẽ, amplitudinemq; significat. Nomen verò* TAL,

טל *quod rorem interpretamur, affine maximè est verbis* TIL *&* TALAL. *quorum vtrumque proiectionem, deiectionem, commotionem, atque obumbrationem, & his proximam oppressionem significat. Esto, inquit, velleris quies & amplitudo; terræ autem omni solicitudo, anxietas, pauor, commotio, conturbatioq; afferatur. Hanc Gedeonis postulationem ex pio erga Deum cultum, Israelitarumq; salutem studio profectam, Deo gratam fuisse, euentus ipse comprobauit.*

Metathesis.

Fecitque Deus nocte illa vt postulauerat, & fuit siccitas in solo vellere, & ros in omni terra.

CERTVM *& ratum, omnibusq; partibus consentientem cum postulatione euentum, Latina nostra interpretatio significat,* vt postulauerat. כן *Hebraica verò oratio vnica vocula* CHEN *vtrumque componit, & comprobat, videlicet prædictionem, & euentum.* Et fecit Deus CHEN. *Fecit Deus. ita rectè, accommodatè, compositò atq; constanter omnibus his Latinis vocabulis vocula* CHEN, *& cætera quæ distinctè nominantur, ei pertinent, vt nec temerè, nec casu, atque adeò nec certo naturæ exemplo, sed diuino miraculo, atq; certo consilio hæc facta esse existimẽtur. non legimus. Et fuit ros nocte illa: sed,* Fecit Deus, HELOHIM, *cuius prouidentia perpetua constansq; est, singulari consilio fecit, ita aptè & opportunè, vt ad nullam aliam causam referri posset res, nempe eadem illa nocte, qua nullus ros in omni terra fuerat, in vellus autem plurimus descenderat, eadem, inquam, nocte vellere sicco, terra omnis rore perfusa fuit: atq; ita pietate atq; fide præstantis viri votis voluntatẽ suam Deus, signis edendis, attẽperauit.*

Pietas. Fides.

CAPVT SEPTIMVM.

IGITVR Ierobaal, qui & Gedeon, de nocte consurgens, & omnis populus cum eo, venit ad fontem, qui vocatur Arad. Erant autem castra Madian ad Septemtrionalẽ plagam collis excelsi.

Dux optimus.

OPTIMI *Ducis exemplum in Gedeone contemplari operæpretium in primis fuerit, qui ex diuinæ voluntatis cognitione auspicatus, quod sperandæ felicitatis argumentum certissimum fuerat, rem ipsam quàm matu-*

rimè aggredi, & perquam diligentissimè expedire studuit, nulla temporis, locorum, atque copiarum ratione prætermissa. Principio namq; conuocatorum tribuum exercitum, certis ordinibus constitutum, mouisse dicitur, idq; summo manè eadem ferme hora, qua posterius postulatum sibi signum ranantem irruere posset, cuius hostis castra sibi ad dexterã, hoc est, ad Septemtrionalem plagam ab ortu atq; meridie venienti sita esse cognouerat. Cæpta est autem res, felicis nominis ac tituli authoritate; nempe IERVBAGHAL, *eius inquam viri, qui* BAGHALIS *potestatem nuper expugnauerat, irritamq; reddiderat, vanumq; Numinis illius ex suorum animis metum & cultum ademerat. idem nunc porrò deinceps eiusdem, cuius monitu & iussu illa fecerat, præsidio & mandato omnem hostium potentiam, quæ Baghalis etiam vocabulo significatur, expugnaturus & fracturus, summo manè contatum mouet: quos quoniam magis numero multos, quàm animo ac virtibus, belliq; studiis valentes delectus is, qui postea factus est, declarauit; hoc loco populi potiùs, quàm copiarum aut exercitus nomine historia appellat. Locus autem quo delectum factum legimus;* Fons HHARAD *dictus, qui Latinè tremoris, pauoris, metus, atque trepidationis fons dici posset, siue id nomen fonti antiquum fuerit, ex aquarum & riuulorum trepidatione inditum, cuius tamen mentionem nos antehac factam non recordamur; siue potiùs ab ea, quæ proximis versibus narrabitur, hominum exploratione, nomen monumentumq; adhæserit; siue opportunè res ipsa hæc cũ fontis aquarumq; natura quadrauerit. In summa verò intelligimus, Gedeonẽ tempestiue & commodè rem agere cæpisse; verùm quod attinet ad copias quas ducebat, nondum, quid expediret, constituisse; sed monente Deo maturè edoctum, diligenter curasse. Loci autem, in quo hostis castra metatus erat, ex nostris tabellis petenda descriptio est.* In valle ad Septemtrionalem plagam collis excelsi, *siue collis* HAMORE. *ita vt non antelucanum tempus modò, sed collis etiam sublimitas, quo minùs venientem Gedeonem prospicere hostis posset, impedimento foret.*

Populus.

Dixitque Dominus ad Gedeon: Multus tecum est populus; nec tradetur Madian in manus eius, ne glorietur contra me Israel, & dicat; Meis viribus liberatus sum.

PROMISSI *sui euentum adornare pergens Deus, eorum, per quos res ex consilio suo gerenda erat, delectum in primis faciendum imperat, quandoquidem se cum Gedeone bellum confecturum, hostesq; tamquam virum vnum cæsum iri, fuerat pollicitus. Ne verò, quod singulari sua prouidentia & voluntate atq; efficientia euenturum declarauerat, humanæ mentis peruersitas ad propriæ gloriolæ ostentationem raperet, atq; hoc pacto salutis suæ veram causam, hoc est, Deum ipsum abalienaret; excipi eos cum primis iubet, qui, si ducerentur, inutiles futuri, & tamen gestæ rei laudem & gratulatio-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vulgi numerus.

lationem, non Deo, sed sibi ipsis mendosissimè arrogaturi erant. Nec enim imbelle & inutile vulgus præstare quicquam ex se valet; obstare verò, & impedire, atq; turbare nimium potest. Peruidere hoc rectè ex magnis ducibus quidam, qui non militum numero, sed paucorum virtute freti, magnas persæpe victorias ex copiosissimis hostium exercitibus reportarunt. Nunc verò negotium hîc nullum hominum esse Deus voluit, cuius ipse sibi curam authoritatemq; omnem vendicabat. Atqui cùm tanta illa multitudo tãtùm populi nomen obtineret, tamen ex humanæ insipientiæ superbia, rei rectè conficiendæ successum non Dei nomini ac numini appellando, atq; in supplicationibus laudando, sed suo ipsius nomini Israeli ambitiosè tum celebrando

Israel.

adscriptura erat. Namq; Israel erga Deum, nedum erga homines potès exponitur, estq; alia etiam eiusdem interpretatio nominis, quæ cùm eodem tendat, tamen ad insolentiam & iactationem flecti torquerique potest: idẽ enim significat, quod præstans fortitudine. ad quam notationem diuina cautio alludit: Ne, inquit, sese Israel nominis iactatione præstantem prædicet, sibique salutis suæ authoritatẽ ambitiosè ac falsò arroget, cùm tamen vulgus istud, quamquam frequens, nihil minùs, quàm veram Israelis virtutem præstare possit: quod vt apertè Gedeon ipse cognosceret, delectum semel atque iterum facere iussus est, vt ex magno numero ad pauciss imos ratio redigeretur. Multus tecum est populus. *Hebraicè*, Multus populus apud te. *& rem aptè conficiendam meo consilio, præsidio, atq; nutu prædixi, idq; manifestum erit, cùm promissum euentu comprobauero*, Nec tradetur Madian in manus eius, *quem in tuam tradendum receperam*, ne glorietur contra me Israel. *Hebraicè*, supra me, *ne, me posthabito, gloriam sibi adscribat, nomine Israelis identidem iactando: cuiusmodi vsurpari solent nationibus nomina, cùm victoria quæpiam cõtigerit.* España, España, Francia, Francia, Italia, Italia. *perinde quasi vel horum nominum efficientia, vel nationes virtute, ac nõ potiùs voluntate atq; prouidẽtia Dei, conficerentur omnia quæ vbiq; fiũt, fieriq; possunt; nedũ ea conficiantur, quæ ad singularẽ diuinæ præsidentiæ probationẽ constituta initaq; fuerint, quale hoc quod illa tempestate*

Psal. 77. *„ edebatur exemplũ, huiusmodi gratulationibus celebrandũ. Hi in curribus, „ & hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri speraui mus. Ipsi infirmati „ sunt, & ceciderũt: nos autẽ surreximus, & erecti sumus.* Meis viribus liberatus sum. *Hebraicè*, Manus mea seruauit me. *Manum pro virtute ac*

Manus.

dexteritate arcano sermone vsurpari, in libro Ioseph docebamus.

Loquere ad populum, & cunctis audientibus prædica: Qui formidolosus & timidus est, reuertatur.

MAXIMAM *hominum partem ad res non modo arduas, verùm & ad faciliores etiam strenuè agendas, inutilis atque imbellis vulgi nomine ac numero censeri, hoc exemplo docemur; in quo quamquam Israelis nomen multi professi, quamquam sibi præsentem propitiumq; Deum credere & sperare*

sperare possent; quamquã animosi & sapientis ducis authoritate & alacritate adiuti: tamen quia metum, formidinem, atq; pauorem minimè posuerãt, ad istam expeditionẽ magis adeò ex cõtentione, & ex ostẽtatione, quàm ex vera virtute concurrerant, nimirum ne timiditatis atque ignauiæ apud cæteros notam subirent; interim dum nullum imminebat periculum, sese cum fortibus in numerum dedebant, quod vbi creari viderent, primi omnium terga daturi, atque fortioribus ad rem expeditiùs agendam impedimento futuri erant. Quamobrem præconis voce, huiusmodi hominibus redeundi copiam denunciari Deus iubet. id quod vt honestiùs minorique cum dedecore fieret, ante posteram lucem faciendum decernebatur. Namque hoc loco duo verba Hebraicè sunt, quæ ad vnicum tantùm Latinus noster interpres ex primæua lingua exponendum retulit. Reuertatur, *inquit, &* ITSAPOR de mõte Gilghad. TSAPHAR, *simplex verbũ, vnica ac simplici voce Latinus sermo reddere non consueuit: circumloquio tamen vtcumque exprimere potest, summo mane surgere, media de nocte, ante lucem expergisci, antelucano tempore; & huiusmodi aliis formulis. Hispanica lingua appositè* צפר
madrugar dicit. Ne igitur ij, qui reuersuri erant, aliis conspecti vel inuidiam vel timorem pararent, néve ipsi ignominia notarentur; agniti, summo manè a monte Gilghad reuerti permittuntur; vbi non ita compositi & coniuncti pernoctare poterant, ac si in plano loco constitissent; atq; ita minùs sentiretur eorum numerus, qui per noctis opportunitatem decederent. Hispanè dicere possumus, Torneſe y madrugue del monte Gilghad: *Belgicè verò*, Hy komts' morghens vroech wt.

Accesseruntque de monte Gilghad, & reuersi sunt ex populo viginti duo millia: & tantùm decem millia remanserunt.

IN *triginta duobus hominum millibus, inertis prorsus vulgi censuram viginti duo millia subiisse intelleximus, qui se prorsus, quamquam non voce, tamen re & animo timidos formidolososq; prodiderunt. fortasisq; primi futuri essent, qui partæ à Deo victoriæ gloriam sibi impudenter arrogarent; reliquos verò, quamuis maiori animo, minusq; formidolosos ac timidos, perseuerantia probare poterat, ineptiores tamẽ, nec satis ad expeditionis celeritatem idoneos, immo etiam non satis cõstantes, demumq;, vbi ad manus deueniendum esset, sponte cessuros posterior delectus arguit.*

Dixitque Dominus ad Gedeon: Adhuc populus multus est, duc eos ad aquas, & ibi probabo illos: & de quo dixero tibi, vt tecum vadat, ipse pergat: quem ire prohibuero, reuertatur.

MINVS *periculi, incommodiq; minus ab iis, qui morbum suum vultu incessuq; fatentur, quàm ab iis, qui virtutis personam gestantes, interno vitio laborant; exspectari, atque timeri, multis in omni morũ genere exemplis obseruatum est. Non enim tantum cauendũ videtur ab iis, quibus aperte diffidas, quantum ab iis, quibus mendosè ac vanè confidas. Namque ab*

Universidad de Deusto
Biblioteca

illis proditio nulla timenda, ab his verò nulla certa fides, nulla boni euentus ratio exspectanda est. perinde verò est, an is, cuius consilio & auxilio nos crediderimus, vel ementita virtutis specie, vel occulta inertia obsit, vel temeritate etiam noceat. Gedeoni, diuini consilij authoritate freto, decem millium virorum numerus, qui, cæteris abeuntibus, relictus fuerat, nõ magnus quidẽ, verùm satis idoneus fortasis esse videretur ad rem facilius & expeditius agendam, dum modò omnes, quod profiteri videbantur, præstare possent. Verumenimuero maximam etiam istorum partem, magis verecundia, quàm moribus officij speciẽ præbuisse, iis, qui per tenebras recesserant, non longè meliorem futuram, admirando Deus consilio ostendit, pariter vt humanam vanitatem argueret, & vt Gedeonem suum in fide atq; spe confirmaret, salutaris præsidij à sua vnius authoritate exspectandi. Quamobrem quoniam omnis ferè ille, qui aliquid esse videbatur, exercitus vulgaris & gregarius reapse erat, à Deo, populi nomine, notatur. Adhuc populus multus est, duc eos ad aquas, & ibi probabo eos. *Verbum* TSARAPH, quo hic Spiritus sanctus vtitur, à fullonibus & aurificibus translatũ est, cùm hi igne argentum; illi verò sapone aut nitro, aliaq; materia, nempe BORITH significata, separatis sordibus, vestes purgant. Ideoq; appositissimè ad aquas purgandum populum illum deduci Deus iubet: quippe vti triticum, & alia grana atq; semina, quæcumque solidam naturæ suæ vim obtinent, in aquam, macerationis causa, quàm primùm coniecta fuerint, descendere ac subsidere solent; cætera verò quæ inania intus, carriosa aut leuia, virtuteq; carentia sunt, quamuis pelle ac specie extrinsecus bonis persimilia videantur, tamen statim innatant: sic etiam solidæ virtutis atq; fidei momenta, in quibusnam ex illo tanto hominum aceruo potiùs quàm numero experiri esset, aquarum examine indicari Deus voluit; indicari inquam Gedeoni, aliter de turba illa existimanti. Ideoq; Hebraicè pronomen secundæ personæ adiũctum legimus, Probabo tibi. *quod & Chaldaica paraphrasis, & Græca interpretatio obseruauere. namque Deo ipsi, cui corda renetq;* hominũ & intima quæque aperta sunt, non solùm examinati, sed intus & in cute tam vtiles, quàm inutiles cogniti constabant. Probabo tibi. Chaldæus paraphrastes militari verbo elegãter exposuit, Deligam tibi; Hispanicè, Esmerartelos he. vt nullus tibi relinquatur scrupulus, nullus cognoscendi aut æstimandi labor, nullus dubitandi locus, vtrùm vtiles an inutiles ducantur. Quod verò Latinè imperatiuo modo legimus, ad futuri significationem & notationem referendum est: nam Latini interpretes facilè ex futuro Hebraico imperatiuum; & contrà ex imperatiuo futurum faciunt, cum nullo interim sententiæ dispendio, quamquam aliquando obscuriore compendio id accidat. Sic itaq; ex Hebraico hæc Latinè sonare possunt: Demitte eos ad aquas, & ibi probabo ipsum tibi, & erit, quem dixero tibi, hic ibit tecum apud te, is ibit apud te: & omnis, quem dixero tibi, hic non ibit tecum, ipse non ibit. *Et erit, affirmationis certissimæ* esse-

Populus. עָרְף

Psal. 17.

Et erit.

stensionis oratio hæc in sacris sermonibus, dum præponitur, vim obtinet; Et scito rem ita futuram, vt, quem ego indicauero tibi iturum, is tibi tãtùm indicatus, tametsi nec vocetur, aut appelletur, vltro tamen apud te vnà, quamcumq; rem imperaueris, obiturus eat; quem verò non tecum iturum dixero, is, quamquam nominatim à te vocatus, tamen demum ibit minimè; quæsiturus namque est quónam pacto elabi, atque iter declinare, teq; deserere possit. hæc adnotatio illius reciprocationis est, Ipse non ibit. *huiusmodi discrimen est illarum vocularum,* ITHACH, & GHIMACH. *pro quibus Latinè, apud te, & tecum, vertimus. Nam ibi apud te, & mente, & studio, & persona: tecum verò persona tantùm, sese comitem præbere interpretamur. Quemcumque igitur tibi affuturum dixero, affuturum vltro scito, non à te vocatum, sed à me indicatũ; quem verò nec tecum venturum notauero, non modò non tecum venturum, sed nec venturum quidem certò scies; ideoq; quamprimum dimittendum curato. Quòd verò prior orationis pars plurali verbo pronunciata sit,* Deduc eos, *siue,* Descendere eos fac: *posterior verò singulari,* Ibi probabo eum; *eleganti sermonis sacri vsu, frequentibus obseruato exemplis, communem quidem omniũ ad aquas descensum, sed singularem fortissimi cuiusq; viri delectum significat. huiusmodi figura carmen illud constructum constat: Quique terrigenæ, & filij hominum, simul in vnum diues & pauper.*

אתך עימך

Psalm. 48.

Cumque descendisset populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon: Qui manu & lingua lambuerint aquas, sicut solet canis lambere, separabis eos seorsum: qui autem curuatis genibus biberint, in altera parte erunt.

STVDIVM, *solertiam, & alacritatem, atque in labore perferendo industriam eorum, qui sese ad rem gerendã idoneos præbituri erant, illo examine cognoscendam Deus indicabat. Quippe eos, qui inclinati tantũ aquas lambere magis, quàm sorbere; sitim restinguere magis, quàm explere, visi sunt; animum promptum, & ad agendam rem magis, quàm ad suam vel satietatem, vel voluptatem, attentum, atque adeò de illa victoria cogitantem præstare, interpretari erat; contrà verò eos, qui vtroq; flexo genu in aquas, boum aut equorum instar, sorbendo procubuerant, imbecillos, negligentes, atque affectionibus propriis intemperantiùs indulgentes, vel si non aliud, tamẽ nec strenuos nec fortes, sed inertes & pauidos arguere, & existimare consentaneum fuerat, siue ex peccatorum & scelerum conscientia (quæ timidos ac trepidos semper, maximè verò in proximis periculis, homines reddit) siue, quod eodem euadit, ex fidei (quam promisso & mandato diuino haberi summam oportuit) defectu pauor, ac timor ille oriretur. Namque in huiusce modi temporibus præsente Dei verbo trepidare, ac timere, minùs credenti animo adscribitur. S.S. E. Modicæ fidei, quare dubitasti? Sunt ex sacrorum librorum antiquioribus interpretibus qui illum, aquæ ex flumine bibendæ causa, pronum habitum, siue procubitum, superstitionem vanumq;*

Conscientia.

Fidei defectus. Pauor.

„ Matt. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

deorum cultum spectasse dicant: sunt etiam qui prodrij Genij, cuius in aqua conspiceretur imago, adorationem & exoscultationẽ interpretentur. vtcumq; res fuerit, eò certè euadit, vt illorum fides & alacritas, istorum ignauia atque humilis & fracta timiditas dignoscerentur.

Fuit autem numerus eorum, qui manu ad os proiiciente aquas lambuerant, trecenti viri: omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat.

RATIONEM *eorum, qui Deo probandi essent, diligenter à duce Dei iussorum ministro obseruatam fuisse, numeri nomen indicat. namque numerus ad numerantem potiùs, quàm ad numerata refertur, cùm singula discretæ seorsum res non antè numerus dici possint, quàm numerata fuerint. Quod verò in summa appellatur virorum nomen, & Latina interpretatione, & Hebraica voce exceptionem habet à vulgo, populo, & turba, præcipuè verò* AIX *nomen, quod virilitatem, præstantiam, & singularitatem, atque adeò distributionem, peculiaremq; in vnoquoque obseruationem significat. Atque ad hanc rationem illa apud Poëtam distinctio alludere videtur:*

Horat. Sat. Non quia. —— quid oportet
Nos facere, à vulgo longè lateque remotos?

Quod vulgus vno tantùm verbo ab interprete nostro consuetum est, Omnis autem reliqua multitudo. Ex Hebraico sic Latinè sonat: Et omnis redundantia populi. Ita vt iis detractis, qui certa virtute soli frugi à Deo indicati essent, cæteri ad impedimentorum magis, quàm ad subsidij rationem, in illa maturitatem & celeritatem postulante expeditione, referrẽtur.

Et ait Dominus ad Gedeon: In trecentis viris qui lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madian: omnis autem reliqua multitudo reuertatur in locum suum.

POLLICITVS *fuerat Gedeoni Deus, eos, per quos conficere parabat rem, se indicaturum, quod nunc opportunè pronunciato verbo præstat, atq; ex ipsorum exspectatione ad illam expeditionem idoneos ostendit. Namque ipsi sese & animo & studio cæteris præstare, & à vulgi numero longè remotos esse probauerant.* In trecentis viris, *Hebraicè*, In trecentis viro: *quo tropo virtus, fortitudo, ac dexteritas vnicuiq; singulariter adscribitur*, in trecentis, *quorum singuli viri strenui sunt.* Qui lambuerunt aquas *animo & cogitatione magis ad rem publicam causa agendam, atque ad victoriam maturandam, quàm ad propriam sitim aut cupiditatem explendam, nulla præterea metu pertentati aut cunctabundi.* Liberabo vos, *Hebraicè*, Seruabo vos, *siue, salute vos afficiam. Hæc altera promissi pars est, satis magna quidem, & quam sibi sufficere, meritò existimare populus posset: vt hoste penitus pulso, iugum excuteret. atque ex temporis & apparatus, exercitusq; breuitate satis superq; hoc videri poterat. Verũ Deus qui plura, quàm petimus, aut intelligimus, præstare potest, & solet, promissum suum amplificans adiecit:* Et tradam in manu tua Madian. *Victoriam non ex hostium*

strium fuga modò, sed ex internecione etiam reportandam pollicetur: id verò sua vnius voluntate, prouidentia, atq; efficientia præstandum esse, illo verbo declarauit, Et tradam. *Ego vincam, ego frangam; ego victum, fractum, & succumbentem tradam.* Omnis reliqua multitudo. *Hebraicè*, Et omnis populus ibunt, singuli in locum suum. *Illos trecentos seponere atq; instruere, sibiq; adiungere iubetur; aliis autem nihil omnino laboris indicere, sed missionem dare, sua nimirum sponte sigillatim ad propria loca, & munia redituris.* Reuertatur. *Hebraicè & Chaldaicè*, Ibunt: *Græcè eleganti versione* ἀναστρέχετω, *recurret; translatione sumpta ex aquis, quas altat, in suum demum locum resluxuras.*

Adspice quos summittat humus formosa colores,
Et sciat indociles currere lympha vias.

Atque hoc sacro exemplo docemur, non omnes homines omnibus agendis rebus idoneos sese præbere; verùm paucorum cura & labore, quibus ignauia otiumq; odio fuerit, securitatem & quietem cæteris parari posse, dummodo diligens percautusq; teneatur delectus: quo nomine indigna prorsus actio est, vel cùm vltro se offerunt omnes, vel cùm inuitæ, & à pugnando abhorrentes, comparantur copiæ. Delectus virorum.

Sumptis itaque pro numero cibariis & tubis, omnem reliquam multitudinem abire præcepit ad tabernacula sua, & se cum trecentis viris certamini dedit. Castra autem Madian erant subter in valle.

ILLO *diuino responso*, In trecentis viris liberabo vos, & tradam in manu tua Madian: *Gedeonem non modò victoriæ promisso confirmatum, sed rei demum gerendæ rationem edoctum arbitramur. Etenim cùm audiret*, Liberabo & tradam, *efficiẽtiam omnem Dei futuram esse: cùm verò vlteriùs in manu sua tradendii Madian cognouerit, totius pugnæ summam ad Dei Gedeonisq; nomina deducendam intellexit; ita vt Deus Gedeonis opera rem confecisse dicendus denique esset. nec hoc solùm ipsi indicatum existimamus, verùm somnium etiam ipsum, quod mox opportunè narrabitur, ex quo etiam gerendæ imago rei expressa fuit. Atque ex consequenti opportuni apparatus & commeatus, Deo monente, rationem tenuisse credimus: atque hæc omnia historiæ scriptori breuiter initio indicata, ad exitum vsque ipsum exponenda (vti aliàs fieri solet) fuisse dilata. Namque id vasorum & tubarum copia à populo comparata, & trecentis viris nunc tradita, horumq; postea vsus, & prædictioni consentaneus exitus iam nunc apertè declarare videtur.* Sumptis itaque pro numero. *Hebraicè*, Et ceperunt cibaria populi in manu ipsorum. *Ius æquitasq; postulabat, vt, qui suas res curaturi domum redibant, cibaria iis præberent, qui pro se iter laboremq; capessebant. Nec trecenti illi viri nimium multum cibariorum à populo sumpsere: sed quantum singuli expedite portare secum possent.* In

manu

Universidad de Deusto
Biblioteca

manu ipsorum. *atque hoc pacto se plus labori, quàm voluptati indulgere, & victoriam breui ex diuina virtute reportandā esse credere, professi sunt.* Et tubis. *Argumentum hoc nobis est expositionis modò allatæ.* Abire præcepit. *Hebraicè*, Dimisit in tabernacula sua. *securos, quietos esse iussit singulos, suasq; res agere, nullo metu conterritos aut solicitos. hoc significare nobis tabernacula nomen vsusq; solet: vt, Si introiero in tabernaculum domus meæ si adscendero in lectum strati mei, &c. &, Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Et ipse cum trecentis viris se certamini dedit. *Hebraicè*, Et in trecētos viros apprehendit. *Delectos, inquit, illos quasi manu deductos sibi comparauit. Hispanicè, tropus hic sic vertitur*: Y de los trezientos hombres trauò. *vt sibi vsui futuros, instructos armis, tubis, lampadibus, & lagenis, quæ in bellici vsus materia censeri solent; sibi autem iam commoda singulari cōsilio intellexerat.* Castra autem. *Non otiosè tempus vllum à Gedeone consumptum, lectio hæc docet, sed magna celeritate delectum vnum atque alterum factum; eos qui delecti fuerant, armis, cibariis, & reliquo apparatu instructos, & ad ipsa propè hostium castra deductos; vnius noctis atq; diei spatio hæc omnia peracta, tanta dexteritate, prudentia, celeritate, tantoq; silentio, vt nihil interim vel ab hoste prouisum fuerit, nec præuentum quidem aut mutatum, vtpote adhuc in valle considente, & imminentis sibi calamitatis ac turbæ securo, atque adeò copiis fidenti suis. Indicat autem lectionis ratio ipsa, Gedeonem cum suis, monte iam conscenso, hostium castra quemadmodum sita essent vidisse, atque ipsum etiam ab hoste conspectum, contemptum tamen fuisse, vtpote exigua admodum manu instructum aduersum tantas hominum copias; nec tamen ab hoste ipso inuasum, sed exspectatum potiùs in ipsa valle, vbi pauci à multis opprimi possent, contrà quàm euenire, si ex inferiori loco impeteretur. Fuit itaque bellicæ disciplinæ consilij, non moueri omnino ex loco; sed quid exigua illa manus aggredi agereve destinaret, operiri, atque custodibus exploratoribusq; constitutis attendere. itaque tota illa luce, ex quo Gedeon cum suis montem conscendit, vtrimque conspecti vtrique fuerunt: & hi in superiore loco, illi in valle constiterunt.*

Pſal. 51. „ „ „

Bellicum consilium.

Eadem nocte dixit Dominus ad eum: Surge, & descende, quia tradidi eos in manu tua.

VNA eademq; opera & consilium suum, & hostium sensum & conditionem, conficiendæq; rationem rei, ipsorum hostium sermone aperiendo, curauit Deus, vt hoc pacto quàm commodissimè & expeditissimè, sine vllis offensionibus, belli victoria constitueretur certissima. Nec nunc ille impetum in hostes facere, sed, vt sibi iam paratam, immo partam potiùs, victoriam cognosceret, exploratorum more descendere iubetur. hoc significat pronomen, ad eum: descende, quia tradidi. *Descende docendus quemadmodum ipse tradiderim tibi hostem iam fractum, animiq; impotem: id quod ipse, quamprimùm descenderis, cognosces.*

Si au-

Si autem solus ire formidas, descendat tecum Phara puer tuus.

HVMANI *consilij exceptionem omnem Gedeoni Deus anteuertit, vt qui se illius victoria omnibus nominibus authorem fore pollicitus fuerat. Poterat namque Gedeoni nimius immensusq; videri exercitus ille, atque adeò maior quàm vt à se, explorandi causa, breui tēpore ambiretur. Quamobrem vno puero comitatus descendere iubetur: vt partitus ambiendi exercitus labor breuiùs celeriusq; expediretur: nec tamen multos adhibere iussus est, sed vnicum familiaremq; virum, cuius taciturnitatem & fidem exploratam habebat, cùm alias, plures si essent, non ita facilè mandata tenere possent, nec adeò attentè cauere, nec peragere ac dare operam, vt minimè ab hoste prehenderentur, ac ne sentirentur quidem. in Hebraico versus hic sic habet:* Si veteris tu descendere, descende tu & Phara puer tuus ad castra. *Quatenus descensuri sint, docetur*, Ad castra, *inquit, vt non longè consistatis, sed ipsa vsque adeatis castra, & quid ibidem rerum agatur, quemadmodum sese omnia habeant, pernoscatis.* Puer *hoc loco, officij ac ministerij magis quàm ætatis rationem significat. Ita Iosue Mosis puer, & tres illi Chaldæi Regis ministri, tres pueri dicuntur, sic & apud Latinos interdum. Nam Tityrus, quem fortunatum senem Melibæus appellat, id sibi respōsum ab Augusto redditum canit*: Pascite, vt antè, boues pueri, submittite tauros. *& Horatiū monitor suus Trebatius puerū vocabat*: O puer, vt sis vitalis metuo. *Hispanico, ac maximè Lusitanico sermone, huiusmodi ministros*, mocos *vocamus.*

Puer.

Virgil. Eclog. 1. 2. Serm. 2.

Et cùm audieris quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuæ, & securior ad hostium castra descendes.

INTER *maximi momenti res, quarum ad belli facilitatem imperatorem compotem esse oportet, illa cum primis opportunissima est, hostium facultates & consilia pernoscere. quā quidem ob rem, magni etiam sumptus in exploratoribus atque indicibus fieri solent; quorum tamen indicia non semper vera ac certa deprehēduntur. Hanc adeò rē Gedeoni, belli à se consiciendi ministro, constare omnino voluit Deus: vt qui se victorem promiserat, hostes iam animo fractos, iamq; victos proderet, atque hoc pacto, exercendæ victoriæ opportunitatem præberet. non opus tibi ad hanc rem est alio exploratore, quàm te ipso; nec alijs indicibus, quàm hostibus, qui quo animo, quo consilio sint, ipsi suo sermone patefacient.* Tunc confortabuntur manus tuæ, *ad conficiendam rem, cuius conficiendæ rationem ex ipsorum verbis orationeq;, me interprete, cognosces. Manuum enim confortatio facultatem ad gerendas res significat, vt in sacro Apparatu docebamus.* Et securior ad hostium castra descendes. *Consilio sapienter ac prouidè percepto, factum maturare opus est, occasionemq; arripere, maximè verò à Deo apertè datam, adiuncta etiam & exposita peragendæ rei ratione. Hebraicè*, Et descendes in castris. *Antea iussus erat ad castra descendere, hostium sermonem percepturus, ita vt neque vlteriùs prodiret quàm ad castra vsq; ipsa;*

Hostiū consilia explorare.

Lib. de Idiotismis & Hieron.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec aliud ageret, quàm illorum audire sermones, quibus animum virésque conciperet, ad victoriæ vsum opportunas; id autem vbi contigisset, quàm primùm suos euocare, atque in ipsa vsque media castra deducere. nec verò ipse manum conserere, aut hostem ferire iubetur, sed descendere, in castrius. sese substituere: ex quo oraculo rem sua suorúmque præsentia, non tamen vlla pugnandi opera, confectum iri intellexit.

Descendit ergo ipse & Phara puer eius in partem castrorum, vbi erant armatorum vigiliæ.

DIVINI *verbi iussu animatus Gedeon, non debiliores castrorum partes petit, sed eam, quã robustissimi ex hostibus armati occupabant. Hebraicè,* In partem quintatorum qui in castris. *Varia olim Orientalium arma fuisse, omnibus historiis declaratum est: Nam hi gladio, illi arcu, alij iaculo, nonnulli etiam ex curribus, alij ex equis, alij etiam pedites pugnabant: verùm firmissima bellici exercitus pars ea semper censebatur, qui bene armati dicuntur: cùm leuis armaturæ pedites, equitésque, horum virtute atq; robore fulciantur. Quos verò Latini bene armatos, eos Hebraica lingua* חמושים HHAMVSSIM, *hoc est, ex verbo, quintatos vocat, siue quinque armorum generibus instructos. hæc nos ita numeramus, loricam, galeã, scutum, gladium & hastã: nisi aliàs quintam armorum partem cum Homero ferea tibialia esse velimus, hasta ex hoc reiecta numero. Ita igitur Gedeon ad hos vsque peruenit, qui cæteris, hoc est, ingenti aliorum armatorum, atque adeo omni hostium multitudini, firmissimo præsidio erant. hoc genus nostri milites,* Cuerpo de guardia *vocant.*

Arma antiquorum.

Madian autem & Amalec, & omnes Orientales populi fusi iacebant in valle vt locustarum multitudo: cameli autem innumerabiles erant, sicut arena quæ iacet in littore maris.

HOSTILIS *exercitus castrorumq; formam & situm, hoc versu author describit: tribus videlicet cõstantem partibus, bene armatorum copiis, & cæterorum vel leuis armaturæ, vel imbellium multitudine, & impedimentis; ita vt è regione Israëlitarum firmissima pars; hoc est, quintati illi, præsidij locum tenerent: cætera vallis loca reliquum, tam bellatorum, quàm ministrorum atque imbecillorum, vulgus occuparent: quos demum camelorum multitudo innumerabilis vallabat.* Sicut arena. *Non solùm ad copiam, sed ad situm etiam & formam, similitudo hæc referenda est: namque vt littoreum maris tractum arenæ sterilis facies, & color ab aquis ipsis, & à reliqua terra diuidere ac distinguere solet: sic exercitus illius multitudinem camelorum copia circumfusa continebat. Antiquo autem omnium linguarum symbolo, innumerabilis numeri vel immensæ in littoris arenæ rationes ac nomina ad similitudinem siue comparationem vsurpantur. Vt apud Poëtas Latinos:*

Numerus innumerabilis.

Catull lib. 1.

Quàm magnus numerus Libyssæ arenæ
Laserpitiferis iacet Cyrenis.

Oraclum

Oraclum Iouis inter æstuosi,
Et Batti veteris sacrum sepulchrum. *Et illud:*
Quem qui scire velit, Libyci velit æquoris idem
Noscere quàm multæ fluctu voluantur arenæ. Georg. 1.

Igitur maximas hostium copias non solùm ob multitudinem securas; verum etiam ex bellicæ disciplinæ arte collocatas, impedimentis vallatas, & opportuno armatorum præsidio munitas fuisse, intelligimus.

Cumque venisset Gedeon, narrabat aliquis somnium proximo suo, & in hunc modum referebat quod viderat.

CERTA *Dei prouidentia, victoriæ facultatem rationémque omnem Gedeoni declarantis, tum somnium, tum somnij interpretationem opportunissimè comparatam lectio hæc indicat.* Cumque venisset Gedeon; *non antea, nec paulo pòst, verùm eodẽ, quo ille aderat, tẽpore iussus à Deo quid illi loquerentur audire, eodem puncto temporis. Verba Hebraica, sic Latinè sonant:* Et venit Gedeõ, *& ecce vir attentè* narrans somnium socio suo. *Cùm primùm Gedeon venit, vir diligenter exactéque socio sub somnium narrare cœpit. Vox* AIX, *Hebraicè simplex, duobus nominibus Latinis hoc*

Universidad de Deusto
Biblioteca

loco æquatur: quidam, vir quæ somnij narratorem non triuialem, aut obscurum quempiam hominem, sed certum atque notabilem virum, ex iis qui strenui habebantur, & ex præcipuis illius armatorum stationis; quiq; non ex timore, aut ex leuitate, sed ex vero somnium & excepisset, & exceptum exactè narraret: atque ipsa cum primis viri authoritas & oratio à Gedeone diligenter obseruata fuit: qui sese intra ipsa castra ex Dei iussu cõstituens, narranti ita proximum collocarat, vt attentas aures præbere posset.

Vidi somnium, & videbatur mihi quasi subcinericius panis ex ordeo volui, & in castra Madian descendere; cumque peruenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subuertit, & terræ funditus coæquauit.

QVIA *ex singulorum verborum ratione, somnij coniectura æstimanda est, orationem Hebraicam vtcumque Latinè expendere, operæprecium esse ducimus.* Somnium somniaui, & ecce strepitus, subcinericius panis ordeorum se ipsum conuolutans in castris Madian, & venit vsque ad tabernaculum, & percussit eum, & cecidit, & euertit eum in altum, & corruit [*illico*] tabernaculum. *Verborum repetitio*, somnium somniaui, *certum, atque sibi constans esse somnium indicat: vox*, Ecce, *rem præsentem, & veluti sensibus expositam patentemq; affirmat. Vnò autem* צלול *nomine, siue participio* TSALVL, *duo significantur, panis sub carbonibus coctus, & illius panis strepitus, qui cùm ordeacea, atque ideo frigidiore & humidiore, quàm triticea, massa constet, caloris vi strepere, atque aliquando exsilire conspicitur: tanta autem illi à se per quietem visus panis vi, ex calore concepta, actus narrabantur, vt (veluti fulmen solet) subito atque celerrimo vagatus motu, castra tentans & concutiens, ipsum vsq. tabernaculum, in castrorum medio situm, & armatis obsidentibus custodientibúsque munitum, petens percusserit; hoc est, & calore incenderit, & plaga impetu commotum deiecerit, funditusq; euersum, atque in sublime pulsum tandem proruerit. Hactenus somny imago, ex rerum naturæ rationibus depicta, atque Gedeoni per ipsum qui somniauerat, quamquam arbitri inscium, exposita: cui etiam vt interpretatio constaret, diuinæ prouidentiæ consilio effectum est.*

Respondit is, cui loquebatur; Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis, filij Ioas, viri Israelitæ. Tradidit enim Dominus in manu eius Madian, & omnia castra eius.

EX *oratione Hebraica*, Et respondit socius eius, & dixit; *certum, certoq; consilio deliberatum responsum intelligimus: eiusmodi namque verborum vsurpatio in Iobi sermonibus & dissertationibus familiaris narratori est. Prius verbum* IAGHAN, *animi cogitatum præcipuè; posterius verò*, Et dixit, *disertum effatum significat. Vt autem somnium diuinitus illi factum, sic somny quoque interpretationem huic dictatam credimus,* ינן Diuere.

quod & nomina etiam adeò apertè distincteq; expressa confirmant, vltra certissimam interpretis, omnem aliam coniecturam excipientis, asseverationem. Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis filij Ioas, viri Israelitæ. *Vndenam Madianitæ militi tam præsens atq; expedita nominum appellatio? vnde tanta viri virtutis prædicatio*, Viri Israelitæ, *viri fortis & strenui, qui velut Israel quondam suam omnem virtutem Deo, nominis authori sui, acceptam retulit, sic nunc hic victoriæ omnis efficientiam Deo tribuit? vnde euentus prænotio? vnde demum authoritatis notitia?* Tradidit enim Dominus in manu eius. *expondere etiam atque æstimatione verborum, hanc eandem coniecturam adstruere possemus; nimirum ex* LEHHEM & HHEREB, SIGHOR. & GHIDGHON. *nisi aperta Dei expositio nos hac curiositate liberaret. Iam verò hoc esse ex genere somniorum, quæ minantia à coniectoribus dicuntur, ipsa rerum actionumq; imago apertè declarabat, quam quidem ob rem ille & gladium dixit Madianitis calamitatem impendere, nec effugi eam posse asseuerauit, maximè cùm iam hoc ipsum somnij narratio apertè explicaret, atque adeò diuinum comparet somnium ex illa parte; quippe ex antiqua coniectandi disciplina, obscura omnino somnia minimè consentanea maiestati deorum putabantur. Itaque vna aperta parte, alteram æstimare coniectoribus perfacile fuisset, verùm Deus, vt somnium narratori, sic explicatori, ad eam rem comparato, interpretationem suggessit. Ex descripta quoque symbolorum imagine & serie, conficiendæ ratio rei cogitari expendiq; in hunc modum potuit. Ante maturum triticeæ messis tempus, ordeum ab agricolis, panis ad cibum parandi causa, vsurpari solet. Namq; ordei seges tempestiuiùs atque citiùs flauescit, & nondum probè exsiccatæ manipulus demessus, clibano vel sole semitostius, & molam subit, & farinam præbet, quæ in panem facilè subigitur, nec multo ad fermentandum, nec longiore ad coquendum tempore indigentem, cùm super carbones, vel calido sub cinere percoquere mulieres consueuerint, eundemq; ad alendam familiam comparare, interim dum vel detriti in area ordei, vel maturi iam & demessi tritici suppetat copia. Atque huiusmodi breui tempore, breuiq; labore & negotio expeditum panem, tumultuarium vocari memini, si non ad delicias, ad depellendam tamen saturandamq; famem satis idoneum. Atq; hac profectò imagine, tenui apparatu, breui tempore, leui negotio ac facili, Madianitarum exercitum expugnatum, fusum, perditumq; iri, idq; se authore expediendũ, Deus & somniatori significabat, & coniectori aperiebat. Iam verò ex verborum, quibus somnium narrabatur, æstimatione, quænam res portenderetur, declarari potuit: siquidem spectrum sibi visum, PANEM EX ORDEO VOLVI, ET IN CASTRA MADIAN DESCENDERE, &c. Id quod Chananæorum, atq; adeò Israelitarum lingua is qui somniauerat expressit, quandoquidem vtriusque, somniatoris videlicet atq; interpretis, à Gedeone exceptus fuit sermo. Atqui panis illa lingua* LEHEM *hoc in loco dicitur. Huius autem* לחם

Vir Israelita.

לחם חרב
שיעור
גרעין

Somnia minantia.

Ordeum.

Panis tumultuarius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

etymologia ex verbo LAHHAM *deducitur, cuius exempla omnia, quæ in sacris constant libris, ad duo potissimùm significationis genera, eaq; valde consinta, referuntur: alterum panis, vel potius cibi omnis, cuius vsu homines, animantesq; aliæ nutriri aliq; possunt; alterum bello prælij siue inferendi, siue sustinendi. namque hoc modo & actiua & passiua voce vsurpari*

Præliari. *solet, cùm verbum, præliari, Latinis actiuam tantùm significationem obtineat. atque vulgare verbum, & militari sermone frequentissimum, combatir, à verbi* LAHHAM *ponderibus non longè abest. Ex quo fit vt* LEHHEM *nomen à communi illa significatione, quæ Latinis nominibus,* PANIS *&* ESCARVM *atque* CIBORVM *exprimitur, ad prælij, belli, victoriæ ac vastationis & internecionis, denique ad vulgaris* Combate *notationem non inutilem migret. Atq; rationis huius illustre exemplum à Iosua atque*

Num 14. *Caleb, eadem oratione atq; concordi sensu, pronunciatum constat, qui Israeliticum populum ad promissam adeundam regionem, & pugnam intrepidè* „ *cum hoste conferendam aliquando hortati, Nolite, inquiunt, rebelles esse* „ *contra Dominum, neq; timeatis populum terræ huius: quia sicut* PANEM „ *eos possumus deuorare. quæ ratio ita ad verbum ex illorum lingua redditur:* CHI LAHHMENV. *Quia panis noster illi sunt. Quòd si, vt par est, numen* LEHHEM *ad vtramque significationem referamus, Chananæorum gentem belli atque victoriæ materiam Israelitis, non secus atq; escas, paratam, oratores illi affirmare voluerunt. Ex hac autem obseruatione, quemadmodum somniatoris huius verba exeipi interpretariq; conueniret, facilè à prudenti coniectore statui potuit. Nam cùm visum sibi ille dixisset* LEHHEM, *quod altera facie panem, siue escas; altera verò prælium, pugnam, siue* combate *indicabat, vtranam ex facie primùm hoc loco adnotandum esset vocabulum, subiunctum participium declarabat* MITHHAPECH, *pro quo interpres noster, Volui, reddidit. Nos autem vtcumq; explicationis causa reddere possumus, conuersum in seipsum, siue sua ratione versum & peruolutum, Atque ita explicari ænigma potuit,* LEHHEM *conuersum posteriori facie sibi primum visum, hoc est, qua prælium, pugnam, & combate significaret, deuolui magno impetu & breuissimo cursu in castra Madian. A verbo ipso* LAHHAM *nomen* MILHHAMAH *deducitur, pro quo Latinus interpres plus quàm ducenties prælium & pugnam reddit. Ita igitur effectum est, vt ex verborum* LEHHEM, SIHHOR *eiusdem cum illis nominibus* HHEREB GIDGHON *ponderis ex materia parandæ panisq; celeriter conficiendi imagine, atque adeò ex ipsorum vocabulorum notatione* LEHHEM MITHHAPECH, *hoc est, inuersum, rotatum, & sua sponte peruolutum. His etiam motus loci atq; magnitudinum comparatio addenda, quorum omnium rationes à somniorum coniectoribus diligenter examinari didicimus,* quasi subcinericius panis ex ordeo, *in exemplari lingua*

לחם שערים *legimus,* TSALVL LEHHEM SIGHORIM, *strepitus siue impetus, siue commotio ac tempestas panis ordeorum: Italicè fere ad verbum vertimus,* Fra-

cassо di pan d'orzo, *vnde ex ipsò nomine* TSALVL, *hoc est,* fracassо *apud Italos, magnam calamitatem deriuari interpres coniecit, eamq; ab exigua aliàs manu, bello tamen & pugna, afferendam.* TSALVL LEHHEM, fracassо di pane, *& ex altera significatione,* fracassо di cõbate. SIGHOR *verò nomen, vltra pondus nomini* GIDGON *æquale, quod superiùs indicabamus, cuiusque magna in lingua sanctæ æstimatio est, tempestatis, commotionis, ac trepidationis notationem habet, quod in illo versu interpres nostis significationem, ob eamq; rem semini illi, quod Latinis ordeum dicitur,*

Psal. 10. Quantitas. שעור

SIGHOR *nomen in sacra lingua factum affirmatur, quòd continuæ siue quantitatis, siue mẽsuræ aratione suscipiẽdæ minima pars, & certissimum quasi initium, in singulari ordei grano statuatur. Atq; ita non magna, sed*

Ordei granum. *breui, certoq; numero comprehensa manu, res illa gerenda significabatur, nimirum per ducem paucis, hoc est, trecentis viris comitatum: quæ summa cùm in monte conspiceretur, facilè à Madianitis ex inferiori loco æstimari comprehendiq; potuit. Participium autem,* MITHHAPECH, *quod vltro peruolutum & conuersum interpretamur, rem magna celeritate, alacritate, ac dexteritate confectam iri significabat, translatione sumpta ab exercitatis viris, qui in aliam atq; aliam partẽ quàm celerrimè mouentur. Iam verò quòd tam exigua res, tanto impetu tantoq; momẽto, tam magnam molem tentatura, cõmotura, atq; euersura adiret, ad sublimem, planeq; diuinam efficacitatem & virtutem, magis quàm ad naturalem quampiam rationem, referri oportere indicabat.* In castra Madian, *adeò magna ac ferè immẽsa, adeò sapienter ex bellicæ disciplinæ ratione, ac visitata, & firmata, atq; munita, magnaq; cùm bellatorũ, tum etiam instrumentorũ multitudine instructa, ita vt magna spatia decurri, magnamq; molem superari ac perrumpi necesse esset, antequam ad tentoria peruenirẽtur. Nihilominus tamen,* Cumque peruenisset ad tabernaculum. *Hebraicè,* Et venit ad tabernaculum, *ita vt affirmationem ac celeritatem coniunctio significet,* percussit illud, atque subuertit, & terræ funditus coæquauit. *Ex exemplari lingua ita possumus ad verbum reddere,* Et venit ad tabernaculum, & percussit illud, & euertit illud sursùm versum, & corruit tabernaculum. *Conficiendæ rei formam atque modum ipsa verborum connexio & constructio apertè significabat. Nam cùm omnis illa Madianitarum & sociorum multitudo ita constituta in valle fuisset, vt medium locum tentoria tenerent, atq; hæc curribus & plaustris munita primùm, camelis & impedimentis aliis in valli speciem deinde cingeretur, panem illum, nulla impediente re, extrema quæque irrumpentem, & ad tentoria vsque celerrimo impetu pertingentem, atq; instar earum rerum, quæ concepto incluſoq; igne quiescere non possunt, sed vndique dissilientes, omnia turbant; ita tabernaculum ipsum illius panis strepitu & impetu peti, turbari, eximoq; in summum tolli, & euerti, ac subitò decidere, nulla tentorij vel forma vel*

Universidad de Deusto
Biblioteca

parte retenta, viserat somniator. *Quod interpres noster rectissimè explicans,* Solo æquari *scripsit.* Tabernaculum *verò siue tentorium singulari numero pronunciatum, vel metonymicõs excipiendũ est, perinde ac si vnus ille populus vnico tabernaculo contineretur, quod vnico tantùm impetu euertendum erat. Namque vnum tabernaculum pro pluribus, imò pro omni gentis vnius communione & ciuitate, in sacris libris linguaq; sacra vsurpatur, vt in illis exemplis: Maneq; consurgens vades in tabernacula tua: & tabernaculum rectorum florebit: vtrobique singulari numero in exemplaribus legitur. Vsitatissima etiam huiusmodi figura est, in omnibus appellatiuis compluribus, maximè verò iis quæ genus aliquod siue formam significant, vt ouis, bos, equus, quercus, ilex, ficus, oliua, quæ singulari numero multitudinem significant. Igitur coniector ille coniectandi artem illo tempore à Deo edoctus, somnij partibus cunctis discussis & expensis, aptissimam adhibuit significationem, qua Madianitis exitiũ diuinitus paratum, & quàm breuissimè celerrimeq; adferendum pronunciauit.* Tradidit ei Dominus Madian, & omnia castra eius. *Illud etiam verbum, vtpote ex oblato diuinitus viso prolatum, ad rei explicandam imaginem non prætermittemus,* Et euertit illud sursum versum. *Namque hoc maximam turbationem, rerumq; significat inuersionem, vt inferna summis, dextra sinistris, & postrema primis miscenda & confundenda, demúmque corruitura affirmaret, quod postrema narrationis periodo explicatum est:* Et corruit tabernaculum illud.

Tabernaculum.

Deut. 16. Prou. 14. Metonymia

Cùm audisset Gedeon somnium, & interpretationem eius, adorauit, & reuersus est ad castra Israel, & ait: Surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madian.

IN *sacro exemplari narrationis initium sic habet:* Et fuit, cùm audisset Gedeon narrantem somnium & fractorẽ illius, & procubuit. *Instructus illa fide Gedeon, quam promittentis antea Angeli dicto firmissimam habuerat, ex eadem Dei prouidentia & voluntate, rei sibi traditæ, & penè iam obtentæ modum ac faciem præsentem intuetur. est enim fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Duos autem viros Gedeoni auditos ac perceptos fuisse auctor indicat,* Narrãtem somnium, & fractorem illius. *Verbum verò pro quo Latinè narrare legimus, in lingua sacra est* ZZAPHAR, *quod & narrationem & numeri rationem continet: non enim confusè ac temere referentem, sed somnium suum integrum omnibus membris ac partibus sigillatim describentem, constante rerum, actionum, atque adeò exitus ratione ac modo, audierat Gedeon, ita vt somniator ipse veluti in iudicium deductus, rei à se visæ fidelem testẽ agere iussus esset. Quamobrem cùm socio narrare occiperet, ita præfatus est:* Ecce somnium somniaui. *Qua oratione sibi somnium non votis, curis, vel studiis quæsitum, aut ex aliis naturalibus causis profectum, sed diuinitus ad narrandum, veluti testi oblatum fuisse indicabat. Quod integrum adhuc*

Fides.

Heb. 11.

כפר

adhuc constare, vt à se referendum erat, verbis illis adnotabat: Ecce somnium. *Huius adnotationis par omnino exemplum ex Salomonis historia petemus. Quippe vbi Rex ille Deum sese per quietem ita allocutum audisset:* Ecce dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit, &c. *Huius rei narratio illũ euentum habuisse declaratur: Igitur euigilauit Salomõ, & intellexit quod esset somnium. Quod in exemplari lingua sic scriptum est, vt ex verbo reddendũ sit:* Et euigilauit Salomon, & ecce somnium. *simulatque experrectus ex somno est, somnium illud & certum & verum esse, & sibi constare intellexit, vtpote qui se magna sapientia instructum euasisse cognouit. Atque ideo sese statim ad gratulationes & supplicationes instruxisse dicitur. Hunc itaque illius diuini consilij ita descripti testem priorem vbi probè audisset Gedeon,* fractorem *quoque illius audiuit. Singulari verò translatione hoc loco diuinus Spiritus frangendi verbo est vsus, qui aliàs cùm de somniis, somniorumq; interpretationibus, & coniecturis instituitur sermo, verbum* PATHAR *perpetuò vsurpare solet, quo somnium ita explicari indicatur, vt non antè totius significationis subducatur summa, quàm singularum partium pondera, numeri, atq; rationes diligẽti & apta, verog; simili, atq; ipsis etiam audientibus probanda obseruatione examinentur. Atq; hanc formam illa spectant exempla: Septem boues pulchræ, & septem spicæ plenæ, septem vbertatis anni sunt. eandemq; vim somnij comprehendunt: Septem quoque boues tenues ac macilentæ, quæ adscenderũt post eas; & septem spicæ tenues, ac vento vrente percussæ, septem anni venturæ sunt famis. Quod autem vidisti secundò, ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indiciũ est, eo quòd fiat sermo Dei, & velociùs impleatur. Illud etiam: Et respondit Ioseph: Hæc est interpretatio somnij: tres propagines, tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao, &c. Cætera omnia quæ simul collecta & obseruata, coniectandi authoritatem Iosepho apud auditores illos firmasse dicuntur. namque ita subiungitur, Videns pistorum magister quòd prudẽter somnium dissoluisset, ait: Et ego vidi somnium, &c. Itaq; verbũ* PATHAR *adeas somniorum vsurpatur interpretationes, quæ singulis adnotãdis, disiungendis atq; æstimandis, rursumq; componẽdis membris fiunt, quod vulgo soluere siue dissoluere somnium dici solet. Hispanis porrò prouerbij loco vsurpatum audimus.* Dezir el sueño y la soltura, *atq; affine quidem* PATHAR *voci est, & fortasse inde deductum Latinum verbum, Interpretari: namque seiũcta cõpositionis parte, Inter; vnde aliàs, Pretari, sumpũ sit, non facilè diuinare aut interpretari fuerit. Cùm autem huius (Gedeone audiente) enarrati somnij explicationem is, qui cum somniatore arbiter, atq; à Deo interpres adhibitus est, non eadem, quæ in aliis fieri solet, ratione inierit, sed præceptum latentis arcani sensum absolutè affirmanterq; pronunciauerit,* NON EST HOC ALIVD NISI GLADIVS GEDEONIS; *ex eo factum est vt non* PATHAR, *hoc est, soluendi, sed* SABAR, *frangẽdi*

Gen. 41.

Gen. 40.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gendi expedito verbo, historiæ huius author sit vsus, quo solutionis moram fractionis celeritate præuentam significaret, testimonium inde etiam Gedeoni confirmatum, ad iudicium de re ipsa faciendum, sententiamq; pronunciandam, vt mox subiungetur. Sic aliquando regionis expugnandæ auspicium Alexandro iugerum funibus non morosè soluendis, sed celeriter incidendis captatũ, authores tradunt. Illud quoque annotatione dignissimum, non prætermittendum duximus, quod ex exemplaris linguæ ponderе reddebamus, Audiuit narrantem somnium, & fractorẽ illius. *Namq; is à Deo in hanc formulam iussus fuerat,* Surge, & descende in castra: quia tradidi eos in manu tua. *Hæc prima iussionis pars & actionem & fidem Gedeoni commendabat: actionem,* Surge, & descende: *fidem ex promisso,* Quia tradidi eos in manu tua. *Promissi autẽ diuini singula verba expendenda fuerant, & locis temporibusq; aptanda, vt euentus non ex alia quapiam causa, quàm ex promittentis voluntate ac virtute, exspectaretur: id quod nos aliàs sæpè indicauimus, & in magno opere, de miraculis agentes (Deo votis annuente) latiùs ostendemus. Vt igitur promissum hoc non semel sibi vni ac seorsum dictum, sed adhibitis etiam testibus confirmatum, intellectum, atq; summa fide exceptum, fortiter aggrederetur Gedeon, surgere ac descendere primum in castra, & qui, quàm primùm castra tetigerit, sermones misceãtur, attentè audire iussus est.* Et audies quid loquentur. *Certis notationibus præfinitam actionem præcepit Deus temporis,* Venies in castra, & audies. *simul (inquit) atq; eò perueneris, audies: nam non antè sermo inchoabitur, quàm tu perueneris. Erit autem sermo pluquam vnius.* Quid loquantur. *Atq; adeò integrè sermo te præsente & incipietur, & absoluetur; ita vt plenam sermonum sententiam audiri, excipi, atq; teneri integrum tibi sit.* Quid loquantur, *totum id quod loquuntur: nihil præterea vel agere vel cogitare iubetur Gedeon, antequam descendat & audiat. nam quid postea facturus esset, monitus est:* Tunc confortabuntur manus tuæ. *siue ex verbo sic:* Et postea confortabuntur manus tuæ, & descendes in castra, *&c. Hanc iussionem à Gedeone sigillatim exceptam, initam, & peractã ita obseruamus:* Et descẽdit ipse, & Phara puer eius in partem castrorum, vbi erant armatorum vigiliæ, *siue,* in partem quinquatorum qui in castris. *Cætera per parenthesim ducta, nimirum,* Madian autem, *&c. vsq; ad* In littore maris. *deinde illud antecedentibus subiunctum:* Cumque veniſſet Gedeon, narrabat aliquis. *ex verbo sic:* Et venit Gedeon, & ecce vir quidam narrans. *diligenter, attentè, & accuratè: nam hæc verbi præsentis* MEZZAPER *vis & significatio est, qua simulatque ipse eò peruenerat, inceptã narrationẽ interpretamur, conueniréq; rem ipsam omni ex parte videmus.* Descẽde ad castra, & audies quid loquentur. *Nam quàm primùm eò veneris, loquentur. Cùm autem ille narratorem & fractorem somnij audiisset, duos à Deo sux de negotio illo voluntatis adhibitos fuisse testes, intellexit. Planè enim dignoua-*

lieram esse narrantis, alteram fractoris & orationem & vocem, atq; omnia hæc cum promisso monitoq; diuino quadrare: fieri enim non poterat, vt eadem omnino duorum de eadem re pronunciandi formula à duobus vsurparetur, nisi alter cum altero priùs communicauisset. S. S. E. Numquid ambulabũt duo pariter, nisi cõuenerit eis? Atqui Deus eadẽ nocte, semotis omnibus arbitris dixerat, Surge, descẽde in castra: quia tradidi eos in manu tua. *Id verò Gedeon nemini, nec puero etiam suo, indicauerat; sed simul atque excepit, in castra quàm citissimè descendit: ita vt, quamuis cuiquam hominum ipse Dei promissum aperire voluisset, nemo tamen eadem nocte, illa hora, ad hostes rem potuisset deferre, nisi Deus ipse, siue Angelus per quem ministerta hæc peragebantur, & tamen illud ex ipsius hostis ore apertè, disertè, atq; asseueranter pronunciatum, quàm primùm eò veniſſet, audiuit:* Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis, filij Ioas, viri Israelitæ. *Qua oratione somnium, quod singulis obseruandis, librandis, & conferendis partibus dissolui potuisset, tamen in Enthymematis formã fractum, sententiam illam, vt argumentationis complexum prodidit.* TRADIDIT ENIM DOMINVS IN MANV EIVS MADIAN, ET OMNIA CASTRA EIVS. *Quam orationem eandem omnino esse cum illa,* QVIA TRADIDI EOS IN MANV TVA, *nemo inficias ire poterit, nullo prorsus differentem, nisi personarum prima ac tertia necessaria variatione, & explicatione pronominis illius quod Deus pronunciauerat,* EOS: *quod quemadmodum accipiendum esset, somnij serie indicatum est, & fractoris vocibus apertè declaratum.* MADIAN & omnia castra eius. *Igitur his duobus testibus, somniatore atq; fractore, attentè auditis & perceptis, rem sibi non tantùm promissam, verùm traditam, & eadem hora expediendam apertè intelligens Gedeon, à gratulatione & adoratione primùm exorsus, nulla cunctatione facessuit.* ADORAVIT. *ex verbo* VAIISTHAHV, *quem adorantis, gratulantis, & acceptum beneficium agnoscentis habitum in Apparatu sacro interpretabamur. Fuit autem sanctissimus ac tutissimus eorum, qui pietatem colerent, mos, omnem de Dei voluntate notitiam quàm primùm acceptam adoratione & gratulatione, & si tempus id admitteret, sacris etiam peragendis prosequi. Sic Manue cum uxore sua, Angelo, à quo promissum acceperat, discedente, prono in terram cecidisse dicuntur. Atq; huc illud etiam pertinet, quòd Iacob lapidem, cui indormiens, visum de hominum salute intuitus fuerat, oleo infuso, venerabundus in titulum, atq; adeò in Dei domum, cælitq; portam, aramq; consecrauit. Quem morem & Gẽtium sapientes imitatos fuisse, poëtarum omnium carmina, ac præcipuè Homeri singula ferè testantur paginæ. Huius itaq; officij rationem primam habuisse Gedeon, deinde verò mandati quam celerrimè faciendi curam & operam suscepisse, significatur duabus conjunctionibus, quæ magnam in sacra lingua sortiuntur adnotationis vim:* Et adorauit, & reuersus est ad castra Israel. *Diuino ex promisso acce-*

Amos 3.

תשתחוה

Lib. Hier.

Iud. 13.

Gen. 28.

Homerus

Universidad de Deusto
Biblioteca

perat Gedeon victoriam illam sibi traditam quidem, verùm opera ac diligentia adhibita obtinendam: tempus autem, quo id efficiẽdum esset, ex Dei primùm verbis sic audierat: Et pòst confortabuntur manus tuæ. Cuius orationis illa sententia est: Intelliges primùm quemadmodum se res habeat, idq; ex eorum, quos audieris, sermonibus obseruabis: deinde verò animo tam instructus, & rem rationemq; edoctus, confirmatusq;, quàm maturrimè factum ipsum occupies. Illud autem, postea, idem valere ac significare cognouit, atq; vocem tum primùm, quam interpres noster Latinè rectè expressit, idq; ex verbi iterum pronunciati pondere atq; æstimatione intellexerat. Nam Deus dixerat: Tradidi in manu tua. somnij quoque interpres eodem prorsus verbi tempore pronunciarat: Tradidit Dominus in manu eius. Quam quidem ob rem traditam tam victoriam, nulla omnino cunctatione differri oportere persuasus, tantùm manus tendere, atq; ad accipiẽdam maximum illud beneficium confortare, suarum partium esse ducens, ad Israelis castra quàm primùm celerrimeq; rediit. Est autem in illa oratione, Confortabuntur manus tuæ, translatio sumpta ab eo, cui magnũ aliquid, & pretio & pondere commendabilissimum, dono datur, cui is, qui donat, multam ad accipiendum, & sustinendum, ac ferendum, vim in manibus esse & optat, & vult, atque adeò postulat. Vnde illa gratiarum animi esse solet oratio, se ad sustinendum beneficium parem non esse professi. Namque hoc loco ac tempore nullam omnino pugnam Gedeon inturus erat, nihil ipse laboris aut virium impensurus, ad partam usque victoriam, hostiumq; fractorum fugam, quos iam tum insequi, & sectari, atque profligare facillimum foret. Namque eo tempore vel ignauissimus quisque ex victore exercitu & animum & vires concipit, victoriaq; ipsa augeri sibi sentit. His etiam accedit, quòd omnia tum breui tempore à Deo & promissa, & acta, & imperata obseruauerat Gedeon. Nam paucas intra horas & promissum & iussum accepit, & ad castra descendere iussus, somnium & interpretationem audit, & post hæc manus confortare & apparare, atque rursus descendere iubetur. Celeritatis & breuitatis indicandæ causa, alterum descensum tantùm sibi imperatum audierat, nulla ascensus mentione facta; vnde ascẽsum tanta alacritate sibi peragendum intellexit, vt ferè in operæ ratione & officio non esset computandum: ita diligentes, attentos, atque eruditos discipulos suos fides reddit. Quòd verò distinctè castra Israel illa nominentur, quæ paucissimis (hoc est, trecẽtis tantùm) constabant virís, quæ quotánam pars æstimari potuit, hostium multitudini comparata, vt castra dicerentur, id duplici ratione probamus. altera, quòd exemplaris linguæ vox MAHHANEH, à HANAH verbo deducta, non tam ad copias & numerũ, quàm ad locum situmq; significandũ usurpatur: qua ratione Iacob loco, in quo Angelos viderat, nomen MAHHANAAM imposuisse dicitur. quod Latinus interpres, vel aliquis potiùs ad marginem, interpretatus est, Id est, castra, atque ex margine in contextum demum interpretatio irrepsit. Significat verò MAHHANAIM, gemina castra, siue mansionem geminam. Nam aliàs persæpe interpres noster HANAH, castrametari & manere, & MAHHANEH mansionem vertit. Italicè, Allogiar & Allogiamento dicitur. Atque hoc modo, quamquam Gedeonis manus exigua esset, suum tamen MAHHANEH, suum castrum, mansionemq; suam tenebat. Hispanicè militari vocabulo, situs cuiusque hostium partis campus dicitur, El campo de los Christianos, el campo de los Moros. sed illud Israëlis nomen maiorem vim, arcanamq; significationem habet, quòd exiguas Gedeonis copias hostili, quamuis maximo, exercitui nõ æquat modò, verùm quàm longissimè præfert. Nam Israël, Fortissimo Deo potentem, atque adeò præstantem significat: quod tunc Iacob inditum concessumq; tulit, cùm obluctanti per totam noctem Angelo, intrepidè fortiterq; restitit, & victoris decus, præmium atque monumentum illo elogio celebratum reportauit: Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuũ, sed Israël: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis? Igitur hoc sensu instructus Gedeon, ad Israëlis castra descendit, virtutem magis partium suarum ex diuini præsidij, atque ex nominis Israëlis fide, quam ex numero meritus. Simul verò atque eo descendit, ait: Surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madian. Animatos iam fide atque spe, & ad omne Dei iussum, ac Ducis mandatum promptos cognouerat Gedeon, ex eo tempore quo delectum fecerat: quamobrem ad expeditionem nec longa mora (quam res minimè patiebatur) nec multis verbis incitandos, sed breui oratione, eaq; beneficij iam accepti magis quàm promissi indice, quàm primùm mouendos duxit. Non ait, Surgite, descendite pugnaturi; sed, Surgite, caterùm singulari prouidentia fauens & notus, Dominus, ille, Israelicordiarũ Pater, Madian castra in manus vestras tradidit. Vestras dicit, & boni ducis modestia vsus, suiq; ingenij memor; & Israelis, cuius illi partes agebant, nomen veneratus. At verò Madianitarum castra ipsis tradita: qua notatione totum illum exercitum turbandum, fundendum, feriendum, demumq; loco pellendum & fugandum, idq; nullaipsorũ pugna, nullo periculo, nulla dimicatione, nulla denique opera conficiendum significauit. Non enim dixit Madianitas, sed castra Madian. Hispanicè, Porque el Señor ha entugado el campo de Madian en vuestras manos. Quod profectò maximum miraculum, & singulare in orbe terrarum exemplum esset, posse tam validum & numerosum, atque adeò tam impeditum, equis, curribus, & armis instructum exercitum repentè excitari, turbari, fundi, locoq; pelli, atq; id paucissimis oppugnatoribus, nimirum trecentis, iisdemq; minimè etiam pugnantibus. Namque hanc primùm victoriam partam facile deinde erat conuocatorum vndique populorum copiis persequi, & ad internecionem vsque producere. Excitatos igitur suos magna celeritate, singulariq; prudentia instruxit, vtpote qui à somnij interprete diuinitus edo-

מחנים

Campo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctio, ISRAEL, *vir fortis, ac prudens ignitusq. Israel fuerat appellatus.*
Diuisitque trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorũ, lagenasq. vacuas, ac lampades in medio lagenarum.
SINGVLIS *partibus suum centurionem præfectum exemplaris lectio declarat.* RASSIM, *quod capita Latinè dicimus: verbũ verò* AHHATS, *partitionem cum serie atque instructione coniunctam significat. Ita enim diuisit Gedeon, vt vnicuiq. partis suum caput præfecerit, suum seruandum ordinem, suum tenendum locũ imperauerit. Iam verò quale nam ad conficiendam rem stratagema prudentissimus, atque fidei documentis instructissimus vir instruxerit, cognoscere operæpretium fuerit. Corneas cum primis buccinas singulis in manum dedisse dicitur; hoc genus enim fuisse tubarum,*
שופר SOPHAROTH *nomen indicat; singulos deinde fictilia vasa sumpsisse,*
קדים *quæ Chananæis* KADIM, *Latinis antiquis Cadi dicuntur, interpresque noster lagenas nominauit. Horum enim vasorũ magnam copiam esse oportuit illi maiori Israëlitarum manui, quæ primùm euocata confluxerat, ac demum dimissa, quæ & sibi comportauerat cibaria, cum vasis etiam continendæ aquæ aptis, caterue illi, quam Gedeon selegerat, reliquit.* Lampades
לפיד *verò, quas interpres noster ex affini vocabulo* LAPIDIM *scripsit, cùm alia atque alia materia, & forma cõstare potuisse, & ratio, & antiquarum obseruatio rerum doceat: aliquando enim ex materia, vt ænea lampas, apud Iuuenalem: aliquando ex ipso luminis vsu res hæc nominatur, vt in decursu lampada tradere, pro vasis, loci, ac temporis opportunitate. Ligneum torrem siue oleaginum, siue pineum, vel cupressinum, aut cedrinum, aut ex simili aliqua oleaginosa arbore comparatum fuisse arbitramur, quod ignem accipere, fouere, ac diutiùs seruare posset, vento obluctante excitandum, augendúmque potiùs quàm exstinguendum: eum verò arte etiam ex pice, oleo, cera, aut bitumine alio inductum, potuisse adiuuari nouimus; atq. huiusmodi multarum ad varios vsus rerum copia bellatorum exercitus instruxisse consueuisse, ex militaris disciplinæ libris didicimus, & ipsi etiam in nostris mari & terra peregrinationibus videre solemus. Certè* LAPID, *flãmam ipsam ex igne conceptam, & lucentem propriè significare, illud Abrahæ*
Genes. 15. „ *factum spectaculum docet: Cumq. occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa,*
„ *& apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas. Chaldæus interpres* BEGVRAIA, *incensa siue ignita explicuit. Atque sex partibus potissimùm stratagema constabat, singulis in singulares vsus, omnibus autem eandem confecturis rem, hoc est, hostium turbationem, ingenti prouidentia comparatis. Primùm noctu tempus vsurpatum est, quod natura sua magnam iis, qui incauti & inopinantes opprimuntur, dubitationem animi, incertitudinem, atque ex consequenti turbationem, trepidationem, demumq. ingentem incutit metum, cùm res ipsæ, quas horres, maiores vero atque asperiores vel ostentantur, vel existimantur; vt in*
Ioseph. & Hegesip. lib. *sacro Apparatu multis exemplis ostendebamus, & apud exteros authores:*

Pauca licet portes argenti vascula puri,
Nocte iter ingressus furias contumque timebis,
Et motæ ad lunam trepidabis arundinis vmbram. Iuu. Sat. 10.

Et illud:
——— Tibi pocula cursor
Getulus dabit, aut nigri manus ossea Mauri,
Et cui per mediam nolis occurrere noctem,
Cliuosæ vehetis dum per monumenta Latinæ. Idem Sat. 5.

Quam quidem rationem prudentissimè cùm calluisset Abrahamus, victoriam de Regibus quatuor, quam sibi ex fide in Deum pollicitus ipse reportandam sperauerat, hac ratione obeundam, pariendamq. constituit. Numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo, & persecutus est „ Genes. 14.
vsque Dan, & diuisis sociis, irruit super eos nocte, percussitq. eos, & persecutus est vsque Hobba, &c. Huius autem magistri discipulus & imitator „
Gedeon, trecentos sibi instructos milites, tres in partes distributos, noctis opportunitate plures quàm totidem fortasse myriadas hosti ducendos existimandosq. obtulit: nam temporum magnam occasionem, ac præcipuam ferè esse, nemo cordatorum est, qui non fateatur. Omnia, inquit, Salomõ tempus Eccle. 3.
habent, tempus belli; & tempus pacis. quo loco singularum rerum atq. actionum opportunitatem esse, sapiens indicauit nomine Gheth toties vsurpato, quod non tempus in genere, sed opportunum significat tempus. Huic verò horrendæ, quam nox illatura erat, cogitationi, tot buccinarum, & cornuum tam creber, & frequens, asperq. sonus, innumerabilis pugnatorum copiæ opinionem à somno repentè excitatis, turbatis, ac pauore perculsis, necessariò fuerat facturus, nimirum singulis buccinis tricenos ad minimum milites existimaturis, eosq. instructos, & ad rem gerendam promptos, vtpote quos tantum exercitum illo tempore, non nisi prudenti ac deliberato consilio adortos, credere par esset: qua quidem opinione concepta, hostium animos frangi, sensumq. turbari necesse erat, ita vt inter hostem & socium discernere nulli facile esset, insidias vndique, periculum, & exitium sibi vni impendere cogitanti, & euadere satagenti. Lampadum autem nocturnum spectaculum, præsertim somno experrectis, & clangore clamoreq. vndique audito turbatis, repentè obiectum, & numerus credendus erat longè maior, & singulis luminibus centeni, vt minimum, pugnatores adscribendi. Lumina verò ipsa non antè præuisa, fractis eodem temporis momento, vno subitoq. ictu canharis, ampliora multo ostendi conueniebat, & vicinora propter coactum intra vasa aërem, quem flagrare necesse erat. adde quod liberi etiam ignis, noctu lucentis, flamma circumiectum aërem certo spacio illustrat, & quam interdiu lucernam vix propiùs videres, noctu longiùs etiam prospectam, ingentem facem reputes. Atque omnia hæc ad metum, terrorem, & pauorem hostibus incutiendum comparata sunt: constat enim animalis virtutis facultatem, quas Latini vires, & Poëtæ robur dicunt, animi vel stratum, vel deiectionem consequi, illiusq. vel constantia valere, & augeri; vel

Universidad de Deusto
Biblioteca

imbecillitate labefactari, & perire, atque sensuum etiam vsum officium q; inuerti. S.S.E. Dabit ibi tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos,
Deut. 28. „ & animam consumptam mœrore: & erit vita tua quasi pendens ante te.
„ Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ. Manè dices, Quis mihi det
„ vesperum? & vesperi, Quis mihi det manè? propter cordis tui formidinem,
„ qua terreberis, & propter ea, quæ tuis videbis oculis. Omnium verò stratagematis huius partium præstantissima & efficacissima fuit, Tessera, quam
Tessera bellica. ex fidei arcano, atque adeò ex Dei consilio acceptam, Gedeon centurionibus ac militibus dabat. Nam prudentissimus ac pissimus vir ex promisso sibi iam facto, & ex somno, somniiq; interpretatione, pauorem, animiq; consternationem hostibus illo tempore diuinitus esse iniecta cognouit, quando Deus nullam Duci huic pugnam ineũdam imperauerat ad Madianitarum euertenda castra: quin potiùs eadem sibi iam tradita, toties sua, & duorum illorum testium declaratione dixerat: id verò quod factum ambibat, ambitumq; credebat, nullis armis factum cùm sciret, intellexit pugnam à Deo, qui spiritus est, illorum spiritibus esse allatam, & vim omnem facultatemq; internam hominum penitus victam profligatamq; esse, idq; actum iniecta cogitatione vel imagine per quietem visa Dei pro Israëlitis pugnantis, & Gedeonis operarem peragentis: ex quo euenerat, vt, quod omnibus accidisset, duorum illorum virorum testimonio sibi declaratum constaret. ob eámque rem iussus fuerat audire quid loquerentur. Nam quem duo testes pronunciarent sermonẽ, cæterorum omniũ, qui eiusdem rei notitiam tenerent, communem esse, interpretari oportuit. Duos autem illos consilij atque promissi sui testes sat superq; esse voluit is, qui in omni causa duorum vel trium testium certam ratamq; esse fidem iusserat.

Et dixit ad eos: Quod me facere videritis, hoc facite.

DELIBERATAM, exploratam, certamq; sibi iam expediendæ rationem rei constare optimus Dux indicabat, & suo ipsius præiturt exemplo animum socijs confirmans, periculi omnis metum adimebat, ac manifestè significabat pugnam illam non ipsorum armis, aut labore, & cõtentione, sed verbi Dei virtute peractum iri, illud in memoriam reuocans: Pugnabit pro
Exod. 14. „ vobis, & vos THAHHARISSVM tacebitis, siue quiescetis: nã vtrumq; verbum HHARAS, illo in loco significat. Iam quid ipse primus omnium facturus erat, declarat Gedeon, vt illi rem antè cognitam meditati opportunè & commodè agerent, & compositis partibus, atque spaciis concinnantes consilio, ratione, ac modo expedirent se: id verò ne singulorum inuctione, vel additione, aut cessatione variari turbarive accideret, sed constanter conuenienterq; duceretur, prædictum illis voluit: Quod me facere videritis, &c. Sua ipsius lingua sic monitio hæc habet: Ex me videbitis, & sic facietis. Quo sermone & attentionem, obseruationemq;, & imitationem sui præcipit. Itaq; se primum omnia acturum indicat, atque hoc pacto non solùm

solùm actiones ipsas, sed actionum tempora, modos, atque momenta sibi iam constituta esse declarat.

Ingrediar partem castrorum, & quod fecero sectamini.

Ex *verbo sic*: Et ecce ego veniam in partem castrorum: & erit, sicut ego faciam, sic facietis. *Tribus illis à se præpositis centurionibus, ac per illos socijs omnibus hoc imperabat: primùm vt se ad castrorum finem accedentem spectarent, & eodem modo tunc, quo ipse accessisset, accederent, suasq; singuli obtinerent stationes: prima enim ad gerẽdam rem exploranda, optandi, & occupandi loci cura esse debet. Ne, inquit, vos, cùm ad castra ventum erit, vel vlteriùs procedatis, vel gradum sistatis citeriùs, tta omnes à castrorum medio quasi æquis interuallis consistemus. deinceps verò quidnam & quemadmodum sit agendum, præscribit.*

Quando personuerit tuba in manu mea, vos quoque per castrorum circuitum clangite, & conclamate, Domino & Gedeoni.

Ex *verbo sic*: Et personabo in buccina ego, & omnes qui apud me, & personabitis in buccinis etiam vos circum omne castrum, & dicetis, Domino & Gedeoni. *Quidnam breuissimum illud præconium significaret, eleganter ac breuiter Chaldæus paraphrastes explicuit*: Et dicetis, Gladius occidẽs à Domino, & victimus in manu Gedeonis. *Atque vt in omni rerum rationumq; parte sacrorum scriptorum exempla probatissima sunt, sic etiam in verborum, orationum, ac sermonum vsu, pro tẽporum, & personarum, ac locorum opportunitate, quæ à diuino Spiritu prolatæ sunt formulæ, & significatione, & modo, atq; sono sunt selectissimæ. Præconium illud noctu edendum erat in medio campo, atq; ab excitatis primùm repẽtè, mox verò turbatis frequenter audiendum. Iam verò quæ per agros & siluas agentibus, aut etiam per mare nauigantibus emittuntur, longiùs aliquando percipiendæ voces & orationes, siue eæ salutationem, siue interrogationem, siue rei cuiuspiam nunciationem, vel denunciationem, aut personarum compellationem contineant, non longas prolixasq; in Homeliarum modum esse conuenit, sed vt ille ait:*

Formulæ sacræ.

Vocum clamorumque ratio.

Est breuitate opus, vt currat sententia, neu se
Impediat verbis lassas onerantibus aures. Horat. Serm.

Namque aliàs quidquid longiori oratione proclamatur, à remotiori auditore percipitur minimè. Atq; illud in huiusmodi vocibus & clamoribus præcipuè obseruãdum, vt nomina, vel nominum similia vocabula potiùs, quàm verba, vsurpentur: nam verba & pluribus constant elementis, & temporum ac modorum animaduersione, quæ omnia interiecto aëris spatio, & aliarum rerũ sono vel vocum strepitu impedita, turbata, & fracta, non rectè ab aliis percipiuntur. His etiam illud accedit, vt, si præconium vel clamor à pluribus edatur pariter, sententiæ minus reddat, quo pluribus verbis constet. Quamobrem huiusmodi breues voces in hisce exemplis aptè vsurpantur:

Universidad de Deusto
Biblioteca

pantur: Victoria, victoria, exinanite, exinanite: sine, vt illi pronunciabant, GHARV GHARV, Sacco sacco, Sanctiago Sáctiago, España Spaña, Francia Francia, spada spada, fuego fuego, à Dio à Dio, bó viage bon viage, & quæ plurima huius generis integræ sententiæ præstant vicē. Illud etiam diuturno ac frequente viarum & maris vsu adnotauimus, voces orationesq, eas, quarum integram vim ad remotiores pertinere curamus, diuerso temporum & accentuum exemplo, in aquis, atque in agris & siluis pronunciari. Nam quæ per agros volaturæ sunt, vt remotiorum feriant aures, accentu in vltima, aut certè in penultima syllaba instrui sese postulant. Id quod venatores ac pastores obseruantes, huiusmodi canibus imponere solent nomina, Tristán, Roldán, París, Polida, Lycisca. In mari verò vel maioribus lacubus, quanti Larius maximus, amœnissimusq, omnium Benacus, atque etiam in latioribus fluminibus, vti Rheno, Bethi, & Pado primam longiùs peruenturæ vocis partem syllabæ longitudine tardiorem atque accentu solidiorem esse oportet, in hunc modum: O puer, O pater. Hanc vero vocalis cursus differentiam aëris medij, quà sonus perfertur, varietate effici opinamur, quod in campo superior aëris pars præstet, nec impedita resultet aut frangatur; atque ita emissæ vocis liberum æquabilemq, tractū ad finem vsque concedat. Contrà verò in aquis humidioribusq, locorum spatijs incubantis aëris vim sublatis ex humore spiritibus propelli eleuarique, cōstat. ex quo fit, vt vocis impetus primus valeat, postremus verò facillimè retundatur. Atqui ex missilibus telis experimentum capere licet, ex quibus quæcumque per aërem traiicienda fuerint, ferri, vel cuspidis, vel lapidis, vel momenti cuiuspiam pondere anteriùs præmuniri postulant; cōtrà verò quæ aquas penetratura parantur, ita aptari solent, vt grauiora citeriùs sint. Atque hanc rerum, sanorum, ac vocum naturæ rationem illud spectare intelligimus, quod ad versus in publicis ludis decantandos vel recitandos doctiores olim Poëtæ excogitasse feruntur.

Telorum impetus.

Horat. art. poët.

Syllaba longa breui subiecta vocatur Iambus,
Pes citus, vnde aliquis trimetris accrescere iussit
Nomen Iambeis, cùm senos redderet ictus,
Primus ad extremum similis sibi, non ita pridem,
Tardior vt paulo grauiorque veniret ad aures,
Spondeos stabiles in iura paterna recepit. Et illud:
Archilochum proprio rabies armauit Iambo;
Hunc socci cepere pedem, grandesque cothurni,
Alternis aptum sermonibus, & populares
Vincentem strepitus, & natum rebus agendis.

Quamquam verò longioris orationis notam interdum commentando subeamus, & commentationis legem excedere existimati, delicatis lectoribus fastidio futuri esse videamur; tamen huiusmodi rerum rationes, quæ vel ad vitæ vsum, vel ad variæ lectionis facultatem, vel ad orationis decorem conferre

ferre aliquid possint, quando obiter legentes offendimus, ad diuini, sapientissimi, omniaq, scientis Spiritus laudem, pro ingenij nostri tenuitate, nonnumquam indicare, interdum significare, aliquando etiam apertiùs explicare curaturos nos profitemur, optimo iure persuasi, nobis non esse vitio vertendum, in maximo, profundissimo, & fœcundissimo rerum patre Oceano nauigantibus, hoc est, in sacrorum librorum immensa sapientia laborē operamq, nauantibus. Id quod Socratibus, Platonibus, Aristotelibus, Plutarchis, & magni nominis Philosophis aliis, ac demum Eusthatiis, vnum humanæ scientiæ, eumq, valde turbatum fluuium vadantibus, id est, vnicum Homerum legentibus magnæ datur laudi, dum diuinarum humanarumq, rerum summam notitiam Poëtæ illi tribuere, acceptamq, referre illis libet ac licet; cur nos decus honoremq, tantum ad verum authorē, veraq, sapientiæ ac scientiæ possessorem postliminio reuocare vel pudeat, vel pigeat, & non potiùs oporteat & deceat leuem nostram cymbam breuibus velis ac remis, illiusq, spiritus secunda aura ducendo, illud identidem canentibus? Qui descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. Igitur ad rem, de qua agitur, reuersis, in illa à Gedeone comitibus data tessera, non solùm grauissimæ & efficacissimæ sententiæ significatio inclusa est, sed verborum etiam & vocum aptissima est ratio obseruata, quæ & rem magnam magnis denunciaret vocabulis, & breui accommodaq, pronunciatione in magno illo populorum, equorum, camelorumq, tumultu, & in trepidationis ac fugæ strepitu minimè interrupta remotissimorum etiam feriret aures. LE IEH VEH VLGVIDON, Isocolos oratio est, geminis iisdemq, paribus cōstans partibus. LĒ IĒH VĒH. prima semibreui, secunda breui, tertia longa acutoq, accentu prædita. Accentus autem acutus pronunciando vocem altiùs tollit, ac pronunciatione ipsa cælum petens, expeditionis illius authorem cœlestem esse indicat, cæloq, habitantem efficere, vt Gedeoni in terris tradatur victoria. Quamobrem alterum orationis membrū ŪLGHĬDGHŌN, tribus etiam metimur syllabis: prima ex accidente breui, vtpote vocali primæ, quæ præcedenti adspiratæ subiecta leuiùs & leniùs pronunciatur; secunda verò breui, eaq, acutiori sono audienda, Ghid; tertia producta, atque carmen concludente graui munita accentu, & quàm longissimè sonantis literæ N. tinnitu adiuta. Omnia igitur hæc, & huiusmodi quæcumque fuerint, vt diuino Spiritu cōstituta primùm, ac descripta deinde fuere; ita nobis minimè negligenda, sed studiosè obseruanda, magnaq, reuerentia tractanda censemus.

Homerus.

Pſal. 106.

Accentuum vis.

Ingressusque est Gedeon, & trecenti viri qui erant cum eo, in partem castrorum, incipientibus vigiliis noctis mediæ: & custodibus suscitatis, cœperunt buccinis clangere, & complodere inter se lagenas.

Ex verbo, Et venit Gedeon, & centum viri qui erant cum eo, in

Universidad de Deusto
Biblioteca

partem castrorum initio custodiæ secundæ. *Temporis opportunitatem singularem, maximeq; idoneam, prudentissimè captam historia indicat, eam videlicet, qua exercitus iam somno oppressus, ac repentè excitatus, totus repentino terrore turbari confundiq; facilè potuit. Noctturnum tempus quatuor partibus diuidere, bellorum duces, & vrbium gubernatores consueuerunt; easq; certis per loca constitutis custodibus commendare: quod etiam à pastoribus factitatum legimus. Atq; ex hac ratione explicandum est quod apud Euangelij scriptores de vigiliis prima, secũda, & tertia legimus. Cùm nox antiquis, & mathematicis partitionibus duodecim contineat horas, tres primæ custodem non postulabant, vtpote quas populus ferè omnis vigilãdo, vel confabulando, vel alia agendo transigat. Quæ verò has sequuntur horæ tres, custodes tam accipiunt ad medium vsque noctis: sed cùm hi cõstituuntur, multi adhuc per castra, & vrbes nondum sopori indulgent, ac tum primùm plerique lectos & cubilia adeunt. Ab ipso autem noctis medio secunda custodia constituitur, quam & vigilantissimam, & attentissimam, atq; suarum partium obseruantissimam esse oportet, vtpote cui illud incumbat curæ, ne suorum quies aliquo intra castra agentium strepitu rumpatur, nè ue securitas hostili aliquo negotio, vel nocturno turbetur impetu; quòd illis horis omnes prorsus dediti somno, ac penè sepulti sint. hinc ad tertiam custodiam tres memorantur horæ, cuius tertiæ finem quàm plurimi iam expergefacti ac vigilantes exspectant. Peruenit autem ad castra Gedeon ipso communi noctis conticinio, cùm omnes dormirẽt, præter eos, quorum intererat custodiam statis horis ponere, quos etiam tum ipso constituendorum vigilum negotio & studio opportunè occupatos offendit, ita vt nec se, nec suos accedẽtes his visos, vel præsentitos intelligeret. Quod verò nostra lectio habet*, Et trecenti viri; *interim dum ex alto codice non mutetur, ad descensum ex monte referendum est. nam postquam ad vallem est peruentum, singulæ centuriæ suam, quam ambirent, castrorum partem petiuere, primamq; Iosue cum suo centurione occupauit.* Incipientibus vigiliis noctis medię. *Ex Chaldæi interpretis explicatione desumpta versio est. Nam in sacra lingua certa vocabula sunt, quæ explicari operepretium fuit.* In capite illius custodiæ HATHICHONAH. *quo vocabulo stata, constituta, & certa cura, ac diligentia significatur. initio inquit diligentissimæ attentissimæq; custodiæ. Quod verò subiungitur*, Et custodibus suscitatis, *non significat custodes eo tempore somno sepultos: namque id præter muneris, temporis, atque officij rationem foret, precipuè in constitutæ custodiæ initio ipso, sed à Gedeone, Gedeonisq; centuria illud curatum indicat, vt custodes, qui aliorum securitati & quieti inuigilabant, primi compellati, ac respondentes, calamitatis è cælo sibi allatæ denunciationem audirent; qua turbati & perterriti, cæteros, clamoribus & strepitu excitatos, ipsi etiam sua ex parte conturbarent. In sacra lingua sic legimus:* ACHEKEM ETHSOMRIM. *Nempe*, stare facere, stare fecerunt custodes. *Non, inquit, fefellerunt custodes,*

Vigiliæ nocturnæ.

Noctis horæ.

התיכונה

custodes, sed compellatos primùm attentos esse curauerunt, Dei sententiam quamprimum audituros. Itaque primam vocem huiusmodi auditam exverborum pondere interpretamur, HASOMRIM *ô* CVSTODES, *toties repetitam, quoad illi huiusmodi formula se attentos indicarent,* MAHHALAM, *Quid nam est? Tum verò oportunissimè* cœperũt buccinis clangere, & complodere inter se lagenas. *vtrumque eodem momento factitatum est à tribus centurionibus, vt repentino frequentiq; sono, atque tot hominum igniumq; spectaculo conterriti, sese iam oppressos putarent.*

Cumq̃ue per gyrum castrorum in tribus sonarent locis, & hydrias confregissent; tenuerunt sinistris manibus lampades, & dextris sonantes tubas: clamaueruntq̃ue, Gladius Domini, & Gedeonis: stantes singuli in loco suo per circuitũ castrorũ hostilium.

CLANGENDI, *hydriasq; frangendi initium centuriones primùm fecère: quod centuriæ ipsæ exemplo imitatæ sunt. Atque ita quod exspectabatur, euenit, vt hostes omnes improuisa simul exterrerentur specie.*

Omnia itaque castra turbata sunt, & vociferantes vlulantesq̃ue fugerunt.

EXSPECTATI *euentus summam, promisso diuino, atque Gedeonis fidei ex æquo respondentem, historiæ author primùm indicat; quam deinde subiuncta momentorum & modorum serie, declarat sic:*

Et nihilominus insistebant trecenti viri buccinis personantes: immisitq̃ue Dominus gladium in omnibus castris, & mutua se cæde truncabant, fugientes vsque ad Bethleca, & crepidinem Abel Mehula in Tabath.

VNICO *versu oratio hæc omnis clauditur, atque hoc pacto rem confectam exponit: Cum primùm custodibus per centuriones compellatis centuriæ ipsæ suas partes agere cœperunt, hostes omnes somno repentè excitati, & strepitu, clangore, ac lampadum splendore attoniti, & perturbati, atque adeò præconij illius frequentia exanimati, Israelitas intra castra ipsa frequentissimos esse, & cædi operam dare, existimarunt: ita vt præmetu, trepidatione, præ somnij, quod vix excutere valebant, impotentia, atque adeò præmœrore, maximè verò præ iniecto diuinitus in illorum animos pauore, vnusquisque vicinum sibi hominem hostem esse putans, educto feriret gladio, atq; ita alius alium peteret, & qui minus valebat fugam capessens, et, qui se præcedebat, hostis insequutorq; crederetur, ita pars magna suorum armis occisa cadere, pars verò istorum gemitu, & communi totius exercitus clamore impulsa, in fugam se dedere, maximè autem postquam compluribus occisis, aliisq; alios impetentibus communis clamor, quo illorum lingua, atq; consuetudine fuga indicebatur, inualuit. Nam sic hæc narrationis pars ex verbo sonat in præcedenti versu*: Et conclamarunt [bellico clamore]

Universidad de Deusto
Biblioteca

more]& fugerunt. *Prima custodum compellatio fuit, deinde centurionum tessera, quam centuriarum actio secuta est, mox hostium turbata dimicatio, & pugna, hanc communis clamor, clamorem est comitata fuga. Huiusmodi clamor, qui non sine tubarum, vel buccinarum, aut cuiuspiam alius instrumenti sono fiebat,* THERVGAH SEBER, *hoc est, fractionis, vel fusionis sonitus vocatur, Latini honestiori vocabulo receptus canere dicunt. Atq; locorum hic citata nomina fusam, & palantem, vehementerq; turbatam, & maximæ consternationis indicem fugam indicãt. Neque enim illi conferto agmine, ordinibusq; seruatis sese recepisse dicuntur, quod ad bellicæ fortitudinis, & disciplinæ decorem facere compertum est: dum quamquam loco pulsus exercitus, composito tamen cedit gradu, insectantem à tergo hostem subinde respicit, atq; excipit, & nonnunquam etiam repellit, vel sistere cogit. Nihil huiusmodi tunc seruatum legimus, sed diuisum, fusumq; exercitum, ac fugæ tantùm intentum, neq; quò, neque quà omnis ire posset, cogitasse, sed quà latissimum fugiendi patebat spatium, disiecti, nemo vel postremus vel in postremis esse vellet, singuliq; hostẽ à tergo existimantes (nocturno præcipuè tempore & ante crepusculum,) diductione ac partitione viarum & locorum fallere, ancipitem sistere, & fugere demum sataageret. Atq; ita alius aliò intendentes, spatiisq; diductis variis, in varia longeq; dissita deuenêre loca, nimirum qui Serar contenderant, vsq; ad* Bethhalsitah, *aly verò aduſque crepidinem siue labium, hoc est, altum, & in sinc præcipitem tractum* Abel. *Illi verò aly vsque ad* Tabath, *quæ loca ad varias tribus vel possessione vel vicinitate referuntur.*

תרועת שבר

Clamantes autem viri Israel de Nephthali & Asser, & omni Manasse persequebantur Madian.

TOTVM *illud nocturnum tempus in dispersa illa trepidatione ac fuga à Madianitis transactum res ipsa docet: quippe quoad tenebræ durarent, perturbatio ac terror crescebat, & vnusquisque sese insequentem hostem ratus, vel gladio retinere, vel, si non posset, declinare curabat. sed neque iam illucescente die vel metus, vel error deponebatur, maximè cùm tam multi desiderarentur, quos in illa nocturna inuasione cecidisse constabat, idq; opinio confirmabat cædis per Israelitas illatæ, quos vel ponè insequi, vel in postremis occidendis operam dare putabãt: quamobrem vnusquisque istorum, quà potissimum dabatur opportunitas, fuga sibi salutem consulebat, partim ipsis vtis atq; semitis, partim etiam autis aliquot diductis tractibus. Vero autem simillimum est, eos omnes qui à Gedeone paulo antè dimissi suas repetiuerant domos, non adeò negligentes aut securos, nõ adeò etiam ignauos fuisse, quin, constitutis per certa opportunaq; loca exploratoribus, expeditionis illius exitum exspectare consentaneum esset, maximè verò cùm rem illam deliberato attentoq; consilio, & proposito confirmato, post delectum habitum à duce illo susceptam & adornatam cognoscerent, id quod non sine fide agi intelligebãt, quãquam ipsi nõ adeò forti cõstitissent animo, tamẽ aliquid effectum*

fectum iri putabant. id verò in quámnam partem caderet, incerti, attentè & accuratè obseruandum sibi esse constituerunt. itaque collocatus opportunè speculis, euentus, cuiuscumque is foret, denunciatio commendata fuit. Cum verò summo mane per lucis commoditatem ij qui in speculis erant, Madianitarum exercitum fusum, variisq; actum locis, cursu atque fugæ intentum vidissent, extemplo victoriam pro Israelitis stare intelligentes, clamore & signis vicinas illas tribus Nephthali primam, & Asser proximam, & Manassenses, ex quibus Gedeon erat, omnes ad confusam illam metu, labore, ac longo cursu fractorum hostium fugam vrgendam, & prorsus opprimendam appellatas concitarunt. Hæc huius versus explicatio est, Asser, & ex omni Manasse. *Clamoris & conuocationis formula qualis fuerit, ipso versus refertur initio.* IS ISRAEL, *vir Israel, duobus nominibus constabat, quorum prius vim, fortitudinem, constantiam & efficacitatem, qualem ignis esse constat, significatione sua complectitur, pro quo iuxta augustius Latini non habent, reddere solent* VIR. *Quod etiam Cymbricorum acceptum lingua, arcana non caret significatione, cùm & sacra res & ignis ipse illorum vocabulo* VIR *appelletur. Posterius verò in hac formula nomen* ISRAEL *audiebatur, quod faustissimum & felicissimum esse Deus author voluit, & ipsi, cui primùm impositum fuerat, & iis etiam qui ab illius nominis dignitate non degenerarent, vtpote quod potentem valentemq; Deo significare illo adiũcto elogio declaratum est:* Si cõtra Deum fortis fuisti, *quanto magis contra homines præualebis? Quamobrem illius nocturni quondam certaminis exemplum illa nocte Israelitarum populo renouatum, non tamen Israelis contra Deum, sed Israelis contra homines, ij qui in speculis erant agnoscentes, sublato clamore* IS IISRAEL, IS IISRAEL, *personare cœperunt, vt omnium ferè gentium moris est, faustum aliquod nomẽ, ad confirmandos in bello animos, appellare.* Sanctiago, Sanctiago; Sainct Luis, Sainct Luis; Sint George, Sint George: *atque apud Græcos olim ἀγιε, ἀγιε. erat autem faustissima appellationis huius sententia huiusmodi:* VIR *est* ISRAEL, *qui cum Deo potest: virtutis autem illius exemplum præsens Israelitæ viri fortiter ac viriliter persequimini. Atque hac felici compellatione animati illi omnes, quos ex Nephthalitica, Asseritica, & Manassensium tribubus à Gedeone conuocatos antea nouimus, compluribus aliis adiunctis, victoriam aduersus dispersum atq; fusum hostium exercitum sectatos esse legimus. atq; hoc tempore Manassenses maiori prodiisse copia dicuntur, nimirum palmæ contributi suo Gedeoni diuinitus concessæ lætitia & gratulatione alacres omnes prorsus, nullo etiam ad pugnam ineptiore, qui tamẽ currere posset, excepto. Hoc enim adnotatio illa,* Et ex omni Manasse, *indicat. Intelligimus autẽ dimidiam Manassensium tribum: hæc enim inter cæteras quæ Iordanem transierant, ditionem propriam sortita est: nam dimidia altera citra flumen illud sibi*

איש ישראל — VIR.

Cymbricorum lingua.

Adhortationum formulæ.

Manasses.

sedes

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſedes optauerat. Atque loca illa, ad quæ Madianitæ fuſi diuiſiq; fugam contendiſſe dicuntur, partim in his quæ commorantur tribubus, partim nõ longè diſſita erant, ita vt ab iis qui ex editiore obſeruabant loco, quemadmodum res procederet, proſpici commodè dignoſciq; poſſet. Atq; hæc rerum ac temporum opportunitas & ratio cùm Gedeonem prudentem, & locorum illorum gnarum, præſertim verò diuino auctum Spiritu, minimè fugeret, in aliam conſultiſſimam cogitationem duxit, prouidendi videlicet vt Iordanis fluminis, & lacus illi coniuncti, vada ac portus à ſuis antè præcluderentur, quàm occupari à Madianitis poſſent.

Miſitque Gedeon nuncios in omnem montem Ephraim, dicens: Deſcendite in occurſum Madian, & occupate aquas vſque Beth-Bera atque Iordanem.

Militaris prouidẽtia.

IMPRVDENTIÆ *atque ignauiæ in bellica diſciplina adſcribitur, ſi quis dux locum quempiam inuaſurus, quà ſibi adeundum, quaq; redeũdum fuerit, non animo antè capiat, & certo conſilio prouidens, collocatis cuſtodiis, communiat. Incertus namque belli euentus cùm ſit, & multis ac variis nominibus & rebus mutari in horas poſſit, nemo ita ſecurus vlteriora petere debet, vt ea quæ citeriùs fuerint, negligat, & non potiùs ſibi ad repetendum expedita, quàm hoſti ad occludendum intercipiendumq; deſerta relinquat. Quippe ſi res bene ceſſerit, tamen à tergo libera ſibi omnia conſtare vtiliſſimum fuerit, tum ad multa alia, tum ad commeatus facultatem augendam, tum verò ad excurſiones, atq; adeò ad ſubſidia, vbi opus fuerit, adſciſcenda, ad omnem denique liberæ expeditionis vſum. Sin verò aduerſi quid inciderit; qua cõmodè, honeſtè, atq; opportunè, vel tutò ſaltem redeundum ſit, certorum conſtitutorumq; locorum copia conſtet. Cuius generis in mari & lacubus portus, in fluminibus vada, & in montibus adſcenſus atq; deſcenſus, interiectæq; valles & in publicis viis ſalebroſi tractus, creptationesq; ſunt. Nam quæ huiuſmodi offenduntur omnia, niſi maturè & diligenter prouideantur, inuadenti hoſti negocium facere ſemper, ipſis verò regionis incolis, & locorũ peritiſſimis, præſidij opportunitates afferre ſemper ſolent. Quamobrem inter cæteras eximiæ dexteritatis laudes illa quoque*

1 Sam. 18. *Dauidi duci magno non ſemel adſcribitur: Et egrediebatur & intrabat in*
» *conſpectu populi, in omnibus quoque viis ſuis prudenter agebat. & illud:*
» *Omnis autem Iſrael & Iuda diligebat Dauid: ipſe enim ingrediebatur &*
» *egrediebatur ante eos. Sed cùm Madianitis, cæterisq; Iſmaelis vel poſteriùs, vel ſocijs, belli peritiam exercitationemq; aſsiduam tamquam propriam illud etiam oraculum arrogauit: Ipſe erit ferus homo: manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum: è regione omnium fratrum ſuorum figet tabernacula; mirari ſubit quanam imprudentia Iordanis vada ad inuaſionem tranſmittentibus, non ita munita fuerint, vt regreſſuris etiam conſtarent. Verumenimuerò ſi Iſraeliticarum rerum ſtatus & facies, qualis*

Gen. 16.

reuocetur, ob oculosq; ſtatuatur, ſecuritatem iſtam Madianitis ex Iſraelitarum contemptione partã, intelligere in promptu fuerit. Nam qui eò ignauiæ, timiditatis, & imbecillitatis redacti fuerant, vt nec vineas, nec meſſes, nec vrbes, domosq; proprias, ſed nec ſuas, ſuorumq; animas tueri, ac defendere poſſent, adeò vt loca omnia, ex quibus vtilitas percipi aliqua poſſet, promiſcuè hoſtium vulgi, puerorum, mulierũ, atque adeò iumentorum vagatione vaſtari impune viderent, quo animo, quo conſilio, quibus viribus, quibúſve armis, & copijs de interdicendis portubus, ac vadis cogitare poſſe, putandi eſſent? Itaq; Madianitæ longo victoriæ, & potentiæ, multoq; ſemper vſu ſuperbientes, hoſtemq; perpetuò contemnentes, omnia ſibi vt antea peruia fore rati, locorum aditus, & exitus præſidio munire ſumptuoſum, ſuperuacaneumq; eſſe duxerant; quæ tamen contemptio, ac ſuperbia in ſui ipſorum exitij partem venit. S. S. E. Contritionem præcedit ſuperbia, & Prou. 16.
» *ante ruinam exaltatur ſpiritus. Igitur prudentiſſimus vir Gedeon cùm*
» *victoriam perſequi conſtituiſſet, intellexit hoſtes metu perculſos, atque animo conſternatos, quamuis variis partibus diſperſos, atq; palãtes, fugaq; trepidatione, & impotentia errabundos, tamen ad euaſionem perpetuò intẽtos, opportuna aquis trajciendis loca fore demum petituros, quandoquidem Iſraelitarum regio omnis ea parte qua hoſtis fugiebat, ad mortuum vſq; pelagus, ſiue ad Aſphaltitem lacum, toto Iordanis alueo, & ab ipſo effectis duobus lacubus claudebatur, neq; vbique aut paſsim, ſed certis portubus, & vadis tranſmittendi concedebat copiam, quæ loca vicinißimis Iſraelitarum, & opportunißimis præſidiis occupanda, præcludenda, & propugnãda commendauit. Atq; ita hoſtem inſequentium ponè Iſraelitarum turmis, & natura locorum, atque Iſraelitarum ſubſidiis interceptum, conficere decreuit. Id quod vt ex Dei voluntate profectum, atq; fide conceptum, prouidentique conſilio inſtructum: ita ex animi quoque ſententia ſucceſsit. Obiter verò adnotare libuit locum, cui nomẽ Beth-Bara in hac hiſtoria legimus factũ, eundem cum illo eſſe, qui in quibuſdam Euangeliorum Latinis codicibus Bethania dicitur. Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes* Ioan. 1.
baptizans. Beth-Bara ex etymo Frumentariam domum dicere poſſumus. videtur autem nomen hoc ex aquarum irriguarum opportunitate duxiſſe, quæ ad frumenti copiam loco aliàs vberi, maximas afferre ſolent commoditates. Ex huiuſmodi autem notatione inſigni in Hiſpania apud Turdetanos, oppido Talabera, vocabulum factum opinamur, quod ad certam ſacræ Talauera.
linguæ figuram redactum Talbar, ſiue Talbara ſonat, & frumẽti aceruum ſignificat, quòd ager ipſe omnis apprimè ſit frugifer. Fuiſſe autem Turditaniam ab Iſraelitis olim habitatam, aliàs narrabamus. Perpetuò autem in hac narratione Gedeonis fidem recolere, & obſeruare, & ad explicationis Videa.
facultatem, & ad pietatis exemplum expedierit. Namque omnia hæc, quæ à prudentiſſimo & fideliſſimo duce aguntur, & prouidentur, ad illa duo diuina dicta, tamquam ad caput, & agendarum rerũ primum fundamentum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

referuntur. Quia tradidi eos in manu tua, *hoc promisit: illud verò,* Tùc confortabuntur manus tuæ, *tussit & mandati nominibus percepta fuerant. dum igitur ipsos tam in manu tradi non solùm crederet, sed experimento videret, illud diligenter curabat, & prouidebat, quemadmodum videlicet manus ad amplissimam hostium capturam, & perniciem confortarentur, atque huius curæ pars erat etiam in vadis, ac portubus ad fugientes vel capiendos, vel in ponè sequentium arma reiciendos, expeditas manus opponere.*

Clamauitque omnis Ephraim, & præoccupauit aquas atque Iordanem vsque Beth-Bara.

NVLLVM *ex Ephraitis virum non conuocatum, nullum non alacriter expeditum accurrisse, exemplaris linguæ lectio declarat:* Et clamatus fuit omnis vir Ephraim, & ceperunt aquas vsque ad Beth-Bara, & Iordanem. *Quamquam singuli suis ex domibus & locis prodiissent, primùm tamen certum vnusquisque locum cogitauit, quò sibi deueniendum esset. nam certa ad transmittendum loca, siue vada, atq; ipsis vicinis notissima erant. ita factum est quàm citissimè, vt in singulis & vadis & portubus satis idonea constitueretur manus, ad fugientes hostes vel capiendos vel repellendos, præsertim lassos, turbatos, nec confecto agmine sese recipientes, sed diffusè ac temere fugatos. Hoc itaque significant duo verba coniunctim alterum singulariter, pluraliter alterum pronunciata. Iam qualisnam hactenus ex fide profectæ industriæ fuerit euentus, attendamus.*

Apprehensosque duos viros Madian, Oreb & Zeeb, interfecit Oreb in petra Oreb, Zeeb verò in torculari Zeeb. Et persecuti sunt Madian, capita Oreb & Zeeb portantes ad Gedeon trans fluenta Iordanis.

EPHRAITIS *vada occupare festinantibus, duos ex Madianitarum præcipuis ducibus fugientes, capere contigit. Namque hoc titulo insignes intelligere oportet fuisse, quos Latinus interpres noster viros nominat. Sacer vero sermo* SARIM *appellat, quod nomen magistratus militaris præferre est. Neque verò ambo eodem capti sunt loco, sed alter altero & captus & occisus fuit: nempe Oreb in editiore asperioreq; vel descensu, vel adscensu saxoso sitos, quod ideo illius linguæ consuetudine Petra dicitur, eodem quoque loco occisus, vitam & nominis sui monumentum, minimè honestum, reliquit. At verò Zeeb capiendi opportunitatem depressus & vndique collibus vallatus locus præbuit, vbi etiam ab Ephraitis interfectus, & suis opprobrium Madianitis, & interfectoribus reliquit gloriam. Quamobrem & Zeeb torcular propter loci formam, & rei gestæ memoriam, perpetuo deinde sermone dictitatum est. Significat autem Ghoreb Coruum, Zeeb verò Lupum Latinis, quæ nomina magnorum ducum feritati ac dexteritati apta, consultò ab antiquis vsurpabantur, idq; non citra auspicij superstitionem, vt*

Vir. שר

aliàs commodiori disputatione nos explicaturos speramus. Nec verò ab hac ratione nimium distare arbitramur Corninorum, & Graccorum, Aquilinorum, Lupatiorum, & Luctatiorum, & cæteras his nominibus ac titulis celebratas familias. Ex his autem duobus nominibus, quantum coniectura consequi possumus, Madianitarum linguam aut eadem cum Chananæa, aut maximè illi affinem intelligimus. Quod verò vlteriùs narratur: Et persecuti sunt Madian, & capita, & c. *ex temporum, atq; rerum ratione ita conteximus: Gedeon cum centuriis suis, post missos ad occupanda vada nuncios, victoriam aduersus Madianitas secutus est ad Iordanem vsque: cæteris etiam, qui vndique hostem fugatum vrgebant, idem studium, labórque idem fuit Madianitas premendi, capiendi, & intercipiendi: inter quos Ephraitæ etiam egregiam nauauere operam, non solùm portubus & vadis occupandis, sed duobus strenuissimis ducibus occidendis, quorum capita hi Gedeoni, ante transmissum Iordanem, obtulerunt. Meminisse autem oportet orationem,* trãs Iordanem, *ad eam fluminis ripam referri, quæ Chananæorum quondam, deinde verò Israelitarum regionis extremus erat terminus, quæq; terram expugnaturo populo per insigne miraculum occupata fuit: perpetuò enim illa notationis ratio, & significatio in posteris etiam ætatibus obtinuit; ex quo etiam illud est: Terra Zabulon, & terra Nephthalim, via maris trans Iordanem.* Et persecuti sunt Madian. *exemplar habet,* Et prosecuti sunt in Madian. *quibus verbis constans & contentum insequentium omnium studium indicatur, cum communi ac mutua omnium incitatione, qualis in huiusmodi alacribus & præstãtibus insectationibus, pro loci, temporis, rerum, ac sermonum vsu, audiri solet.* EL MIDIAN, EL MIDIAN; *in Madian, in Madian: Hispani vociferantur* A ellos, à ellos; mata, mata: *Itali* Caccia, caccia; dai, dai: *Galli* Courage, courage; hardiment, hardiment.

Madianitarum lingua.

Trans Iordanem.

CAPVT OCTAVVM.

DIXERVNTQVE ad eum viri Ephraim; Quid est hoc quod facere voluisti, vt nos non vocares cùm ad pugnam pergeres contra Madian? iurgantes fortiter, & propè vim inferentes.

Ex *duorum à se occisorum ducum successu gloriabundi Ephraitæ ad arrogantiam primùm, deinde verò ad inuidiam Gedeoni concitandam proruperant, quæ semper summus & strenuissimis in vnaquaque arte viris insidiatur, atque eorum qui minus præstant, minúsque valent, detractione interdum palàm, plerumque verò occultè ac dissimulanter, & merita & laudem exstinguere conatur. ex quo illud est:*

Romulus, & Liber pater, & cum Castore Pollux
Post ingentia facta, Deorum in templa recepti,

Horat. lib. 2. epist. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dum terras hominumque colunt genus, aspera bella
Componunt, agros assignant, oppida condunt:
Plorauere suis non respondere fauorem
Speratum meritis, diram qui contudit hydram,
Notaque fatali portenta labore subegit,
Comperit inuidiam supremo fine domari.
Vrit enim fulgore suo, qui prægrauat artes
Infra se positas: exstinctus amabitur idem.

Gedeoni rem strenuè, eamq; ex iusso, præscriptoq; diuino gerenti communi omnium, maximè verò Ecclesiæ Dei fidelium hominum hostis, impedimenta obiicere molitur, quibus detento & animus remittatur, & victoriæ exstinguatur ardor. Id verò oblata occasione efficere parat, quæ cùm ad cõmunem tribuum omnium lætitiam, & gratulationem vsurpari debuisset, ad iurgij dissidiiq; opportunitatem arripitur ab Ephrattis: vt ingenium hominum est ad res in deteriorem partem accipiendas vehementer procliue, atq; ad iniquam excogitandam, adornandamq; orationem plus nimio eruditum.

Psal. 5. *S. S. E. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant. sine, linguas diuidebant suas. Igitur illi, qui si forsan cum primis illis Gedeonis tribu proximis, vocati fuissent, vel sese excusarent, vel seriùs propter interuallum venirent, vel certè cæteros alacritate ac fide, & animo non anteirent: nunc ex occisorum ducum euentu superbientes, iniuriæ sibi factæ querelã instituũt, quòd nõ inter primos fuerint adsciti, nimirũ qui vel solo bellum conficerent, & coniunctim, armati, atq; consilio & ordine composito rem aggressi, plus etiã peregissent, plusq; omnibus præstitissent; argumento autem esse illorum à se occisorum capita, quæ publicè ostentarant, quos ipsi, quamquam postremi, quamquam non ad pugnam, sed ad vada tantùm occupanda conuocati, tamen & insecuti sunt, & non vno loco captos occiderunt. Est ergo illa aduersus Gedeonem instituta causa & querela:* Quid est hoc quod facere voluisti, vt nos nõ vocares cùm ad pugnam pergeres contra Madian? *In sacra lingua sic:* Et dixerunt ad illum vir Ephraim: quod verbum hoc feciſti nobis, ad non vocandũ nos quãdo iuisti ad prœlium Madian? *Primùm communem omnium, deinde priuatam singulorum virorum fuisse accusationem, sacri sermonis forma docet,* Et dixerunt ad illum vir Ephraim. *Vnusquisque Ephraitarum sibi causam arrogat, & iniuriam factam calumniatur, quam deinde communem facit, vt coniuncto studio inuidiam declinet, atque in accusatum reuo-*

Vulgi ingenium. *ciat. Tantus vulgi ad nocendũ consensus est, tãtaq; ad periculum proprium declinandum solertia. Agitur autem & publicæ omnium, & priuatæ singulorum iniuriæ causa. Est autem causæ summa, sese iniuria atque ignominia à Gedeone affectos, idq; consultò, quippe qui non ad præcipuam aduersus hostes pugnam adsciti fuerint, sed ad postremam operam, quæ vel ignauissimis demandari poterat, occupandi nimirum vada, fuisse missos, idq; satis pro*

pro imperio, nunciis videlicet ad hoc iubendum expeditis. Quod quidem vltro & consultò, dataq; opera in ipsorum dedecus factũ accusant, & instãt. Namq; aliàs iniuria non esset, quæ ex certo consilio non fuisset profecta. atq; in hoc accusationis vis constat omnis. Quod verbum hoc feciſti nobis? *Latinus interpres noster significationem illius nominis,* Verbum, *aduoluntatem rectissimè retulit. Tu vltro, atque deliberato consilio, ratiocinationeq; instituta nobis hanc gloriam inuidens subducere, tibiq; atque Manassensibus tuis arrogare cõstituisti. Habet autem duplicem distinctionem propositio per interrogationem hoc loco pronunciata, atque vtramq; intẽdit & urget. Prior est:* Quod verbum hoc feciſti? *Hæc ad Gedeonis priorem culpam refertur, qui quòd solus rem gerere, solus laudem sibi arripere cogitarit, idq; non sine verbo, hoc est, consilio, sententia, & oratione, atq; demum re, ita vt quod cogitaret, effecerit. Altera distinctio est nobis; tu tibi, inquiunt, feciſti verbum quod post hac vulgabitur, publicèque decantabitur. Nobis verò* verbum *etiam vltro, sponte, & certo consilio feciſti, quod semel* Verbum. *emissum reuocari numquam poterit. Hactenus accusationis propositio est, cuius confirmatio ex narratione facti petitur, atque adeo ex consequenti narrationis forma,* Vt non vocares nos. *Huius confirmationis exceptio, quæ alicui facilè in mentem venire poterat, expositione adiuncta cauetur:* Cùm ad pugnam pergeres contra Madian. *Nam si dicas, nos fuisse in partem laboris adscitos; primùm illud constat, nos non fuisse à te vocatos eo tempore, quo tu cum tuis contribulibus rem gerere cõstituisti, id quod constituerat egisti,* Cùm ad pugnam ires. *ex exemplari,* Quando quidem certè iuisti. *Tanta ac maior etiam vis est dictiunculæ,* CHI. *vocatos autem oportuit nos vt socios, & vt ad pugnam conficiendam te, tuisq; non minùs fortes, & idoneos, & tamen non fuimus vocati: fuimus tamen iussi per missos nuncios, vt ad vada occupanda descenderemus, quod tu profectò non iussisses, si statim fugientes hostes consequi, retinere ac perdere posses: verùm quod ipse non potuisti efficere, hoc nobis demandabas, perinde quasi nobis rerum à te gestarum reliquias conficiendas committeres; quæ altera iniuriæ nobis illatæ pars, atque adeò altera verbi aduersum nos à te excogitati & publicè euulgandi ratio est. Huius generis atque sententiæ Eporaitarum accusatio, confirmatioq; fuit, cuius peroratio illa cõsequebatur, quam diuinæ gloriæ aduersarius ad intercipiendam populi Dei victoriam vehementer cupiebat, nimirum,* Iurgantes fortiter, & propè vim inferentes. *Ex verbo sic:* Et iurgabantur in eum cum vehementi vi. *Quæ oratio illos non solùm verbis, & oratione vehementer viro institisse significat, sed voce, clamore, & minùs honestis etiam verbis compellato, ansas ad rixam, quam populari tumultu optabant, obtulisse: quæ tantum abest, vt illi prudentissimo, & integerrimo animo arreptæ fuerint; vt potiùs magna modestia, & blando, ac religioso responso refringerentur, illis nihil contrà conari valentibus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quibus ille respondit: Quid enim tale facere potui, quale vos feci-
stis? nónne melior est racemus Ephraim vindemiis Abiezer?
in manus vestras Dominus tradidit Principes Madian, Oreb &
Zeb. quid tale facere potui quale vos feci stis?

CONGESTAM *populariter in se calumniam, & accusationem cùm ex voluntate & causæ expositione depellere nec species, nec tempus, nec vulgare ingenium permitteret, sapientissima argumenti inuersione prudentissimus vir placandã esse censuit. Poterat enim aliàs sanctè iurare, sibi numquam in mentem venisse vel gloriam sibi vsurpari, vel illis inuidere; sed qui placaretur vulgus gloriolæ appetens, atque adeò sibi iam certæ, verùm Gedeonis inuidentia detractæ gloriæ persuasus? qui etiam hoc vnum sibi argumentum vsurpauerat, ad calumniam confirmandam, quod negari non poterat, nempe se ad prælium eunti Gedeoni, non fuisse vocatos. Poterat ea quæ circa delectum acta sunt, narrando excusare: verùm neq. id quidem tumultuãtem sedaret turbam, quàm primùm obiecturam ducis partes fuisse, fortissimos primùm, quales ipsi sese tunc iactabant, aduocatos deducere, Dei autem consilio quos deligi placeret deinde permittere. Nam si illi primi vocati essent, illi in delectum admitterentur, quando Deus alacres & animosos deligi iusserat, quales ipsi sese præstitissent, qualésque modo, quamquam postremum adsciti, imò iussi, præstiterunt. Quam ob rem nullus ex iis locis quæ vel ad occupationem, vel ad inuersionem patere tumultuanti populo poterat, prudentissimo viro ad sui defensionem occupatus fuit, sed is ipse ex quo accusationem in se institutam intellexit, sapienter petitus & obtentus præsidio fuit ad depellendum insanientis propè tam populi furorem & tumultum componendum.* Quibus ille respondit. *Ex verbo sic:* Et dixit ad eos. אמר *Verbum* AMAR, *certæ & consideratæ sententiæ significationem habet. illud verò,* Ad eos, *argumentum ad illos conuincendos & premendos oratori excogitatum indicat, quòd videlicet illorum emendaret errorem, qui quod pro ipsis ipsorúmque gloria vehementer faceret, iniuriæ sibi illatæ nomine perperam interpretatis in se coniicerent, cui quamuis illa quam ipsi accusabant fuisset mens, tamen gratiam habere debuissent. sermonem autem explicemus breuem quidem, verùm sapientissimum tamen, & argumentationum neruis instructissimum, atque orationis elegantia ad temporis opportunitatem aptissimum.* Quid enim tale facere potui quale vos feci stis? *Ex propriis orantis verbis ita legimus:* Quid feci nunc sicut vos? *Non, inquit, nunc in fici.as ire volo quod vos si negauero minimè admissuros scio, me nimirum arrogandi mihi gloriam causa vos in pugnæ partem, quoniam fortes cognoscebam, adscitos haud voluisse. esto ita vt vos obiicitis: verùm quantum mihi ex ea re gloriæ accreuerit, quantúmve vobis detractum fuerit, vos ipsi æstimate, intelligetisq. profectò, nihil à me, vestri ornandi studio & voluntate, potuisse commodius opportuniusq. cogitari & comparari, tandemq. effici, quàm quod vos cõtemptionis causa factum causamini.*

Ego,

Ego, vt vos obiicitis, solus cum paucis ex meis pugnam suscipere volui: suscepi; non tamen pugnaui: neque enim nos vel gladium eduximus, vel ex hostibus quempiam interfecimus. nam quemadmodum res confecta fuerit, vos intellexisse oportuit: nec me narrare opus est, vos ad pugnam vocatos oportuisse. nos non pugnauimus, sed stratagemate inuento hostes turbandos curauimus. consequitur igitur, vobis nullam iniuriam, fraudem nullam factam, quorum studium circa pugnam erat. nũc circa stratagemata, quæ non ex multorum fortitudine, sed ex paucorum calliditate proficiscũtur, id quod ego cogitaui (esto, priuatæ gloriæ causã, vt vos obiicitis, cogitauerim) euenit, sed num adscribi mihi in factis poterit? in consiliis quidem fortassis adscribetur, in factis nihil mihi hactenus arrogari poterit. vobis autem poterit magnum opus factúmque adscribi, siquidem ipse hactenus nihil feci vestro comparandum facto. Quid fecimus sicut vos? *Hactenus defensionis propositio est breuibus, & pro tempore opportunis enunciata verbis, quæ tumultuantis populi aures tentaret, & voces clamoresq. compesceret, à sui ipsius extenuatione, & aduersarij amplificatione petita: huius verò conformatio ex iis solùm locis producta, & eleganti translatione adornata adiungitur,* Nónne melior est racemus Ephraim vindemiis Abiezer? *Comparationem geminam, personarum videlicet & rerum, vnica elegantissima translatione ad propositionis confirmationem produxit orator. Fuit enim gemina etiam propositio personarum:* Quid ego sicut vos? *Quid ego me vobis comparare velim, vt non tantùm non maior censear, sed nec par quidem sicut vos? Namq. huiusmodi duplicem & multiplicem sensum similibus orationibus contineri, qui sacram linguam probè callet, facillimè animaduertit. Rerum autem gestarum comparatio illo verbo excipitur,* Feci sicut. *Quid ego sum vobis collatus? aut quod factum meum vestro cum facto componetur, cùm ego, quod ad pugnam attinet, fecerim nũc nihil? nam quid feci? itaque nullum mihi factum vendico, vobis autem factum concedo, & testor, sicut vos qui fecistis virtute & armis, quod ego nondum feci, quòd si maximè velim consilium à me initum cum consilij successu facti nomine laudare, idq. vestro facto comparare studeam, nihil promouero.* Quid feci nunc sicut vos? *qui eiusmodi fecistis rem, vt à me gestam nemo vobiscum componat.* Nunc sicut vos, *sicut nunc vos fecistis. Certè quidquid agatur, quomodocumque mea cum vestris comparentur modò, vestris mea omnia & publicè & priuatè concessura constat. Nam si de gentis copiis & opibus, potentia, numero, & facultate instituatur collatio, cùm in has partes non mea tota tribus vocetur, sed Iezreghitarum vnica familia, ex qua originem cognomenq. ipse duco; namq. ego, & pauci mecum ad hanc expeditionem venimus, non tota tribus mea; quis nam ambigat stultitiæ tributum iri ei, quisquis vnicam vnius tribus domum ac familiam cum tota vna alia tribu componere comparareq. velit, nedum ei qui meam, hoc est, Iezreghiticam, cum omni Ephraitarum gente componat? Hanc calumniæ partem*

Sensus multiplex.

obiter

Universidad de Deusto
Biblioteca

obiter frangere ac depellere ſtuduit Gedeon indecentiæ argumento; quod Legici ex abſurdo vocant. Siquidem aduerſarij hoc etiam ad exaggerandā viri arrogantiam callidè ſatis præſumpſerant, nimirum voluiſſe illum non tantum ſuæ Manaſſenſium tribui, quantum ſibi vni ſuæq; familiæ illam laudis illius materiam vſurpare, idq; in Ephraitarum deſpectionem & dedecus: atque hoc pacto contribulium etiam ſuorum inuidiam aduerſus illum incitabant, ideoq; inductas ad accuſationem perſonas, diuerſis pronominum numeris declarauerant. Quid hoc verbum fecisti nobis? *non dicunt fecisti*, cùm illum ſolum ſibi ſua vnius causa feciſſe accuſare intenderint, ſed feciſti; nec ex altera parte dicunt mihi, vt aliquem vel principem perſonam, vel familiam læſam querantur, ſed nobis; vt totius tribus offenſionem amplificent. idem verò & in narratione conformationeq; obſeruarunt. Ad non vocandos nos, quando iuiſti ad pugnandum cum Madian. *Non vocandum nos cùm tu iuiſti; non enim perſonarum mutauere numerum, me & iuiſtis*: itaque hanc culpam à ſe alieniſſimam ex conceſſis & confeſſis depellit Gedeon, oſtendēs iniuriam fieri viro, communi ſenſu ſaltem minimè carenti, eam cogitationem criminari, quæ nec in vulgariſſimi cuiuſpiam hominis mentem cadere poſſet, vt vnius cuiuſpiam familiæ rationes cum integræ tribus ſplendore, opibus, & amplitudine, ad comparationem producat. quod ſi & communiter, & ſingulariter de nemine credi par eſt, qui fieri poſſit vt ipſi obyciatur? Quin, quod omnibus manifeſtum eſt, ita ipſe ſentiat, vt ſi ad numerum, ad copias, ad opes, atque adeò ad dexteritatem & alacritatem, deinde etiam ad regionis amplitudinem, glebæ vbertatem, ad omnia demum quibus regio gensq; aliqua commendari ſolet, comparatio fiat, vel racemum Ephraim toti Abighizeritarum, hoc eſt, ſuæ ipſius familiæ eſſe anteponendum. Iam verò admirandam viri ſapientiam aliqua ex parte contemplari libet, qui quamquam in rem, quam peragere ſatagebat, intentiſſimus, quamquam tumultuantis & ad iniuriam inſolescentis populi clamore & actione repentè inuaſus; tamen & orationem, & ſimilitudinem ex tempore, vt dici ſolet, inuenerit, quibus nihil breuius, nihil plenius, nihil ad retundendam in ſe coniectam calumniam firmius, nihil ad mulcendos furentis vulgi animos dulcius, maturius, & ad omnium ſenſum & palatum potuit inueniri aptius. Liceat quæſo nobis, ô ſtudioſe lector, in breuibus & ſignificantiſſimis ſacrorum authorum orationibus aliquam diligentiæ partem ponere, vel longè minorem iis, quæ Demoſthenis, Æſchinis, Ciceronis prolixarum, ſatisq; ſuam artem oſtentantium orationum explanatoribus non licet modò, ſed magnæ etiam datur laudi. Nos tantum abeſt vt his à laboribus laudem venemur, vt niſi ſacrarum lectionum ſtudium tibi, vt vtiliſſimum eſſe nouimus, ita ſuauiſſimum probare cuperemus, vel ſententiam ipſam breuiter indicatam, tibi ipſi æſtimādam relinqueremus (vti in Euangeliorum elucidationibus facimus) vel omnino hoc ſenilis iam & grauis ætatis, & aliorum cauſa occupatiſſimum vitæ tempus, quod ex peregri-

Eloquentia ſacra.

grinationibus atq; moleſtis curis furari poſſumus, nobis ipſis vel curandis, vel à varia legentium ſententia, non legentium contemptione, vtrorumque fortaſſis inuidentia, & quorundam contentione ſubduceremus, verum enimuero puſilli diſcipulorum in timore Dei gregis nos vnicū ſtudium & ad vigilias impellit, & ad cætera omnia, quæcumque humanis ſenſibus dura cognoſcuntur, & formidantur, ferenda & deuoranda ad Dei gloriam exhortatur. Vindemiæ & racemorum nomina Latinè ſcientibus, & neſcientibus etiam quid ſignificent, notum eſſe arbitramur: alterū enim vel tempus decerpendis vuis maturum, ipſam in decerpendis & calcandis ad muſti vſq; repoſitionem poſitam operam repreſentat: alterum verò eam, quæ decerptas iam & aſportatas à dominis vuas conſequitur, vineæ repetitionem & racemationem per mulierculas, pueros, mendicos, & huiuſmodi pauperiores factam, interpretari facile eſt; de quibus in lege ſcriptum legimus: *Si vindemiabis vineam tuam, non colliges ex ea racemos, ſed cedent in vſus aduenæ, pupilli, & viduæ. Præter hæc nihil exiſtimo aliud his Latinus indicari nominibus, quorum, quod ad rem præſentem attinet, grauis atque decens, ſed ſimplex ac facilis eſſet ſententiæ explicatio. verùm nobis* erantis ipſius verba ſingula obſeruantibus, adeò ſententiæ ratio & pondus creſcit, vt certa & breuis, qua hoc plenè Romanè ſcientibus reddi poſſit, oratio non planè conſtet. quod Latinè nomen Racemi interpretatur, in ſancta lingua eſt GHOLLOHT, quod meditationes, cogitationes, conſilia animi, intentiones & conatus primùm, deinde pueros paruulos, & puerorum conſilia & ſtudia ſignificat, præter alia quæ ex vocum affinitate ſibi hoc nomen arrogat, ſignificat etiam racemos eos, qui poſt vindemiam (vti diximus) decerpuntur, atq; hoc, ſecundo ſignificandi modo, id eſt, per tranſlationē. Quod verò nos vindemiam dicimus, pro nomine BATSIR eſt additum, cuius ſignificatio ad decerptionem, vindemiationem, ruptionem, inuaſionem, & nonnumquam etiam cogitationem, ſæpè ad munitionem, fortitudinem, & præſidium protenditur: iam verò quid duobus his nominibus ex tempore vſurpatis de ſe, ſuarumq; cum Ephraitis rerum comparatione, ipſe ſentiat, cæteros omnes ſentire credat Gedeon, ipſa tantùm ſignificationum obſeruatione explicatum videtur. Nempe ſi de perſonis, de viribus, de opibus, de conſiliis, de animorum cogitationibus agatur, Ephraitarum GHOLLOHT, hoc eſt, vel paruulos pueros, & horum hisq; ſimilium conſilia, cogitationes, conatus, & intentiones, Abighezeritarum cogitationibus, inuaſionibus, irruptionibus, imò & firmiſſimis munitionibus, & præſidiis longè præſtare: ſi verò de gerenda re, atque rei geſtæ ſucceſſu comparatio inſtituatur, plus apud Ephraitas vel minima & poſtrema facta, æſtimationis, & momenti, atque felicis exitus habere, quàm apud Abighezeritas vel maxima; maximoq; ſtudio, conatu, ac molimine ſuſcepta & confecta, tantumq; vtriuſque partis inter ſe diſtare geſtas res, quantum de perſonarum & opum differentia ſit ipſe confeſſus, atque hoc non tantùm publico hominum iudicio

Deut. 24.

יוללות

Universidad de Deusto
Biblioteca

constare, sed Dei etiam consilio, vel hoc vno illorum facto fuisse manifestatum. Quippe quamquam illud ipsum, quod sibi ab illis obiectum fuerat, concedatur adhuc, voluisse nimirum hostium inuasionem, decerptionem, atque vindemiationem priuatæ laudis ergò suscipi, atque illius expeditionis communione Ephraitas priuari, & voluisse inquam & confecisse, non tantum tamen sibi ex omni à se confecta vindemia vel fructus perceptum, vel laudis fuisse obientum, quantum Ephraitæ brevissimo tempore assecuti fuerint, duobus tantum racemis decerptis & reportatis, atque in medium productis, hoc est, duobus maximis & strenuissimis, fortissimis, fama & nominum appellatione ac titulo celeberrimis ducibus, non quibuslibet, sed GHOREB ET ZEEB interceptis, victis, & occisis, quibus cum vel totum reliquum pugnatorum vulgus non esset comparandum, & si maximè ipsius Gedeonis virtute & armis fusus, cæsus & trucidatus fuisset, cùm tamen semet metu & pauore, terrore ac somno turbatus & consternatus, mutuis gladiis & vulneribus sese decerpserit: ita vt quæ ab ipso Gedeone vindemia curata fuerit, perinde facta fuisse videatur, atque si vindemiatoribus vineam adeuntibus, nondum tamen ingressis, ventus quispiam vehementiùs incitatus in vites irrueret, cuius flatu inualidiores, flaccidos, minúsq; prælanda virtute ac natura præditos racemos decerpi, & cadere accideret, meliores, veberiores, & crasso ac firmissimo pediculo viti hærentes, quos capitales agricolæ vocare solent, relicti à racematoribus postmodum decerpti referrentur. Atque ita concludit, suas familiæq; suæ laudes vndique examinatas, Ephraïticarum tum rerum, tum actionum splendore semper obscuratum iri, idq; ipsum vel præsenti exemplo ostendi. Deinde verò argumentationem suam interiectæ religionis authoritate & maiestate corroborat, quæ accusationem sui non tantummodo eleuat, sed in aduersarios etiam retorquet, sibi ipsis suisq; rebus minùs prospicientes atque iniurios esse arguens, atque rem ipsam melius ab ipso, quàm ab illis, cogitatam & perpensam ostendens. Quippe cùm in humanis actionibus omnibus, quantumuis ab hominibus excogitatum aliquid & comparatum, omnibusq; partibus ad optatum exitus adornatum fuerit; tamen euentum alium numquam sortitur ab eo, quem diuina prouidentia decreuerit. id verò cùm in omni omnium hominum actione & cogitatione, quorum cōmunis Deus est, qui res omnes gubernat, temperat & voluit, tum verò in Israëlitarum rebus, quibus Deus idem singularis cuiusdam prouidentiæ consiliis, quæ nomine illo adorando IEHVEH

Psal. 126. „ significatur, prospicit. S. S. E. Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum
„ laborauerūt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra
„ vigilat qui custodit eam. Esto itaque quod sibi ab aduersariis obiectum fuerit, in animo fuisse reigestæ illius laudem reportare, & illis in partem quidem concedere, tamen neque se pugnæ laudem affecutum, vtpote minimè cum hoste congressum, ita ad eum structum & iussum, neque illius laudis materiam fuisse subductam, imò repositam potiùs atque seruatam, à Deo ipso,

ipso, Israëlitarum tutore prouidentissimo, victoriam videlicet, & eadem duorum fortissimorum ducum, quæ ipsis vnà secum ad antecedentes actiones ad pugnam progressis, tamen numquam contingeret: neque enim quamquam omnes antè cum hoste simul pugnarent, & victores euaderent, tamen victoriæ palma non ipsis tantùm fuisset tributa, sed ipsi vt duci, & alijs in prælio sociis, suæ, vt æquum erat, concederentur partes. Nunc verò hærentis ipsorum captibus coronæ, & reportatæ de duorum ducum cæde gloriæ, tantum abest vt rationem quam oportet habere se declarent, vt pœnitere etiam videantur, atque adeò consilij & beneficij singularis, sibi sua causa à Deo comparati, sē non solùm immemores, sed inscios & incogitantes ostendāt. In manus vestras Dominus tradidit Principes Madiā Oreb & Zeeb: Quid tale facere potui, quale vos feciſtis? Omnem à nobis superiùs indicatam sententiam confirmatio hæc in se continet: cuius primum & grauissimum argumentum à religione sumitur, quòd illa victoria non casu nata, non ab ipsis cogitata aut adornata, exquisita & comparata fuerit, sed à Deo oblata: deinde quòd non fuerit vulgaris, sed apprime illustris, principibus Madian occisis, qui totius exercitus atque adeò omnium hostium caput fuerāt. Namque à Madianitis opprimebatur Israel, atque hi alios populos magis in vastationis & prædæ, quàm in pugnæ partem conducebant. Antonomastinōs verò ducum ipsorum nomina commemorantur, præpositā & repetita dictione ETH, Ghoreb, VEETH Zeeb: non obscuros aut minùs fortes quosdam, sed authoritate & virtute omnium præstantissimos, coruum & lupum, quibus nomina sua ob sæuitiam, diligentiam, & industriam apprimè conueniebant. Hoc vobis ex Dei consilio ac beneficio contigit, & tamen non Deo gratulamini, sed mihi etiam succenſetis, cui vel gratiam habere deberetis, quòd non vocati initio, demum eo tempore adscīti fuiſtis, quo hanc vobis paratam obtinere sortem potuiſtis, ita vt nō tantùm mihi, quod parū esset, sed, quod maximū est, Deo, atque adeò vobis ipsis vos præbeatis ingratos. Quid tale facere potui. E genuinæ linguæ verbo sic: Et quid potui facere sicut vos? Quid ego parare mihi potui, quid paratum solus conficere, etiam si nō quod feci, sed quod facere optaueram, demum confeciſſem? neque enim ego maius quicquam facere possem, quàm exercitus principes pugnando captos occidere. At neque id facere potuiſſem, quippe cùm priùs cum exercitu pugnam conserere necesse esset; quem si ego cū meis vincerem copiis, tamen principes non ita citò caperem, qui vbi exercitum suum iam fasum viderent, in fugam sese dedituri erant. itaque nihil perinde atque vos facere potui. verùm fingite me id, quod vos feciſtis, facere potuisse & feciſſe; hoc est, potuisse solùm duobus istis principibus fugam intercipere, & vitam eripere, vt vos. Verùm potui ego id quod vos facere, hoc est, istam sortem non Deo acceptam referre, gratulationeq; publica studiosè ac pie supplicare, vt vos nec refertis nec supplicāstis, nec omnem Israëlitarum gentem, vt oportuit, ad eandem laudem Deo nostro decernendam inui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatis? Hoc certè ego non potui, vt vos, cui alia mens profectò est aliáque ratio, in omnibus quæ Israëlem spectant euentibus singularem Dei prouidentiam agnoscendi & adorandi. Et quid potui facere vt vos? *Sic defensionem suam acutissimo dilemmate prudentissimus dux perorauit, vt aduersariorum accusationem confoderet suo ipsorum, vti dici solet, gladio.*

Quod cùm locutus esset, requieuit spiritus eorum, quo tumebant contra eum.

E sacræ linguæ verbis ita: Tunc remisit spiritus eorum desuper eum, loquente illo hoc ipsum verbum. *Apertè significatur, illos priore orationis parte, qua familiæ & opum præstantiam concedebat Gedeon, non fuisse sedatos; quippe cùm vulgus ob eam rem sui maximam ac præcipuam rationem haberi oportuisse contenderet, & non habitam vlciscendi commetur; verùm post interiectam ab oranteligionem, redargutamq. aduersariis incogitantiam, & ingrati animi culpam,* Loquente illo hoc ipsum verbum, *quo defensionis conformatio & peroratio constabat;* remisit spiritus illorum desuper eum. *appositissima venti ac turbinis translatione & similitudine popularem illum tumultum historiæ author depinxit. vt enim ventus in vnumquempiam vel terræ vel maris locum conuolutus ineumbēs, hic vorticem, illic turbinem efficit, quibus vel nauem obruere, vel comprehensum animal in terra turbare ac deiicere molitur: ita vulgus, vbi iras populariter intumescit, sese ipsum cæco impetu contorquens, nullam non feram & crudelem in eum, cui infensus est, cogitationem suscipit, quoad prudentissima optimi cuiuspiam viri oratione sedatus, & animos & nocendi studium deponat.*

Populi tumultus.

Virg. Aen. 1.

Ac veluti magno in populo cùm sæpè coorta est
Seditio, sæuitque animis ignobile vulgus,
Iamque faces & saxa volant, furor arma ministrat;
Tunc pietate grauem ac meritis si fortè virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Viri boni lenis oratio.

Interpres noster tumultus illius æstum opportuno verbo significauit, Quo tumebant contra eum. *Hoc autem exemplo, quantum boni ac pij viri grauitas & authoritas opinioq. valeat, quantum lenis & matura eiusdem viri efficere possit oratio, docemur. Docemur etiam quonam artificio is, qui ad populum sedandum instituitur, sermo sit concinnandus, vtq. leuiora primùm argumenta arripienda sint, deinde verò ea quæ maioris momenti sunt, quæq. labantem auditorem in eam, quam intendimus, partem impellere possint. Hoc igitur superato iam oblatæ obiter domesticæ seditionis certamine, ad vrgendam hostium fugam, victoriamq. consectandam, animum & conatum operamq. conuertit Gedeon.*

Cumque

Cumque venisset Gedeon ad Iordanem, transiuit eum cum trecentis viris qui secum erant, & præ lassitudine, fugientes persequi non poterant.

STVDIVM, cura, & intentio ex side profecta Gedeonis ducis, atq. delectorum ab ipso sociorum, nulla oratione apertius indicari potuere, quàm hac breuissima affectionũ tum corporis, tum animi descriptione. Horũ enim membra totius noctis vigilia, contento sonandi buccinis, & clamandi vocibus labore, deinde perpetuo insectandi hostis causa cursu, vehementer lassa ac defatigata esse necesse erat, non secus atq. Esau fuisse legimus, qui ob lassitudinis ex venatu contractæ impatientiam, vilissimi cibi auiditate turbatus, & primogenituram mutauit, & huiusmodi stulto sermone despexit: En morior, & quid mihi proderunt primogenita mea? Non minore profectò, aut leuiore corporis ac membrorum affectione, sed maiore animi studio ac side, nobis hoc loco Gedeonis cæterua depingitur eodem verbo, quo Esau lassitudo ac defatigatio depicta est. GHAIAPHIM: extremæ defatigationis ex labore, fame, ac siti significationem habet, vt in Psalmo, *Anima mea* sicut terra sine aquâ tibi; terra GHAIAPHAH sua lingua legitur. labore verò motus, & cursus, & lassitudinem, & famem, & sitim excitari vehementer, manifestum est, vtpote omnis priùs sumpti alimẽti facultate, propter caloris vim & sudorem, & vitalium spirituũ resolutionem, vt medici philosophantur, exhausta, quam cibo ac potu opportuno reficere opus sit: famem etiam vigilando, ac multo magis peruigilando augeri, vel vnus dormire potest Hippocrates, qui vigiliam edacem appellat. *Aqua, inquiens, edax, vigilia edax. Et tamen virorum illorum constantissimus nobis describitur animus, qui præ victoriæ studio nec famis, nec sitis, neq. lassitudinis, qua maximè laborabant, rationem habuerint: ita, vt necdum flumen traiecerint, vel bibere, vel faciem manusve refrigerare curauerint, quod vel temperatissimi non omitterent; sed omnes eodem animo, eodemq. seruato ordine, insectando hosti intenti, vadum transmiserint & perrexerint. Hanc explicationem ad fidei & attentionis commendandum exemplum nobis ipsa suis, quibus primùm descripta est, verbis suppeditauit oratio, quæ sic habet:* Et deuenit Gidghon Iordanem, transiens ipse, & tercentum vir qui apud illum lassi & persequentes. *Mutatio verbi subita ex præterito in participium, & singularis numerus trecentis primùm viris adiunctus, deinde pluralis in participio repetitus, is, qui sacræ linguæ speciem intueri proximè possunt, huiusmodi repræsentant spectaculum. Eodem temporis momento, quo Gedeon flumen deuenit, & omnes pariter qui apud illum erant, trecenti inquam (ita vt ne vnus quidem ex numero vel ex ordine requireretur) deuenerunt; ipso verò transmittente, omnes transmittunt, vnaq. omnium mens, vna vox est* GHOBER, *transmittens, transmittẽs. Hispanicè & Italicè,* Passa, Passa. *Ipse, inquit,* tercentum vir qui apud eum, *eodem quo ille animo & modo lassi quidem, imò defatigati vehemen-*

Gen. 25.

Psal. 142.

Hippocr. lib. 6. de morb. popular.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ter, & tamen persequentes. ita vt coniunctio, Et, magnam aduersatiuæ notationem, magnamq; animi contentionem hoc loco indicet, vt etiam dici soleat, lassatus, sed non satiatus. atq; ita pulchrè Chaldæus paraphrastes explicuit: Quamuis fatigatissimi, ac insectantes. *Interpres noster, vt fatigationis indicaret vehementiam, ita scribebat:* Et præ lassitudine, fugientes persequi non poterant. *Nisi enim illos fides atque studium incitaret & animaret, lassitudo omnino impedisset, atque ab insectatione retinuisset. Nã ipse non sentit illos vmquã cessasse, vt ex narrationis constat progressu.*

Dixitque ad viros Socoth: Date obsecro panes populo qui mecum est, quia valde defecerunt, vt possimus persequi Zebee & Salmana Reges Madian.

Duelis & militis partes.

EX *verbo sic*: Date obsecro KIKAROTH panes populo qui ad pedem meum, quia fatigati ipsi, & ego sectans post Zebahh & Tsalmunagh Reges Midian. *Quæ propriæ bonorum militum, quæ ducis optimi sint partes, huiusmodi in sacris historiis exempla commonstrant: nempe illorum, satagere vt nec studium, nec obsequium, nec opera in laboribus obeundis, ac rebus agendis requirantur: huius verò, curare diligentissimè, vt nihil illis desit ex iis rebus, quas ad viuendi vsum, & ad laboris & officij facultatem comparari oporteat. Præspexerat abunde satis Gedeon delectu à se sociis commeatum, cùm illam euocatorum initio hominũ dimisisset turbam; sed nocturni illius stratagematis expeditio & festinatio nihil ex omni illa ciborum ac rerum copia, præter arma, & his additas buccinas, & cum torribus lagenas, sumi permiserat, nescientibus quonam illa Dei pugna euasura erat; tamen victoriæ certam fidem animo conseruantibus, & cætera omnia diuinæ permittentibus prouidentiæ. Atq; hæc ipsa mens omnibus par & communiter constans, opportuna omnia agendi, & importuna tolerandi studium incenderat, incensumq; fouebat, quamuis aliàs membrorũ & corporis lassitudo, & fames atq; sitis impedimento esse possent: quod tamen hactenus feliciter peruicerant. Verùm Gedeonem magna rerũ omnium exercebat cura, victoriæ cum primis sectandæ, atq; etiam sociorum lassitudinis leuandæ, & virium exempta fame vel imminuta reficiendarum; deinde etiam prouidendi, vt omnia hæc expeditissimè & facillimè agerentur, sine vllo cuiusquam ex sua gente mortalium periculo aut incommodo. Hæc illo in animo volutante suo, & nihilominus contento itinere victoriã persequente, opportunè admodum Succotham, quæ prima citra Iordanem habitatio contigerat, ventum erat, si tempori atq; causæ habitatorum vel pietas, vel humanitas non defuisset. Atqui publicus ille diuinæ gloriæ, atque humanæ salutis hostis & aduersarius, quod trans flumen sæuitia Ephraitarum in Gedeonem exercenda efficere non potuerat, hîc humanitate ab huius oppidi incolis deneganda conficere moliebatur: nimirum Israelitarum victoria interturbata, hostibus ad euadendum & effugiendum opportunitates augere.*

gere. & profectò importunissimum atq; inhumanissimum horum hominum exemplum pluribus nominibus arguitur, quod ex ipsa ducis postulatione, atq; ex illorum responsione sic notatur. Primùm ipsi non modo ex Lege (vt postea indicabitur) sed ex humanitatis officio, atq; adeò ex naturæ ipsius impulsu, lassis ac defatigatis communissimi cibi, hoc est, panis, communicatione famẽ depellere ij qui possunt, debent; præsertim iis, quos sibi hostes non esse sciunt. Cuius officij exempla antiqua complura apud historicos & poëtas omnes produci possunt; sed illud grauissimum, ac Deo hominibusq; probatissimũ satis fuerit, Melchisedechi Regis ac Sacerdotis apud Solymos, qui Abrahamo, ex bello redeunti, panem ac vinum obtulit. vnde illud magno probro (quamquã id falsò) à reprehensoribus Iobo dabatur: Aquam lasso non dedisti, & esurienti subtraxisti panem. *atque huiusmodi culpam adeò grauem iudicio diuino censeri Lex docuerat, vt Israeliticorum munerum, & sacrorum atq; ciuilium commodorum communicatione (quæ nullæ aliæ genti negata in perpetuum fuerant) tamen Ammonitis ac Moabitis in decimam etiam generationem fuerit interdictum. Quia noluerũt vobis occurrere in pane & aqua in via, quando egressi estis de Ægypto. Hinc illi vatũ monita: Frange esurienti panem tuũ. Modestissimus itaq; dux, quo tempore illo oppidanis illius loci imperare plura ex belli iure potuisset, tamen postulationem suam adeò temperauit, vt non nisi cum magno crudelitatis atq; impietatis crimine refellere quisquã posset: nihil enim aliud præter* CHICHAR *panis exigebat. idq; adeò non nimis multum, sed quod lassis & esurientibus famem eximeret; ideoq; non panem vel panes, sed panis* CHICHAROTH *postulabat; quæ vox certum atq; publicum panis pondus significat: de cuius ratione nos in sacro Apparatu disseruimus, aliasq;, Deo duce, plura disseremus. Huiusmodi namque nomina apud nationes, regiones, ac ciuitates publicè vsurpari solent, quibus & cibariorum materia, & quantitas dignoscitur, vt in quibusdam Hispaniæ regionibus* Hogaça, *panem significat duas cum dimidia ponderantem libras, qui & in aliis etiam locis, vt apud Turdetanos,* Quartal *dicitur. Romæ etiam nunc certa panis confecti forma & quantitas* Pagnota *vocatur. Apud Betticos* Arreldæ *nomen, ad carnes aut pisces tantùm relatum, vnciarum quatuor ac sexaginta pondus reddit. ita* CHICHAROTH *panis, non sibi, sed populo postulabat Gedeon, certo videlicet pondere, quantum populo paucis capitibus, hoc est, trecentis, numerando ad pellendam famem, viresq; reficiendas satis esset. Hispanicè diceretur sic:* Repartid vnos quartales di pan à esta gente. *Panem itaq; postulabat, eumq; pondere distribuendum, quod vix sex centum librarum æquaret pondus, cùm singulis satis superq; forent binæ libræ, maximè properantibus, & inter eundum esuris, minimeq; eo loci quieturis. quod illa expositione significatũ est,* Qui ad pedem meum. *atq; hic plura aduertanda illis & obseruanda indicabantur: primùm rationem haberi oportere postulantis, hoc est, ducis, cui Deus & muneris illud concesserat, & victoriam*

Deut. 23.

Isaiæ 58.

כיכר

Lib. Thubal Caim.

præ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

præbuerat, & animum ad insectandos hostes auxerat: deinde sociorum officij, quorum fidei atq. operæ illa fuerat diuinitus commissa expeditio, quorumq. diligentiæ magna debebatur gratulatio, vtpote numquam vlla difficultate, nec alterius rei cura aut cogitatione à ducis imperio, iussu, vel comitatu disiunctorum; sed adhuc in labore & itinere perseuerantium, nec vel ad quærendum sibi, quamuis esurientibus, cibum diuertentium; quod milites nonnumquam facere solent, fame præcipuè impulsi. hi tamen neq. oppidum vestrum ingressi sunt, nec vel verbo, vel exactione, vel simplici etiam petitione, cuiquam vestrum iniurios, aut molestos, grauesq. se præbuerunt. Sed mecum est ad pedem meum, nec aliter quàm mitis & innocès grex
Gen. 30. pastorem secutus; nam hac formula pastores vti solent, qualis illa est: Modo
» cum habuisti, antequam venirem, & nunc dues factus es; benedixitq. tibi
» Dominus ad introitum meū. propriæ linguæ formula, ad pedem meum. Quæ ad discipulorum erga præceptorem studium, obseruantiam, & sedu-
Act. 22. litatem significandam translata est. Nutritus sum (aiebat Paulus) in ista
» ciuitate secus pedes Gamalielis: Itaq. & humanitatis ob famem, & ciuilitatis ob numerum, atq. delectum, atque adeò reuerentiæ propter ducem, nec non & innocentiæ nominibus, vilis & communis panis certum pondus eximia modestia poscitur, cū affectu etiam, Obsecro. quibus omnibus, quamquam deberetur, tamen illa addita sunt, quæ non modò postulatum cibum, sed ne postulatum quidem, vltro tamen producendum, & præbendum esse conuincerent. Vt possimus persequi Zebec, &c. siue, Et ego sectans Zebec, & Salmona Reges Madian. *Beneficio magno in omnem iam gentem collato, aliud etiam maximum se adiungere, moliri ait, capiendi, vel perdendi hostiū Reges, quibus vel captis, vel interfectis, vel omnino fractis, toti gentis securitas parienda erat, atque pacis commoda omnia vrbibus & agris restituenda. Suum igitur officium, suum erga publicam libertatem ac tranquillitatem studium Gedeon indicat, & pollicetur. Immo iam tum impendi affirmat sponte atque opera sua, quæ ab iis, quorum causa suscepta est, adiuuari summo iure postulat. Non, inquit, hîc hærebo, quippe qui, donec fugientes hostiū Reges assequar, conquiescere non possum, sed sectari certus sum (adq. facio diligēter)* post Zebbagh & Ssalmuna Reges Madian, *quibus omnino superatis, quanta vobis oritura sit felicitas, facilè videtis, neq. à vobis vel arma, vel copias, vel auxilia alia peto, quæ poscere iure possem, à vobis, inquā, qui integri adhuc, & laboris atq. cursus expertes estis; quiq. vel vltro pro his, qui mecum sunt fatigati, suffici deberetis; tamen nihil aliud præter panem, qui sociis meis fulciendis satis sit, posco; cæterùm laborem, curam, & operam, ac diligentiam omnem ad capiendos hostium Reges, ipse tātùm cum meis suscipio, & positurum me profiteor, magna spe optimi successus: namq. ideo nullis aliis ad hanc rem exspectatis (ne quam moram facere cogar) ipse solus cum meis insequor. Cùm Reges nominauit duos, præter cætera quæ indicata iam sunt, illud significabat, se certo consilio rem agere, vt qui*

norit, qua nam parte Reges fugam tetenderint, quippe quos primos omnium *se recepisse par est, & antequam præcluderentur vada, flumen transmisisse vero simillimū fuerat, id quod per exploratores quoque cognoscere ipse* *potuit, sed magis ex spiritu, & ex illius promissi fide,* Tradidi eos in manus tuas. *ideoq. ait:* sectans post. *nec sectandi contentionem interrūpam, quoad præeuntes assequar. Igitur postulationis huius rationes, præter impetrandi authoritatem, quam optimus vir prætermissam voluit, laboris antè actæ salutis publicè iam partæ, lassitudinis & fatigationis pro tota gente susceptæ ac perlatæ, nominibus iustissimis productæ sunt: addito etiam promisso tolerandi laboris, reiq. strenuè gerendæ ad absolutā vsque victoriam, cum significatione præsentis auxilij Dei, cuius promissorum fide hæc acta essent, & agerentur, quæ illi facili porrecto panis subsidio iuuare & possent, & deberent, cùm labores tantos nemo hominum, diuturno ieiunio debilitatus, perferre valeret. Quippe pane hominis cōfirmari cor, manifestum* Psal. 103.
est, atq. illud cum primis prudenti in bello duci curandum commendatur. *S.S.E. Turbauit pater meus terram: vidistis ipsi, quia illuminati sunt oculi* 1 Reg. 14.
mei, eo quòd gustauerim paululum de melle isto: quanto magis si comedisset »
omnis populus de præda inimicorum suorum, quam reperit; nonne maior »
plaga facta fuisset in Philisthiim? Atq. huiusmodi consilio apud Homerum »
Achilles ab Vlysse admonebatur periculi certissimè exspectandi, si populum *ad pugnam ieiunum prodire iuberet, cuius orationis huic loco non ineptam* *partem describere, atq. ex tempore Latinam facere non pigebit.*

Τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφη πολύμητις Ὀδυσσεύς,
Μηδ' ὕτως ἀγαθὸς περ ἐών· θεοείκελ' Ἀχιλλεῦ,
Νήστιας ὄτρυνε προτὶ Ἴλιον ἴφια δοῦρα Ἀχαιῶν
Τρωσὶ μαχεσομένους· ἐπεὶ οὐκ ὀλίγον χρόνον ἔστιν
Φύλοπις, εὖτ' ἂν πρῶτον ὁμιλήσωσι φάλαγγες
Ἀνδρῶν, ἐν δὲ θεὸς πνεύσῃ μένεα ἀμφοτέροισιν·
Ἀλλὰ πάσασθ' ἄνωχθι θοὴς ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιοὺς
Σίτου καὶ οἴνοιο· τὸ γὰρ, μένος ἐστὶ καὶ ἀλκή·
Οὐ γὰρ ἀνὴρ πρόπαν ἦμαρ ἐς ἠέλιον καταδύντα
Ἄσιτος σίτοιο δυνήσεται ἄντα μάχεσθαι.
Εἴπερ γὰρ θυμῷ γε μενοινάᾳ πολεμίζειν,
Ἀλλά τε λάτρη γυῖα βαρύνεται, ἠδὲ κηχάνει
Δίψα τε καὶ λιμὸς, βλάπτεται δέ τε γούνατ' ἰόντι.

Talia dicenti prudens respondit Vlysses:
Non ita, sis quamquam (Superis par) fortis Achilles,
Ieiunos Troiam contra compellito Achiuos
Prælia Troianis ferre: haud non tempore paruo
Commissæ ducent certamen vtrinque phalanges.
Nam Deus ipse dabit vires & robur vtrisque.
Nauibus ergo cauis iubeas vinoque ciboque

Il. τ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Expleri(hoc etenim confirmat robur)Achiuos,
Anne diem totum, donec sol occidat, vlli
Ieiuno constare potest vis fortea pugnæ?
Quamquam alacri animis studiisque ad prælia prompto
Pondere membra graui nutant, tacitéque resoluunt,
Debilitantque genu fitis importuna famesque.

Responderunt principes Socoth: Forsitan palmæ manuum Zebee & Salmana in manu tua sunt: & idcirco postulas, vt demus exercitui tuo panes.

Consilia status.

EARVM *consultationum quæ Reipub. causa iniri solent, quæq; hoc tempore status consilia magnifico titulo vocantur, exempla quàm plurima, imò omnia potiùs in sacrorum librorum lectione & obseruatione, pluribus locis opportunè posita reperiuntur, nõ tamen cuncta probata, aut ad imitationem proposita censentur; sed illorum partem esse, in quibus qui in commune consulunt, rectum videt; partem rursus, eamq; non modicam, in quibus peccatum fuisse, consultando res ipsa atque euentus declarauerit: vtrũq; verò genus ad posteritatis memoriam, hominumq; eruditionem & doctrinam, diuinus Spiritus literis mandandum curabat. Atque latissimus nobis hoc loco sese campus aperiebat, ad totam hanc disserendam tractandamq; rationem, nisi ad ingenij tenuitatem nostri temporis angustia, & commentationis susceptæ lex accederet, quibus retenti, quod cuperemus, efficere non valemus. Satis itaq; nunc fuerit, responsi huius sententiam suis è locis productam ostendere; primùm ex ordine authoritateq; eorum à quibus relatum fuerit; deinde ex causis, præceptis, atq; institutis, è quibus fuerit petitum. Primùm Gedeon à viris Socoth panes petebat, non à mulieribus, sed à viris, quos non solùm panes, verùm arma, atq; se ipsos etiam promptos auxiliatores Gedeonis commilitonibus præstare oportuerat. Sed cùm huiusmodi omnia, quæ publicè exigenda sunt, optimatium consilio facienda cẽ seantur, optimates verò iniquo ferant animo, quicquam vel minimum in Rep. præter ipsorum mentem iussumq; agi; vtpote quibus quorum, quæ agenda, quæq; cauenda sint, rationes callere sese profiteantur: effectum est, vt ad huius loci principes viros de Gedeonis petitione deferretur, siue hoc per alios viros curatum fuerit, siue principes ipsi vnà cum aliis, petente Gedeone, præsentes fuissent. quocumque modo hoc primùm inceptum fuerit, certè euenit vt de responso reddẽdo ab optimatibus, semota cæterorum virorum turba, consultatio iniretur, ijsdemq; ponderibus res examinaretur, ac perpenderetur, quibus huiusmodi magni consules vti solent, atq; vt pondera in eandem trutinam illis perpetuò vsurpatam bilancem conijcerentur, bilancem, inquam, cuius altera statera illa est, Quod è Reip. commodo sit. quæ quidem sententia & optima & vtilissima, atq; etiam honestissima sua sponte cùm sit, tamen hominum ingenio, & priuato singulorum studio, in hanc & in illam partem, ac plerumque in deteriorem, tamquam regula (vti dicitur) Lesbia flecti*

flecti solet, multis aliis iam excogitatis sententiis, quibus hæc vel declarari, vel adnotari, vel ampliari, vel per opportunam interpretationem definiri posse dicitur. altera verò statera: NE quid Resp. detrimenti patiatur. *Atq; ad priorem consultationis partem commoda omnia conferri solent, quæ ex proposito argumento exspectari possunt, in quibus minima honesti haberi solet ratio. Quamquam enim totius humanæ vitæ causa secundùm naturam agentibus in vno honesto ac decoro constituatur, certáque bonis omnibus illa constet sententia:*

Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam, viuendi perdere causas:

tamen hominum moribus ita comparatum est iam, vt honestum ab vtili disiungatur, & nisi vtrumque simul constare possit, hoc illi in rebus præponatur agendis, idq; magnifico Reip. nomine consultissimum esse asseueretur; atq; hoc pacto, vbi opus fuerit, crudelitati misericordia, improbitati æquitas, ac securitati pietas cedere cogantur; oratio autem inueniatur qua hæc optimè, prudenter, & cum laude facta probari possint. quippe hanc præcipuam in huiusmodi sapientiæ professoribus partẽ existimari, vel ex illo carmine intelligere possumus: Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magnificam, Psal. 11.
qui dixerunt, Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt: »
quis noster Dominus est? Cùm, inquiunt, honestam orationem prætendere »
nouerimus, quis nobis aliter, quàm libuerit, agere imperabit? Igitur Succothẽses optimates consilio prudenter, vt ipsis videbatur, & breuiter etiam inito, altera bilance, Quod è Reip. commodo fiat, *Gedeonis petitionem omni honesti, pietatis & humanitatis atq; iuris ratione, quæ maximum habere potuit momentum, seposita, tantumq; ad vtilitatem relata reponentes, inueniebant certè quidem Madianitas Gedeonis stratagemate & opera fusos atq; fugatos fuisse illa nocte: verùm id non virtute vel armis, non copijs & certamine, sed acuta quadam calliditate actum, tamen nondũ fuisse peractum. Deinde videbant virum illum, illiusq; socios, qui rem aggressi fuerant, nec numero, nec viribus cum hoste comparari posse, maximè nunc lassos, & nocturno atque contento fatigatos labore; quibus qui exigebantur panes, magis ad vitam retinendam, quàm ad robur sufficiendum prodesse valerent: nec vero simile esse, ab illis hostem ad extrema vsque insectatum tri. Præterea diem iam esse apertum, quo & hosti facultas fieret, oculis & animo insectantium sese capiendi, agnoscendiq; tandem illius noctis turbationem ex Gedeonis dolo, atque ipsorum securitate, incogitantia, ac sommolentia repentè comparatam fuisse; & ex consequenti, iram atque animos resumenti, in sui insectatores sese conuertendi, & vlciscendi crudelissimè doli, non solùm autem in illos, verùm in Israelitas omnes, maximè verò in eos, qui Gedeonis conatũ aliqua ex parte iuuissent, præcipuè Regibus adhuc superstitibus duobus, quos nondum captos, nedum occisos, fatebatur Gedeon. Atque ita bilanx illa parum continere ponderis visa fuit. Rursus verò*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex altera parte in trutina ea omnia posita sunt, quæ ad sententiam illam facere possint: Ne quid Resp. detrimenti patiatur. Atque hic minimam omnium cogitationem de panis impensa fuisse arbitramur, quæ populo omni, quamquam auarissimo, nulla ferè fuisset, decem ad summum argenti siclorum; verumenimuero illud præcipuè in deliberationē venit, propositis duobus periculis, vtrum leuius censeretur, illud, grauiore declinato, subire. Iam primum illud constabat, Gedeonem ex suo ipsius genere illis non hostem, sed socium esse, & fratrem; qui si maximè nunc repulsam pateretur, si maximè hostes, vt præferebat, peruinceret: placari tamen non magno negotio posset, inuenta oratione, atque arte excogitata, adhibitis q. aliarum tribuum sociis & conciliatoribus. sin autem, vt vero similius videbatur, quam intendebat minimè rem perageret, nihil quoque ipsis esset metuendus, quippe qui vel occidi vel capi poterat in pugna, vel, si euaderet, salutem sibi magis fuga consulere, quàm negatum panis subsidium vlciscetur aturus esset. At verò illud alterum maximè prouidendum erat, quidnam & quantum ab hoste sibi incommodi ac mali afferri posset. Cùm enim Reges nondū captos Gedeon ipse confessus fuisset: eosq. ideo capiendi causa insectari sese iactaret; tamen adhuc liberos esse constabat. nec verò tam facilem ipsi illorum capturam fore existimabant, atq. Gedeon sibi promitteret: opus primùm esse eosdem assequi, non ita tam disiectos, atque præsidio & cohortibus destitutos interdiu, vt per noctem in illo tumultu fuisse acciderat: sed iam collectis copiis sese recipientes, & reficientes, ira atque pudore, & accepti per dolum damni impatientia furentes, militesq. suos ad ignominiæ vltionem cum imprudentia exprobratione incitantes, porrò dimicaturos iterum fuso exercitu, plurimis occisis, vincere, ac demum capere, idq. trecentis tantùm viris, eisdemq. lassis atque defatigatis, conficiendum esse, sperandum magnis his & prudentibus Reip. suæ consultis minimè consentaneum videbatur. Quid, quòd necdum certum exploratúmque erat, Reges illos, Iordane iam transmisso, praterisse vlteriùs. neque enim omnes, qui fusi fuerant, vadum eodem tempore atque loco contingere potuerunt. Itaque non alienum à deliberatione erat, fingere Reges illos vel ambos, vel alterum, citeriùs adhuc relictos, sesēq. coniunctos cateruis vel ad defensionem sui, vel ad Israelitarum offensionem iam instruere, aut etiam instructos esse, ac vindictæ rabie actos in omnes passim obuios sæuituros, atq. iis maximè nocituros, quos Gedeoni suppetias quoquo pacto ac modo tulisse constaret; constare autem facilè posset, cùm res non etiam, nec in tenebris, vt nuper, ageretur, sed publicè cognosci posset, Gedeonem eò loci pratereunti ab oppidanis cibum & potum fuisse publicè suppeditatum, nec defore etiam, qui armis adiutum adderent, vt ad perniciem iratis principibus ac Regibus facilè cumulantur incitationes & causæ. Iam verò (quod non optandum quidem, verendū tamen prudentibus erat) si vtrumuis eueniret, vt vel Reges vlteriùs progressi, inita pugna Gedeonem superarent; vel citeriùs adhuc vagati, sese reficerent, atq. obuia quæque populabūdi vastarent, & iram vlcisci suam studerent; esse magnam Succothanis non tantùm salutis, sed maioris etiam gratiæ postulandæ & impetrandæ opportunitatem & causam, nempe doctoris & probaturis, vel vilissimum, & ad vitæ sustentationem necessariss imū panis subsidium, quamuis armatis Gedeoni ac sociis postulatum, quamuis ex naturæ ac humanitatis lege in extrema penuria vel alienissimo cuiq. minimè negandum, tamen illi numquam fuisse concessum; tantum abest, vt consilio illius cùm de hostium inuadendis castris, tum de insectandis fuerit vmquam communicatum, imò curatum potiùs satisq. actum, vt quo maximè modo ab ipsis potuit, illius turbaretur & frangeretur impetus, hoc est, fame, siti, & lassitudine propter negatum cibum augenda, atque studio erga Madianitarum Reges, propter datam repulsam declarando: quod vel vnum ad animum despondendum Gedeonis socios impellere poterat, & Reges huiusmodi officij ab oppidanis facti edoctos, in fidei aduersum se opinionem, & in gratiæ ac regiorum munerum & priuilegiorum communicationem perducere. Ita igitur, quamquam breuiter, tamen ex humanæ atque ciuilis prouidentiæ argumentis, acutè & callidè iam deliberata re decretum illis fuit, Gedeonis petitionem admitti, ac probari citra Reip. detrimentum non posse, repelli verò posse Reip. commodo. quam obrem ex eadem consularis sapientiæ eloquentiæq. schola, nimirum ex illo primo omnium in eadem schola principio & fundamento: Linguā nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt; responsum concinnatur adeò calidum, vt quam iustam, æquam, & simplicem petitionem Gedeon probare putaretur, tamen iniquam, iniuriosam, & perniciosam esse ipsis iudicatam euincere videretur, Responderunt principes Sochoth. In originali lingua: Et dixit principes Sochoth. quo tropo consilium ab omnibus communiter, principum & consultorum nomine ac munere initum & cōstitutum, vnicuipiam ex illis ad referendum cæterorum etiam nomine demandatum; nam quod vnus à pluribus delegatus refert, legantium omnium authoritatem repræsentat. quod verò hoc verbo, Dixit, notatur ab authore, illud est; quod aliàs iam sæpiùs admonuimus, responsum videlicet animo ac mente agitatum ac deliberatum primùm, deinde etiam constitutum, ac demū suis palmæ, &c. Omnium in eloquentiæ arte curarum maxima ac difficillima coloris inuentio est. Nam cæteræ facultatis huius partes cùm vel causæ natura & veritate nitantur, vel ex ornatus thesauro depromi possint, constare sua sponte, atque inquirentibus obuiam venire contingit. Colorem verò reperire, callidi magis & acuti, ad fingendumq. prompti, quàm docti, & arte instructi ingeny esse censetur. Est autem Color, argumenti ac rationis inuentio, qua res quæ nec naturæ veritate, nec facti honestate probari potest, tamen fuco auditoribus facto defenditur, & propugnatur etiam. Cuiusmodi illud, de adulteræ mulieris audacia atque solertia, appositissimum Satyrarum scriptor protulit:

De colore.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iuu. Sat. 6.

Sed iacet in serui complexibus, aut equitis, die
Die aliquem sodes, die Quintiliane colorem:
Hæremus; die ipsa. Olim conuenerat, inquit, &c.

Atque hanc vt difficillimam, ita primam esse, quam discipuli doceri cupiãt artis partem, idem author aliàs subindicat:

Sat. 7.

Quis color, & quod sit causæ genus, atque vbi prima
Quæstio, quæ veniant diuersa parte sagittæ,
Scire volunt omnes, mercedem soluere nemo.

Igitur decreta iam per Succothensem magistratum Gedeoni danda repulsæ, quemadmodum non solùm sine malitiæ suspicione, sine aperta voluntatis auersæ declaratione, sed etiam cum inuidiæ atque iniuriæ expostulatione, imò accusatione etiam renunciaretur, acutè valde atq; callidè excogitatum est, nec aliunde quàm ex ipsius Gedeonis oratione petitum. Duas ille dicendo rationes produxerat, quam ob rem commilitonibus panes porrigi non solùm rogaret, sed deberi etiam doceret: alteram lassitudinis extremæq; indigentiæ, quæ ad misericordiam, atque ad legis iustitiam referebatur; alteram verò studij, curæ, atque operæ, & contentionis ad insectandos communes hostes, quod ipsorum, qui rogabãtur, augebat debitum: vtramque autem isti coniũctam simul vnam faciunt, ex ipsa qua in dicendo ille vsus fuerat coniunctione ansis ad connectendum sumptis. Dixerat ille: Quia fatigati ipsi, & ego sectans post Zebahh & Tsalmuna. *Ex duplici itaq; quæstione illi vnam constituunt summam quæstionem, atque colore inducto, quæ pro Gedeone faciebant, aduersus eũdem facere docẽtes, retorquent. Si tu, inquiũt, alteram nobis tantùm petitionis tuæ causam prætendisses, commilitonum videlicet tuorum extremam penuriam & lassitudinem, nulla alterius causæ aut consilij mentione facta, quamquam & periculi nostri pro temporis occasione rationem haberi oportuisset; tamen ex misericordia atque ex humanitatis lege facilè in tuam descenderemus petitionem. Verùm enimuero non esse hanc præcipuè causam, quamobrem panes illis dari postulaueris, tu ipse manifestè indicasti: sed studium tuum insectandi duos istos, quos nominas Reges, atque ita tuam magis voluntatem per nos fouere & adiuuari, quàm istorum egestatem leuari cupis; siquidem tu aiũ, eos defatigatos esse, & te nihilominus ad insectandos Reges intentũ, velle hos, quamuis lassos, vecumq; tamen refectos tecum perducere. Sed quid aliud istud est, quàm maximam hostium inuidentiam, & seuissimam Regum iram singulariter in nos incitare? quos vbi illi rescierint, tibi istud consilium persequenti atq; apertè professo, subsidium hoc, quamuis leue ac tenue, panis & commeatus tulisse; maiore etiam quàm te odio & indignatione prosecuti perdent omnino, atque regiæ iræ exemplum profectò statuent, cùm sese nominatim à te nobis declaratos intelligent. Itaque non solùm hostium numero ductus, verùm maiestatis reis factus, crudelissimam te authore perniciem afferent. Quòd si illi iam capti essent, alia diiudicandi ac sentiendi ratione ducerentur,*

tur, nos non magis quàm alios, quibus illi communes hostes essent, aduersum se egisse, idq; fortassis tui, vel victoris exercitus metu coactos. Nunc autem cùm illi liberi sint, & vel citeriùs adhuc relicti, vel vlteriùs progressi, non solùm nocere, verùm etiam extremam & crudelissimam perniciem afferre nobis possint; profectò tu iniurium te præbes, qui panes non hoc nomine quòd viri fratres, sed quòd exercitus tui sunt, quem Reges istos insectandi consilio & proposito tantùm perducere à nobis adiutum cupias. Fortitan palmæ manuum in manu tua sunt. *Omnes facultates ad efficiendum aliquid,* Manuum palmæ *significationem sortiuntur in sacro sermone. Duo nomina in sacra lingua sunt, eandem significantia rem, diuerso tamen vsu,* CAPH, & HHOPHEN, *vtrumq; inferiorem, siue planam & excipiendi, priorem illud* CAPH *indicat, posteriorem verò* HHOPHEN. *quam aliquando palmam, interdum pugnum, nonnũquam volam interpres noster dicit. Latina autem palma priori, vola autem posteriori aptè cõuenire possunt. Estne, inquiunt, tibi ita occupata, atq; adeò sublata prorsus duorum istorum potentissimorum, quos nominasti, Regum facultas & vis, vt nullo modo nocere nobis possit? Quod si non est, cur nobis hanc iniuriam facis, vt singularem vltionem, & extremam calamitatem moliaris? Ita igitur qui pro officio gratiam referre cogitabat optimus dux, non solùm repulsam, sed ingratiam & criminationem retulit; quo quid indignius grauiusq; bonus, ac de aliis benemeritus vir pati potest? Et tamen illi sibi plaudebant, eo tempore sapienter consuluisse, ac fucosissimũ colorem ad repulsam reperisse, putãtes.*

כף חפן

Manus.

Quibus ille ait: Cùm ergo tradiderit Dominus Zebee & Salmana in manus meas, conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti.

NVLLA, *vel minima etiam, in sacris chartis oratio est, quæ multis atq; grauibus pro rerum ac temporum ratione argumentis non scateat, ita vt potiùs credendum sit ei, qui attentè legit, multa vel prætermitti, vel non videri, quàm curandum aliunde quicquam petere, quo sacrarum orationũ vis & ornatus iuuari aliqua ex parte postulent. Summa itaque huius animadnersionis sententia est, sacris orationibus nihil vsquam breuius, iisdẽ etiam nihil melius, nihil plenius ac potius, nihilæquè bonum, nihil æquè esse plenum. Nos quæ argumenta commentando cognoscimus, non omnia persequimur, sed partim explicare studemus, partim verò indicamus, partim etiam prætermittentes, aliis tractanda relinquimus, qui & nostrum laborem corrigere, & suum absolutum præstare melius norint. Omnem hanc à Gedeone susceptam expeditionem atque curam diuina authoritate cõstare, nemo iam inter Israëlitas erat qui non intelligere potuisset, vel ex eo tempore, cùm vir ille prima animi sui documenta atque exempla protulerat; superstitione sublata, viris ex alia atq; alia tribu euocatis, delectu facto paucissimis*

Sacra elocutio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

apud se relictis. quòd si hæc non satis essent omnia, vel nocturnum illud signum tanti exercitus absque vllo prælio fusi, interfecti atque fugati, manifestam Dei efficientiam probauerat, quamobrem consentaneum fuerat, credere reliqua eadem prouidentia durè per Gedeonem confectum iri, atq; adeò illius viri propositum & operam opportunissima quaq; re adiuuare, hoc est, Deo authori comitem obsequentemq; sese vnumquemq; præbere, in suam ipsorum qui hoc agerent salutem. sed quid non aduersus certam & simplicem veritatem Dei, humanæ sapientiæ malitia & stulta ingeniositas inuenire, & obiicere potest? Et quidem illud redargutionis axioma à calliditatis

Gen. 2. *magistro serpente dictatum: Non morte moriemini, sed, &c. altè nimis in*

Obiectionũ callidarum origo. *hominum insedit animis, tenaciterq; hæsit. Ex quo magnam exceptionum & argumentorum copiam malitiosa & impia cogitatio depromere solet. Certè Ephraitæ non tantum tribuerant primùm singulari prouidẽtiæ Dei, quàm Gedeonis arti & calliditati atq; ambitioni, ideoq; iniuriæ accusationem intendere cœperant. (Atque vtinam nulla huiusmodi malitiosæ interpretationis peruersa exempla quotidie exstarent.) Verùm Succothanenses non solùm præsentis beneficij Dei fide abfuerunt, non solùm viro optimo, ac bene de omni Rep. merenti, iniurios infestosq; se præbentes defuerũt; sed inuidia etiam & odio acti fuisse nobis videntur, quippe cùm deserto officio iniquam orationem adiunxerint, qua sese illius victoriam non optare, sed auersari facilè significauerint: hoc modo sibi cauere, & Madianitarum Regum gratiam venari posse arbitrati. Namque, vt videtur, Madianitæ superioribus annis non magnum inferebant damnum iis, qui citra fluuium habitarent, nisi quantum iter agentes incommodi militari more afferrent, quod & ab amicissimis etiam accipi solet. Quippe hostium institutum fuerat, agros omnes, qui vltra flumen Israëlitis incolerentur, populari, &*

Sup. cap. 6. *eorũdem armenta & pecora, dum reuerterentur, abigere. Adscendebant (inquit historiographus) Madian & Ghamalec, cæteriq; Orientaliũ nationum, & apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis, cuncta vastabant, vsque ad introitum Gazæ, nihilq; omnino ad vitam pertinens relinquebant in Israël. A desperatæ huiusmodi vastationis calamitate immunes prætermittebantur Succothani ac Phanuelitæ, atque horum vicini. quamobrem nec relicto oppido, in specus & prærupta se se, vti Israëlitæ cæteri, recipiebant, nec priuata causa hostem, perinde ac Israëlitæ alij, vel metuebant, vel oderant. Publicæ enim calamitatis verus sensus perpaucos hominum tangere solet; homines dico, qui nihil, nisi quod filiorum Adami est, sapiunt. Itaq; hi non solùm religionem & pietatem neglexisse, sed ne Gedeoni quidem vt bene verteret, cupisse videntur, cui hoc responsi retulerint. Verùm optimus ac piissimus vir, diuinig; consilij studiosissimus, quamquam hos à diuini beneficij cogitatione & fide, à pietate & humanitate alienatos, quamquam sibi iniurios & infensos, quamquam publicæ vtilitati aduersatos, atque adeò hostibus fauentes cognouisset, tamen non statim meritis afficiendos pœnis iudicauit,*

sed suam in eosdem sententiam ita temperauit, vt eadem opera & præsenti tempestatis procellæ prospiceret, & illorum consuluerit pœnitentiæ. Primùm enim, si tũc temporis ingentem animaduertisset, propositi sui contentionem interrumperet, locumq; hostibus, ac spatium ad fugam salutemq; produceret, & accumulandis etiam inimicis impedimentum moliretur. Namq; & Succothani tametsi defendere se non possent, dimicarent tamen, populumq; omnem integrum & armatum aduersus paucos Gedeonis comites concitarent: quod si maximè non præstarent, tamen inimicitia odióque furentes qui reliqui ex illis essent, ad victoriam intentos ponè insequerentur, & vicinos etiam populos pagosq; conuocarent, in quemcumque porrò locum res vergeret, tamen hosti publico opportunitas ad omnia creabatur, augebaturq;. Atq; huic publicæ causæ nullam priuatam anteponere oportere, res ipsa ratioq; docebat; sed docebat magis fides diuinusq; Spiritus, quo sanctus agebatur vir. Igitur breui responso pœnas illis iure belli, sed magis ob impietatem, debitas indicit, & peruersam de se causaq; sua opinionẽ redarguit, & ad resipiscendum satis opportuna atque idonea concedit spatia, religionis maiestate atque authoritate interposita, cuius cogitatio homines in se redire, sibiq; prospicere cogeret. Vestro, inquit, responso manifestæ incredulitatis, & peruersæ rerum ac temporum atque adeò dictorũ meorum interpretationis, iniustæq; & inhumanæ, ac prorsus impiæ cùm erga fratres vestros, tum erga Deum actionis arguimini: vtpote qui hoc ex Dei singulari gratia ac misericordia constans Israëlitis beneficium, ad priuatum ambitionis, superbiæ, audaciæq; meæ vitium traduxeritis, dicentes: Numquid palmæ Zebahh & Tsalmunagh in manu tua sunt? *quasi ego vel id quod actum est, vel quod peragendum spero, meæ potiùs virtuti, quàm diuinæ arrogauerim authoritati, ita & petitionem meam tamquam iniustam repellentes, me contumelioseè eiecistis. Atqui ego, quidquid hactenus factũ fuit, Dei consilio atque ope factum manifestè profiteor. quòd si nõ satis in iis quæ iam præcessere, actionibus argumentorum & signorum vobis ad credẽdum fuit, vnum præterea addam signum: quod vbi euenerit, non tantùm credere, sed sentire cogamini, totius & præteritæ, & præsentis, ac reliquæ expeditionis meæ singularem verumq; authorem Deum esse. Nam si ille non dederit Reges in manus meas, vos vestræ sapientiæ istam rerum mearum cognitionem, vt facitis, magis adhuc tribuetis, cùm tamen nulla sapientiæ specie, inhumanitatis notam vitare possitis, negato defatigatissimis fratribus pane; sin verò, vt ipse certissimè spero, vobis q; constanter prædico, euenerit (eueniet autem haud dubiè) vt Deus, cui quæ præcessere omnia accepta refero, non solùm Regum palmas, vti vos excipitis, sed integros ipsos Reges, nominatim appellatos* Zebahh & Tsalmunagh, *cũ omni ipsorum maiestate in manum tradat meam; vos certas atque præsenti actione & sententia declaratas, inhumanitate, crudelitate, & impietate vestra dignas pœnas luituros pronũcio: quod succedet, si iusta mea sententia est; neq; enim*

Deus mihi iniustè agere volenti sese propitium, atque authorem opitulatiremq; præbebit. Sed & me ita interturbabit, & Regibus ad effugiendum opportunitates augebit, vt ego, quas vobis indico pœnas irrogare nō possim; sin verò Deum ego futuro hoc, vobisq; impossibili existimato signo, totius huius causæ Dominum & vnicum authorem commonstrauero, mei huius aduersum vos iudicij etiam principem declaratum probabo: atque illius, non mearum partium, vltorem, supplicio de vobis sumendo, me ipsum fore profiteor. Pœnæ autem certa ratio & summa ex hoc tempore illa decernitur, vt sicut vos oppidi vestri conseruandi, fouendi, atque tuendi causa, homines fratres de vobis benemeritos, præsentiq; habitus ratione ac lege opportuno subsidio dignos, acerbè tamen acceptos, molestissimè affectos repulsosq; eiectis: similem animo atque corpore, ad interitū vsque, molestiam perferatis, carnibus vestris, inter spinas istas, ex quarum copia Zzuchoth nomen vestro factum est oppido, conterendis: vt ita vestri oppidi nomine, & natura atque copia, haud immeritò feramini. Idem significat Zzuchoth in sacra lingua hoc loco, quod Hispanis, Espinas, siue Espinar. duo autē singulariter sentiū arum plantarum, quibus loca illa scatebant, hinc à Gedeone nominantur genera: alterum KVTSIM, *quod communiter pungentem omnem siue fruticem, siue herbam significat: alterum verò* BARCANIM, *duriorem ac matorem herba, crassioribusq; spinis præditum significat fruticem, cuiusmodi Rhamnorum genera tria nobis nota sunt, eodem generico nomine, quo Hebraicè & Chaldaicè appellantur. Transpositis tamen elementis Hispanicè dicta, siquidem* KAMBRON, *easdem quatuor præcipuas consonantes obtinet cum* BARKAN: *& Chaldaicum nomen,* BARKANAIA, *idem ferè quod* Kambronera *est. transpositis tamen, vt diximus, litteris, quod non solùm in variis linguis, sed in vna atque eadem frequentissimi exempli est.*

קוצות

קוץ ברכנים

Kambron.

Et inde conscendens venit in Phanuel, locutusque ad viros loci illius similia. Cui & illi responderunt, sicut responderant viri Socoth. Dixitque eis: Cùm reuersus fuero victor in pace, destruam turrem hanc.

DISSENTIENTIS *& perturbatæ Reip. imaginem duo hæc, Succothensium & Phanuelitarum, exempla ad viuum depingunt. Nihil enim maiores ciuitatibus ac regnis ad calamitatem & perniciem causæ affert, quàm priuati commodi cogitatio atque cura; sicut contrà nihil firmiora fundamenta ac mœnia ad defensionem conseruationemq; sui ponit (de humanis rationibus loquimur) quam communis vtilium ciuiumq; consensus, cōiunctumq; studium. S. S. E. Et si quisquam præualuerit contra vnum, duo resistent ei. Funiculus triplex difficilè rumpitur. Madianiticæ oppressionis temporibus ita diuisas Israëlitarum Respub. fuisse apparet, vt nullum oppidum, nulla ciuitas alterius iuuandæ rationem habuerit; sed quocumque pro-*

Commodū priuatum.

Eccles. 4. „ „

cto vnusquisque sibi consulere posset, honesto an turpi, suas tantùm curauerit priuatè res. Namque alias qui fieri poterat, vt duorum oppidorū minùs, vti arbitramur, ab hostibus oppressorum eadem sententia esset? (nec communicata tamen mutuò: namque hæc temporis breuitas non permiserat) fratribus lassis, victoribus, ac de publica salute ac libertate sectanda deliberato consilio atque studio agentibus, idq; miraculoso, ac diuinam voluntatem & efficientiam probante exemplo, tamen negandi panis, quo ipsi non egebant, & non negandi modo, sed contumeliosa repulsa respondendi, nisi priuata vniuscuiusque rerum cogitatio & cura, ab omni communione aliena, intercessisset? Namque illi se inter spineta sua incolumes conseruari gaudebant; & hoc omnino perpetuum sibi esse curabant, hoste nulla ex parte lædendo vel irritando. Hi verò turrim habebant, cuius præsidio si minùs ab hostium exercitu magno tuti esse poterant, poterant tamen à priuata & repentina vi, atque inuasione minorum copiarum, quales nunc Gedeonis erāt; & magnum Madianitarum erga se beneficium, & amicitiæ argumentum ducebant, exstare sibi suam illam turrim, cuius auspicato & fausto nomine à priuatis, ac minore impetu custodiri ac defendi posse fidebant. Nam Phanuel longè conspicuam fortitudinem significat. sanam igitur atque exstantem esse volebant turrim, quæ decori ac præsidio ipsis erat, qua incolumi, nec magnum metuebant exercitum, nec exiguum. quod cōsilium cùm probè Gedeon intellexisset, irritum futurum prædixit, eadem mente eodemq; sermone, quibus apud Succothenses fuerat vsus, turri tamen singulariter declarata atque damnata, cuius præsidio illi fidebant. Dixitque eis. *Non pœnas irrogauit, sed ad pœnitentiæ opportunitatem, atque ad fidei suæ argumētum, diuinæq; authoritatis confirmatissimam probationem,* Dixit eis. *In sacra lingua est:* Et dixit etiam viris Phanuel. *Vox,* etiam, *omnia quæ superiùs scripsimus, & plura quoque continet, duabus tantùm litteris* Gam. *viris Phanuel principibus, vt de Succothensibus est declaratum, nam publicarum actionum siue laus, siue culpa penes hunc ordinem est. Ideo enim in Ierosolymitanorum accusationem morum, principes primi à Propheta vocantur: Audite verbum Domini principes Sodomæ.*

פנואל

„ Esai. 1.

Quidquid delirant Reges, plectuntur Achiui.

Cùm verò intellexisset Gedeon, oppidanos non inuitos subsidio panis fratribus prospecturos, nisi primores venissēt: neutrius oppidi plebi minatus quicquam est, sed ipsis tantùm principibus pœnas & meritas indixit, & meliore consilio declinandas, vel ipsa temporis cunctatione suadere visus est. Cùm reuersus fuero. *Non conditionem, sed affirmationem constituit vocula,* Cùm. *Exemplaris lingua habet,* BESVBI, In reditu meo. *Ego ipse, inquit, non tantùm incolumis, verùm* In pace reuersus, diruam turrim hanc. BESALOM, *integer, incolumis, nulla accepta clade, omnisq; incommodi expers, ita vt nec negati ab istis vel ab aliis panis, quo membra egebant, inopiam sibi comitibusq; suis, aut impedimento aut moræ futuram esse crediderit*

Universidad de Deusto
Biblioteca

crediderit Gedeon, illo responso fretus: Dedi eos in manum tuam. *Non enim in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. tantum sufficere atque efficere firmißima potest fides.*

Zebee autem & Salmana requiescebant cum omni exercitu suo, quindecim enim millia viri remanserant ex omnibus turmis orientalium populorum, cæsis centum viginti millibus bellatorum educentium gladium.

VIDENTVR *Reges illi sequente post illam nocturnam cladem die, signis & vexillis sublatis, curasse, vt quicumque euaserant, disiectiq; fugiebant, rursus in exercitus formam reciperentur; quo meliùs, commodiùs, ac tutiùs coniunctis animis ac viribus, vel procedere vlteriùs possent, vel suas regiones redire, vel prælium redintegrare, vel ponè sequentem hostem minore quàm antea negligentia excipere, & sustinere. Locus autè in quem conuentum fuit,* KARKOR *vocabatur, quod nomen in sacra primùm lingua expressum, Chaldaica Paraphrasis, & Græca etiam versio referunt. Atq; narrationis huius illa series est: Dum Gedeon fugientes hostes insectatur, dum ab Ephraitis interpellatur, dum apud Succohot atq; apud Phanuel moratur (quamquam hoc breue fuerit) tantum spatij hostibus contigit, maximè metu conterritis atque fugam properantibus, vt sese recipiendi atque coniungendi locus peti posset, Regibus præsertim id ipsum curantibus per duces, centuriones, præcones, satellites, aliosq; militiæ ministros, vt fit; ita vt omnibus quò deueniendum esset demum constaret, tandemq; in* KARKOR *deuentum fuerit. apparet autem publicis præconiis & communi clamore, quem* Passa parola *Itali milites dicunt, pronunciatum fuisse,* BAKARKOR, BAKARKOR. *quam rem singularis vocabuli pronunciatio & scriptura obseruandam indicat. Nam* B. *præpositio ac litera propriis locorũ nominibus adiuncta, perpetuò cum vocali breuissima, siue semibreui* E, *pronunciatur, nisi singularis cuiuspiam notationis ratio pro e semibreui, a breue postulet. vt hoc loco in quo pro* BE, KARKOR *legimus* BAKKARKOR. *Cùm eadem vtrobique significatio sit* BE, *&* BA, *præpositionis, quam Latina In, plerumque referi: tamen pronunciationis variata ratio singularem significationem arrogat voci omni, tum ad certum loci nomen fugientibus ac dissectis indicandum, tum ad clamorus ac vocis perferendam vim, prima breui vocali* A. *cuius sonus longiùs quàm* E, *semibreuis audiri potest. Deinde prima nominis proprij litera* K, *duplicata, & nomine ipso in vocalem magnam accentu acuto affectam desinente. Namque præpositio* BE, *sequẽtem se consonantem duplice sono pronunciari non cogit:* BA, *verò hoc postulat, obstareq; cogit. itaque prima cura Regibus fuit, disiectas copias* KARKORAN, *conuocandi & colligendi; altera verò collectas iam recensendi. distabat autem* KARKOR *à Phanuel, vt ex gestarum rerum obseruatione cõiicimus, dimidio militari itinere septem vel octo ferè passuum millibus: vbi iam secundum*

cundum opus fuit, collectorum ac receptorum virorum recẽsere numerum, atq; ex iis, qui superessent, eorum, qui desiderarentur, summam subducere. Atqui recensitus exercitus non maiorem quàm quindecim millium numerum retulit, non maiorem inquam; nam vocula CHE, *dubitationem absoluti numeri indicat, vt Latinæ ferè, & propè, & fermè, ac penè: ex quo deprensum est, centum ac viginti millia desiderari; quippe illis domo prosciscentibus, centum triginta quinque millibus armatorum, atq; ad prælium promptorum, exercitus fuerat instructus. quòd verò exponitur educentium gladium, pueros, senes, feminas & seruitia reliqua excipiendi causa est adiunctum, quod quidem vulgus imbelle atq; inutile nec numero addicitur, nec vmquam in gerendarum rerum rationem venit; tantummodo enim ad vastandum, diruendum, dirripiendum valet: quamobrem immensum cum Madianitarum exercitu fuisse ex eo coniicimus, quòd non ad prælia præcipuè, quæ nulla hostes hi iam cogitabant; sed ad vastationem ac direptionem quotannis prodibat. Ideoq; superiùs narratum est: Ipsi enim & vniuersi greges eorum veniebant cum tabernaculis suis, & instar locustarum vniuersa complebant. Atq; hanc rerum actionumq; seriem ipsa sacri sermonis plana ac simplex lectio obseruatioq; indicat. Namque ex verbo ita legimus:* Et ZEBAHH & Tsalmunagh *in* KARKOR, *& exercitus eorum cum illis (plurali numero exercitus) quasi quindecim millia: omnes reliqui ex omni exercitu filiorum Orientis.* Et qui ceciderant centum ac viginti millia, vir educens gladium. *id est, qui non imbelles aut tyrones erant, sed singuli ex illo numero viri strenui ac fortes, ad armaq; prompti, & qui non eminus funda, iaculis, aut sagittis; verùm cominus conserto pede pugnam cum hoste capesserent. Atque hæc narratio commodè inducta est, vt Madianitarum Regum disciplina, cura, actionibusq; illius temporis declaratis, ex ipsorum met ratione, quantum illa nocte miraculum editum fuisset, cognosceretur. Iam verò quid eadem tempestate à Gedeone actum fuerit, videamus.* Supra c. 6.

Adscendensque Gedeon per viam eorum qui in tabernaculis morabantur ad Orientalem partem Nobe & Iegbaa, percussit castra hostium qui securi erant, & nihil aduersi suspicabantur.

PRVDENTISSIMI *Ducis consilium fuit, prouidere quemadmodum qui reliqui ex hostibus fuerant, omnes simul imparati inuadi opprimique possent per paucos illos, quos sibi Deus deligẽdos imperauerat. Non quidem quòd se ab hostibus superandum metueret, vt cui ex certa diuini promissi fide ad maiora etiam peragenda spes, animus, atq; robur suppeteret, sed quòd intelligeret, fieri non posse, vt hostium exercitus, si in fugam verteretur, dissectus ab exiguo suorũ numero cæderetur. vnusquisque namque ex fugientibus aliam atq; aliam in partem conterturus erat, qua speraret ab victoribus hostibus longissimè diuertere; atq; ita per paucos fugari multi poterant, sectari verò, comprehendi, atque interfici non poterant: præcipuè patentio-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ribus iam, quàm antea, spatiis & liberioribus, nullóque interiecto lacu vel flumine præclusis. At verò ipse sibi in manum tradendos hostes fidere cœperat: quamobrem qua potissimùm ratione id fieret, prouideret vt exercitum integrum conficeret: id verò simulato insectationis errore agendum sibi duxit prudentissimus Dux. Namque acuta esse bellorum consilia oportet, cùm belli disciplina ad venationis referatur artem. S.S. E. Quasi Nemrod robustus venator coram Domino. Atqui solertiæ ac industriæ non exiguæ pars est, dispicere, & agere, vt, quam capere, aut occidere quærimus, fera vel in suo lustro quiescens, vel aliàs imparata angustiori opprimatur loco. Cùm itaque Gedeon vel per exploratores suos, vel potiùs per spiritus, quò duceba-tur, vim hostem apud KARKORAM consedisse sciret, arte consilioq. circumueniendum inuadendumq. statuit: nimirum ab ortu solis opprimẽdum: vnde ipsum nihil periculi vel metuere, vel suspicari intelligebat. Quippe Gedeonem à tergo sibi esse, hoc est, ab occasu existimantem, ex ea tãtùm plaga cauere par erat eum, cui orientalis regio omnis patebat libera, cuiq. nulli alij, præter Gedeonis turmas, metuerent exercitus. Cumq. (vt fieri solet) exploratores ab occasu nihil sibi conspectum indicassent, securitatem Regibus, & quiescendi opportunitatem lassis ex fuga exercitibus, atq. adeò armatorum numerum recensendi spatium effecerant: nullo præcipuè illo toto die ad occiduam plagam viso, qui hostium ponè sequentium suspicionem iniicere posset. Igitur cùm Madianitæ Orientem versus fugientes, apud KARKORAM, siue hostem ab Occasu fortasse venturum, exspectandi consilio, siue magis animo vlteriùs ad suas regiones contendendi: Gedeon, quamquam lassis admodum socijs, tamen diuinæ voluntatis fide instructus & animatus, longa itineris ambage suscepta, totam sibi lucem in fallendo atq. securiore reddendo hoste posuit, certam metitus rationem temporis, quo via confici, & noctis ad inuasionem opportunitas capi posset. A Phanuel igitur Ortum versus tendentibus recta in KARKORAM via erat. hac relicta, ad dexteram, hoc est, in Meridiem Gedeon diuertit, velut in Arabas contendens, ita vt, quamquam ab exploratoribus fortassis prospectaretur, tamen vel rarè, vel alio procul tendere, vel etiam, relicta contentione, diuersum longè consilium sequi credi posset. Euenit autem, vt à nemine ex hostibus obseruaretur, quippe quibus numquam eiusmodi suspicionis narratio in mentem venerat. Huius itineris atque consilij descriptionem & significationem Chaldaica versio apertè indicat, hoc modo: Et adscendit Gedeon via habitationis Arabũ, qui habitant in Sechonim, ab Oriente Nobbahh & Ramatha. Et percussit castra, & castra posita erant confidenter. *Temporis ac loci opportunitatem à Gedeone sapienter quæsitam intelligimus, qui non solùm noctu inopinantes, verùm ex superiore loco aggressus est, occupato videlicet monte, qui in plano atq. depresso loco positis castris ab ortu imminebat. Nam* Iagbeha *idem Hebraicè, quod* Ramatha *Chaldaicè significat, Hispanicè* Cumbre, *Latinè* montis culmen, *siue* cacumen dicimus. *Erat autem oppidi nomen ex situ factum,* Nobbahh, *etiam sublimi loco positum vel nomen ipsum indicat, quod latrantem significat, tdq. videtur ex ventorum impetu & sono, qualis in editioribus edi solet, vel rupibus, vel montibus. Atque ita describendum est hoc Gedeonis iter, vt prima diei parte versus Meridiem aliquantulum declinaret, specie contendendi in Arabas; deinde verò Ortum versus in Meridiem reflexerit, quoad Iagbeham peruenire, quæ Madianitarum exercitui Orientalis tunc erat. Ipse autem exercitus ita situs constitutusq. erat, vt, quemadmodum interpres noster exponit, nihil aduersi suspicaretur; quippe qui ab Ortu nullum metuerat hostem, haberetq. duo veluti præsidia, alterum Iagbehan, Nobahhan alterum: à tergo autem, hoc est, ab Occasu, vnde suspicio esse poterat, militarè prouidentia, arte, & opera atq. custodia probè esset munitus. hoc sacræ linguæ verba significant,* Et percussit exercitum, & exercitus erat confidens. *quæ Chaldæus explicat:* Et castra posita erant confidenter. *Illo etiamiam inuadente, & occisioni operam dante, tamen castra ipsa rem nondum sentiebant nec commouebantur. hoc primis noctis horis actum videtur, cùm hostes partim cenæ indulgerent, partim colloquijs & sermonibus illius diei calamitatem commemorarent, vnusquisque euasionis fugæq. suæ rationem, & quam illi appellabant fortunam & sortem, narraret; ita vt hoc tumultu nec descendentis Gedeonis strepitus, nec inuadentis impetus sentiretur.*

Oppotuni-tas.

Loca alta ventosa.

Fugeruntque Zebee & Salmana: quos persequens Gedeon, comprehendit, turbato omni exercitu eorum.

INTERPRES *noster rei summam reddidit, quam pluribus verbis exemplaris lectio narrat hoc modo:* Et fugerunt Zebbahh & Tsalmunahh, & persecutus est, & cepit duos illos Reges, illum Zebbahh, & illum Tsalmunahh, & omnem exercitum. *Atque verba omnia hæc & Chaldaica & Græca versio obseruarunt, vnà cum adiunctis singularibus signis: quorum vicè quia Latina non obtinet lingua, nos pronominibus illos illum, illum, supplemus. Atqui rei gestæ ratione, & fidei præstantiam, cuius ductu & impulsu omnia hæc acta gestaq. fuêre, lectio ipsa manifestè indicat. Totius belli illius, & præsentis Israëlitarum calamitatis finem & successum, non solùm Madianitarũ cædẽdo, fundẽdo, & fugando exercitu, sed Regibus quoque capiẽdis & perdendis constituturũ sibi Gedeon ex fide persuaserat, illo videlicet promisso instructus:* Ego ero rectum, & percuties Madian vt virum vnum. *Cuius promissi iam sententiam explicuimus. Atqui corpus ipsum Madian sibi iam percussum cùm videret Gedeon, caput adhuc integrum constare sciebat, quod petẽdum sibi esse ex fide intellexit. Erãt autẽ illius gentis caput, Reges, qui, quamquam duo essent, promissi tamen sensu vnum definiebatur caput, vt virum vnum. Hos igitur destinato studio & contenta opera sectari ab initio cùm cœpisset, Succothanis & Phanuchitanis declarauit; Et ego, inquiẽs, persequor Zebbahh & Tsalmunagh, Reges*

Singularia signa.

Promissi sententia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Reges Madian, eosdemq; fidei suæ indicandæ, atq; pœnitentiæ illis suadendæ causa, dum pœnas prædiceret, nominatim compellauit, Cùm tradiderit Dominus, *&c. Igitur prima hoc in loco ac tempore cura Gedeoni fuit Reges capiendi; quibus captis, reliquum exercitum facilè turbatum, fusum, comminutum, disiectumq; iri intelligebat: exercitus autè securitas, noctisq; opportunitas tantum spacij & commoditatis concessit, vt non antea Gedeonis sentiretur impetus, quàm in ipsum caput, hoc est, in Regum tentoria, atque custodiam factus esset. quam rem lectio ipsa proximè significabat:* Et percussit exercitū, & exercitus erat securus siue confidens. *Cùm itaq; ea pars, in qua Regum tentoria erant, prima omnīū ex superiori petita loco cædi cœpisset; Reges & præteritæ noctis recordatione, & proximi iam periculi metu, omni dimicandi cogitatione abiecta, fugæ sese dederunt: nō enim intelligentes qua parte Gedeon descendisset, existimare potuerunt, illum ab Occasu aggressum primas castrorum partes superasse ac fudisse, quando suis tentoriis proximum iam, atq; operam cædi dantem cognouerant. Nec adèo longè erat Gedeon, vt fugientum Regum tumultum & strepitum, atq; eorum qui cum illis fugerent, hoc est, familiarissimorū turbam sentire obseruareq; non posset: cùm præsertim toto in illam partem studio atq; animo esset intentus. quamobrem & illum tumultum eò vsque cædendo atq; obseruando secutus est, quoad Reges ipsos assecutus, viuos cepit, captosq; ligauit. Fugam autem ad sinistram ab illis initam ex eo coniicimus, quòd Orīū versus montis importunus adscensus difficillimam redderet; ex quo etiam loco à Gedeonis exercitu (quem illi maximum esse existimabant) cædem fieri sentirent: retrorsum verò redire inconsultissimum videbatur, putantibus illinc cœptam cladem primùm, atque constitutos adhuc hostium cuneos rem agere, fugientesq; præcludere. Ad dexteram quoque montana loca erant, secundùm Itzbehhan. Atque inde etiam cædis turbationem clamoremq; audiebant. quare vnica ad sinistram Septemtrionis plagam effugiendi commoditas opportunitasq; constabat; hanc verò nihilominus Gedeon antea animo & cogitatione præceperat, quam ipsi tunc primùm oblatam ceperūt: ideoq; tanta celeritate ac dexteritate rem peregit, vt voti compos euaserit, captis duobus Regibus Madian, non solùm regio cultu, & habitu, atq. diademate, sed facie ac propria vtriusque nomine appellatis & cognitis. quod articuli Hebraicè atque Chaldaicè adiuncti singulari notione indicant:* Illos Reges Madian, Zebbahh, & illum Tsalmunagh. *Quorum captura omnibus castris, totiq; exercitui, cuius illi caput erant, calamitatē attulit maximam. Eam verò singulari verbo historiæ author exprimit.* HEHEREID. *similitudine deducta ab ea strage, quam fulmen, quocumque impetu contorquetur suo, edere solet. quædam enim rumpit, alia diruit, deijcit multa, penetrat, findit, ac demum omnia conquassans euertit, & confundit; exanimantibus verò multas interficiens, cæteras, quibus vel conspectum fuerit, exanimes partim, sensu partim commotas, cunctas denique perturbatas relinquit. Est autem verbum in tertia coniugatione, quam nos authorantem dicere solemus, cuius significationem nec Græcus nec Latinus sermo exprimere possunt, nisi per circuitionem, turbare fecit; siue, vt turbarentur effecit, non secus ac fulmen, quod quamquam non omnia tangat, omnia tamen commoueri cogit. Huiusmodi itaq; castrorum faciem à Gedeone effectam, vnico verbo describi satis fuit, ad fidei virtutem atq; efficacitatem significandam, tantæq; rei declarandum exitum. Facilè autem ex illis vnusquisque, quid illo tempore hostibus priuatè ac publicè acciderit, commentari poterit; nobis verò sat est, Reges captos duci, nullumq; iam constare Madianitarum exercitum.*

Reuertensque de bello ante solis ortum.

IN *exemplari lingua integer versus est, atque ita ex verbo reddi potest:* Et reuersus est Gedeon filius Ioas ex illo prælio ab adscensu BAHEREZZ. *Rei gestæ celeritatem & felicitatem, gerentis etiam dexteritatem & virtutem, atq; omnium harum effectricem fidem, obseruandam & cognoscendam hæc temporis adnotatio indicat, viri nomine atq; cognomento repetitis:* Gedeon, filius Ioas. *Cui huius tantæ rei conficiendæ promissio facta, & prouincia data nuper fuerat in Ephra, quæ pertinebat ad Ioas, patrem familiæ Ezrri. Cumq; Gedeon filius eius excuteret atq; purgaret frumenta, audiit: In hac fortitudine tua liberabis Israel de manu Madian. In hac fortitudine tua, ita priuatus, tantùm filius Ioas, nullo alio apud tuos illustris titulo, tamen fortitudine hac meo verbo concessa instructus liberabis. Qui respondens ait; Obsecro mi Domine, in quo liberabo Israel? ecce familia mea minima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei. Atq; huic minimo, & nullis in Repub. titulis præclaro, sapientiæ ac fortitudinis spiritus datus est, quo per fidem instructus, primùm illud aggressus est facinus diruendi aram Baghal, succidendiq; lucum, cum admiratione omnium, qui tantam audaciam priuato homini fuisse audirent: quibus perquirentibus authorem facti, dictum est: Gedeon filius Ioas fecit hæc omnia. Atq; hanc priuati hominis conditionem, contemptui ac despectui sibi habitam, Succothani & Phanuelitæ insolenti atque inhumano responso illo subnotauerāt: Numquid palmæ Zebbah & Tsalmunagh in manu tua sunt, vt demus exercitui tuo panes? in manu tua, priuati & ignoti hactenus hominis, exercitui tuo, non Dei, non nostro? Veritatis itaque diuinæ constantiam, & electionis sanctitatem atq; authoritatem, fidei quoque efficacitatem indicat hæc huius nominis & cognominis viri appellatio, hoc loco repetita: Gedeon filius Ioas, qui aliàs præter paterni nominis cognomentum, nihil quamobrem ab aliis dignosceretur, habuerat, nunc fide instructus, & diuino auctus Spiritu, re maxima celerrimè ac strenuissimè gesta, victor à prælio reuersus, hostium exercitibus cōfectis, Regibus captis, atq; in triumphum ductis, populo salutem libertatemq; reportat, exemplum atque monumentum statuens virtutis & felicitatis, quam Deus iis præstat, qui promissa*

Fides. Supra 6. Veritas Dei.

Universidad de Deusto
Biblioteca

missa sua per fidem atq; obedientiã sequũtur, quibus illa in mente atq; ore
Psal. 18. carmina semper sunt: Deus qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam. Qui perfecit pedes meos tamquam ceruorum, & super excelsa statuens me. Qui docet manus meas ad prælium, & posuisti vt arcum æreum brachia mea. Dilatasti gressus meos subtus me, & non sunt infirmata vestigia mea. Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar, donec deficiant. Huiusmodi planè mente animoq; canẽs Gedeon, nec vllo cunctatus impedimento, nec vllo continuati laboris tẽpore & spatio fractus, totisq; hesterni diei horis in itinere, totis consequentis noctis in prælio & reditu consumptis, victor primo manè rediit; ita vt cùm iam dies apertissimus esset, nihil, quod ad bellum faceret, in sectum ipse relinqueret: quamobrem sibi tunc iam redeundum adscẽdendumq; duxit. Verbum autem, adscendit, indicat illius noctis pugnam, & rem omnem in depressiore loco fuisse peractam, vt superiùs exponebamus. Quod vero in notatione temporis dicitur, Ab adscensu HA HHEREZZ idem significat quod Latina verba, Paulo ante æstum. Plura namque in sacra lingua sunt nomina, quibus astrum illud, quod Latino vocabulo Sol dicitur, pro efficientiæ & opportunitatis ratione significatur. Frequentissimum omnium SEMES à mini-
Sol. שמש
חרס stratione factum; aliud verò HHEREZZ quater tantùm in sacris libris obseruatum, à verbo HHARAZZ deductum, quod exsiccare, & exoquere, humoremq; exsugere interpretari possimus. atq; hoc nomine tunc Sol indicatur, cùm pro anni & diei horarum opportunitate, calore maiore terram exsiccat, animantesq; infestat; æstate nimirum ab vna atq; altera post ortum hora ad vesperum vsque, pro cæli præsertim regione ac plaga, & pro solis natura ac situ. ita autẽ & tempora, & opera in actionem omnẽ metitus dicitur Gedeon, vt cùm grauis esse inciperet sol, iam ille ex pugna reuersus, vix ardua superasset adscensum: quod miraculi nomine obseruandum, lectio ostendit, potuisse tot res, tot opera, tot labores duarum noctium, vnius spatio lucis, nulla intermissione lassis atque teiunis hominibus confici; quod cùm alias secundùm naturæ facultatem impossibile factu videatur, tamen fidei adscriptum, multis spectatum exemplis constare, beatus Paulus docet:
Hebr. 11. Deficiet me tempus narrantem de Gedeon, Barac, Samson, Iephthe, Dauid, Samuel, & Prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, exstinxerunt empetum ignis, effugauerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterũt exterorum, & cetera. Itaq; Gedeon, antequam socios, labore atq; viæ adscensu exercitatissimos, æstus additus offendere posset, iam in planum minusq; difficilem deduxerat locum. Græci interpretes Hebraicum vocabulum, quibus litteris scribere potuere significationis causa reliquerunt, EOES. ex Latinis, vti diximus, hoc tẽpus alij æstum, alij gra-
Verg. Eclog. 3. uem solem dicunt. vt ille:
——— Quale per æstum
Dulcis aquæ saliente sitim restinguere riuo.

& alteri

——— Ille salubres
Æstates peraget, qui nigris prandia motis
Finiet, ante grauem quæ legerit arbore solem.
Hor. lib. 2. Sat. 4.

Apprehendit puerum de viris Socoth, interrogauitque eum nomina principum & seniorum Socoth, & descripsit septuaginta septem viros.

In prædicti iam testimonij confirmationem, atq; in publicæ authoritatis & fidei exemplum, Succothanis principibus pœnas tam decretas, atque Deo iudice, vel ipso captorum Regum successu declaratas, irrogandas curauit, ita tamen temperans, vt, authoribus tãtùm punitis, reliquo populo atq; oppido ipsi parceret. Nouerat enim illius iniuriosæ repulsæ decretum & responsum à principibus viris & senatoribus esse profectum, cùm cæteris in Rep., neq; sensum suum sermone explicandi potestas per maiores permittatur, sed per Vlyssem aliquem os præcludi soleat. vt apud Homerum est:

Δαιμόνι' ἀτρέμας ἧσο, καὶ ἄλλων μῦθον ἄκουε,
Οἷσίο φέρτεροὶ εἰσι. οὐδ' ἀπτόλεμος καὶ ἄναλκις,
Οὔτὲ ποτ' ἐν πολέμῳ ἐναρίθμιος οὔτ' ἐνὶ βουλῇ.
Heus bone, te deceat aliorum verba quietum
Audire, imbellis cùm sis ac roboris expers,
Nec vmquam ad bellum numeratus consiliúmve.
Iliados.

Diligenter autem cauit Gedeon, ne populares, quorum in illo crimine vel nulla, vel minor certè culpa fuerat, eadem cum primoribus pœna inuoluerentur: quamobrem per iuuenem quendam, vniuscuiuspiam ex ipsis principibus familiarem (namque hoc significant hoc loco nobis verba illa, Puerum de viris Socoth) & numerum & nomina eorum qui oppidum regerent, edoctus est, eorumq; nomina memoriæ causa descripsit, Septuaginta septem viros videlicet. namque inter seniores atq; principes numerus ille constabat, apud quem totius Reip. summa erat authoritas, cùm illa tempestate populi illi, quamquam vnum aliquem haberent interdum iudicem, tamẽ singuli suis magistratibus constitutis, aristocratiæ formam obtinerent. Erat autem satis magnus, & ipsa septenarij numeri maiore ac minore appellatione grauissimus consessus, pro illius oppidi magnitudine atque ratione. Sic olim in Rebuspub. antiquis, decemuirorum ac centumuirorum collegia celebrantur: sic varius in locis hoc tempore, variis numerorum nominibus, eorum, qui de Repub. consultant, ordo appellatur; vt apud Leodienses, triginta ac viginti nobilium collegia duo sunt. Hispali atq; Cordubæ in Bethica viginti quatuor cùm antea constituti fuerint, perpetua consultandi authoritate, patritij viri, nunc, quamquam multo plures his fuerint adiuncti, tamen numeri nomen pro magistratibus titulo conseruatum singuliq; vsurpant; vt olim duumuir vel centumuir quispiam, sic nunc vigintiquatuor in vestris ciuitatibus, & triginta vel viginti Leodij singuli appellantur. Atq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

ita apud Succothanos, *ex duobus principum atque senatorum ordinibus septuaginta septem virorum coaluerat numerus, quorum nomina ad distinctionem & memoriam (vti diximus) describi oportuit, ne ex nominũ communione error incidens, plebeium pro patricio, vel pro seniore arriperet. Singulis itaque nominibus ordinis titulus adnotatus est. Mirandum verò maximè, tantam, tam communem fuisse omnium istorum & dementiam, & contumaciam, vt nec in prima consultatione quispiam impio illi atque crudeli decreto intercederet, neque absente iam Gedeone, & spacium ad pœnitentiam concedente, aliquis de misericordia ac deprecatione consultaret; vt nullus denique & admirandam illam, communemq; omnibus salutem Deo adscribens gratularetur. Sed quis hominum stultitiam, & in malo consilio pertinaciam, assiduis quotidie exemplis notatam, non his peiora & agere, & vrgere videt?*

Venitque ad Socoth, & dixit eis: En Zebee & Salmana, super quibus exprobrastis mihi, dicentes: Forsitan manus Zebee & Salmana in manibus tuis sunt: & iccirco postulas vt demus viris, qui lassi sunt & defecerunt, panes.

SVPPLICII *de illis sumendi sententiam, ex diuino consilio iudicioq; profectam, ipso prædicto antè, nunc verò ostenso signo confirmat. Prædixerat enim, non antea se illam omni Israelitarum Reip. factam iniuriam vlturum, quàm duorum Regum, nominatim exceptorum, victorem & dominum Deus effecisset. Id quod si non succederet, ad illorum defensionem arripi concederetur: sin verò, vt ipse prædixerat, eueniret, sententiam quoque suam Deo ratam haberi consequeretur. nunc verò cùm manifesto exemplo suam ille causam probauerit; illorum omnem defensionem excusationemq; interceptam & repulsam iure declarauit: Vos, inquit, Zebbahi & Tsalmanaghi siue metum, siue studium, omni aliæ cogitationi & rationi ita anteponendum duxistis, vt non humanitatis modò, sed etiam pietatis legitima officia deferenda esse decreueritis: nunc verò eò redacta est res, vt sublate, quo nitebamini, fundamento, cadendum vobis causa necessariò sit. Nullam namque tunc fuisse vel virtutem, aut authoritatem, aut potentiam duorum horum Regum, vel ipsa illorum fuga & fusione cognoscere potuistis, vel mea etiam declaratione intelligere, vel saltem credere, ac sperare, cùm ipse professus essem, me hos duos sectari; quam professionem, tamquam stultam, & insolentem aut arrogantem, vos mihi exprobrastis: tãtum abest vt voto atq; officio iueneritis. atq; hoc vnum criminum caput est: secundũ verò, Dei bella non nouisse, nec veneratos fuisse, suaq; pro parte promouisse, cùm tamẽ vicina essent, & sua ipsa maiestate omnibus non piis modò viris, sed vel cor habentibus, probarentur. supinæ enim ac turpissimæ, defensioneq; carentis inscitiæ esset, tam repentinam rerum mutationem, tantamq; stragem hostibus, antea potentissimis, vna nocte allatam, aliæ causæ quàm diuinæ voluntati ac virtuti adscribere: quod & ipsi, quibus calamitas incidit, cognouerant,*

rant, cùm audirẽt: Gladius Domini ac Gedeonis. Tertiũ verò crimen fuit, esurientibus communi, atque adeò ipsorum causa lassis & periclitantibus fratribus, panis vilissimo saltem cibo succurrere noluisse. Quod quidem multis nominibus grauissimum erat, vt superiùs exponebamus. Exaggerabat autem facinus contemptus & irreuerentia cùm comitum, tum præcipuè ducis ipsius, cui non ex lege tantùm, sed ex plebiscito, institutoq; maiorum, non obtemperare capitale fuerat. S.S.E. Omnia quæ præcepisti nobis, faciemus, & quocumque miseris, ibimus. Sicut obediuimus in cunctis Moysi, ita obediemus & tibi: tantùm sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moyse. Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit in cunctis sermonibus quos præceperis ei, moriatur. Tu tantùm confortare, & viriliter age. Hæc illorum erga ducem officia, non solùm non constitisse, sed cum probro etiam deserta abiuratag; fuisse, conuincit Gedeon: atq; tria hæc criminum capita breui illa recitatione complectitur: Exprobrastis mihi, *duci, atq; bellorum Domini ministro.* Vt demus viris, qui lassi sunt & defecerunt, panes. *Vos & illos lassos vidistis, & tamen crudeliter atque impiè vel pane iuuare velle negauistis.* Ioſue 1.

Tulit ergo seniores ciuitatis, & spinas deserti ac tribulos, & contriuit cum eis, atque comminuit viros Socoth.

POENARVM *de illis sumptarum præconium militari atq; ciuili etiam more pronunciari oportuit. Cuius sententia & criminis reos, & causam breui complecteretur sermone. huiusmodi autem præconij summa duobus illis indicatur verbis:* Tulit seniores ciuitatis. *Namque Hebraicũ verbum* LAKAHH, *sæpissimè ad ius relatum, pœnas indicat sumendas; qua in significatione interdum actiuè, interdum verò passiuè pronunciatum obseruatur; in iis criminibus quæ verberibus puniri solent, sine vllo alio adiuncto, frequẽtissimè actiuam vocem obtinet, ad eumq; refertur, qui flagellis est afficiendus, vt si quis vltra terminum præscriptum sabbatho progressus fuerit,* LOKEAHH *accipiat, siue ferat, nullo alio addito intelligendum est, triginta nouem plagas illi esse ferendas, qui eius criminis reus fuerit conuictus. Atque huc illud pertinet: A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi. Cùm verò ad iudicem refertur vocabulum, à iudice ad pœnam obligatum, & iusto iudicio damnatum indicat. vt: Comprehendantur superbi, quia iniusè iniquitatem fecerunt in me. huiusmodi in sermonibus verbum,* LAKAHH, *frequentissimè vsurpatur. Latino autem idiomate cùm ad iudicem refertur, pœnas sumere dici potest: cùm verò ad reum siue damnatum, pœnas ferre, vel accipere, vel sustinere, aut subire dicimus. Hoc itaque loco idem nobis significat,* Tulit ergo, *quod obligauit, damnauit, damnatos ad supplicium producendos tradidit. Alterum verò verbum,* Seniores ciuitatis, *personarum in sententia præconioq; conditionem & ordinem indicat, quorum vel ex nomine ac titulo exaggeratur culpa. Nam cùm*

לקח

Misnaloth magno de Sabbatho cap. 10. Verberati, Vincere, Punire.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Princeps, senex.

in duas classes antea partiti fuerint ij, quorum ad Gedeonem referebatur responsum, principes & seniores, minorúmq; potentiæ seniores quàm principes esse soleant: tamen quod ad Remp. constituẽdam attinet, seniorum consilium præcedat oportet; quod principum potentia deinde, cùm opus fuerit, sit promouendum. Præterea quamquam non omnis senator princeps vel dicatur, vel sit; omnis tamen princeps, vt potentior, in senatorum describitur ordinem; atque in consilio, si non ferendo, tamen cogendo, primas vsurpat. Quamobrem cùm de Reip. summa quicquam agitur, totius senatus nomine decernitur. Igitur omnes illos septem ac septuaginta viros vno senatorum titulo hic comprehensos legimus, quorum crimen fuerat, pernicioſi erga ciuitatem suam atque omnem Israëliticam Remp consily, ab ipsis, vt à senioribus vrbis, profecti atque decreti. Est itaque sententiæ ac præconij explicatio, seniores vrbis comprehensos, damnatos, atque obligatos supplicio teneri, ac destinari. Cætera verò quæ adiunguntur, pœnarum materiam & speciem tam sententia, quàm præconio pronunciatam indicant. Vt qui durissimè & acerbissimè Israëlitarum Reip. & suæ etiam singulariter consuluerant, id quod fecerint, ipsi corpore experiantur. vnum verò verbum explicandum nobis restat in sacræ linguæ exemplari, יזע IODAGH. *pro quo Latinus interpres noster, cõsulta, vti videtur, Chaldaica versione, duo posuit,* תבר Contriuit, atque comminuit. *quæ duo vnico Chaldaicè,* THABAR, *id est, fregit, comprehensa videantur. Atqui verbum* IADAGH, *duo præcipuè significat, non adeò diuersa, videlicet, cognoscere siue scire, & augurari siue ominari. ex qua significatione, diuinatores auguriorũ, & ominum* ירעונים *studioſi,* IEDGHVNIM *vocantur. Hoc verbo hoc in loco author vsus, vtramque significationem complexus est. &* IODAGH, *in viros Sucoth, in priore significatione respondit eleganti Latinorum verbo animaduertere. In posteriore conuenit cum eo, quod infeliciter & infaustè dici solet: hæc est autem præconij sententia, in viros Succoth, qui sibi & vrbi fausté & feliciter consuluisse videbantur, animaduertendum esse, damnatos videlicet ad tribulorum & spinarum supplicium, infaustum quidem, tamen malo crimine ac merito ferendum. & nõnulla loca in sacris lectionibus, nisi hanc verbi huius teneamus animaduersionem, difficilis interpretationis esse deprehendentur. Vt ille:* Prou.10. „ *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter: qui autem deprauat vias suas, manifestus erit.* TVADEAGH. *Tandem, inquit,* Prou.34. „ *infelici exitu infaustum sui dabit exemplum. & ille: In corde prudentis requiescet sapientia, & indoctos quoque erudiet. In exemplari lingua, Et in medio imprudentium* TVADEAGH, *animaduersionem parabit. Hæc adnotare nos interpres noster cõegit, qui vnum verbum primæuæ linguæ duobus Latinis exponendum duxit.*

Turrim quoque Phanuel subuertit, occisis habitatoribus ciuitatis.

SVCCOTHANOS, *qui priores mali exempli authores fuerant, priùs ad*

ad pœnas damnatos oportuit: quos quia contumacia non æquarunt modò, sed superarunt etiam Phanuelitæ, exitio etiam subeundo secuti sunt. Mirum autem videri potuit Gedeoni, non hos, vel ipsum antea victorem cum captis Regibus redeuntem, & suam turrim præteritum, animo videlicet in Succothanos priùs animaduertendi, non secutos ac deprauatos fuisse, exoraréq; conatos, aliqua saltem vel simulatæ pœnitentiæ exhibenda specie. mirum magis, illos nec toto illo tempore, quod in adeundis & puniendis Succothanis positum fuerat, quicquam sibi melius ac sapientiùs prospexisse, atque illi, ad ipsorum redeunti locum, obuios factos, aliquo pacto animum tentasse, mouisse, & ad clementiam flexisse. Verùm, quod omnem siue stupiditatis, siue contumaciæ, siue malitiæ opinionem superat, mirum maximè fuit, illos dimicatione ac defensione cogitasse, & serio egisse, fretos videlicet illius turris vano atq; inutili præsidio. Namq; hanc esse causam intelligimus, quamobrem iustissimus dux, qui, repulsam passus, turris tantùm euersionem fuerat minatus, nunc & hanc dirui, & ipsos etiam vrbis ciues occidi iusserit. hoc autem ipsum simplex sacri carminis lectio duobus membris constans indicat, ita ex exemplari expressa: Et turrim Phanuel diruit, & occidit viros vrbis. *Non omnes oppidanos occisos interpretamur, sed viros vrbis; qui sese viros præstare, & turris dirutionem impedire, & prohibere studebãt. Nam cùm hi, vt hoc efficerent, ex vrbe prodiissent, eodem tempore duplex negotium Gedeoni, qui vnicum tantùm susceperat, effecerant: alterum diruendæ turris, vna suorum comitum parte huic labori destinata; alterum verò impugnandi & occidendi eos, qui propugnare ausi, contendere cœperant. Existimo autem hos eosdem fuisse, per quos superbo & insolenter responso fuerat antea repulsus: namq; eodem vocabulo & illic, & hic author vsus est,* Viri Phanuel. *Turbatis autem illa tempestate Israëlitarum rebus, ac malè concinnatis populis, minusq; inter se consentientibus, huiusmodi statui oportuit exemplum, simili impietate, cõtumacia, & superbia dignum, quo cæteri & diuinum iudicium metuerent, & beneficium agnoscerent, & meliùs ac sapientiùs in commune deinceps consultarent omnes; atq; virum hunc, vtpote à Deo delectum, venerati susciperent; & bello ac pace sibi ducem publicumq; iudicem gratularentur.*

Dixitque ad Zebee & Salmana: Quales fuerunt viri, quos occidistis in Thabor?

DIVINI *iudicij in his Regibus exemplum statuere Spiritus sanctus hac narratione parat, quale in homicidas solet statui. S. S. E. Quicumque* „ Genes. 8.
fuderit sanguinem hominis, fundetur sanguis illius per hominem. Namq; „
aliud est, in prælio aliquem pugnantẽ occidisse, aliud verò, tam bello captum, siue vlro deditum trucidare. illud bellicæ sortis & artis; hoc verò, nisi singularis cãusa vel culpa insit, crudelitatis esse iudicatur.

Vendere cùm possis captiuum, occidere noli,
Seruiet vtiliter, sine pascat durus, aretque,

Horat. epist. lib. 1. epist. 16.

Nauiget,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nauiget, ac mediis hiemet mercator in vndis,
Annonæ prosit, portet frumenta penusque.

Habendam quoq; in ipso bello summorum ac præcipuorum virorum rationem, eorum maximè, qui vel ingenuitatis, vel virtutis speciem præferunt, antiqui omnes, qui humanum sentiebant, censuerant. Ita apud Vlyssem Neoptolemus citharœdi necem deprecabatur, cuius nullam, vel exiguam culpam; eximiam verò, atque diuinam artem asserebat. Ita etiam nobiliores principes atque duces, vrbis cuiuspiam post victoriam compotes effecti, certa capita, quorum nobile nomen fuerit, excipienda atque seruanda, publico edicto commendant. Huiusmodi clementiæ Reges isti, Zebahh & Tsalmunagh, obliti, duos elegantissimos iuuenes, ac ex ipsa specie regno dignos æstimatos, non propugnantes, sed iam captos, inhumanè & crudeliter, præterq; regium decorum occiderant, A sang froid, *vt militari atque inuidioso prouerbio Gallicè dicitur: qua re & homicidij crimine sese alligarũt, & pœnas daturi, Deo iudice, comprehensi fuere, exemplo illius, qui manuum ac pedum pollicibus mutilatus, diuini iudicij integritatem & constantiam*
Supra 1. *huiusmodi confessione prædicabat: Septuaginta Reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, comedebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Iam verò causæ sibi non ignoratæ examen ex ipsorum Regum confessione instituit Gedeon, sumendi supplicij integritatem confessis ipsis, & arbitris omnibus demonstraturus. examinis ratio ex definitiuo atque legitimo statibus petita est: nam de coniecturali nihil agendum esse, ipsorum confessione constitit. qualis fuerit occisio illa, num bellico iure à crimine asserenda, an crudelitatis nomine accusanda, & loci, in quo facta est; & personarum, quibus illata est, descriptione atque notatione discernitur. non enim ait in pugna occisos, sed in* Thabor *editissimo monte, qui locus pugnæ aptus non est; capturæ autem eorum, qui eò sese receperunt, aptus esse potuit. Iam quòd illic capti fuerint fugientes, Regibus his pari conditione repensum est, captis videlicet ab illorum fratre. Nunc verò de illius capturæ exitu agitur: qualem enim illi habuerint, & hos habere, consentaneum fuerit. Quamobrem examen in sacra lingua significantiore interrogationis nota cœptum est,* Ac poh. *Quæ & locum, & qualitatem siue speciem inquirit. Latinè duobus simul vocabulis reddi potest:* Vbi nam hic, & quales? *Vtrumque ad suum desiderium indicandum Gedeon interrogabat, & ad istorum conuincendum malum meritum, qui viris, præcipuè insignibus, non pepercissent, vel similis aliquando fortasse futuræ conditionis cogitatione: Statuite vobis nũc hoc loco tãquam præsentes* viros illos, quos in Thabor occidistis; *& quid de vobis factum velitis, ex illorum exemplo per vos edito existimate. Vestram cum illorum conditione comparate, & quid de illis censueritis, declarate.*

Qui responderunt: Similes tui, & vnus ex illis, quasi filius Regis.

Svperbo *ac barbaro, regiæ tamen maiestatis non experte, responsa confessionem hanc editam intelligimus, non quæ pœnam deprecaretur, sed sponte ac deliberato animo factum declararet, non repentino incursu, aut impetu, sed perspecta & explorata virorum specie ac dignitate: & tamen nihilominus factum, cuius non se adhuc pœniteret; dolere autem non fuisse ipsum eũdemq; qui interrogaret. Hanc superbam responsionem exemplaris linguæ verba, constructioq; significat in hunc modum:* Vt tu, vt illi, vnus vt species filiorum Regis. *Non solùm indicatiuo, sed optatiuo etiam modo responsi prior pars excipienda est.* Vt tu & illi erant; *atque vtinam tu nũc, vt illi erant, esses. hoc ad priorem quæstionis significationẽ responsum est.* Vbinam hei͡c, viri illi? *ad posteriorem verò, quæ de qualitate, forma, & conditione fuit,* Quales? *altera responsi pars est referenda,* Vnus vt species filiorum Regis. *Quo sermone significarunt, se illorum speciem & vultus accuratè fuisse contemplatos: & quamquam vtrumque generosum atque elegantem, nec valde Gedeoni dissimilem, obseruassent; non tamen alterum alteri fuisse persimilem: quippe cùm alter iunior, & decora grauitq; forma adeò esset, vt Regũ filius comparandus censeretur; siue hoc in speciem dictum fuerit, quòd Regum filij, propter regiam educationem, cæteris iuuenibus forma, & authoritate, atque elegantia plerumq; antecellere cõspiciantur; siue ad Gedeonis filium, qui tunc præsens intererat, similitudo fuerit ab illis relata: certè illud constat, fuisse satis diligenter illorum tum decus, tum etiam discrimen obseruatum; & tamen non propterea illis fuisse parcitum. Vnde & deliberatam sibi tum illorum necem, tum suam nunc mortem, confessi sunt, vtpote qui neceidem, a quo interrogabantur, Gedeoni, si cum illis esse acciderit, se tunc parcituros profiterentur.*

Quibus ille respondit, Fratres mei fuerunt, filij matris meæ: viuit Dominus, quia, si seruassetis eos, non vos occiderem. *In exemplari:* Si viuere feciss͡etis eos.

Cvm *illi se honestissimorum virorum homicidij crimine iam alligauissent, cuius dignus pœnis iure damnarentur, aliud etiam intellexerunt, quamobrem meritò à Gedeone interfici deberent, nimirum non tantùm viros nobiles atque generosos, & clementia vitaq; dignos, sed suos ipsius fuisse fratres. quod non sine dicentis animi dolore pronunciatum declaratumq; fuit. quare illos duplici nomine capitis damnatos esse, & mortis immeritis viris, iisdemq; generosis, consultò illatæ (cuius magna ex gentium iure haberi solet ratio) & illatæ, inquam, fratribus eius principis, in cuius ipsi manus ex iudicio Dei demum deuenerint, quem fratrum suorũ vlcisci vicem iustissimum foret.* Fratres mei fuerunt. *In exemplari:* Fratres mei ipsi. *quod non sine gemitu, suspirio, ac lachrymis dictũ arbitramur. Quod verò addidit,* Filij matris meæ, *affectum auget vehementer, cùm non solùm sibi fratrum desideriũ renouari, sed matris quoq; suæ, ex amissis filiis, dolorem præsentem statui indicet. ad illud etiam referendum est, quòd Reges non eandem fuisse vtriusq; formã explicuerant, nihilominus tamen generosum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ambobus habitum & vultum arrogauerant. Quamquam, inquit, dissimiles aliquanto fuerint, nec me omnino retulerint, fratres tamen mei erant, non eodem mecum patre sati, verùm eadem nati ex matre: idq; in causa erat, vt non omnino mei similes essent. Hoc verò ad naturæ quotidiana exempla relatum vsu plerumq; venit. Namq;, vt optimè (iudicio meo) omnium Hippocrates de hoc argumento philosophatus disserit, facierum & formarum inter homines diuersitas à diuersitate in parentibus inuenta proficiscitur, cùm rarissimè euenire soleat, vt liberi non aliquam ex vtroque parente partem imitati referant: quamquam postremi omnium filij, qui iam senescentibus gignuntur, plus à matre quàm à patre accipere, identidem conspiciãtur, atque ideo teneriores pulchrioresq; euadant; minùs tamen salubri & robusta vtantur natura; contrà verò, primogeniti firmiores censeantur esse. S. S. E. Reuben primogenitus, tu fortitudo mea. Igitur & suos illos fuisse fratres agnouit Gedeon, & causam dissimilitudinis indicauit, & præclegantem illum, matrem magis quàm patrem retulisse, significare voluit. Vos, inquit, fatemini vtrumq; dignitate & elegantia non vulgarem vobis fuisse iudicatum, imò alterum regio planè vultu obseruandum; & tamen fratres illos esse, vos non ignorasse. Quamobrem eo tempore atque loco tantos viros seruatos oportuit, qui nunc vobis redemptionis, siue permutationis pignus esse possent præstantissimum. Nam si vel apud vos captos retinuissetis, vel viuos dimissos fecissetis, vel vẽdidissetis pretio, pari nũc afficeremini clementia. Viuit Dominus. Et iuramenti & iudicij interpretationem hoc loco hæc postulat oratio. Vt Dominus viuit, vitæq; author & fons est omnis; ita ego ex illius iudicio vobis hoc tempore vitam conseruarem, si fratribus illis per vos conseruatam cognoscerem; sed diuinæ sententiæ est, vt qui homicidium consultò, deliberatoq; animo fecerit, idem à sanguinis redemptore, hoc est, ab occisi propinquis, exspectet. vos consultò vobis commissum fassi: iure vobis ferendum hic est, quo viuentis Dei virtute, prouidentia, & iudicio deducti estis, eadem conditione qua illi, hoc est, capti, meliore tamen iure capti quàm illi. Atque ita huius diuini iudicij posteris constabit exemplum.

Hippocr. de concept.

Genes. 49.

Diuini iudicij exemplũ.

Dixitque Iether primogenito suo: Interfice eos.

Iam videmur satis ostendisse, hanc Regum istorum necem, non ad belli impetum & furtem, sed ad diuinum humanumq; iudicium esse referẽdam, ob fratres Gedeonis apud Thabor amõtem, extra pugnæ impetum ac tumultum, consultò occisos: cuius homicidij pœnas quamquam à iudice decretas, per proximum quempiam, quem sanguinis redemptorem diuina lex vocat, sumi oportuit, vt legis illius peritis manifestum est; & nos aliquando in magno opere, à Deo promoti, docebimus. quamobrem supplicij inferendi iudicem, vtpote summum illo tempore illius belli ducem, sese statuerat Gedeon: filium autem suum occisis antea fratribus, secundo à se loco proximum redemptorẽ sanguinis esse volebat: simul etiam & proximis vlciscendis, atq; ita

ita ad legum diuinarum obseruantiam erudiendum; & Regibus occidendis, eóque modo bellicæ fortitudini initiandum. Huiusmodi enim auspicatione, & illum animos sumere, & cor deinceps posthac intrepidum ad magnas gerendas res confirmare oportuit. Obiter autem animaduersione dignissimum videtur exemplum iis, qui, militiæ studium professi, iura etiam cognoscere curant; quid inter eas neces intersit, quæ vel in ipso pugnæ ac præliorum feruore incidunt, vel quæ iam victis, & captis, vel deditis inferuntur. Namq; illæ vel ad belli sortem (modò iustum bellum fuerit) vel ad virorum fortitudinem relatæ, minus offensionis & publicæ, & priuatæ, habere solent: hæ verò magnam plerumq; inuidiam publicè in authores concitãt, & iis, quibus occisi curæ fuerant, magnum dolorem cum summa vltionis cupiditate injiciunt, eamq; magno quæsitam studio opportunè aliquando nacti, nullis, vt prætermittant, vel pretiis vel precibus adduci possunt: cuius obseruationis exemplis non historiæ modo omnes, & sacræ & prophanæ, sed Poëtarũ etiam fabulæ, ad humanæ consuetudinis atq; vitæ instruendæ normam decantatæ, plenæ sunt. Nam sæuæ & inexorabilis, atq; immisericordis Hectori ab Achille illatæ necis causa fuit, dolor ex charissimi capitis, hoc est, Patrocli, desiderio tenacissimè conceptus: & Turno victo cur non pepercerit Æneas, Latinus vates apertè docuit:

——— stetit acer in armis ———
Æneas voluens oculos, dextramque repressit.
Et iam iamque magis cunctantem vertere sermo
Cœperat, infelix humero cùm apparuit alto
Balteus, & notis fulserunt cingula bullis
Pallantis pueri, victum quem vulnere Turnus
Strauerat, atque humeris inimicum insigne gerebat.
Ille oculis postquam sæui monimenta doloris,
Exuuiasque hausit; furiis accensus, & ira
Terribilis, Tu ne hinc spoliis indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat, & pœnam scelerato ex sanguine sumit.

Aeneid. 12.

Quamobrem eiusmodi temporibus atque locis rationem habendam esse, & res ipsa & humanitas, & diuina iura monent: nisi quid fortasse vel Dei iussu, vel iustissima causa excipiatur.

Qui non eduxit gladium: timebat enim, quia adhuc puer erat.

Paternæ disciplinæ documentum hoc tempore etiam Gedeon statuẽdum minimè oblitus fuerat, qui ad hoc Domini bellum proditurus, primogenitum sibi filium, quamuis nondum firma ætate, tamen minimè relinquendum in otio & ignauia, sed secum educendum duxit, cùm plerisq; hominum, maximè verò eorum qui summi habentur, liberorum teneriori ætati indulgere plus nimio soleant, muliebriq; magis quàm virili in ea re affectu sensuq; ducantur. Voluit igitur Gedeon educti secum pueri virtutis &

Liberorum doctrina.

Universidad de Deusto
Biblioteca

indolis periculum facere, oblata occasione magni, vti superiùs dicebamus, facinoris; qui tamen futuræ ignauiæ signum magis, quàm paternæ virtutis imitandæ exemplum exhibuit. Quippe qui, quamquam à patre patruorum suorum necem vlcisci iussus, tamen nec gladium quidem educere ausus est.

Regia maiestas.

Et quamquam hoc loco maiestatis regiæ reuerentiam (quæ nescio quid vel in barbarissimis Regibus diuinum habet) iuueni animum imminuisse dicere possemus: tamen aliam veram lectio ipsa rationem affert, quamobrem id quod iubebatur, nec aggressus quidem fuerit, pueri nempe timorem, degeneris argumentum animi, non reuerētiam aut pudorem: cui nullus erat locus in causa nō tam Regum, sed hominum diuino iudicio captorū & ligatorum, atque iniusti, crudelis, & regia clementia indigni homicidij damnatorum. Timebat *enim timore: itaq; puerili, animiq; imbecillitati vltra ætatis rationem nimiæ, hanc tergiuersationem historiographus adscribit. Nam qui gladium gestare poterat, non tam exiguis aut corporis membris, aut viribus erat, vt educere & exercere non posset; verùm animi robore carere, ipso timore deprehensus est. Cuius timoris effectricem causam subiunctam legimus:* Quia adhuc puer erat. *Sacræ linguæ verbum,* NAGHAR, *duo inter alia significat; alterum est, quod Latinè dicere possumus, eligere; vnde & iuueni nomen factum est* NAGHAR: *ei, inquam, iuueni, qui ad virorum ministerium, atq; etiam ad bellum aptus esse iam potest. Alterum verò teneritudinis & infirmitudinis, siue imbecillitatis ineptiæq;, & aliis hisce affinibus verbis interpretari licet; vnde Latinorum stupæ* NEGHORETH, *illa in lingua factum est nomen. Huius igitur orationis,* Quia amplius is puer, *(sic enim in exemplari est) illam excipimus sententiam, quia is non solùm priore significatione erat* NAGHAR: *sed secunda adhuc etiam imbecillus inersq; erat. namq; vox,* amplius, *hoc certè illam linguam callentibus indicat: Latinum autem vocabulum,* adhuc, *hanc interpretationem proximè accedit. Nam cùm satis fuisset dicere,* Quia puer erat, *si ad ætatis tantùm rationem referenda res erat, additam particulam,* adhuc, *sic explicare debemus: quia cùm imbecillis pueritiæ ætatem iam excessisset, tamē adhuc minorem armis præstabat animum. Solent autem contrà præstantioris indolis pueri vel à postrema infantia, pueritiæq; initiis, futuræ virtutis exhibere specimen, vt de Iacobo, Esau, ac de Iosepho legimus. similem vituperabilem ineptitudinem obiicit Hebræus D. Paulus: Etenim cùm deberetis magistri esse propter tempus, rursus indigetis vt vos doceamini quæ sunt elementa exordij sermonum Dei, & facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. illum persimilem exstitisse intelligimus iis, de quibus Mela Geographus ait: Longa illis pueritia.*

Hebr. 5. „ „ „ „ „ „ Pomp. Mela.

Dixeruntque Zebee & Salmana: Tu surge, & irrue in nos, quia iuxta ætatem robur est hominis.

EXEMPLARI *lingua sic:* Quia sicut vir fortitudo eius. *In huiusmodi exemplis rationem haberi oportere, aiunt, non solùm virium, & imbecillitatis ac firmitudinis cuiusquam, sed dignitatis etiam atque personarum. Quamquam enim in extremo iam vitæ loco constituti essent isti, tamen nec ignaua, nec obscura, nec ignobili plaga perire volebant; sed vt sublimi dignitate hactenus viuendo fuerant functi, ita regio exitu defungi optabant. Præterea grauissimum mortis genus & crudele deprecantur, quale, si à iuuene eoq; imbelli & ignauo occiderentur, laturi erant, nō vno sed pluribus accipiendis vulneribus; cuiusmodi ipsi Gedeonis fratribus non intulisse, indicare videntur. Quippe fortium & robustorum virorum plagæ robustæ sunt, & quæ vno impetu hostem cominus petitum conficiant. de puerorum autem plagis non ita censendum, sicut scriptum est: Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum. Contra verò robustiorum & fortium efficacissimi esse memorātur ictus: Sicut sagittæ in manu potentis. Indignum itaq; esse dicunt sua ipsorum virtute ac dignitate, cùm sortes sese in bello hactenus præstiterint, cùm Reges fuerint, cumq; regio splendore vixerint, plusquam vnico vulnere vtrumque perire, eoq; à fortissimo viro accepto, quandoquidem non in ipso prælio nunc occiduntur, vbi nec mortis genus deligi optariq; potest; sed in iudicio vltionis sanguinis occisorum ab ipsis virorum; quamobrem & occisis proximum, atque eundem fortissimum sese vindicem præbere deceat, atq; ita & suæ fortitudini, & regiæ etiam dignitati satisfacere; illamq;, quam fortitudinis iuueni arrogare volebat laudem, magis, melioreq; iure sibi ipsi propriam cognoscere, & adscribere. Atque dictum hoc à Regibus pronunciatum, ex communi & celebri apud bellicosos viros sententia petitum censemus, quibus ignominiosum atq; miserrimum ducitur, forti viro non fortiter, à viro etiam forti, si pereundum sit, interfici. Quamobrem, vt proximo capite legimus, Abimelek à suo armigero se confossum voluit, ne fortè, inquiens, dicatur, quòd à femina interfectus sum. Et Dauid Saulem Regem priuato & obscuro sagittæ vulnere, quasi non vnctum oleo, confectum lamentabatur.* Psal. 63. Psal. 126.

Surrexit Gedeon, & interfecit Zebee & Salmana, & tulit ornamenta ac bullas, quibus colla camelorum regalium decorari solent.

ORATIONEM *Regum honestam arbitratus Gedeon, ipse sese fraterni sanguinis vltorem præbuit; Surrexisse autem dicitur, cùm antea principis ac iudicis officio functus, cæteris omnibus cùm reis ipsis, tum socijs & commilitonibus adstantibus, ipse sederet. Iam verò nunc & quod facere iure poterat, & quod à reis ipsis rogaretur; sanguinis redemptorem ipse fortiter peregit. Atq; hæc causa est, quamobrem hi priuato cuipiam, aut tortori publico ad occisionem siue supplicium non sunt traditi, videlicet quòd ex homicidij legē punirentur, idq; non ab alio, quàm à sanguinis vltore siue redemptore efficiendum erat, vt in magno opere, si Deus nobis faueat, declarabimus. Iam verò quod de armillis, bullis, cæterisq; regiorū camelorum ornamentis à Gedeone sublatis commemoratur, eò pertinet, vt illius noctis*

Universidad de Deusto
Biblioteca

victoria magis illustris ostendatur, quandoquidem non ita tumultuosè res peracta fuit (tametsi à paucissimis aduersus permultos) quin illis Reges integris, suis camelis insidentes, atq; satellitio minimè destituti, caperentur, simulq; cameli abducerentur, magna spoliorum, quæ referri ab illis poterãt, pars, nimirum auri atq; gemmarum, argenteaq; ornamenta, quibus nobiliores vtuntur Arabes, reportarentur. Hæc verò ornamenta ab illo singulariter excepta videntur, ad victoriæ monumentum in sua familia relinquendum, quod Reges illos Madianitas captos & occisos, atq; fraterni sanguinis vltionem testaretur. Ipsi Madianitarum nationi, si quando anteactorum temporum memoriam superbè repetere libêret, vel exitus commemoratione, quam monilia illa perpetuam cõseruatura erant, minuerent arrogantiam. Siquidem non omnium in exercitu camelorum illius generis atq; formæ (quæ illorum lingua SAHARONIM dicebantur) sed regiorum tantùm ornamenta atq; signa erant: quod historia ipsa apertè indicat. hæc à Chaldaico interprete GHINKAIA appellantur: ex quo nomine videntur à cerui cibus innodata totum camelorum collum, munimentum aduersus sagittas futura ambiisse. Cùm verò ea omnia spolia, saltem quæ Regum fuerant, sibi addicere iure suo potuisset dux; ex animi tamen magnitudine, diuitiarumq; contemptione, his tantùm ad eum, quem diximus, vsum exceptis, cætera omnia tam regia, quàm nobilium, aliorumq; cunctorum, quæ plurima esse oportuit, commilitonibus atq; aliis, qui illa tẽpestate in agrum vel insectandi fugientes, vel diripiendi causa prodierant, permisit. vnica enim illi Israelitarum salus, atq; libertas per Deum effecta, non solùm diuitiarum, sed opum omnium atq; potentiæ æstimationem superauit. Id quod altera mox consequente maximi animi actione ostendit.

Dixeruntque omnes viri Israel ad Gedeonem: Dominare nostri tu, & filius tuus, & filius filij tui; quia liberasti nos de manu Madian.

HACTENVS, à Iosuæ temporibus, nemo apud Israelitas regnum vel principatum ita obtinuerat, vt hæredibus perpetuum relinqueret; sed quicumque vel Dei consilio aliqua salutis vel virtutis magnæ ratione cognito, vel ex populi suffragiis, vel ex tyrannorum, quibus interdum subijciebãtur, voluntate Reip. clauum teneret, is vita ac munere pariter perfunctus, nullum de successione vsurpabat ius, eratq; illa magistratus forma quasi consulatus quidam, non tamen annuus, sed Iudicis ætatem perdurans. Nunc verò cùm huius salutis atq; libertatis, Deo authore atq; Gedeone duce, repẽtè, sine vlla suorum clade, sine bellico sumptu allatæ præstantiam, populi totius, tribuumq; omnium primores cognouissent, in huius viri amplitudinem, sibi & honestam & vtilem futuram persuadentes, conspirarunt, quæ si ab ipso susciperetur, rata & certa futura erat: tum propter publicam & grauem omnium virorum Israelis authoritatem, penes quos ex gentium iure ac moribus, Principem sibi quocumque nomine, titulo, ac iure, quibuslibet conditionibus deligendi arbitrium potestas esse censetur: tum etiam propter electionis explicatam rationem, quæ electo ius arrogare poterat, atq; in electionis auctoramento ac documento conscribenda erat. Quia liberasti nos de manu Madian: tuo, inquiunt, maximo de omni Rep. merito. Itaq; primum electionis fundamentum erat, Gedeonis de omni Israele benemerentis ius, quo patriæ pater salutari ex illorum iudicio, atq; eodem patris nomine obseruari debuit. Alterum verò ipsorum deligentium atq; præficiẽtium authoritas, quæ duobus nominibus constare videbatur, nempe ordinis totius pariter consentientis. Viri Israel. quod sua lingua sta sonat: Et dixerunt viri Israel. vt singulariter vnumquemque rogatum, in commune consuluisse intelligamus: atq; hoc nomine omnis in posterum ad exceptionẽ prætem vehementer faciebat: namque antea dum ab hostibus oppressi erant, quumq; ipsi primas inter populum, vt familiarum atque tribuum primores & capita tenerent, tamen non propry erant arbitrij compotes, sed potentiæ cogebantur cedere. Nunc verò liberati ab hoc viro, suæq; sponte reddita, eam conditionem obtinere sibi persuadebãt, quam populus quispiam nouus, nulliq; Regi aut principi addictus, tamen non vulgaris vel promiscuus, sed qui procerum & plebeiorum ordinibus constet, cuiusmodi olim quicũque fuere eam Reip. quam optauere formam constituisse memorantur. quidam enim magistratibus vel perpetuis, vel certo tempore nouandis; alij paucis tantùm ex multorum numero delectis; alij vnicuipiam rerum summam, atq; Reip. habenas concesserant: vnde tria gubernationis genera apud historicos commemorata exstitêre. Iam itaque sibi ius nunc Israelitæ constare arbitrati, Gedeoni potestatem in se omnem, ad quartam vsq; progeniem, tradere constituerant, magis vtiq; (vt significabamus) ex Gentium more, quàm ex singulari Israelitarum (vti mox cognoscemus) vel iure vel vsu. Quod si Gedeon ambitiosè admisisset, haud dubiè occupare posset, & obtinere, ambitiosè tamen, sicuti dicimus, magis quàm iustè; sed non bonis demum successibus, vt facile diuinare est. Atqui hanc nec prudentem, nec iustam fuisse consultationem aut conspirationem, sed magis ex nouæ recentiq; salutis lætitiæ tumultu populariter ortam, quàm ex sapiente deliberatione profectam, ipsa pij ac modesti Gedeonis sapienter repudiantis oratio docuit. Quod verò illi oblatum fuit, non erat facultas & authoritas iudicandi, consulemq; agendi, qualis Deboræ, Baraco, Aodo, Ghathnieli, & cæteris obtigerat; hanc enim non ex ipsorum delectu, sed parti iure cum iis, qui se præcesserant, iudicibus ipse iam tenebat; vtpote vel illius salutis admirãdæ signo ac manifesto exemplo iudex per Deum declaratus, cuiusque partes deinceps posthac essent, populum ab externis inuasionibus foris defendere, & patrius, hoc est, sanctis, à Mose q; acceptis legibus, domi gubernare, in officioq; continere, nullo alio vel præmio, vel stipendio, vel commodo aut splendore vsurpando, quàm quo alij antea fuissent vsi: verùm hi, regio excepto nomine, omnem in se

Iudicum ratio & duratio.

Electio publica.

Gubernationis genera.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in se potestatem imperandi, ducendi, ac deducendi, & quidquid ad principis commoditatem, maiestatem, & facultatem atq; copiam pertineret, constituendi, illo verbo committebant: Dominare nobis, MESSAL BANV. *quod quia magis affini vocabulo Chaldæus Paraphrastes reddere nõ potuit, exposuit,* REGNA IN NOBIS. *Præter nomen, inquiunt, omnem regni atq; imperij authoritatem tibi & filio tuo Iether primogenito (non aliis septuaginta quos habes) sed huic singulariter, perinde atq; tibi, & huius filio, id est, nepoti tuo ex hoc procreando, eodem iure atq; modo permittimus, & tradimus, quam tu tuo atq; ipsorum nomine quamprimum vsurpare possis, nobis consentientibus, atque adeò vltro offerentibus, adiuncto obligationis atq; causæ nomine ac titulo:* Et filius tuus. *ipsorum oratio sic habet,* Etiam tu, etiam filius tuus, etiam filius filij tui. *Quæ repetitio integrum, constans, atq; par singulis adscribit ius. Et quisnam hominum tantum splendorem, tantam authoritatẽ, tantam potentiam & gloriã, tanto primorũ atq; populi consensu & applausu oblatã, atq; adeò in specie iustã, & bono merito magis enatam, quàm vllo ambitu, vllove negotio, sed ne cogitando quidem partam, repudiaret? quis admittentem non laudaret? quis recusantem non vel ignauiæ, socordiæ, & exigui animi, atq; ignobilis humillimiq; damnaret? præcipuè non suum decus tantùm, sed filiorum ac posteritatis amplitudinem auersatum, & gloriam, cuius causa multi non solùm iura omnia, cùm humana, tum diuina, sed humanitatem ipsam, atque etiam affinitatem omnem ac patriam prodiderunt? Atqui hic nulla obsistere posse videbatur inuidia (cui potentia subiecta esse solet) vbi tantus populi atq; principũ consensus applaususq; constabat. Existimo nullum nostra memoria huiusmodi exemplum visum, nec facilè apud exteros antiquioresque homines huic simile exspectatum crediderim.*

Iuu. Sat 10.

Vísne salutari sicut Seianus? habere
Tantundem, atque illi sellas donare curules?
Illum exercitibus præponere? tutor haberi
Principis angusta Caprearum in rupe sedentis
Cum grege Chaldæo? vis certæ pila cohortis,
Egregios iuuenes, & castra domestica? quid ni
Hæc cupias? nam qui nolunt occidere quemquam,
Posse volunt.

Sed quemadmodum huiusmodi, quæ vulgo maximæ ducuntur, maximique fiunt res, à sanctis diuinaq; prudentiæ luce præditis viris accipiantur, ex Gedeonis iudicio atque responso, ad nostram vtilitatem cognoscere operæprecium fuerit.

Quibus ille ait: Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur Dominus.

VNA *etiam honesta credita ratio, quamobrem tantus magistratus, ex vulgi, & fortassis ex eorum, qui sapere putantur, iudicio delatus, repudiari non*

non deberet, nobis non fuerat superiùs adducta, quæ hoc in loco inducetur cõmodè, ciuili nimirum & benignũ comis gratiq; animi officiũ, amicorum vel beneficiis, vel voluntatibus atq; studijs rependendum. Namque indecorum illiberaleq; duci potest, amicis vel affinibus, nostram dignitatem amplitudinemq; cupientibus & efficaciter curantibus, gratiam non referre, vel saltem habere: nedum illud stultum, rusticum, atq; improbum ducatur, non tantùm amicis & notis, sed ignotis etiam, imò cunctæ prorsus genti, eique frequentissimæ & nobilissimæ, bene & magnificè, atque adeò amplissimè de te consulenti, & sese tibi vltro subdere optanti, pari etiam animo non respondere, vt vel ipsos, quæ maximis votis digna existimant, à te contẽpta, superbiæ & arroganti cuiusdam despicientiæ tribuentes, vel tanto munere indignũ esse arguentes, communis iudicij atque suffragij pæniteat: non sine perpetua, quam ex hac re exspectare consequens fuerit, propinquorum & familiarium exprobratione & querela, quòd nec tuis, nec tuorum commodis, cùm sine labore, sine sumptu, sine vllo negotio potuisses, consulere volueris. Etenim vel hoc vnicum argumentum hodie tantum ponderis ac momenti habet: vt vel quos opum atq; honorum cõtemptores aliàs, magnificaq; aduersus auaritiam & ambitionem dicentes audimus, tamen & ad oblata vltro munia & munera subeunda, & ad maiora etiam deinceps ambienda impellat. His etiam centum alias & plures subtexere poteramus causas, cuicumque iam vel vulgari homini propter frequentem commemorationem atque repetitionem notas, quibus nemo ferè est, cui non magnas res & ambire, & aggredi, & gerere non persuadeatur quotidie, si non aliorum oratione, at ipsa propria tamen & priuata cogitatione cuiusquam, qui se aliquid esse aut ipse putarit, aut ab aliis audierit; inter quas præcipuum iam locum, & frequentissimum illa de euangelico talento admonitio vsurpatur, an ad eum modum, quem Christus posuit, concinnata, nec ne, non huius temporis atque disputationis inquirere fuerit. Nihil itaque in hoc genere aut dictum vmquam est, aut excogitari dicíq; potest, quod ad huius Gedeoni oblatæ amplitudinis persuasionẽ non possit opportunissimè afferri, quodq; vir ille optimus ac sapientissimus non intellexerit: qui tamen maiori iudicio rem à se examinatam & perpensam, prudentissimè ac pissimè expediuit. Num præter animi sui statum, ab omni ambitione & cupiditate alienum, præter suarum ipsius partium extenuationem, quæ optimos quosque & præstantissimos vtros decet: populare illud consilium duobus nominibus improbandum duxit, altero quod verè populare atque repentinum esset, nulla matura deliberatione tractatum, sed præsentis magis libertatis lætitia & exsultatione, atque temeraria frequentia, quàm certa ac firma cunctorum amicitia & beneuolentia profectum, quippe quorum quæ oblati magistratus rationem reddebat oratio, illa fuit: Quia seruasti nos de manu Madian. *quam non rectè subductam suo ipse responso, vt mox intelligemus, arguit. Altero verò, quòd quamuis maximè deliberata, certa, atque æquabilis illius sibi præ-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ficiendi omnibus cõstitissẽt volũtas; facultas tamen, atque vsus ad eiusmodi actionem illa tempestate non constabat; cùm diuina Lege populo potestas adempta esset, quemquam ad regnum, regnive simile imperium, nisi à Deo antè probatum, indicatum, & manifestis documentis traditum, deligendi.

Deut. 17. *Cùm ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitaueriſq; in illa, & dixeris, Constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes: eum constitues, quem Dominus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Itaque quid populus, vel populi principes (qui populariter magis, quàm pro dignitate tunc agebant) vellent, quidve possent, Gedeon ipse longè illis meliùs rectiusq; peruidit, qua tantæ authoritatis splendore nõ præstrictum à recta sententia declinasse, magni exempli est, & viris bonis omnibus ad imitandum obseruandi, atque à Spiritu sancto constituti ac descripti. Iam verò responsum ipsum partibus (vti vidimus) examinatis facilè capi tenerique potest.* Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus. *Futuri temporis verba in sacra lingua magnam (vt sæpè adnotauimus) obseruationem significationis habent, præcipuè verò negatiuo, vel vetationem significante vocabulo adiuncto, namque idem valet quod imperatiuus, idem quod indicatiuus præsens cum infinitiuo, idem quod perpetuum: atque hoc etiam singulare habet, quod vetantibus legibus familiare est, & Prophetarum oraculis ac prædictionibus familiarissimum. Tantũdem igitur nobis hoc loco sententiæ reddidit,* Non dominabor vobis, *atq; illa, Non possum, non debeo, non fas duco, demum nolo vobis dominari; atque adeò scio, tametsi nunc vos istud profertis, nec me, nec filium meum vobis dominaturum. hæc postrema explicatio propheticæ prænotionis est, vt suo loco indicabimus. Prima igitur, Non possum vobis dominari, & animi sui ab illa cogitatione alienationem profitetur, & virium ac meritorum tenuitatem confitetur modestissimè. Secũda, Nõ debeo, quia nec à Deo id munus subire iussus sum, nec vestræ vel voluntati obtemperare, nec amicitiæ aut beneuolentiæ gratulari teneor, cùm sciam quo animo, atq; motu in istud consilium coieritis; vobis inquam, quorum naturam & ingenium calleo. Tertia, Non fas duco. Nam quamquam frater vester sim, quod & esse volo & profiteor; quamquam manifesta Dei, vobisq; declarata volũtate, vel ad regium, vel ad imperatorium munus vocatus essem, tamen, istud* MESSOL, *ideſt, dominandi nec verbum, nec ius vsurpare possem, quod nulla in parte Lex vel Regibus tribuit, imò contrà potiùs cauet: Nec eleuetur cor eius superbia super fratres suos: quos fratres perpetuò dicere, & habere, & fraterno affectu officioq; colere, ac regere conueniat. Huiusmodi exemplo superbum Domini cognomentum ab Augusto repudiatum legimus: quamquam reapse numquam relictum. Verùm vir hic & optima perspexit, & perspecta, animo officioq; obtinuit. Quarta, Nolo demum vobis dominari, vtpote à dominandi voluntate alienissimus, & vestri ingenij nõ ignarus, qui, quod hodie mihi offertis, eras numquã oblatum fuisse*

משל

Futurũ tempus verbi.

Deut. 17.

Dominatio potestas regia.

Dominus.

fuisse voletis; & libertatem, quam nec diuinæ gubernationi constanter addicere curauistis, meæ potestati subiectam, grauiter iniquoq; feretis animo. Denique noui certissimè, nec me, nec filium meum, quos nunc ad dominationem appellatis, vobis cordi futuros esse: id quod res ipsa nõ multo post hac docebit. Cognouerat enim prudentissimus vir vulgi illius ingenium & mores, & quid tandem familiæ filiisq; suis futurum esset, diuino Spiritu præuiderat: atque eum hac in significatione huius dicti sensum excipimus, quem in illo superiùs declarato: Quemcumque dixero tibi, hic non ibit tecum, non ibit tecum. Huic verò imperij detrectationi opportunissimum adiunxit consilium Gedeon, quo & illorum sententiam redarguit, & optionem postulationemq; correxit. Sed dominabitur vobis Dominus. *dominationem, regnũ, & imperium in humanũ genus omne vni Deo proprium esse, illiq; soli referendum, sacra oracula frequentissimè attestantur: Potestas & terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis. Numquid est numerus militum eius? & super quem non resurget lumen illius? Et, Quoniam Domini est regnũ, & ipse dominabitur gẽtium. Et, Qui dominatur in virtute sua in æternũ: oculi eius super gentes respiciunt. Quòd si propria hæc in omnes gentes dominandi authoritas Dei vnius est, quam ille aliquando legitimè constitutis Regibus, certo statutoq; modo concedit, singulari ac peculiari quodam iure, in populum sibi singulariter delectũ & curatum, ac præcipuo quodam exemplo dedicatũ, huiusmodi authoritas tribuenda fuerit. S.S. E. Et scient, quia Deus dominabitur Iacob, & finium terræ. &, Facta est Iudæa sanctificatio eius, Israel potestas eius. Quibus omnibus in locis verbum* MASSAL *vsurpatur, quod liberam, certam, & perpetuam dominationem, iudicandi & gubernandi potestatem authoritatẽq; significat. Hunc igitur illis proprium Dominum optimum, potentissimum, iustissimum, & sapientissimum singulari nomine* IEHVEH *ab initio perpetuo beneficiorum vsu cognitum, & hactenus ipsorum vitio atq; culpa offensum, deinceps posthac cognoscendum, placandum, conciliandum, recipiendum, atq; colendum cõmemorat: & consilio atq; suffragio sua pro parte firmat, ea authoritate qua nunc fungitur vsus, hoc est iudicis ac ducis, cuiusmodi alij, qui hactenus ipsis præfuerant, authoritatis magistratu defuncti sunt.* Sed dominabitur vobis Dominus. *Fortis, æternus, & immortalis, quem regnum & potestas in iustos & iniustos vnicè decet, nedum in vos, qui hanc salutem non à me, nec ab alio quopiam homine accepistis, sed ab illo tantùm. Atq; vt illi cura est in vos dominandi, ita vobis illi parendi ésto, vel ex præteritorum tum beneficiorum, tum etiam iudiciorum recordatione. Non longè hæc optimi consulis, & consilij ratio ab illa Iosuæ sententia diserepat: Eligite vobis quod placet, cui seruire potissimùm debeatis; vtrùm diis quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis. Ego autem & domus mea seruiemus Domino. Nisi quòd Iosue illo loco de omni religione, & Reipublicæ etiam ex-*

Iob 25.

Psal. 29.
Psalm. 65.

Psal. 59.
Psal. 103.

Iosue 24.

terno cultu agebat, Gedeon de magistratu tantùm videatur agere, quamquam re vera de vtroque agat cultus genere, aperteq; doceat, illos errare, qui cùm singulari præter omnes gentes exemplo, Deum principem, & suarum rerum curatorem & promotorem habere possint, ad ea aptanda traducãtur, quæ apud alias gentes nec sapienter vsq; instituta, nec adeò felicia vident, quæq; cùm ipsi, non ex Dei consilio, sed ipsorum voto & inuento adepti fuerint, minùs profectò ex animi sententia cessura experientur. Atq; hoc omnium humanarum miseriarum caput est, velle vnumquemque suam publicè ac priuatè viuendi agendiq; formam sibi confingere, ab illa diuini Spiritus norma simplicitq; lege diuersam, & ad hanc priuatam proprietatem diuina humanaq; omnia pertrahere. S.S.E. Ecce qui elongant se à te, peribũt: Psal.72.
» *perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Mihi autem adhærere Deo bonum* »
» *est, ponere in Domino Deo spem meam.*

Dixitque ad eos: Vnam petitionem postulo à vobis: Date mihi inaures ex præda vestra.

Hoc *ab ipso partæ primùm victoriæ tempore in animo habuisse videtur Gedeon, nempe insigne aliquod huius gestæ rei monumentum in familia domoq; sua statuere, quod & delectus sui à Deo facti, & admirandæ in illa expeditione felicitatis, posteritatis memoriæ; ad Dei primùm laudem, & ad nonnullam familiæ suæ gloriam, atque adeò ad commemorationem meritam erga omnem Israelitarum gentem testaretur. Nec enim nullã posteriorum harum causarum rationem ipsi habitam fuisse arbitramur, qui & initio camelorum torques vsurpauit, & deinde hoc postulauit, obtentumq; non alibi, quàm in propria dicauit domo. Commodũ autem accidit, vt repudiato tantæ amplitudinis munere ipsi oblato, id quod minimũ æstimatione, facileq; concessu erat, postularetur; præsentibus præcipuè viris omnibus, iisdemq; exsultantibus, & nihil in illo lætitiæ tumultu tantum de se benemerenti viro negaturis, cuiq; ex ratione ac iure belli maior multo spoliorum & præda portio, quàm ea quæ postulata est, deberetur. Atqui suæ ille partis nullam hoc loco mentionem facit, sed ex iis quæ alij collegerant spoliis, inaures tantùm aureas sibi concedi popposcit.* Postulabo à vobis postulationem. *Verbum* שאל SAAL *ad ea pertinet, quæ honestè peti, & gratiosè donari possunt.* A vobis inaures ex præda vestra. *Testimonium atq; documentum hoc volebat esse optimi sui de illis omnibus meriti, & velut pignus quoddam obseruantiæ illorum in posterum erga se familiámque suam, monumentum etiam maximæ illius stragis hostibus illatæ, quorum vel inaures, quas non ita graueis singulorum fuisse par erat, tamen coniuncta summa, tantum conficerent ponderis.*

Inaures enim aureas Ismaelitæ habere consueuerant.

Ex *exemplari sic*: Nam inaures aureæ illis, quia Ismaelitæ illi. *Hac expositione, velut per parẽthesin inducta, plures indicantur simul res. Nam præter*

præter antiquitatis commemorationem, quæ de gentium moribus inquirenti opportuna est, auguriorum etiam atq; superstitionum, variis populis familiarium, notatio commodè inducitur, cuius generis vsus omnis in sacra dam natur lege. Voluisse autem hoc vno exemplo dux ille videtur, certũ & manifestũ victoriæ illius tantæ de illo tam numeroso exercitu testimonium, & monumentum statuere, iis ipsis insignibus conseruandis, quæ iidem gẽti gestare moris atq; religionis fuit. Hoc est inauribus aureis, lunæ referẽtibus instar, quæ proprium ac singulare Arabum, Ismaelitarum præsertim, esse solet ornamentum. Quippe Ismaelitæ originem suam ad Abrahamum referentes, hoc primum insigne monumentum singulis ex ipsorum gente nobilibus, præcipuè auribus (in quibus admonitionis sedes est) appendendum statuerunt, quod ad gentis suæ nobilitatem commemorandam, atq; omni animi robore & bellica virtute præstandam perpetuò hortaretur. Nouerat namq; Ismael, primum in electissimi illius viri Abrahami familia Isaacũ à Deo appellatum; se autem, quamuis natu primum, secundo tamen loco ad humanæ præcipuè felicitatis amplitudinem vocatum. S.S.E. In Isaac vocabitur » Gen.21.
tibi semen, sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam. Quia semen »
tuum est, quod promissum Agaræ matri etiam cælitus denuo confirmatum »
fuit. Surge tolle puerũ, & tene manum illius, quia in gentem magnam fa- »
ciam eum. Cuius promissi, à se non tantũ ex arcana significatione, quantum ex communi ac rudi verborum interpretatione, excepti, symbolum sibi, & posteris omnibus suis instituere meditatus Ismael, lunæ effigiem singulis perpetuò gestandam statuit. qua id significaretur, se quidem, si temporis antiquitatisq; spectanda esset ratio, priorem quidem stetisse, eo modo quo nox die prior ab initio fuerat. S.S.E. Et fuit vespere & manè dies vnus. Gen.1.
Verùm quod ad claritatis prærogatiuam splendorisq; attinet, primas Abrahamicæ amplitudinis partes Isaaco fuisse per Deum tributas; proximas verò atq; secundas sibi vni concessas, cui ex eodem luminis fonte, hoc est, ex Abrahamo nobilitatis paternæ emanaret initium, nũquam tamen desituræ, sed vt luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis, duraturæ. Itaque quamquam Isaac primas illustrissimasq; splendoris ratione ipsi deferat, sibi tamen secundas arrogauit, illumq; cum sole, se verò cum luna composuit, cui cæteri omnes ex Abrahamo & Ketura prognati populi, tamquam minora astra, & lumine & dignitate cederent. itaq; sese omnium fratrum suorum, vno Isaaco excepto, splendoris felicitatisq; nomine perpetuò præstiturum, hoc symbolo declarabat: cuius quamquam non vmquam amplitudo rerum imminueretur, vt mortalium res (eæ præcipuè quæ maximæ habẽtur) non eodem semper perseuerant modo; tamen numquam esset desitura, sed identidem instauranda plenissimè, atque adeò plus semper luminis quàm obscuritatis habitura. Siquidem luna nullam per longam temporis moram luce caret: & quamquam ea facie, quæ terram spectat, nonnũquam non conspiciatur; id tamen bidui, nũquam verò integri tridui est. itaq; & hoc ipsum Luna Ismaelitarum insigne.

de se gente q. sua præceperat Ismael, posse quidem suas res, temporum atque hominum aliorum causa & inuidia, minores aliquando videri, occultari interdum; verùm perire funditus, exolescere q. non posse, sed cæterorum omnium rebus non modò pares, verùm superiores etiam semper emersuras, ita

Gen.16. „ *prædictionem illam interpretatus: Hic erit ferus homo: manus eius contra*
„ *omnes, manus omnium contra eum: è regione vniuersorum fratrũ suorum*
„ *figet tabernacula. Atqui symbolum hoc non monimenti solùm nomine, sed augurij etiam religione, Ismaëlis posteritati receptum ac sacratum, ad nostrum vsq. durat ævum, quòd Orientales illi populi huiusmodi auguriorum & superstitionum (maximè quæ ex siderum ac temporum disciplina petuntur) semper fuerint studiosissimi, vt in lib. Phaleg docebamus. Quãobrem, quod in exemplari lingua* NEZEM *dicitur, Chaldæus interpres* RADASSE *vertit, quod sanctum sacrumq. Latinè dicere possumus. Quod verò historiographus ipse expositionis causa subiunxit,* Quia Ismaelitæ ipsi; *Chaldæus ita etiam componit,* Quia Arabes ipsi. *Ex vtraque autem lectione illud docemur, non omnium illarum nationum, sed Arabum tantùm hoc proprium esse gestamen, iis verò eo nomine arrogari, quòd gentis suæ ortus ab Ismaele ducatur. Huiusmodi auguriorum & auspiciorum omen imitatur antiquus Romanus:*

Iuu. Sat.11. Tunc rudis & Graiæ mirari nescius artes,
Vrbibus euersis, prædarum in parte repertæ
Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Vt phaleris gauderet equus, cælataque cassis
Romuleæ simulacra feræ mansuescere iussæ
Imperij fato, & geminos sub rupe Quirinos,
Ac nudam effigiem clypeo fulgentis, & hasta,
Pendentisque Dei perituro ostenderet hosti.

Ex monilium autem camelis Regiis detractorum effigie, quæ Hebraicè SAHHARON *dicitur, hanc etiam, quæ Ismaelitarum familiaris est, arguimus. Etenim circulos illos lunam etiam imitatos intelligimus, alterâ parte crassiores; extremis verò, qua curribus appenderentur, tenuiores. Quamquam verò Machometanæ superstitioni quàm plurimæ gentes adhæserint, lunæ tamen insigne Arabibus tantũ tribuitur, eo quod explicuimus instituto. Fuere autem primi omnium Arabes à Machometo post Persas aliquot seducti. Machometis autem singulare insigne, manus expansa fuit, quam ille per Deum capiti suo mentiebatur impressam. Atque hoc posterius Mauri, Palæstini, Persæ, cæteriq. ferè omnes, præter Arabas vsurparũt, non solùm qui illi incumbunt sectæ, sed qui eidem cùm antea inhæserint, renunciasse, inq. Christianam Ecclesiam concessisse dicuntur, quales in omnibus Celtiberiæ regionibus quam plurimos videbamus, tum rusticos, tum Agasones, huiusmodi manus imaginem iumentorũ frontibus appendentes. Cuius etiam in nostris antiquitatum monumentis effigiem ære inciſam, &*

ex cocto vitro, quod smaltum vocant, inductam habemus. Porrò temporum, seculorumq. spacio, & gentiũ confusione euenit, vt insignibus his tũ Arabes, tum Mauri promiscuè vtantur, maiore etiam superstitione & errore. nam & Turcæ, quòd Machometis profiteãtur sectam, signus & parmis lunæ effigiem hodieq. appingunt, quam tamen solis Ismaelitis quondam scriptura vsurpatam indicat. Qua autem capitis parte insigne hoc Ismaelitis gestari soleret, ex Latina atq. Græca versionibus facilè indicatu est, quibus adscribendum ducimus. Nam Græci interpretes ἐνώτιον, Latinus inaures pro NEZEM *reddidere; quamquam nos vno tantùm sacræ lectionis loco nomen hoc, plurali numero pronunciatum, auricularum nomini adiunctum legerimus: &* NEZAMIM, *quæ erant in auribus earum. aliàs autem persæpè naribus appendi, vel si non ipsi naso appensum, saltem ornamenti vsu applicitum expresse legimus. Vt, Suspẽdi itaq. inaures ad ornandam faciẽ eius. ex verbo sic: Et posui* NEZEM *super nasum illius. Et quod apud Isaiam Latinè legimus, Et annulos & gemmas in fronte pendentes, protria in lingua est, Et* NEZA MEI *nasi. Et apud Ezechielem: Et ornaui te ornamento, & dedi* NEZEM *super nasum tuum. Atq. illud etiam in nostra versione apertissimum: Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra & fatua.* NEZEM *auri in naribus, &c. Hispanica antiquiori lingua hoc genus, illa fortasis ætate gestatum* Anaziue *vocatum legimus, vtro autem loco suum Ismaelitæ* NEZEM *appenderint: nihil refert, cùm vtraq. capitis pars, hoc est, auriculæ & frons, atq. ea faciei portio, quæ à fronte inter oculos ad nares protenditur, monitioni, recordationi, animaduersioniq. fuerit destinata. vt, Erigit manè, manè erigit mihi aurem vt audiam quasi magistrum. & apud exteros: Cynthius aurem vellit, & admonuit. fronti autem & inter oculos atq. super nasum quemcumq. apponebantur, ex antiquo instituto huc propriè pertinent, quamquam seculorũ vetustate, & hominum vitio postea ad ornatum magis fuerint vsurpata. ex qua ratione illud præceptum est: Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntq. & mouebuntur inter oculos tuos. Atq. non omnes, quotquot ex occisorum siue naribus siue auribus detracti fuerant huiusmodi lunares circuli, sibi dari postulauit Gedeon; sed à singulis eorum qui spolia detraxerant, singulos tantùm, tamquam symbolum siue monumentum præstantiæ. Moris enim & hoc fuisse antiquis vidimus, vt præter eam, quæ iure debebatur, spoliorũ partem, aliquà etiam singulare omnium consensu militum summus tribueretur ducibus, honoris ergô; quod apud Græcos Poëtas γέρατος nomine celebratur. hoc itaq. postulationem hanc spectare etiam intelligimus, vltra eam, quam antea indicabamus, causam:* Date mihi inaures ex præda vestra. *Exemplar in hunc modum habet:* Date mihi singuli NEZEM spolij sui. *Singulari numero à singulis spoliatoribus tantùm singulos circulos poposcit, non emptos ex aliis, non ad eam rem confectos; sed, quod modestioris exactionis erat, nullo sumptu comparatos ab iis tantùm, quibus inter spolia huiusmodi*

Exod.32. Isaiæ 3. Ezech.16. Prou.11. Isaiæ 50. Deut.6. Genes.35. Genes.24.

orna-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ornamenta contigerant; quod facilè ac libēter concedi posset tam exigua rei, in tanta spoliorum citra laborem partorum copia.

Qui respondérunt, Libentissimè dabimus. Expandentesque super terram pallium, proiecerunt in eo inaures de præda: & fuit pondus postulatarum inaurium, mille septingenti auri sicli: absque ornamentis & monilibus, & veste purpurea, quibus Reges Madiā vti soliti erant, & præter torques aureas camelorum.

HANC *spoliorum partem ex Regum ornamentis, atq; ex inauribus postulatis, omnem Gedeoni contigisse lectio indicat; sed postulatarū inaurium pondus ideo commemorat, vt virorum, qui ad insectandam & vrgendam hostium fugam, atque adeò magis ad spolia colligenda conuenerant, subduceretur numerus: non autem vt hostium occisorum summa ex his constaret, quæ iam superiùs ex Ismaelitarum Regum actione constiterat, quibus additi fuerant ij, quos proximæ noctis inuasione periisse necesse fuit. nūc verò præter ea quæ iam declarabamus: illud Gedeoni consilium fuisse videtur, vt ex solerti pōderis supputatione intelligeretur, quanto plures ad spolia, quàm ad prælia prodierint: præliū enim illud Domini trecentos delectos constanterq; persecutos constat; post fugatos verò hostes, plusquam quatuor mille exspoliatores exstitisse, ita conijcere possumus. Inaures initio numerari noluit Gedeon, nō omnes, sed singulas à singulis, ne consilij ratio omnis manifestè persentiretur: tot enim fuisse spoliatores, quot inaures numerabantur, facilè quiuis caperet: ponderis autem examinandi cura altò tendere videri potuit, hoc est ad cognoscendum, quantum auri esse oportuit Ismaelitis omnibus. cùm ea tantùm pars, quæ ex singulorum spoliantium munere dari contigerat, circulis siue inauribus non ita magni ponderis ab vnoquoq; collatis, tot siclos confecisset; præter ornamenta regia, quæ belli iure Duci debebantur; atq; camelorum phaleras, siue monilia lunæ instar habētia, quæ ipsemet Dux detracta sibi acceperat. Atque ita Gedeonis ratio spoliatores inter latere potuit, qui libenter primùm concessere, & simul atq; concessum est, in vestem solo instratam singuli singulos coniecere circulos; quorū pondus, siue auribus illi appendendi essent, siue naso admouendi, nō existimamus drachmam superasse: neq; enim huiusmodi partium capitis ornamenta, hoc ponderе grauiora ad gestandum habilia sunt: onerarent quidem, magis quàm ornarent, quæ plus habuissent ponderis. Atqui singuli sicli quaternas Atticas continent drachmas, vt in sacro Apparatu differebamus, vtq; nostra ostendit siclus, quem ad veri monumentum & exemplum in D. Laurentij Regij sacrarum reliquiarum thesauro dicare cogitamus. Igitur mille ac septingenti sicli vncias octingentas ac viginti quinque conficiunt, & libras Romanas sexaginta octo, ac vncias nouem. Rursus si in drachmas resoluantur sicli, sex mille & octingentas efficient, quæ spoliantium facilè argueut numerum, cùm apertè singuli vnicam tantùm inaurem in vestem* Siclus.

Lib. Thubal.

coniecisse dicantur; ita ex verbo: Et extenderunt vestem, & coniecerunt ibidem vir NEZEM spolij sui. *Qui nihil spoliauerat, nihil coniecit; & neque ij etiam quicquam contecerunt, quibus auri* NEZEM *nullus inter spolia contigerat. Atq; ita publicè tunc decantatum fuit, tantum fuisse auri pondus, quod ad Gedeonem ex communi donatione pertinuerat, præter ornamenta & monilia cætera ac vestimenta regia purpurea, qualia Arabum principes, qui diuite ac molli cultu delectantur, induere solent.* Ornamentis. SAHHARONIM. *lunæ formam referentibus, quæ è regiis torquibus pendebant.* Et monilibus. HANETIPHOTH. *resinaria, Latinè dicere vtcumq; possemus, siue vnguentaria potiùs. Nam inter Persarum Arabumq; delicias vnguenta numerabantur: hoc est, balsama, opobalsama, & nardus, ac malobatrum, quorum vsus in capillis barbaq; præcipuè erat, præterquam quòd & ad vulnerum curationem huiusmodi preciosa pharmaca principibus viris adhibebantur. Est autē* NETEPH, *idem quod gutta, stilla, siue lachryma. Lachrymarum verò præstantissima opobalsamum est, Hebraicè* TSERI *dicta. Inter cætera Darij Regis spolia vnguentariam thecam, auro, gemmis, & operis elegantia insignem repertam legimus, quam vnguentis transfusis purgatam, cùm singuli ex principibus alijs atque alijs vsibus aptam censerent; Immo enim, Alexander ait, ad sociū inseruandum & circumferendum. Socium autem ille appellabat Homeri libros, quorum lectione plurimum delectabatur. Huiusmodi capsulas aureas, siue pyxides, siue onyches suauissimi vnguenti plenas, deliciarum causa non solùm Regibus Arabum, sed & Principibus in vsu fuisse, ex antiqua lectione facilè cognosci potest.* Balsama.

Icci, beatis nunc Arabum inuides
Gazis, & acrem militiam paras
Non antè deuictis Sabæ
Regibus, horribilique Medo
Nectis catenas. quæ tibi virginum
Sponso necato Barbara seruiet?
Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum statuetur vnctis? Horat. lib. 1. Ode 29.

Sed regias huiusmodi pyxides, vel onyches vnguentarias, & materia & arte præstantes fuisse oportet: existimamus illas non adeò fuisse magnas, vtpote quæ ab ipsis Regibus cum cæteris gestarentur ornamentis, vt nunc confectas ambræ, muscíq; spherulas, quæ poma dicūtur, gestari à ditioribus feminis virisq; nonnullis videmus: namq; omnia hæc cum purpurea etiam veste, continuatis coniūctionibus enunciata, & Regum fuisse, & Gedeoni in partem cessisse lectio indicat.

Fecitque ex eo Gedeon Ephod, & posuit illud in ciuitate sua Ephra.

SALVTIS *illius magnæ monumentū ad posteritatis memoriā statuere*

Universidad de Deusto
Biblioteca

voluit Gedeon, sine id vno tantùm diuini beneficij demonstrandi consilio
instituerit, siue aliquid etiam (quod suspicari facile est) humanæ gloriæ ad-
miscuerit: quandoquidem non in tabernaculo, aut alio in publico communi,
omnibus loco, sed in sua ipsius patria vrbe dicauit, quo illius visendi causa
multi ex Israelitis confluerent, vnde popularibus cognatisq; suis celebritas,
& cum celebritate vtilitas nasceretur. Fuit autem Ephod *vel vestis su-*
perhumeralis, utq; thoracis vel luti balthei forma confectum ornamentum,
namq; vtrumq; vox ipsa significat. existimo autē non fuso auro fuisse opus
illud confectum, sed connexis circulis ipsis compositum ad eum modum, quo
militaris vestis, quam Graecum dicunt, ex chalybeis fibulis arctis & circula-
ribus conficitur. Siquidem in exemplari ita legimus: Et fecit illud (aurum
videlicet) Gedeon ad ephod. *Ita comparauit, vt in ephod concinnaretur.*
Posuit. *Collocauit, & vt trophæum insigne statuit, non sine publica pompa*
& certa obseruationē, cum præconio quod facilè per omnem regionem diffe-
derit. Verbi VAIATSEG, *significatio huc spectat. verùm consilium hoc,*
non ex Dei iussu aut oraculo initum, vitiosum tandem exitus arguit: cui
multa alia, quæ à mortalibus recto, vti initio videntur, studio instituta,
non multo pòst in abusum degenerant: atque ex abusu in scelus, ex scelere in
calamitatem, tum publicam tum priuatam, prolabuntur: quod quidem erro-
Deut. 5. *rum genus omne sæpè diuinis canebatur legibus & monitis: Custodite igi-*
Iosue 1. *tur & facite, quæ præcepit Dominus Deus vobis: non declinabitis neque ad*
dexteram, neque ad sinistram.

Fornicatus est omnis Israel in eo, & factum est Gedeoni & omni domui illius in ruinam.

GERMANA *lingua*: Fornicatus est omnis Israel post illum ibi. *Quàmdiu Gedeon vixit, nihil de prima illius monumēti institutione mu-*
tatum fuisse videtur, tantumq; illo Rempublicam administrante id ab iis, qui eò ve-
ris ac iudiciorum causa conuenirent, atq; à popularibus visitatum cum cele-
bri quadam commemoratione, salutis non tantū semel partæ, sed quoad diu-
ipse supererat productæ & conseruatæ. Eodem & munere & vita defuncto,
ex cognatorum & popularium desiderio (vti fit) monumentū illud iam maio-
ri obseruantia custodiri, cultiore apparatu ostendi, atq; vt callidus ille hu-
mani generis hostis istorum artificia errorum, quacumq; capta ansa, inue-
nire, & hominibus commendare nouit, facilè Ephodo illi, ad instar sacerdo-
talis q; ornamenti facto ex preciosa materia, atque non sine miraculo
comparata, numen virtutemq; diuinam inesse persuadere potuit, allegata
ad eam rem monumenti illius custodibus ac ministris, qui miracula credula
vulgo inculcarent indies noua, atque felicitatis exempla, nonnullis qui eò
conuenerant edita referrent, atque ita porrò omnem Israëlem in opinionem
diuinitatis pellicerent, vt qui monumentum manu contingeret, ore oscula-
retur, oculis admoueret, is felicitatem sibi augurio quodam promitteret. Ex
hoc autem hominum ac mulierum concursu & studio, magnam vrbi eam
gloriam,

gloriam, tum vtilitatem etiam accedere, consequens fuit. Magnam quoque
Gedeonis familiæ ac perpetuam dignitatem arrogari, & amplitudinē etiam
præter ceteras vel suæ vel aliarū tribuum conciliariem putari. cōtrà etiam
non exiguam aduersus eosdem inuidiam concipi apud eos, qui ambitionis
atque cupiditatis morbo laborarent: metum quoque & suspicionem innasci
aliis, fore vt ornamenti ac monumenti illius reuerentia inclinatus populus
in illius Gedeonitica gentis studium conspiraret. Atque ex hoc initio insi-
diarum aduersus Gedeonis domum semina exorta sunt. Omnis Israel for-
nicatus est ibi. *eūdem locum superstitiosa demum celebritate identidem*
frequentando, quod tandem illius domus ruinæ causam attulit. Hebraicum
verbum MOKES *offensionem grauissimam, quam casus consequatur, si-*
gnificat. Chaldaicè THAKLA, *Latinè offensionem siue impactionem di-*
cas. Cur autem Gedeoni etiam ipsi periculum hinc dicatur ortum, facile ex-
plicatu est. Siquidem quod ille in nominis sui monumentum, familiæ atque
posteritatis ornamentum perpetuum dicauerat, euersionem potiùs familiæ
& nominis sui odium inuidiamq; molitum fuit. Sed hæc Gedeoni non præ-
cognita intelligimus, verùm post illius ætatem ab historiæ huius conscri-
tore Samuele, opportunè animaduersa & indicata, ad statuendam lectori-
bus prudentiæ exemplum documentumq;: cùm omnis sacrorum scriptorum
ratio ad expetendorum fugiendorumq; componendam disciplinam refera-
tur. S.S.E. Quæcumque scripta sunt, ad nostram vtilitatem scripta sunt.

מוקש

Sacrorum scriptorum scopus.

Humiliatus est autem Madian coram filiis Israel nec potuerunt vltrà ceruices eleuare, sed quieuit terra per quadraginta annos quibus Gedeon præfuit.

VICTORIÆ *illius magnitudinē, breui oratione indicatam, æstimare*
operæ precium fuerit; quæ tanta fuit, vt toto illo æuo non solùm seipsos vl-
tiscì Ismaelitæ non valuerint, sed nec cuiquā mortaliū nocere, negotium ve-
facessere; quippe qui nec etiam suis dissipatis & immutatis rebus integran-
dis, satis operæ atque studij admouerint. Hoc expositione illa significatur,
Nec potuerunt vltrà ceruices eleuare. *Siue, vt in exemplari est,* Caput
suum attollere. *Non solùm rebus, sed nec verbis etiam quicquā magnifi-*
cum agere, ita vt humiliationē hanc ad res, & ad nominis superbiam &
gloriā pertinere interpretemur, quæ vel vnica Israelitici nominis comme-
ratione frāgebatur. Quòd verò terra quieuisse dicitur, perpetuā pacē secu-
ritatemq; significat, ex illa victoria cœptam, atq; toto Gedeonis æuo produ-
ctam, nemine vndique vel vicinorum & confinium, vel remotiorum ho-
stiū quidquā tentare ausō propter gētis illius atq; regionis felicitatis opinio-
nem, atque etiam propter Gedeonis famam, quæ plurimum persæpè ad com-
pescendam insidiatorum inuidiam valet; sed veram illius quietis causam,
diuinam tutelam fuisse intelligimus, quæ populo illi religionem atque legis
disciplinam ritè obseruanti numquam defuit: vt autem hæc studia ac mori-
bus conseruarentur, optimi ducis atque præsidis perpetua cura fuit. Atque

Universidad de Deusto
Biblioteca

quadraginta perpetuæ pacis, quietisq; communis annis, Israëlitarũ res, tam priuatas quàm publicas, non solùm restituti, sed vehementer etiam auctas oportuit; cùm tempus illud ad vastas etiam antea, & nouo cultore occupatas terras colendas amplificandasq; satis fuerit, nedum ad ea, quæ priùs ædificata cultaq; fuerant, loca resarcienda, corrigenda, & amplificanda, maximè tam fertilis solo, benignoq; cælo, atque singulari Dei prouidentia & liberalitate curato. S. S. E. Terra enim, ad quam ingrederis possidendam, non
Deut. 11. „ est sicut terra Ægypti, de qua existi, vbi iacto semine in hortorũ more aquæ
„ ducuntur irriguæ: sed montuosa est, & campestris, de cælo exspectans plu-
„ uias: quam Dominus Deus tuus semper inuisit, & oculi illius in ea sunt à
„ principio anni vsque ad finem eius. Si ergo obedieritis mandatis eius, quæ
„ ego hodie præcipio vobis: diligatis Dominum Deum vestrum, & seruatis
„ eum in toto corde vestro, & in tota anima vestra: dabit pluuiam terræ vestræ
„ temporaneam & serotinam, vt colligatis frumentum & vinum & oleum:
„ fenumq; ex agris ad pascenda iumenta, vt & ipsi comedatis, & saturemini. Huiusmodi beatitate totis quadraginta pacis annis vsa regio, quantum cultoribus suis diuitiarum, annonæ, atque omnium rerum copiam suppeditauerit, cognosci facilè potest, vel ipsa cogitatione animi, quam tamen verbum, quiescere, confirmabit, Et quieuit terra. Nullo vel interno vel externo interturbata motu, nec fame, nec populari oppressa morbo, nec priuatis intestinis edita, aut tumultibus vexata, tantum religionis obseruantia, optimi gubernatoris studio officioq; procurata, commodorum & felicitatis efficere atque tueri potuit. At vero terrena illa rerum copia ac felicitas futuris vitiis materiam fomentumq; parabat, vti sæpè corruptis hominũ animis accidit. S. S. E. Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, im-
Deut. 32. „ pinguatus, & dilatatus. Dereliquit Deum factorem suum, & recessit à
„ Deo salutari suo. Quo minùs verò hæc tam citò irrepere et corruptela, Gedeonis cura, diligentia, atque vigilantia obstitit.

Abiit itaque Ierobaghal filius Ioas, & habitauit in domo sua, habuitque septuaginta filios, qui egressi sunt de femore eius, eo quod plures haberet vxores. Concubina autem illius, quam habebat in Sichen, genuit ei filium, nomine Abimelech.

VERBVM Abiit, securitatem populo ac terræ partam significat, ex quo otium genti enatum est, idq; quadraginta annorum: atque etiam iudici ipsi à bellis vacatio concessa: cuius tantũ cura officiumq; fuit, prouidendi quemadmodum Resp. rectè ritèq; ex patriis legibus, moribus, ac religione administraretur. quod verò hoc tempore Ierobaghal filius Ioas appellatus fuerit, qui proprio antea nomine Gedeon dicebatur, eo pertinet, vt intelligamus, illud antiquum suum consilium perpetuò obtinuisse, diuini inquam ac veri cultus vindicandi & asserendi, aduersus omnium vanorum numinum super Niciuem, ita vt, audito Ierobaghalis nomine, vnusquisq; sibi metueret, ac ne

ac ne quidem de Baghalim mentionem cogitaret: in paterni autem nominis adiunctione, diuini cultus indicatur studiũ; nam Ioas, Dei inquisitionem vel curationem significat. Atq; ita illum omnibus publicis edictis, consilius, & scriptis, ac mandatis, muneris authoritate ac ratione editis appellari solitum interpretamur. Hæc mandat, edicit, consulit, &c. Ierobaghal filius Ioas Iudex Israel. Habitasse in domo sua dicitur, non solùm propter securitatem quietemq; terræ, sed etiam propter amplificandæ familiæ propositum, cui post muneris publici negotia (cùm nulla, quibus distineretur, bella foris essent) quod reliquum erat temporis operam dabat, atque hoc modo euenit, vt septuaginta & vno liberis auctus illis non totidem annis enaserit. Nam quamquam aliquot ante bellum habuisset, quorum primogenitus Iether fuerat, magnam tamen partem in illo quadraginta annorum otio ex variis vxoribus suscepit: id quod expositio illa ab historiographo inducta adnotat. Eo quòd plures haberet vxores. Namq; hoc antiquis legibus non erat prohibitum, imò potiùs certis legum interpretationibus, humanis tamen, & à scribarum consilio profectis, Israeliticæ gentis amplificandæ causa commendatum. Hæc enim illorum de hac re sententia erat: Qui quis vnum Israeli liberum donat, idem facit ac si orbem ipse cõcinnet. In nuntiatum lib. Israel.
Orbis namq; (vt illi ajebant) Israelis causa factus est, id quod secundùm arcanam significationem non ineptè dictitabatur; de Israele verò secundùm carnem, non adeò aptè. Fuêre autem complures illæ vxores legitimo ritu ductæ, quamobrem & vxorum nomen ac titulum obtinuere. Sichimitis verò illa concubina, proximo vxoribus conditionis gradu ac iure ducebatur. nõ autem iisdem, quibus illæ, cerimonijs ducta erat, quæ nato ex se filio cum materni splendoris non tantum, atq; cæteris Gedeonis liberis tribui posset, paternæ dignitatis amplissimum nomen indidit, Abimelech, quod patrem regum interpretari possumus: quamquam enim pater non fuisset Rex, tamẽ quòd munere penè regio functus fuisset, & ad dominationẽ regiæ similẽ aliquando inuitatus, hoc illa filio nominis ansa est imponere. Atq; omnia hæc ad parasceuen pertinent ruinæ illius, quã pòst consecutã cognoscemus.

Mortuusque est Gedeon filius Ioas in senectute bona, & sepultus in sepulchro Ioas patris sui, in Ephra de familia Ezri.

QVEM viuentem, rerumq; tenentem habenas, Ierubaghal appellari solitum legimus, atq; hoc nomine cultum venerabilemq; bonis omnibus; improbis verò, & malè moratis, malèque animatis verendum intelleximus; nunc iam munere pariter & vita defunctum, priuato & familiari nomine dictitatum audimus, cuius rerum atq; honorum mutationi & inconstantiæ in vulgi animis persæpe spectatæ, non rara nec simplicia quotidiè notantur exempla. Existimo autem sepulchri, atq; sepulturæ, & familiæ mentionem in hunc locum inductam, eodem pertinere; vt nihil publicè illustrius aut magnificentius in viri funus decretũ collatúmve fuisse indicetur, quàm quod per ipsum priuato testamento potuerit esse mandatum: videlicet vt paterno

Universidad de Deusto
Biblioteca

terno sepulchro in Ghaphrath, patriæ vrbis agro, conditus, Abigezeritārum familiæ tantùm adscriberetur; isq. marmori inscriberetur titulus: GEDEONI FILIO IOAS ABIGEZERITÆ. *Namque tribus mentionē fieri non opus erat, quam vel Vrbs ipsa patria declarabat. Quod autē singulariter adnotatū est,* In senectute bona; *domus familiæq., rerum & muneris etiam suiusum ad extremā vsq. diem perpetuū, nullisq. aduersitatibus calamitatibúsve interruptum, sed ne tentatum quidem significat; quod diuinæ prouidentiæ, optimi vtri integro atque probando erga religionem, publicæq. rei statum studio fauenti, adscribendum est.*

Postquam autem mortuus est Gedeon, auersi sunt filij Israel, & fornicati sūt in Baalim: percusseruntque cum Baal fœdus, vt esset eis in Deum: nec recordati sunt Domini Dei sui, qui eruit eos de manibus inimicorum omnium per circuitum: nec fecerunt misericordiam cum domo Ierubaal Gedeon, iuxta omnia bona quæ fecerat Israeli.

INSITÆ hominum animis, antiqui serpentis opera, prauitatis animaduertendum exemplum, apud Israelitas persæpe repetitum, lectio hæc adpingit, atq. omnibus humanæ proteruiæ coloribus & vmbris absolutum spectaculum producit. Primum autem totius humanæ insolentiæ ac peruersitatis caput est, cupiditas quædā felicitatis suo sibi modo fingendæ & cōstituendæ, atq. à constituta per Deum omnibus communi ac verè conueniente ratione, ad priuatæ cogitationis & inuentionis opinionisque modum traducendæ. Quippe infantiæ atq. ruditatis meræ esse putatur, vitam eo pacto instituere, quod à Deo simplicissimum apertissimumq. naturæ ipsi humanæ fuerat demandatum. De fructu lignorum quæ sunt in paradiso, vescimur: de fructu verò ligni quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud: ne fortè moriamur. Hæc humani officij summa fuerat, ea præter omnem exceptionem velle, & agere, quæ Deus apertè concesserat; quæ verò vetuerat, ne cogitatione quidem temerare: sed hanc viuendi conditionem ignobilem & puerilem nimiùm, atq. humanæ mētis capacitate & ingenio minorem futuram, nisi sua ipsi solertia atq. industria promouerent, & amplificarent, callidi illius draconis oratio persuasit: Nequaquam morte moriemini; scit enim Deus, quòd, in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij scientes bonū & malum. Vbi igitur illa serpētis obliqua atq. industriosa doctrina, femineo percepta animo, ad externi sensus examen relata est, probabilitatem habere visa, facilè ad vsum sui discipulos pellexit: quo vsu vbi semel fuit imbuta, cùm recentissima natura esset, numquam posthac deinceps sua sponte ab illa errorum & peruersitatis labe & consuetudine purgata fuit, nec sese purgauit. Vidit igitur mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, adspectuq. delectabile; & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro

Humana sapientia.

Genes. 3.

viro suo, qui comedit. sed quænam in humanæ naturæ viribus, ingenio, moribus, & statu omni, ex illo vetito fructus esu, siue ex illa diuini statuti contemptione mutatio fuerit consecuta, euestigio indicatur: Et aperti sunt oculi amborum, cumq. cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficuum, & fecerunt sibi perizomata. Atq. opportunissimus hic sese offerebat argumentorum locus, ex quibus cognosci apertè poterat, omnem humanæ sapientiæ & insipientiæ, quamuis ingeniis, præceptis, institutisq. multiplicē & variam, variisq. opinionibus deductam scholam, istis tantùm primis & communissimis duobus principijs, & quasi fundamentis constructam inniti. hoc est, doctoris illius versuti callido cōsilio ac monitu, humanos oculos semper aperturn ac diuinum aliquid repertum iri promittentis, & feminei sensus, exterioris inquam hominis, erga ea quæ iucundiora in speciem videntur appetentiam; atq. ita fortasse fieret, vt quam maximam in Israelitis prauitatem & rerum atq. religionum mutandarum cupiditatem damnamus, in nobis ipsis, assiduo exemplo repetitam agnoscentes, corrigeremus. Etenim & nobis scripta hæc sunt quemadmodum & illis: Existimas autem hoc, ô homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quòd tu effugies iudicium Dei? Sed redeamus ad institutum explicandi munus. Nimis longa & fastidiosa hominibus illis Israelitis visa fuerat illa quadraginta annorum religionis colendæ simplicitas, nullis inuentis exornata humanis, qualibus cæteræ vterentur gentes, tum ad felicitatis cōmodius & citiùs obtinendæ vsum, tum ad Reip. ornamentum, atq. ad populi lætitiam, cuius rationem haberi oportere, eamq. non minimam, qui in commune consulūt, mundi sapientes censueruni. Quamobrem defuncto iam vita Iudice illo, à quo angustiis illis, & communibus veteribusq. religionis ac iudiciorum terminis tam diu coërcebantur, de amplificando exornandoq. cultu actum & peractū est. In exemplari lingua narratio hæc sic inchoatur: Et fuit simul atque mortuus est Gedeon. *vt exspectatam illius viri mortem, nimisq. longam vitam ad tærerū cupiditas, ex illo quod indicabamus primo semine, innata est.* Auersi sunt filij Israel. *verbum* IASSVBV, *deliberatā consultamq. auersionem significat, non sine pœnitudinis notatione.* Pœnituit (inquit) *filios Israel simplicis illius disciplinæ de vnius Dei cultu tot annis productæ, totidemq. etiam interruptæ illius libertatis, constituendi sibi, singulis gentibus & populis religionis colendæ rationem & modum, maximè cùm iam pridem id patrum maiorumq. suorum fuisset exemplum & institutum, vt præter aut vltra Israelis Deum, vel simul cum illo, vel illo etiā prætermisso, Baghalim, id est, numina colerentur. Igitur publicè de priuato singularique numine sibi suscipiendo, & consecrando atq. dedicando actū est, consilioq. de eare inito, id præcipuè sibi ad omnem cùm priuatā, tum publicā rem vtilissimum & opportunissimum visum est, deligendū numen, quod quamquā diuinitatem habere credebatur, non tamen ab hominū consuetudine adeò atq. cætera numina*

Erroris vitæ diuerticulum.

Rom. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mina remotũ esset, immo medium quoddam inter superna & infera munus officiumq. fuisset sortitum, & deorum cæterorum familiaritate ac societate vsum, hominũ quoq. consuetudinẽ non aspernaretur, immo potiùs frequentaret. Huiusmodi autẽ naturæ, ingenij, atq. authoritatis esse iudicatum fuit numẽ, quod ex munere atq. officio BERITH *appellabatur. Est autẽ* BERITH *idẽ in illa lingua, quod in Latina* Fœdus. BAGHAL *verò iam sæpè aliàs adnotauimus cõmune esse pluribus nomen, idemq. ferè quod Latinorũ numen significare, adiunctoq. alio singularis notationis vocabulo, ad hanc vel illã virtutem, authoritatẽ, & curam singulari ratione tributam excipi. vt* BAGHAL PEGHOR. BAGHAL TSAPHON. BAGHAL GAD. *Ita etiã Græca Theologia numinũ suorum indagationes ex nomine & munere cõpingebat. vt,* Ζεὺς ὅρκιος. *Atq. hoc esse masculinũ numinum nomen; femininum autem Dearum,* GHASTHAROTH, *quod beatas felicesq. Latinè vertere possumus, in quo & antiquos Græcos Romanosq. scriptores falli notabamus, vnam quampiam singularemq. Assyriorum Deam,* ASTHARTEN *esse existimantes. Igitur cùm Israelitæ non tantùm cum superis, hoc est cum Deo & Angelis, atq. etiam cum aliarum gentium Diis, verùm etiam cum nationibus hominum, tam vicinis quàm remotioribus, negotia & res cùm bellum tum pacem spectantia, incidere sibi posse putauissent, id sibi numen duxère exoptandum, cuius in belli & pacis rationibus componendis, firmãdis, & stabiliendis sacrosancta crederetur authoritas. Id verò ipsum erat, quod singulari nomine* Fœdus *appellabatur. Nam si cum superis Diis de populi vel defensione vel conseruatione agendum esset, Fœderis numinis tutela, intercessio, atq. suffragatio oportuna erat, cui quidquid ex conuento promissum esset, propter numinis reuerentiam & gratiam præstaretur, cum aliàs & ipsi inter se Dij fœderis numine & officio interdum egerent. (Namq. inter Deos amicitias, inimicitias, contẽtiones, discordias, atq. simultates inuidiasq., insana illa poëtarum theologia miscebat) Si verò cum mortalibus hominibus res incidisset, nullum magis*

Fœderis sanctas. *propitium numen, nullum magis æquum, magisq. obseruandum videbatur quàm fœdus, quod quamuis placido, æquabili, & ad amicitiam facto videretur ingenio esse; violatæ tamen fidei acerrimus vindex credebatur; quod vel illis porcæ, vel alterius cuiusptam generis hostiæ, sancito fœdere feriendæ, ritus declarabat. Atq. ita pro temporis ac loci ratione opportunissima & commodissima,* BAGHAL, *fœderis tutelam sibi fore persuasi Israelitæ, id numen consecratum publicè colendum decreuerunt, quod & superos omnes sibi propitios & inferos conciliare posse crederetur. Facilè enim sperabant fore, vt cùm vicinæ finitimæq. gentes Israelitis tutelarem Deum esse intellexissent; fœdus, amicitias, & societates vltro proferrent, &*

Fornicatio. *pactas sancirent, sanctasq. & statas obseruarẽt. Fornicationis, siue fornicãdi verbum, ad nouæ religionis ac superstitionis cuiuscunque detestandum studium significandum vsurpari, quàm plurimis in sacro sermone exemplis obser-*

obseruatum: translatione videlicet sumpta à feminis, quæ à debita maritis fide ad alios ardores libidinosè desciscunt. Percusserunt cum Baghal fœdus. *In exemplari lingua sic ex verbo:* Et posuerunt sibi Baghal fœdus in Elohim. *Ponere verbum, & quod huic tam Hebraicè quàm Græcè respondet, cùm religionis incidit sermo, sacrum est, & idem quod dicare & sacrare significat; vt:* ——Posuitque immania templa. *&,*

Ponere

Iurandasque tuum per nomen ponimus aras. *Cum autem hoc numen illis positum audimus, cætera omnia, quæ ad illius facerent cultum, decreta & constituta intelligimus, vt templa, altaria, aras, hostiarum & sacrorum ritus, sacerdotia, ac ministeria ad fastum etiam & ambitionem, vt tantum, tam nobilem populum decebat, scilicet in* Elohim. *Curam, gubernationem, prouidentiam, atq. tutelam cum virtute authoritateq. summa, hoc nomen significare, & muneris magis quàm naturæ esse, identidẽ iam ostendimus: atq. ita notamus, vt Græcis suum Hermetem, Romanis Mercurium facundum inter homines atque Deos medium internunciumq.; sic Israelitis modò suum* Fœdus *non tantùm Diis & hominibus, sed hominibus ipsis, inter se aptum vtileq. iudicatum & susceptum. quo autem iure, quo consilio, quo exemplo, quo vnquam beneficio accepto, demum quo sensu id factum fuerit, si quis nunc quærat, respondebimus nimirum defectione ingrato, & beneficiorum immemori animo, atq. propriæ opinionis & electionis indu-*

אלוהים

Fœdus.

striæq. amore insaniente, ad hanc non solùm erga Deum, sed erga beneme-ritissimos de se homines, pietatis atq. fidei proditionem repentè commigratum fuisse. hoc est quod subiunctum epiphonema indicat: Nec recordati sunt Domini: *illius, quem singulari præter cæteras gentes prouidentia, à suæ tnitio gentis Deum Elohim, suum beneficentissimum creatorem, tutorem, vindicemq. non intellexerant modò, sed senserant.* Qui eruit eos de manu inimicorum omnium per circuitum. *Nam, vt antiqua taceantur beneficia, quæ ipsorum patribus & maioribus in Ægypto, in solitudine, in occupatione terræ illius contigerant; recentia illa, quæ ipsorum parentumq. memoria collata erant, atque adeò hoc recentissimum, quo adhuc viuẽtibus ac sentientibus frui dabatur, Ismaelitica cladis Gedeonis ministerio per Deum editæ, satis superq. fuerant, non solùm ad sacrã, patriam, antiquãq. religionem & pietatem conseruandam, sed etiam ad Gedeonis familiam in illius magnæ salutis commendationem, atq. in hostium opprobrium fouendam, imò amplificandam, prærogatiuis ac priuilegiis illustrandam. Quæ omnia officia non solùm deserta, verùm etiam per summam impietatem, ingratitudinem, atq. adeò crudelitatem prodita notantur, verborum atq. rerum contentionibus aptissimis. vt Israelis, qui contra nominis sui professionem, Deum illum, à quo dignitatem felicitatemq. omnẽ adeptus fuerat, ne mentione quidem aliqua dignum duxerit.* Non recordatus est *in iis ipsis de consecrando sibi numine actionibus. Iam verò causæ ipsius status atq. definitio si expendatur, maxima profectò æstimationum deprehendetur*

fallacia, tum quòd eam rem, siue eam actionem siue cogitationem Deum appellari, Deiq. loco sibi haberi voluerint, quam diuinis legibus expressa exceptione non semel vetitam fuisse constaret. Fœderis enim vel nomen, vel ius non quod ad diuinum cultum modò, sed etiam quòd ad humanum conuentum inter Israelitas, & finitimos hostes exceptum & vetitum esse Deus cauerat: quippe quod ipsis, ipsorumq. regionibus perniciosissimũ fore, praedictum fuerat. Fœdus enim cum hostibus securitatis causa sanctur, nulla verò hostium alterius cultus atque religionis opinione imbutorum certa securitas, nulla certa esse potest perpetuaue fides. Vnde ergo petenda securitas? nempe ex populi ipsius virtute & fortitudine; sed praecipuè ac primò ex ducis gubernatoris q. authoritate & praestantia; cuiusmodi securitate cùm ex Dei efficientia, ac tutela, prouidentiaq. singulari, persaepè vsi fuissent Israelitae, ad fœderis non modò religiosis ritibus consecrandi, sed nec moribus ineundi conditionem, absque nefario scelere descendere non poterant.

Fœdus quẽ. admodum vetitum.

Deut. 7. » *S. S. E. Cùm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingrederis, & deleuerit gentes multas coram te, Hethaeum, & Gergezaeum, & Amorrhaeum, Chananaeum, & Pherezaeum, & Heuaeum, & Iebusaeum, septem gentes multo maioris numeri quàm tu es, & robustiores te, tradideritq. eas Dominus Deus tuus tibi, percuties eas vsq. ad interneciones. Non inibis cum eis fœdus, nec miserebere earum. Ex cuius praecepti atque statuti diuini contemptione, calamitatem illius maximam allatam fuisse, vel illo exprobrantis per nuncium suum Dei responso edoctus, in posterum cauisse consentaneum fuerat. Eduxi vos de Aegypto, & introduxi vos in terram, pro qua iuraui patribus vestris, & pollicitus sum, vt non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum: ita dumtaxat, vt non feriretis fœdus cum habitatoribus terrae huius, & aras eorum subuerteretis. Huius praecepti deliberatam, & nefario consilio temeratam violationem quam legimus, Dei sui oblitionem historia nominat. Qui eruerat eos de manu inimicorum omnium per circuitum. Spõtaneam verò oblitionem, & consultò affectatam, ipsa sermonis forma significat: Nec recordati sunt. sua lingua: Et non meminerunt. rem quidem illis nec commodam, nec vtilem, immo verò & legibus vetitam, Dei tutelaris nomine sibi consecrarunt. Dei autem veri & omnipotentis, sibiq. singulariter propitij, nec mentionem quidem fecerunt, sed nec vllam grati animi & humanitatis erga virum optimum, de seq. recenti victoriae exemplo, ac diuturno gubernationis manere bene merentem, rationem habuerunt: immo, quod omne sceleris exemplum vincit, acceptam à viro beneficium, crudelissimo in domum illius maleficio compensauêre.* Iuxta omnia bona quae fecerat Israeli. *Ex eorum atque rerum compositione & oppositione, culpae & criminum amplificatur magnitudo; in Israelem immisericordem, criminosum inhumanumque est, in Gedeonem verò scelus,* Iuxta omnia bona, *& beneficia tum foris tum domi accepta, immane nefas. Quid porrò crudelissimum fece-*

Supra c. 2.

rit? id quidem hominum fidem excedere videri poterat; verùm ad istum vsque praecipitem feritatis ac saeuitiae locũ degenerasse Israelem, quae mox adnectetur, historia declarabit.

CAPVT NONVM.

ABIIT autem Abimelech filius Ierobaghal in Sichem ad fratres matris suae; & loquutus est ad eos, & ad omnem cognationem domus patris & matris suae, dicens.

VNAM ex inferni regni, in quo nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, atq. adeò ex principis mundi huius ministris, eamq. pestiferis modis turbulentissimam, ambitionem esse,

Ambitio

——Populos quae longa in pace quietos
Turbare, ac gentes & magna euertere regna,
Pro nihilo ducat, *nisi omnes iam aetatum omnium atq. gentium historiae docuissent, nisi etiam praesentia adhuc nostrae memoriae exempla frequentissima demonstrauissent, vel in huius vnici facinoris ac sceleris explicanda narratione paululum commorati ostẽdere poteramus: verùm cùm haec ratio, siue haec potiùs peruersitas ad execrationem vsque nota omnibus iam sit, nec sine horroris ac doloris sensu à piis tractari possit, quid nam furia haec, intra electioris gentis (qualem Israeliticam antea fuisse nouimus, qualemq. sese semper praestare oportuerat) fines admissa, turbarum calamitatumq. intulerit, breui commentatione intuebimur. Ac primùm quidem vulgi non facilitatem, sed magis leuitatem inconstantiamq. spectare cognoscereq. licet, qui nullis iudicij fundamentis insistens, ea tantùm agit, curat, & sequitur, quae in diem vel vtilia, vel commoda, vel iucunda videntur: praeteritorumq. beneficiorum, vel publicè vel priuatè acceptorum, memoriam nullius ad officiũ iusq. seruandũ ponderis esse ducit; rerum autẽ in praesens susceptarũ consequentias, non magis quàm caecus longissimè remotos vel fluuios vel puteos, praeuidet. Atq. ita nouarũ rerum occasionẽ quocũque vel iniquissimo pacto oblatam, ad tumultus atq. turbas praecipiti impetu arripit, & compositae Reip. ruinã, in qua sese etiam inuoluat, molitur. Quadragesimus agebatur annus, cùm Gedeoni, Gedeonisq. filio, ac nepoti, Israeliticae Reip. summa ab omni Israele non modò tributim, sed viritim etiã decreta, atq. vltro fuerat oblata; quam cùm benemerentissimus ille vir recusauisset, perpetuis deinde toto aeuo curis, officiis, studiis, beneficiis, & laboribus magis fuit etiã promeritus: quae quidem in quàm grato, pio, constanteq. populo posita fuerint, qualeq. proseminatori demum officiũ retulerint, nunc iam inspicimus. Inspicimus vulgus, inquam,*

Vulgi leuitas.

——In cuius mente pares sunt
Saeuitia & leuitas, hominumque & numinis alti
Contemptus, rabies sceleris studiumque nefandi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Atqui primos huiusmodi nouandarum rerum coniurationumq. authores, omnium sui ordinis hominũ deterrimos, atq. vitiis contaminatissimos esse solere, (namq. huius farinæ mancipia sibi fingere ambitio solet) nisi Catilinæ & Cethegi suo ipsorũ exemplo indicassent, præter alios omnes, quos prudens prætereũdos duco, vnus nobis Abimelechus satis idoneus esset demonstrator. Qui ex concubina ortus, nihil à patre suo, præter nominis speciẽ, nobilitatis prætextu ad fallendum commodam, retulisse videtur. Namque hic cùm matri vnicus esset, eidemq. concubinæ, quæ ex eo vilioris animi arguitur, quòd cùm cõpluribus Gedeonis vxoribus annumerari posset, si ipsa accuratè postulasset, minore tamen loco, ac non legitimo sacroq. ritu, exignauia ac vilitate contenta fuit: quamobrem nec ipsi etiã Gedeoni digna iudicata esse videri potest, quæ inter honestiorẽ vxorum censeretur gregẽ, atq. adeò nec ita chara & grata vixisse existimabatur, vt sæpius repetenda, atq. inuisenda, fouendaq. duceretur; quippe cùm ex aliis, quamquã multis, tamen plures ex vnaquaque susceperit liberos, hanc vnam ille vnius tantùm filij matrem fecerit. Huius autẽ filij qualis indoles, quibusq. imbuta artibus fuerit, ex matris ingenio, patris absentia, vel in publico ministerio semper occupati, vel in patria reliquũ temporis commorati, æstimare est. Certè illũ matri vnicũ, in omni petulantiæ atq. audaciæ licentia educatũ, exitus ipse manifestat, vtpote qui in patris (quem solum vereri vtsus est) quamprimum è viuis sublati domũ, & familiam omnem tam immane parricidij scelus ac facinus, dominationis ambitu aggressus peregerit; quod non repentè excogitatũ, sed deliberata meditatione conceptũ, in ipsa familiaris turbationis atque occupationis occasione inuasit. Exemplaris linguæ sermo narrationem hanc ipsi Gedeonis funeri velut coniunctissimam adnectit, vt calliditatem sæuitiamq. notet hominis, qui eodem tempore, quo fratres omnes apud paternam vrbem atque domum in luctu ac funere, sepulchroq. curando occupati erant, & forsan etiam vel Dei responsum, vel populi decretum de successore constituendo exspectabant (namq. vtriusq. rei opportunitatem funebres ac luctuosi dies illi præbebant) ipse, cùm vel eo loco antea aliquamdiu viuente patre hæsisset, vel nuper ad sepulturæ officium conuenisset, relictis cæteris, coniurationis excitandæ occasionem arripiens, in Sichem sese protulerit. Quòd verò Ierobaghal *filius hic appellatur, ad exaggerandam sceleris ac proditionis grauitatem pertinet, quod cùm quidquid honesti decoris, ac præcipuæ dignitatis haberet, patri potius quàm matri acceptum referre deberet, præcipuè verò cùm legitimis gentis suæ moribus prosapia & generis ratio ex patre tantùm ducatur (vt in magno opere, Deo propitio, docebimus) tamen in eos se sæuissimum hostem inimicumq. præbuit, quorum communioni seipsum, genus, splendoremq. suum debebat. Atq. ab illa nobilitate, quam tueri tactareq. poterat, præter ius & fas ad maternã cognationem degenerauit, idq. callidissimè, quòd intelligeret Sichimitas propinquos, ob neglectam fortasse & nũquam ad vxorium ius prouectam cognatam,*

tam, atq. ideo ab hæreditatis iure exceptum affinem iuuenem, Gedeoni infensos esse: consentaneũ namque hominũ ingenio est, huiuscemodi apud istos inuidia virũ laborasse tanto magis, quanto illũ sublimiori loco positum constaret, facileq. illis hoc impertiri honoris posse, vt & nepotẽ legitimũ principis liberum appellari liceret, & eo nomine maiorẽ cum illius familia coniunctionem colere. Fratres autem, illius linguæ cõsuetudine, cognati omnes Fratres. *ac propinqui, quocumque cognationis agnationisq. censeantur ordine, appellantur. Iam igitur hominis audaciam, calliditatem, consilium, loci ac temporis captandi curam, cùm notauerimus, orationem nũc deinceps obseruantes, quasi ob oculos viuum constituere possumus. Eloquere, ô iuuenis, vt te videam, aiebat Socrates. Primùm verò eum proximos quosq., hoc est, auunculos, seductos in suam sententiam pertraxisse; deinde horum aduocatorum suffragio atq. opera, cognationem reliquam omnem (quam frequẽtem fuisse, res ipsa indicat) ad studium sui pellexisse, atq. hoc pacto coniurationem firmasse, ex narrationis coniunctionibus intelligimus.* Et locutus est ad eos, לאמר
auunculos & propinquos maternos, etiam ex parte auiæ. Et ad omnem cognationem domus patris matris suæ. *Cur autem ita singulariter auita ex parte matris domus appellata fuerit, oratione ipsa declaranda adnotabimus.* Dicens. *excogitatum, atq. certis opportunisq. argumentis & verbis instructum sermonem, oratio illa* LEMOR *indicat, præcipuè cùm verbo,* loquutus est, *subiungitur.*

Loquimini ad omnes viros Sichem: Quid vobis est melius, vt dominentur vestri septuaginta viri omnes filij Ierobaghal: an vt dominetur vobis vnus vir? simulque considerate, quòd os vestrum & caro vestra sum.

ORATIO *ipsa breuis quidem & expedita, ac prorsus magis ad tempus in gerendo bello, quàm in sermone exornando ponendum viri prompti est, quales Achilli, qualesq. Aiaci affingere Homerus nouit; verùm argumentis & ponderibus instructissima, ad eos, quibus cum agebatur, inclinandos & pertrahendos. Ac primum quidem totius vrbis primores, cùm singillatim, tum communiter conuentos persuadendos curat, quorum conditionem superbiorem esse cognouerat. Namq. vt nobilissimus quisque sibi esse videtur, ita grauissimè dominationem ferre solet, sed necessariam tamẽ tolerat, maximè vnius, in cuius authoritatem Resp. omnis concesserit: at verò plures simul dominos, plures rectores, eosdemq. ad imperandum pari siue lege siue potentia instructos, nec vilissima quidem seruitiorum capita pati possunt. in vna quidem domo vel patris ac filij, vel duorum etiam fratrum par imperium, non famulis modò, verùm & mancipiis grauissimum intolerabileq. censetur. Quam ob rem cum proceribus, ac primis totius ciuitatis vrbis consilium sermonemq. communicandum mandat.* Ad omnes viros. *Ex propria lingua:* In auribus omnium Baghalei Sichem principũ virorum omnium. בעלי שכם

Universidad de Deusto
Biblioteca

nium. *Persuasionis autem exquisitæ argumenta tribus potissimùm è locis petita sunt, & antithetorum neruis ita connexa & instructa, vt facilè in dicentis sententiam auditor pertrahi posse speraretur. namq; auditorum selectum primum habendum curauit orationi suæ opportunum, fratres inquam, & cognatos, minoris in populo conditionis, nec nobilitate pares cæteris, quos per hos subornabat: atq; hos in maioris commodi, atq; melioris notæ spem, ipsa animi sui magnitudine, & ad gerendam rem dexteritatis opinione, induxit. Deinde nobiliorum omnium vrbisq; primorum, quibus si hunc ciuem suum, atq; quibusdam fortassis aliquo nomine affinem, ad rerum tenendarum habenas tuuare ac promouere placeret, summæ omnis debitorẽ existimare in promptu erat, atque sese in omni Israële primos constitutum irri sperare. At singulos primùm populo prensandos, in sententiamq; inducendos; deinde omnes pariter coniunctos, ad fouẽdas fulciendasq; partes suas firmandos illo monitu curauit.* In auribus omnium procerum Sichem, BEOZNEICHOL in geminis auribus omnium. *vt vnusquisque propriam causam putet, itáque putatam curet. Atqui cæteram turbam, plebeiorum inquam, non ita tentandam curauit, quam in hac summi magistratus ratione facilè maiorum authoritati obsecundatum ire intelligebat, præcipuè cùm conditionis eiusdem cum cognatis suis esse constaret, libenterq; ad propriy commodi opinionem & exspectationem traducendam. Nam turba remens sequitur fortunam, vt semper, & odit damnatos.* Quid vobis est melius. *In propria lingua:* Quid vobis bonum. *definitionem rei primùm quærendam, æstimãdamq; proponit, cùm propinquis suis, quorum minores, tum proceribus, quorum maiores in hac re partes erant. Primùm enim duæ res non simul cõponendæ, sed singulariter examinandæ, offerantur. Quandoquidem dominatio subeunda ferendaq; est, vtra nam principibus virtus bona commodaq; censeatur, vnius tantùm, an plurium? in promptu autem certa esse sententia videtur, multorum dominationis, vt inutilis, difficillimæ & grauissimæ, prorsus excludendæ, & vnius admittendæ, propter eas quas paulo antè dictabamus rationes. quòd si hoc omnibus ita definiendum statuendumq; videatur, qui in commune cõsuluerint, (quæ causæ huius hypothesis est) altera etiam quæstionis pars cognoscenda, & ad eũdem definitionis statum vocanda petitur, quæ ab artificibus thesis dicitur, atque ad praxim refertur, in qua summa non disputationis modò, sed suasionis vel dissuasionis inest vis. Nam facilè quiuis, de communi rerum genere rogatus, ea respondit, quæ communia sunt, maximæq; hominum parti probabilia videntur, vt si quis consultus num virtus pecuniæ posthabenda, an præferẽda sit? præferendam è vestigio responsurum credere par fuerit; sin verò idem rogetur, an virtutis causa rem omnẽ suã abiycere deserereq; velit? hæsurum vt minimum ac deliberaturum illum suspicio est, non dicam nunc facturum* » *id quod iuuenis ille ab Euangelistis fecisse memoratur: Et abiit tristis, erat* » *enim multas possessiones habens. Itaque plurimum refert inter consultationem*

tionem de hypothesi, & eam quæ de thesi instituitur, præcipuè verò cùm res eius, qui consulitur, in thesi agitur. Nam si posteriori causæ parti cum cõsulti cõmoda nõ constet, iudicii friget, ambiguamq; sæpè, ac nonnũquam aduersam sententiam profert: quamuis apertissima communissimaq; omnibus exstiterit hypothesis. Sin verò vtraque pars ad iudicis, siue auditoris constituendam & amplificandam rem simul tũcta faciat, certissimam sententiam exspectare, & persuasionis facultatem obtinere est. Atque hanc rationem callidissimè Abimelechus illo tantùm pronomine includit, Vobis. *fetebat enim, vnius dominationem omnibus etiam cuiuscumq; vel populi, vel ciuitatis nobilioribus viris probatam; plurimum verò improbatam iri facilimè, quod si omnibus aliis, ipsis etiam, qui non minùs quàm cæteri de nobilium immunitate vellent sentire. Sed hactenus ipsam vnius electionem nihil ad se præter cæteros pertinere, putare illi poterant, vt qui cæterorum populorum de eadem re consultationem exspectarent; & suffragium suum ad consilij vsque communis tempus reseruarent; tantùm verò hoc communiter tenerent, vnumquempiam sibi optandum esse, siue is ex Gedeonis filiis, siue ex cæterorum maiori numero nobilium, siue alius quiuis deligeretur. Hanc suspensæ adhuc sententiæ circa singularem delectum securitatem maximi apud ipsos momenti argumentis commouendam & solicitandam callidus hic orator curauit.* Vt dominentur vestri septuaginta filij Ierubaghal. *Primum argumentum ex nominis commemoratione ad inuidiam petitur. Namque offensionem illam veterem, quam Gedeon Baghalis aram demolitus, lucũq; populatus, ante annos quadraginta subierat, in superstitum adhuc animis residere, ac frequenti Ierubaghalis appellatione identidem refricari, & ipse notauerat, & ille iam excitatus, de Baghalis instaurando cultu rumor arguebat. mouet itaque principio nominis inuidiam, qua viri liberos omnes non solùm suspectione, verùm odio etiam inuoluat. Si vel vnus tantùm superstes esset Gedeonis filius, qui paternum illud atque inuidiosum Ierobaghalis nomen & titulis adscripturus, & repræstiturus putaretur, vobis inuisus atque inimicus censendus esset, nedum, cùm septuaginta exstent, omnes operam daturi, vt quocumque loco, quocumque tempore fuerint, Ierubaghalis filij audiãt. Quòd si illi omnes simul imperẽt, vt hactenus faciunt, cùm nemini eorum singulariter huius gubernandæ nauis commissus sit clauus, septuaginta domini vobis ferẽdi sunt, qui quamquam, quod ad relizionem & publicam rem faciat, eiusdem consilij & studij sint, atque hoc nomine difficillimi propter potentiam atque opes euadant; tamen quod ad singulorũ familiaris rei copiã, quã ex totius populi tributis ac donis instrui necesse est, spectat, totidẽ vobis Reges ferẽdos alendosq; existimate. Nec verò leuius vobis fore credendum est, si vnicuipiam ex his rerum deferatur summa: nam quæ nunc, dum nemo adhuc quicquam præter cæteros obtinet, concordia est, eadem postea erit, vtpote fratrum vnius patris nomen retinere professorum, quos nullo alio, quàm coniunctionis consensu & pacto,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ĉto, ſe ſuaq́. tuituros: & pater iam docuerat, & certos perſuaſosq́. eſſe, nemo inficias ire poteſt: itaque ſiue omnes ſimul regnent, atq. optimatum adminiſtrationem ariſtocratiamq́. ſuſcipiant, ſiue vnuſquiſpiam præponatur, cæteros nec à paterno ſplendore degenerare, nec à ſe abalienari ille patietur, quorum ope & auxilio principatum ſibi conſtituꝝ putabit: atque ita quamquam Regem vnicum, ſeptuaginta tamen principes ac dominos vobis iam paratos, intelligere debetis, idq. breui ſentietis: ſeptuaginta, inquam, paternæ Ierubaghalis adminiſtrationis, tam in iis quæ religionem quàm quæ Remp. ſpectant, vindices potentiſſimos domi atque foris futuros. Quid autem ex illis vobis exſpectare liceat, vos æſtimatote, cũ ea parte, qua illis cognatio, coniunctio, concordia atque potentia conſtat, hoc eſt, ex Ierobaghalis nomine ac genere & ſanguine nihil vobis commune cum illis ſit: illi enim omnes Ierobaghalis filij, & à patre, nullo excepto, ſic nuncupati, iidemq́. legitimi filij in eadem nominis concordia, patris conſilio ac mandato relicti, me vnum exceptum vobis, cui vt neque generis communicationem ex æquo, ita nec dignitatis ac potentiæ partem concedunt; atqui hoc non paterni nominis odio, quod omnes pariter & ſuſcipiunt, & venerantur, & iactant, in quo etiam ipſe illis nihil cedo, vtpote ex eodem ortus patre: conſequens igitur eſt, me illis non propter patrem, ſed propter matrem eſſe inuiſum. quod ſi ego inuiſus, atque è filiorum numero excluſus matris cauſa ſum; quid vobis apud illos gratiæ futurum ſit, pernoſcite, qui ea parte, qua illis alienus ducor, vobis ſum coniunctiſſimus? Simulq́. conſiderate, quòd os veſtrũ & caro veſtra ſum. *Nullo argumento, poſt communem illam de plurium vel vnius dominatione deliberationem, inclinatos ad ſingularitatem animos ad ſuam ſententiam impellere magis potuit, quàm hoc quod poſtremo loco monẽdum ſeruauit: in quo manifeſti tum incommodi, tum commodi ſtateram æqua libraret bilance: incommodi, ſi vel vnuſquiſpiam ex aliis, cæteris omnino remotis, optaretur; quocumque modo id acciderit, inimicus, vel certè illis abalienatus futurus; cõmodi, ſi ſua ipſius foueretur cauſa, quæ eadem ipſorum erat, apud quos agebat. Namq. hoc pacto illud fore ſperabatur, vt pro dominatione multorum, quam aliàs ferre neceſſe erat: ipſi cõtrà non populi modò totius primores ac principes, verùm & principis ipſius patres gubernatoresq́. euaderent: vtpote quibus non ſolùm generis & ſanguinis neceſſitudo, ſed principatus quoque ſumma omnis accepta referenda eſſet. Itaque illi quidem nomine ipſo & officio ac labore princeps; ipſi verò tum neceſſitatt, tum merito, principis parentes ac patroni, imò verò Reges ducerentur.* Os עֹ֫ veſtrum & caro veſtra. *Os, corpus ipſum integrum; ego, pars quædam veſtri, quibus vt naturam debeo, ita ſemper debitam agnoſco, & iacto: atque etiam dignitatem ſi per vos adeptus fuero, debiturum me profiteor, eadem ratione, qua os veſtrum & caro veſtra ſum, hoc eſt, vt mea tantùm laboris atque induſtriæ ſit pars; ipſa verò rei ſumma, veſtra cenſeatur: atq. vt oſſium firmitudinemq́. corporis ſibi vendicant, caro verò membrorũ formam, figuramq́.*

figuramq́. omnem concinnatam exornat; ita mihi quidquid in principatu vel virium & roboris, vel dignitatis ac decoris contigerit, voluntati, authoritati, opibusq́. veſtris tribuendum erit. Atq. hoc mihi in me receptum, vobis, vbi ex animi ſententia ceſſerit, ex me poſtulandum, non autem requirendum ex hoc tempore committo. Simulque conſiderate. *In primæua lingua:* Et meminiſtis quòd os veſtrum & caro veſtra ego. *Præteritum meminiſtis, coniũctione* V A V *præpoſita, ad præſentis ac futuri etiam temporis rationes pertinet: maximè verò quod recordandi verbo id ipſum indicatur, & nouiſtis, inquam, hoc ita eſſe, & vos in poſterum meminiſſe volo, atque vt meminerit is moneo. In hac etiam oratione, inuidiæ atque odij aduerſus ſeptuaginta fratres fomes incenſus delitet, quem Sichimitis excipere, ardere, & flagrare neceſſe erat. Nam quòd omnes alios Ierubaghalis filios appellauerit; ſe vnicum Sichimitarum filium, non modò à ſe, ſed ab illis ipſis, quos in offenſionem conijcere ſtudet, declaratum voluit. Septuaginta ne vos principes ferre deceat, eoſdemq́. omnes à vobis abalienatiſſimos, ea ex parte qua vobis me coniunctiſſimum atque filium eſſe noſtis? & qua indignior illis ducor, ea me vobis cariorem natura conſtituit; itaq. quod vobis iure charum coniunctumq́. in me eſt, id ipſis ignobile, indignum, alienum, reiiciendumq́. putatur. Quam ob rem veſtra hæc magis, quàm mea contumelia eſt, cùm vos in hoc cenſu corpus ipſum exiſtimãdi ſitis; ego verò veſtri tandem particula, ex vobisq́. nata ſim. Habet etiam vlteriùs ex lege ac moribus acumen ſermo hic, quod non leuiter tum cognatos, tum cæteros Sichimitas pungeret. Nam quamquam in generatione pater incertus eſſe dicatur, tamen eam, quam in legitimo coniugio natam conſtet, legitimã atq. ſanctam eſſe haberiq́. prolem, iura cenſuerunt, nec vllo pacto à paternæ vel dignitatis, vel hæreditatis ratione excluſam, niſi manifeſta adulterij interceſſerit exceptio. Eam verò quæ ex concubina, aut alio congreſſu procreata eſſet, patri ac fratribus aliis ſuam agnoſcere, vel negare, integrum relictum nouimus; & quamuis maximè agnitam, in hæreditatis tamẽ ius non admittendam. Atq. hanc rationem à Ierubaghalis filiis nõ prætermiſſam, ſubindicare Abimelechus intendit; ſe illis aliis vix fratrem agnoſci, vel nec omnino agnitum ſignificans, quem in Ierubaghalis filiorum nec nomen nec numerum relatum dicat; ſed ſeptuageſimo iam cõfecto ab illis numero prorſus excluſum: vtpote vnicum, eumq́. nec in eadem patria, nec paris dignitatis matre genitum, nec ſimili ipſis modo educatum, vel habitum, ideoq́. nec ſummæ addendum; honeſtiorem præterea, decentiorem ac venuſtiorem iudicatum ſeptuaginta fratrum, quàm vnius ac ſeptuaginta titulo, maximè cùm nullæ vnius adſciſcendi, excludendi autem complures cauſæ, rationesq́. exſtent. Itaq. ſe à paterni iuris, nominis & ſplendoris communione reiectum, ad Sichimitas tantùm ablegatum ſignificat, à quibus quidem nullo iure, nullo nomine, nulla nec ficta aut ſimulata, aut inuenta, vel apta vel inepta exceptione, excludi poſſe conſtet, qui matrem ex illorum proſapia natam,*

Pater. Mater.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tam, atque apud ipsos semper commoratam sortitus fuerit, in ipsaq; illorum patria vrbe nutritus: quamobrem materni aui domum totam ad partes vocatam allegasse, paulo antè dicebatur. Atqui leges omnes quamquam incertum patrem, tamen naturâ cogente certissimam esse statuerunt matrem. Et profectò breuissimæ huiusmodi orationis, tot, tantis, ac tam validis ad persuadendum argumentorum ponderibus, tot rationum momentis, tot ad affectus inescandos aculeis instructæ exemplum, cunctâ simul antiquæ, Græcæ, atque Latinæ eloquentiæ principum caterua nusquam ostendet, cuius in principum illorum aures iaculatæ quanta fuerit vis, è vestigio declaratur.

Pater incertus, mater certa.

Locutiq́ue sunt fratres matris eius de eo ad viros Sichem vniuersos sermones istos: & inclinauerunt cor eorum post Abimelech; dicentes, Frater noster est.

NON *in orationis tantùm forma ac sententia summam vim, sed in dicentium orantiumq; actione & pronunciatione summam adhiberi efficientiam curauit ille; quippe cùm non alios consilij sermonisq; sui interpretes aduocauerit, quàm eos, quorũ illũ persuadere causam maximè intererat, nimirum* Fratres matris eius: *quos propter necessitudinẽ libenter eã curaturos, propter ætatẽ grauiter acturos, propter cõsuetudinẽ verò principibus admittendos, grateq; audiendos esse putauit, atque ita elocuturos, vt ipsorum propria ageretur omnino res, vti certè erat; præterea etiam fidem pro nepote cognatoq; suo, ad omnem, quam principes vellent, conditionem desponsuros, qua nec maiorem, nec firmiorem desiderare illi poterant.* Ad viros Sichem. *In exemplari:* In auribus omnium optimatum Sichem. *Diligentiam ac sedulitatem, industriam atque solertiam omnem à cognatis positam significat, atque ita actum esse, vt nulla ex parte opinionem eventus fefellerit. quod verò exprimitur,* Vniuersos sermones istos, *nihil omnino vel ex ratione, vel opportuna actione prætermissum significat, idq; dictiones quædam in exemplari lingua adstruunt.* Et inclinauerunt cor eo-
Cor. rum. *Cor cogitationum primum domicilium, deinde voluntatis regiam sedem arcani sermonis vsus docuit. In antiqua lingua:* Et inclinauit cor eorum post Abimelech; nam dixerunt, Frater noster ipse. *Quæ oratio illos, vti paulo antè dicebamus, nullam in partem potissimum antea flexos, sed & suffragij & consilij incertos, cæterorum procerum ac populorum conuentum exspectantes, hæsisse indicat; hoc verò audito cognitoque sermone, quamprimum in suæ ipsorum causæ contemplationem deflexisse, atque in Abimelechi iuuandas & promouendas partes inclinatos concessisse. Quod verò dicitur,* Post Abimelech; *indicat nihil his de agendæ conficiendæq; rei ratione opportunitate vel occasione cogitatum, sed persuasum prorsus fuisse, non temere, nec recenter hoc Abimelecho deliberatum decretum, vtpote cuius primum ac maximum esset periculum, quo potissimùm pacto, quibusq; artibus conficiendum esset, prouisum iam constitutúmque fuisse, nec*

verò id vel noua consultatione, vel mora aliqua interturbari oportere, ne præterlapsæ, quæ nunc illi arrepta credebatur, occasionis, inutilis paulo post & incommoda tantùm pœnitentia subiret, quam ob rem singulariter constitutum, communiterq; decretum est, vt illius voluntati atque consiliis & actionibus publicè priuateq; obsecundaretur. Dicentes. *Proprialinguae:* Namque dixerunt. *Sermonis illius breuis vocula* CHI, *rationem, consiliderationem, certamq; affirmationem significat; cui verbum illud* AMAR *adiunctum deliberatam sententiam adstruit. Nam pensitata re, illud sibi præcipuè expedire pronũciarunt, vt is optaretur maximè, qui maximè ipsis & commodus & vtilis esset; isq; reyceretur, à quo vel incommoda certa, vel nulla saltem commoda, exspectari possent: quã in nota Ierubaghalis omnes filios ponendos sibi esse, efficax illa Abimelechi persuaserat oratio; illum verò præter cæteros vtilem fore sperari, qui pluribus ac maioribus nominibus esset coniunctissimus, idemq; ad efficiendum maximè idoneus & promptus; nemo autem promptior inueniri poterat, quàm is qui tantum iam excogitauerat susceperatq; facinus, nec ad conficiendum aliud quippiam, quàm ipsorum opem postulabat: neminem etiam sibi magis coniunctum, quàm hunc, quem, quamlibet cæteri omnes abdicarent, ipsi tamen à fraternæ necessitudinis iure excludere minimè poterant: immo vel hoc ipso fouere debebant, quòd ab aliis repulsum intelligerent; quamquam nihil omnino vel priuati ipsorum commodi, vel decoris & honoris in causa esset, nedum cùm tantum interfit populi totius, principem familiarem ac maximè propinquum vnicum, à seseq; constitutum, & firmatum habere; an aliam quempiam, vel plures etiam alios, nulla sibi ex parte addictos, atque adeò iniquiorem iam mentem professos, pati.* Frater noster ipse. *Quamquam enim patri huius olim potestas permissa fuerat, tum Regis nomine imperandi, tum vnum atque alterum successorem prorogandi; tamen ab illo numquam admissa fuit, nec moribundo etiam repetita, cùm neminem ex septuaginta, quos legitimos relictos manifestum erat, ad successionem delectum nominatim vel dictatum constaret. Igitur sibi nunc optionem liberam esse proceres hi Sichmitæ arbitrati, hunc deligendum adiuuandúmque decreuere, non eo nomine quo Abimelech Ierubaghalis filius diceretur, siue id à cæteris concessum & admissum, siue negatum iri putandum esset; sed eo sòlùm, quòd & strenuus vir, & ad gerendam rem iudicaretur idoneus, atque eo titulo & iure, quòd ipsorum frater esset; quo quidem pacto nihil quod exciperetur, vel cæteris Ierubaghalis filiis, vel populo, vel ipsi etiam Abimelecho reliquum foret. Nam si Ierubaghalis filij, vel cætera familia cognatioq; omnis, aut populus aliàs reclamaret, indignam iniquamq; fuisse vnius non legitimi Ierubaghalis filij electionem, septuaginta legitimis prælati; illis in promptu respondendum erat, non illi vt Ierubaghalis filio, sed ipsorum fratri, primas detulisse, eamq; pro virili defensuros & propugnaturos esse; eidem verò Abimelecho, sese Ierubaghalis filium aliquando apud ipsos, si de principatus libertate & ar-*

כי
אמר

Universidad de Deusto
Biblioteca

bitrio incideret controuersia, appellaturo, certa & constituta constaret exceptio, non illum vt Ierubaghalis filium, sed vt ipsorum fratrem esse optatum, atque ex consequenti, quæ ipsorum maximè expediret, ea consequi, agereq; obligatum. Itaque vel decreti, ac tituli iurisq; illi ac principatus concessi, summam quandam rationem & vim illa pronunciata sententia continere voluerunt. Frater noster ipse. *Fuit autem decreti formula huiusmodi:* NOBILITAS POP. Q. SICHIMITAR. *Abimelecho obsequendum obsecundandumque statuit, quòd frater noster sit. Atque hoc pacto illum sibi fraterno iure iuuandum, seq; illi fratrum loco habendos & colendos firmarunt. Igitur decreti tam confirmatiq; consilij & statuti expeditionem à religionis auspicio inchoandam duxerunt: vt noui numinis receptæ ratio cum nouæ etiam dominationis maiestate auctoritateq; concordaret, atque ita vtraque causa sese mutuò deinceps iuuaret; humanusq; omnino cum diuinis conueniret.*

Formula.

Dederuntque illi septuaginta pondera argenti de Phano Baghalberith.

COMMVNE ac solenne hominibus est, non solùm quæ manifestè honesta, vereq; vtilia sunt, sed quæ ipsis ex opinione & impetu optantur, à religionis maiestate auspicari: namq; ita sacrata feliciorus euentus spem facere videntur, & vulgo augusta sanctaq; habita, studijs obsequijq; probantur. Sed plerùque, vt apparet, vnusquisque & rem pariter, & Deum, cui commendatã velit, sibi ipse per errorem, ambitionem, & fastu fingit. Atq; hæc illa inter gentes non solùm studiorũ, verùm etiam numinum contentio ac pugna commissa est, quorũ pars Græcorum, pars Troianorum rebus fauere credebatur. An verò nostris in moribus tale quippiã hæserit, nec officij, nec temporis huius perscrutari est. Certè Abimelechi facinus Sichimitarum procerũ arbitrio probatum, non sine auspicio inchoari oportere visum est: id verò ex nouæ religionis ratione & authoritate peti placuit, vt eadem & negotij illius felicitas exspectaretur, quæ inductæ religionis futura esse credebatur. Namque hoc pacto societatem cum numine inita, Abimelecho principatum pariter sanctũ ac perfectum fore sperabatur, partita videlicet rerum summa, vt quæ ad animos, quæq; ad religionis splendorẽ, & maiestatem, & cultum faciunt, Baghalberitho, vt supremo ipsis suscepto numini, cederent; quæ verò ad Reip. statum, populiq; gubernationem tam in bello quam in pace tractanda, Abimelecho deferantur, adhibito tamen eorũ, per quos hæc decernuntur, consilio; atq; ita fœdus cum ipso fœdere ineatur mutuæ curæ, vt quisquis Baghalberithi religionem quoquo pacto violauerit, Principis potentiæ offensionem, animaduersionem ac mulctã subeat. Rursus qui principis authoritatem detractarit, Baghalberithum vindicem vltoremq; experiatur, vltra pœnas in imperij detractatores legibus ac iure statutas. Atque huiusmodi professionem factam & pactam actio ipsa indicat, dum prima ad

Religionis prætextus.

Deorũ contentio apud Homerum.

ad conducendũ militem pecunia, non ex publico & profano ærario, non ex ipsorum ditiorum, qui in commune consulebant, priuatis loculis; sed ex sacris donarijs petenda decernitur, vt prima omnium cura fore indicetur, eos qui Baghalis cultui aduersaturi dictabantur, è medio tollendi; quibus sublatis, tum publicæ quietis, tum religionis rationem quàm rectissimè constitutum iri censeretur. Atqui septuaginta Ierubaghalis filios in nouæ religionis abolitionem incubituros esse, vel retentus omnibus paterni elogij titulus docebat. Quamobrem in horum ipsorũ exitium Baghalberithi primas partes vocandas & petendas decernunt, totidem argenti ponderibus ex illius sacrario productis, quorum pretio septuaginta illorum Baghalberith inimicorum emerentur capita; quæ res si ex animi sententia succederet, auspicatissimum vtriusque felicitatis, tum religionis tum principatus, signum argumentumq; non habendum modò, sed tenendum etiam esset; & quidquid posteà eueniret, tamquam felix faustumq;, tum ex publica, tum ex priuata pecunia, coniunctis omnium studijs opibusq;, vrgendum & conficiendum. Septuaginta pondera argenti. *in exemplari lingua certum ponderis nomen non legitur, sed tantum* Septuaginta argentũ, *itavt nomen* argentum, *eadẽ quo* septuaginta *excipiatur casu, atq; hoc modo idẽ quod Celagh, siue quod sicl⁹ significat, vt in sacro Apparatu docebamus; & in magno opere, Deo votis annuente, fusiùs exponemus. Si cui antẽ triginta & quinque vnciarũ argenti, quæ Italicos Iulios trecentos ferè faciunt, exigua ad modum ad conducendũ militem videatur pecunia; tamen rei rationem & causam cogitatione recolenti, satis demum magna censebitur. Siquidẽ numini illi, numinis ærario deprompti, sacrosancti cùm crederentur, non tam ad militum viaticum & commeatum, quàm ad sanctitatis nomen priuilegium q; referendi erant, pignusq; ipsis conducendis ducebantur; sui ipsorum in Baghal familiam ac tutelam ascitorũ, atq; professionẽ postulabant, etiam seruandæ fidei, remq; strenuè agendi, quam deinceps, præter prædarum ac direptionũ licentiam, principis cura liberalitasq; sequeretur. Atqui pecuniæ illius partẽ, quæ singulos obtingeret, symboli magis ac professionis, siue tesseræ, quàm mercedis & stipendij nomine accipimus. Atq; hanc rationẽ antiquam esse, historiarũ veterum exempla obseruata indicabunt, nostro etiam ævo aliquando vsurpatã, in iis præcipuè ciuilibus bellis, ac tumultibus, quæ religionis prætextu nonnũquam excitantur, hisce oculis præsentes spectauimus, quod cùm nec sine dolore recordari, nec sine inuidia indicare possimus, nunc libenter tacemus. Exstant nunc, hodieq; visuntur inter antiquitatis monumenta, quæ in museo nostro sunt, huiusmodi sacri nũmi, argento partim, partim ære cusi, quæ, quas partes ij, à quibus gestabantur, agerent, manifestò declarant. Sed quia nulli grauis est percussus Achilles, ad Æneas Rutulosq; nostros cõmittendos reuertamur. Equidem existimo illi ex Baghalis fano deprompta pecuniæ, sacri symboli causa, notam aliquam fuisse adiunctã, quam quicũque, confecta posteà re, exhiberet, & integri stipendij*

Siclus.

Iuu. Sat. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mercede, &, vt religionis vindex, principatusq; assertor, singularis priuilegij prærogatiua donaretur. In ipsa verò primæuæ linguæ germana significatione aliquid etiam apertè indicatur, quod ad Latinas aures eodem ipsu
כאף *referri non potest. nam pro quo Romanus argentum reddit, vox* CHEZZEPH *est, quod cupere, auere, ambire, & huiusmodi aliis exponitur verbis. Ipsa autem argenti, siue potiùs* CHEZZEPH *productio & enumeratio, illud significabat, cupere numen illud, septuaginta eos, qui principatus amplitudinem cupiebant, & ambibant sibi, vt infensos inimicosq; declaratos, illis septuagintæ* CHEZZEPH, *ad vltionem emptos ac traditos. Quamobrem nec ex auro, nec ex alio æris genere, sed ex* CHEZZEPH *tantùm pecunia illa deprompta est: ita vt quius intelligeret septuagintæ* CHEZZEPH *Baghal id quod exponimus portendere.*

Qui conduxit sibi ex eo viros inopes & vagos.

DVO *genera hominũ ab Abimelecho ad peragendum facinus conducta memorantur; quorum vtinam in Christianorum regionibus non maior copia esset, quàm in cæteris orbis partibus, in quibus Resp. aliqua spectatur facies: Vnum inopum, inopum inquam, eorum quibus pessima primùm educatio, deinde verò desidia, inertia, laboris odium inopiam peperit, quam magistratuũ postea negligẽtia crescere permittit. Alterum vagorum, qui quamquam vel ex aliqua, quam callent arte, vel ex alia industria, vel ex domestica paternaq; re, viuere possent; tamen inquieto ingento sunt, cui vbi indulgere ceperint, in otium & desidiam delapsi primum, in omnia vitiorum ac scelerum exempla deinde præcipites feruntur. atq; hæc gemina latrociniorum, prædationum, homicidiorũ, ac parricidiorum, eiusmodiq; in humano genere portentorum seminaria sunt. Exemplaris lingua duo hic verba ha-*
ריק *bet;* RIKIM, *&* POHHEZIM. *prius, ingentum; posterius, mores &*
פחם *consuetudinem notat: Latinè cerebro vacuos, & instabiles dicere vtcumque possemus; sunt autem velocis ingenij, perditæq; audaciæ homines. Nam facilè huiusmodi ad facinoris suscipiendi consensum ex animi leuitate inducuntur: atq; ex attrita iam propter vagationem fronte, ad primum audendi impetum facilè etiam impelluntur; qui si succedat, tum iam prædarũ vsu animos concipiunt maiores, & melioris (vt ipsi appellant) fortunæ spe, diuina omnia humanaq; contemnentes iura, nihil non monstrosi aggrediuntur exempli. Ante annos vndecim nos per mediam hyemem Burgundia peragrata, in Lotharingiæ fines delati (non longa est fabula) in pagum quendã, rara atq; paupere vicinia habitatum, iam multa nocte diuertimus: vbi cùm ab hospite ante focum cenante ad posteri diei iter comitẽ deductoremq; postularemus (quòd viæ omnes, alta admodum niue obductæ, ipsis etiam accolis difficiles cognitu essent) aderant iuuenes duo, vti ferebantur, fratres, qui sese id mihi ministerij præstituros vltro obtulerunt: illi verò num ex regionis illius incolis essent rogati, simul cum hospite negarunt. Calletis ne viam? inquam.*

Inopes.

Vagi.

inquam. Maximè, inquiunt, quã vel hodie ambulauimus. Vndenam profecti? Nansio respõdent (quæ Lotharingiæ Ducũ aula est) Cur autẽ peractum iam relegetis iter? interrogati, aliter sic respondit: Quant à moy, c'est tout vn, ou aller auant, ou tourner arriere. *Perinde, inquit, mihi est, vel vlteriùs pergere, vel citeriùs rursum redire. Tunc ego ad hospitem conuersus,* Par ma foy, mon amy, ie ne demãde pas semblables oisieuses guides. Ouy monsieur, vous auez raison, *subiungit hospes, & filium mihi proximum itineris posteri destinat comitem. Huiusmodi homines* POHHAZIM *sacra lingua vocat, in quemcumque non solùm euentum, sed ventum etiam ac turbinem motu faciles ac promptos, quales Catilinis & Cethegis, atque eiusmodi farinæ ducibus, adhæsisse commemorantur. Horum autem qui ab Abimelecho conducti, sacramentoq; addicti sunt, singularem fuisse alacritatem, res ipsa indicat; quippe quorum leuitas in religionis opinionem & felicitatis spem rapi facilè potuit. Tessera accepta militiæ, ad numinis tuendam maiestatem, idq; ex ipsius numinis non responso & consilio tantùm, sed etiam argento pignoris nomine distributo & accepto. Iam verò quemadmodum conceptum facinus, atque suorum ope & auxilio adornatum, comparatis copijs aggressus fuerit Abimelechus, videamus.*

Et venit in domum patris sui in Ephra, & occidit fratres suos, filios Ierobaghal septuaginta viros, super lapidem vnum: remansitque Ioathan filius Ierobaghal minimus, & absconditus est.

NEFARIA *tanti parricidij immanitas, personarum ac locorum nominibus appellandis exaggeratur. Quid enim in hominum necessitudinibus nomine paterno sanctius? quid fraterno coniunctius? quid patrio loco magis illustrandum, aut propria domo obseruandum defendendumq; magis? & tamen horum omnium rationum atque nominum sanctitatem, exemplo plus quàm ferino contemptam contaminatámque, violare potuit vir ille, si modò vel vir, vel homo dici potest.*

Et iam serpentum maior concordia; parcit
Cognatis maculis similis fera: quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore vmquam
Exspirauit aper maioris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam; sæuis inter se conuenit vrsis:
Aſt hominem adspicimus fraterna cæde cruentum,
Natalem temerare vrbem, generisque paterni
Multiplici iugulo ferrum lassare, nec vsquam
Sacrilegas lassare manus, rabiemque furentem.
Scilicet hæc demens dominandi sæua cupido est.

Iuu. Sat. 15.

Magnam itaq; amplificandi sceleris materiem singulis in verbis breuis hæc obtinet narratio. Et venit. *deliberato iam, ac certo parricidij patrãdi animo, nec vmquam etiam per viæ moram consilij pœnitente. celeritatis etiam signifi-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

gnificationi verbo, Venit, est vt non antè præuisus intelligatur, quàm iam peruenisset, notæq; domus aditus & exitus occupasset, vnde priùs domus, quàm vrbis mentio facta est, vtpote qui qua parte irruendum, qua fratrum euasio fugaq; occludenda, qua facinus inuadedum esset, studiosè fuerat antè meditatus: tam verò & parricidij sæuitia, & feritas impietasq; augetur, oppressis tot intra paternam domum fratribus nihil tale opinatis, verùm summa concordia agentibus, quibus quidem nulla de illo lædendo cogitatio, nulla omnino esset mens, aliàs illo absente nec adeò securis, nec sine præsidio aliquo futuris, nec ita vnica in domo omnibus sese opprimi passuris, domo, inquam, sancta illis omnibus, nec minùs etiam ipsi veneranda. In domo patris sui. Cui, quidquid ipse præclari habere potuit, acceptũ referre debuit, cuiq; tuendæ, conseruandæ, & colendæ, curam atque operam omnem impendere æquissimum fuerat. Iam illud etiam proditionis indignitatem inuidiamq; auget, quòd nec viriliter foris in campo dimicantes, nec sese intra paternas ædes defendẽtes aggressus fuerit, sed neq; armatos quidem, nec aliquo pacto, nec verbo vno præmonitos, nulla quoque vel aliorũ cognatorum, vel totius patriæ vrbis miserrimo ob eam rem luctu inuoluendæ, & æterna crudelitatis infamia deinceps damnandæ, ratione habita. In Ephra. quæ paterni nominis gloria inter illustrissimas totius Israelis hactenus habita, execrandæ tragœdiæ nunc iam theatrum effecta, horrendæ habitationis sedes in posterum notanda erat. Cætera etiam verba, impij consilij contumaciam detestandam ostendunt: Et occidit fratres suos. *hoc nomine agnitos, hoc nomine etiam proditos, atq; nulla alia causa, quàm quòd fratres esse suos nouerat, crudelissimæ neci omnes addictos.* vt autem bonorum coniunctio & affinitas decori atq; præsidio quibusdam est; ita contrà pessimorum necessitudo hominum in exitium ac dedecus aliis vertitur. Filios Ierobaghal, qui ab huius quondam cognomenti auspicio initium sumens, de omni Israelitico populo, militiæ ac domi, optimè promeritus fuerat, paterq; patriæ audierat, publiceq; (si admittere voluisset) Princeps atq; Imperator salutabatur, nunc hominum peruerso ingratoq; iudicio, hoc ipso cognomento in crimen vocato, in Baghalberith gratiam (nam huiusmodi causæ prætextu fucus vulgo fiebat) septuaginta filij, viri omnes, & ad publicam vtilitatem procreati & instituti, ad vrbis etiam & generis gloriam, tam numerosa florenteq; prole conseruatu dignissimi, tamen omnes capitis damnati, perinde quasi publica aliqua pestis omni populo perniciosissima esset, Super lapidem vnum, vno fratre cædis authore & spectatore, occiduntur. Quòd verò locus ipse occisionis singulariter notatur, eò pertinet, vt cædem illam, tamquam victimam vltori Baghal, religioso nomine factam populus intelligeret. Namque huiusmodi lapides, arariũ loco aliquando pro tempore vsurpatos legimus. vt, Erat autem ibi lapis magnus, & conciderunt ligna plaustri, vaccasq; imposuerũt super ea holocaustum Domino. Quin & Ierubaghal ipse dicatos antè Baghali tauros, super petram torculari vicinam, suo igne ex Baghalis luci excisis

1 Sam. 6.

cisis lignis accenso, Deo sacrificauerat; ex qua re magnam vicinorum populorum incurrerat offensam, cuius carbones, Ierubaghalis conseruato cognomine, adhuc, quamquam sub dissimulationis cinere, in nonnullorum pectoribus latebant, incensi tamen, vt ipsa instaurandi Baghalim cultus prima ac celerrima post illius mortem cura arguere potuit. Illius itaque offensionis expiandæ prætextu, pro tauro illo annorum septem à Baghalis iure subducto, excisoq; penitus Baghalis cultu, Ierubaghalis septuaginta filij sufficiuntur, illiusq; cognominis monumentum horum supplicio expiandum decernitur. Septuaginta viros, super lapidem vnum. *Ita res decreta, atque ita publicè dictata & in acta relata fuit. Atq; facinus illud hoc pacto videtur fuisse instructum, vt occupata primùm domo, singulos viros fratres suos, à ternis vel quaternis comprehensos, non secundùm seriem; sed secundùm numerum obseruandos tenendosq; præceperit; eos autem sigillatim productos, sigillatim etiam super lapidem illum occiderit, qui fortè in ædium paternarum area, vsus cuiuspiam causa, erat, vel tunc temporis aliunde, ipso iubente, asportatus. Accidere etiam potuit, vt in ipso comprehensionis tumultu, vnicuipiam, qui ex fratribus non fuisset, manus iniicerentur, illis ad septuaginta numerum complendum iuratis, nec quamquã se filium esse negans crederetur, atque hoc pacto septuaginta producti viri interficerentur, interfectionisq; turba ac celeritate, huiusmodi error ita admissus, certum septuaginta iugulatorum numerum redderet numeranti Abimelecho (si tamen tantum animi superesse potuit spectanti) vel cuipiam alij ad eam rem constituto. Hoc igitur pacto euenire potuit, vt inter capiendos & numerandos septuaginta, minimo ex fratribus latebras quærendi & animus & tempus suppetierit, ac postea septuaginta numerarentur occisi: magnam enim in occupãdis viris celeritatem, magnam in occidendis festinationem fuisse, res ipsa indicat, vtpote quæ eodem die, quo in domum irruitum est, confici potuit: idq; non singulis eo, quo comprehensi sunt, loco occisis; sed productis, ad eundemq; lapidem porrectis, feruente adhuc & æstuante fratris sæuitia, & satellitum, per quos res conficiebatur, nondum tepente crudelitate: siue ita etiam euenerit, vt sexaginta nouem interfecti, numerantis turbata ratione, & cadauerum congerie & opinione septuaginta putarentur; neque ideo is, qui ex numero aberat, requireretur. Namq; aliàs nulla omnino Abimelecho vel erga minimum, vel erga infirmissimum imbecillissimúmque omnium, clementia futura erat. Sacræ autem linguæ vsu obseruatũ est, perfectum aliquem maiorem numerum, ex denariis vel centenariis, vel maioribus nominibus constantem, vnius tantùm singularis subductione aut additione non variari, sed vt integrum tradi. Sic enim quæ legis præceptorum violatoribus plagæ ferendæ statuuntur, cùm vndequadraginta ex more imponantur, tamen quadraginta semper dicuntur. sic etiam illa summa excipitur: Erant igitur omnes animæ, qui egressi sunt de femore Iacob, septuaginta. Atq; ita siue septuaginta viri occisi fuerint, vnico per errorẽ inducto;*

Universidad de Deusto
Biblioteca

siue vndeseptuaginta occisis, vnus per singularem Dei prouidentiam subductus, numeri nomen non mutat. Certè publica fama fuit occisorum septuaginta virorum, filiorum Ierubaghalis, atq; familiæ, domus, appellationisq; illius prorsus exstinctæ. Illum autem filiorum omnium minimum superstitem, non ex illa tanta cæde, vel ducis, vel cuiuspiam ex satellitibus clementia exceptum, historia indicat, sed quia facto primùm in eos, qui maiores ac fortiores videbantur, impetu, minimo huic & animus, & latibuli locus præstò fuit. Et absconditus est. *In sacra lingua:* Namque absconditus est. *Vox* CHI, *rationem, modum, tempusq; euasionis indicat: principio, inquit, se ipsum alicubi abdidit; deinde dum turbæ illæ durabant, perpetuò latuit; nec, vbi nam latuerit, declarat historia, vtpote quæ ad Dei prouidentiam inuenis huius exceptionem refert. nec verò huiusmodi latibulorũ indicanda semper fuerunt loca, ne sceleratorum ac nocentum astuta malitia, aduersus innocentiæ præsidia doctior callidiorq; fiat.* Et remansit, *in exemplari:* Et HIVATHER, *passiuum verbum in futuro præteriti rationem habente, Latinè vix explicari potest his verbis omnibus; relictus est, superstes factus est, reliquus fuit, superauit. Hispanicè,* Y fue sobrado. *magna sanè significatione prouidentiæ ac iudicij Dei, cuius consilio minimus ille seruatus est, qui & paternũ Ierubaghalis cognomen re & officio tueretur, & domesticæ cladis nefariam iniuriam vlcisci curaret, securitatemq; ex illo facinore populo speratam, abundè satis superq; perturbaret. Nec vero in nomine cognomineq; appellandis nulla latet significatio:* Et superauit Iotham filius Ierubaghal. *Nomen ipsum idẽ Latinus significat quod,* DEVS INTEGER. *Est autem huiusmodi arcani reuelatio: Quamquam septuaginta Ierubaghalis filij de medio sublati fuerint, tamen Iotham diutinitate superauit; & superauit* DEVS INTEGER, *prouidentissimus, qui Ierubaghalis ædificationem promoturus erat. Nam vocabulum* BEN, *pro quo Latinè filium dicimus, ædificationem significat: atq; hæc ratio homines illos superstitionis & ambitionis furore dementatos latuit.* Nam absconditus est. *hæc breuiter de sententiæ huius mysterio; quod longiùs persequi, alterius loci est.*

Congregati sunt autem omnes viri Sichem, & vniuersæ familiæ vrbis Melo: abieruntque, & constituerunt Regem Abimelech iuxta quercum quæ stabat in Sichem.

SPARSA *primùm & publicata septuaginta fratrum occisorum fama, tantum abest vt animis, ad superstitionem & priuatum commodũ intentis, dolorem horroremq; inferret (quem & alienissimis etiam nationibus audita inferre poterat) vt maiorem etiam fiduciam alacritatemq;, ad inceptum consilium peragendum, additisse videatur. Nam cædes illa ex animi sententia confecta, ad boni auspicij opinionem cæpta, numinis illius, cuius æra & argentum, augurij nomine, petitum fuerat, maiestatem, gratiam, tutelam, &*

& voluntatem declarasse indicata est; maximè cùm tam breui tempore tam feliciter, vt putabatur, absoluta fuisset: & quoniam ex istiusmodi superstitionum disciplina, magna in temporum horarumq; occasione, ad stabilien- Tempus. Hora. Occasio.
das vel infirmandas cùm priuatas tũ publicas res, vis adesse creditur; tempus illud Baghali suo proprium ac secundum esse censentibus, omni studio ac celeritate arripiendum decernitur; nec prolatandum aliorum populorum consilius vel expetendis, vel exspectandis; sed proximis quibusque conuocatis, quàm breuissimè in principatus desinitione & constitutione ponẽdum. Hoc enim Baghali, de inimicorum suorum cæde gaudenti, gratum, atq; ipsis etiam pacto fœdere ratum, demum felix faustumq; omnibus futurũ sperandum. Omnes viri Sichẽ.. *Primores illi, quorũ ope & auxilio res illa cœpta erat: & quia successu probabatur, eorundem etiam operâ feliciter peragenda esse decernebatur; ita vt illorum integra copia omnium Israelitarum procerum vicariam præstaret operam (ideo omnes congregati memorantur) & pro reliquo minoris notæ populo, ac vulgo multitudineq; omni, proximi ipsis oppidi vicinia omnis, & nominis ratione, & officij munere sufficeret.* Et vniuersæ familiæ vrbis Melo. *propriæ linguæ voces sic expondere reddi possunt:* Et omnis BETH Milo. *significat autem Beth-milo, impletionis siue completionis domum. Latinè, completam domum dicemus:* Hispanicè Casa llena. *Sortibus itaq; consultis, & re ex auguriorum rationibus ac indiciis examinata; expedientissimum visum est, principum Sichem virorum, & populi domus Milo, coactis coniunctisq; consilijs & suffragijs, eum constituendum principem, quem, ex peracti facinoris felicitate, Baghalberith cognominis inimici vltor sibi probatum gratumq; indicauerit, idq; quàm celerrimè in publico, atq; ad eam actionem idoneo loco conficiendum; in ea præcipuè vrbe, in qua negotium illud consultum primùm, institutumq; fuerat.* Abierunt. *certo iam inito consilio, concordiq; omnium sententia itum est, nemine discedente.* Et constituerunt Abimelech in Regem. *Proprio idiotismo:* Et regnare fecerunt Abimelech in Regẽ. *Acclamationum in huiusmodi actionibus solennium formulam oratio indicat, quæ fausto etiam nomine, atq; sua sponte imperium protendente, concepta & decantata est. Namq; Abimelech,* Pater rex, *siue* Rex pater, *Latinè dici posset; eadem ferè significatione, qua Romanorum principes Augusti, ac patriæ patres audiebant. Quòd verò* in Regẽ *dicitur, quamquam Regis nomine salutatum intelligamus; principem tamen constitutum interpretamur, quippe quem minimè inunctum historia commemoret, qui proprius ac peculiaris constituendi apud Israelitas Regis ritus ex Lege erat. vtcumque autem res esset, certè illis quoquo modo & pacto id præstari posset, Rex dictus acclamatusq; fuit à principibus viris Sichem; & domus impletæ populo, qui repentinis illis comitijs, totius Israelis vicem & vocem referre visi sunt. loci autem opportuna pro tempore commoditas quæsita est,* Iuxta quercum quæ stabat in Sichem. *exemplari lingua,* GHIMELOM MAZZEBAH

Acclamatio. Abimelech. Vnctio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ASSER BE SICHEM. *Cum* ELON ſtatuæ quæ in Sichem. *Chaldaicè*, Ghim meſſar ramatha, *Cum planitie ſtatuæ. Græcè verò* πρὸς τῇ βαλάνῳ τῆς στάσεως τῆς ἐν σικήμοις. *apud quercum ſtatuæ quæ in Sichimis. duo præcipua nomina hic ad interpretationem notanda ſunt*, ELON, *quod & quercum aliquando ſignificat, vt Græci reddidêre; & planiciem, vt Chaldæus paraphraſtes vertit.* MAZZEBAH, *vtraq; lingua, Chaldæa & Græca, ſtatuæ ſignificatione excepit, à qua interpres noſter non alienum poſuit verbum*, ſtantem. *Atq; res ipſa indicat non perſonarum, ac temporis modò, ſed loci etiam, ad eandem cauſam idonei, rationem fuiſſe habitam, vt quæ ad prætextæ religionis concinnitatem facerent, omnia plenè integréq; conuenirent. Itaque ad publicæ acclamationis conuentum campus planus æquabiliſque optatus fuit, querceti nomine & copia celebris, qui vtraque ex parte, hoc eſt, nominis & quercus ſignificatione communis, æqui & ſtabilis, perpetui, nullaq; difficultate arduti imperij augurium daret. Idq; ex voluntate Baghal-berithi, cui campũ illum ſacrum dicatumq; fuiſſe, monumentum quodpiam indicabat, quod omnibus in linguis ad Latinæ ſtatuæ ſignificationẽ refertur. Equidem arbitramur, quo tempore Baghalis-berithi vanum numen in tutelaris diui nomine conſecrabatur, prægrandẽ aliquem longéq; conſpicuum lapidem in planiſſimo loco, ad noui illius cultus teſtimonium & profeſſionem, fixum fuiſſe, atq; eundem locum ſacrum ſanctumq; eiuſmodi monumento euaſiſſe: ſiue autem lapidem illum hominis, vel alterius rei ſimulacro, quales Coloſſi vocantur, inſignem ſiue in Obeliſci formam exciſum, cenſeamus: certè illum erectum & ſtatutum, ex verborum notione conſtat. Cùm itaq; ad tanti populi conuentum & acclamationis ſtrepitum Baghalis ædes minùs capax, idoneaq; eſſet, ſignatus locus fuit, qui & maieſtate numinis, & natiua amplitudine cenſebatur expeditiſſimus. Nec verò præter ſignificationem ab hiſtoriæ ſcriptore vocula* GHIM *delecta fuit, compluribus aliis relictis, quæ ſignando loco adiungi ſolent. vt,* ETSEL ETH LE BE, *& cæteris. Quod* GHIM *efficientiæ, iuris, authoritatiſq; partem ei rei, cui adiungitur, plerumque adſcribit. Ideoq; Latinè etiam in* CVM *plus millies vertitur. Igitur loci authoritatem & ſanctitatem ad hanc rem quoque ſceleſto illo decreto quæſitam comparatamq; fuiſſe, ſcilicet, interpretamur, vt auguſtior fauſtáque magis duceretur actio, quam totidem etiam nominibus infauſtiſſimam diuinæ prouidentiæ iudicium declarauit.*

Planities querçus.

עם

אעל את ל ב

CVM

Quòd cùm nunciatum eſſet Ioatham, iuit, & ſtetit in vertice montis Garizim: eleuataque voce clamauit, & dixit.

MAGNÆ *atque præcipitis iniuriæ, quãta qualisq; hæc fuerat, celerem vltionem eſſe Deus voluit, qui reddit vnicuiq; iuxta opera ſua. Quam ob rem ipſam iniuſti ac ſcelerati principatus furioſam initiationem certa ac notabili pœnarum prædictione turbandam curauit, excitato illius minimi filio-*

rum Ierubaghal ſpiritu, qui in compellatos præſentesq; reos fratrum & totius Reip. cauſam diceret, Dei deinceps iudicio decidendam. Latibuli ſui Ioatham arbitros nonnullos eſſe voluiſſe, res ipſa docet, quorum indicio, quò demum illa Abimelechi crudelitas euaderet, opportunè ille poſſit intelligere. Quòd verò tuiſſe dicitur, ad deliberatam animi conſtantiam referendũ eſt; idq; ex Dei iuſtitia & prouidentia factum, qui cùm neminem perire velit, ipſos etiam, qui propria culpa ſeſe damnationi addixerint, tamen ad pœnitentiam monendos, vel omnino contumaces ad iuſti iudicij audiendam ſententiam, vel externa voce, vel interna allocutione citandos, curat. Fuiſſe autem Sichimitarum vrbi montem Garizim proximum, ſacræ Geographiæ contemplatione intelleximus: eũ verò montem veriore atq; certiore magis q; efficaci ſtudio à Ioathamo petitum, quàm planiciem illam à Sichimitis felicitatis cauſa occupatam, ex vtriuſq; loci authoritate exiſtimare licet: huius enim nulla erat, niſi quæ ex hominũ opinione falſo nomine putabatur: illius verò maxima & grauiſſima, vtpote qui coactis eodem quondam Iſraelitis omnibus, Ioſue vate Deiq; interprete, ſacerdotibus ac Leuitis præſentibus, benedictionibus ac maledictionibus vel obſeruandæ vel violandæ legis ergò prædicendis, commune ac pleniſſimum theatrum præbuerat, eoq; nomine ſacram locus ille obſeruandamq; meruerat famam. Opportunè verò euenit, vt recentis huius publici ſceleris accuſandi locus accuſandorum comitiis vicinissimus eſſet. Et ſtetit in vertice montis Garizim. *ſitus ad dicentis habitum, locus verò ad auditionis commoditatem, effugiendiq; in tempore periculi copiam, vſurpatus eſt.* Eleuata voce, *quæ & ſtrepitum in ima valle agentium vinceret, & ſilentium atq; attentionem impetrare poſſet. Ac principio quidem vox emiſſa eſt grandior, incertioriſq; ſignificationis, quæ ex ſuperiore loco omnium aures ſeriens, ad attentionem, reiq; cognoſcendæ cupiditatem impelleret. Cuiuſmodi voces inconditæ vel Interiectiones, vel vocandi Aduerbia Latinis dicuntur, quales Latinorum & Græcorum ô, & ὦ, ſunt, Chananæorum* HAH. *Hiſpanorum* hao, *horum atque Italorum*, ola, *nautarum prolixior A. Igitur huiuſmodi primæ voces buccinæ vel tubæ vicem præſtitere. In exemplari lingua huiuſmodi polyſyntheton eſt*: Et ſuſtulit vocem ſuam, & vocauit, & dixit illis. *Prima vocis ſublatio fuit, deinde vocatio, in qua exordio locus datus; huic ſermo omnis annexus eſt. Exordio attentio conciliata, non ex dicentis vel authoritate vel gratia, ſed ex bene precationis in auditorum vtilitatem pronunciatæ officio, cum nonnulla ſignificatione miſerandæ dicentis ipſius conditionis. Nec tamen ſine prædictione, aut admonitione ſaltem ſimilis exempli, ex humanarũ rerum viciſſitudine, ac potiùs ex iuſto Dei iudicio ipſis auditoribus exſpectandi, vel certè cogitandi.*

Garizim celebritas.

Ioſue 8.

Vocum ratio & vſus.

Audite me, viri Sichem: ita audiat vos Deus.

IN *exemplari*: Audite ad me primores Sichem, & audiat ad vos ELOHIM. *Atq; hoc orationis tropo non auditum, ſed obſeruationem,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

animadnersionem, auditui attentionique adiunctam, postulabat à primoribus illis, quorum cõsilio, decreto, atque opere illam sibi atque Israëlitarum Reip. calamitatem allatam fuisse cognouerat. cùm autem diceret, Ad me, causam suam æstimandam commendauit, quam ex fraterni sceleris audacia miserabilem omnino esse indicabat. Sichimitæ, inquit, vos ô proceres ipse appellastis, quorum authoritate atque ope ipse in hunc afflictionis locum, non per externum aliquem hostem, sed per audacem degeneremque fratrem, deductus sum. si qua erga miseros misericordia mouere, si qua humanæ vicis cogitatio, vestra etiam causa tangere potest: hoc tantùm postulo, obtestorque, vt sermoni percipiendo meo attentas præbeatis aures: obtestor, inquam, Dei iudicis gubernatoris que mũdi nomine, à quo idem exspectare vos in causa vestra poteritis, quod in me excipiendo operæ atque curæ posueritis. Causa nunc mihi de Abimelechi fratris in me, paternamque domum, iniuria vobis audienda orabitur: vestra autem aduersus eundem aliquando non apud me, sed apud Deum iudicem agenda cùm fuerit, Deum ipsum vobis eo modo attentum experietur, quo ego vos nunc attentos exspecto. Sic itaque vos audiet Deus, ab Abimelecho fratre vestro oppressos, vt nunc me à vobis audiri postulo.

Ierunt ligna, vt vngerent super se Regem; dixeruntque oliuæ: Impera nobis.

Apologorũ vsus.

FREQVENS peruulgatusque in his rationibus, quæ publicos priuatosque spectant mores, Apologorum quondam vsus fuit, quòd eiusmodi orationes, propter naturæ rerum, quæ describuntur, imagines, & facilius percipiãtur, & perceptæ diutiùs mentibus hæreant, causamque ipsam, quam ob rem excogitatæ fuerint, apertiùs repræsentent. Atque promiscuo hominum, tam rudiorum quàm eruditiorum, captui nulla docendi ratio communis magis, vsuique habilior censetur. Hoc autem causæ suæ apud illum, tum procerũ, tum populi cœtum atque theatrum, perorandæ genus commodi simum Iotham pro tempore visum vsurpatumque est: in quo, quamquam breuibus verbis, tamen regni ac Reip. summam sapientissimè complexus est; quam qui explicatis rerum actionumque nominibus singulis, per otium persequi indicaretque rectè posset, pleniùs ac melius profectò philosophis omnibus, atque etiam disertiùs rem tractasse iudicandus esset. Eam verò nos, muneris officijque nostri memores, scholastico potiùs modò perstringemus. Igitur sapientissimè institutæ orationis huius argumentum communem simul & priuatam continet causam, id est, causæ genus vniuersum, & speciem siue formam; quæ aliis verbis apud artifices hypothesin atque thesin dici iam aliàs ostendimus. Atque expositores ferè omnes posteriorem partem, alio atque alio referentes, tractarunt; priorem nemo, quem legerimus, attigit: cuius tamen vtilissima commentatio esset, ad omnemque Reip. instituendam partem opportunissima. Ea verò, quantum contrahi à nobis potest, sic breuiter habet: Coniunctio societasque hominum variis capitibus, ingeniis, ac mentibus constat, iisdémque ex

De re publica & communi.

ex humana illa primorum parentum labe corruptis, atque à natiua quõdam integritate & æquabilitate degenerantibus. S. S. E. Cuncta cogitatio hominis intenta est ad malum ab adolescentia sua: quæ nisi aliquo gubernetur cohibeaturque pacto, sibi ipsi generique suo, cæterarum ferarum omnium malescentissima pernicioſissimaque euadet. Cuiusmodi aperta exempla & diluuij ætas, & Sodomorum victoria edidere. Repleta est, inquit Deus, omnis terra iniquitate à facie eorum; non à facie ferarum, cæterarumque animãtium, sed à facie eorum. Quamobrem consultissimum huic malo remedium decretum fuit, leges cum primis condendi, atque legum vindices vel plures æquè, vel vnumquemptam omnibus præstantem toti populo præficiendi, quorum consilio & opera cæteri in officio continerentur, singulique ad rem suã sine cuiusquam iniuria curandam instituti possent. Nec verò hoc, quamquam ex cõmodo vtilitateque profectum, vel casu, vel humano tantùm placito, vt Philosophi docere volunt, inuentum excogitatumque fuit, sed diuini cõsilij manifesto responso præceptum. S. S. E. Quicumque effuderit sanguinem hominis, fundetur sanguis illius per hominem. Namque ex præceptis, quibus Noahbi posteritas instructa fuit, vnum hoc etiam esse obseruauimus. Quales verò quibusque artibus præditos ac instructos viros ad publicæ rei administrationem (cùm primùm deligendos temporis postulauerit ratio) deligi oporteat, pernidere, prudentis consilij fuerit. Si tamen consilio agendum sit, sine quo nihil in hominum rebus expediri rectè apteque potest; quam quidem ob rem significandam orator hic nullum aliud vel quadrupedum, vel volatilium, vel aquatilium, vel variarum, quas natura parit, rerum ad Apologum suum vocauit genus, præter ligna, quæ sua ipsius lingua GHETSIM dicta, tantã cum GHETSOTH, affinitatem habent, vt masculinæ ac femininæ vocum discrimine solùm interno scantur. GHETS, lignum siue arborẽ; GHETSAH, consilium & consultationem Latinè dicimus. Atque ad hunc illustrandum locum permulta, eademque perpulchra, afferri possent antiquæ lectionis lumina, si tempus admitteret; verùm satis modò fuerit indicasse, lignorum siue GHETSIM nomine, animantes consilij compotes hoc loco significari, quæ hominis tantùm definitio est; nec rem hanc sine consilio institui tractarique posse, intelligere. Verbum autem plurale, Ierunt, communicato consilio, compositaque cura, ac data opera rem inchoari oportuisse, docet: sed cùm sine consilio huiusmodi actiones minimè suscipiendæ sint, nec verò eadem omnibus ad consultationem iactantur fundamenta; magni referre videtur, quæ nam potissimùm consiliorum ineatur ratio. Mille enim hominum specie, & retum discolor vsus, mille etiã in his optandis placita ac sententiæ. Primam omnium commodissimaque ad gubernatorem deligendum sapientiæ ratio habenda putatur: cuius qui compos fuerit, ad omnes, tam publicarum quàm priuatarum rerum, curandas componendasque partes maximè censetur idoneus: quam ob rem cõstituto in Regem Salomoni vnica hæc facultas optata ac postulata, & cùm magna laude à Deo celebratur, impetrata. Atqui parabola

Genes. 6.

Genes. 9.

Delectus.

Consilium.

Homo arbor, homo consilij capax.

Consiliorũ diuersitas.

Sapientia.

Salomon.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bola hac vniuersam huiusmodi argumenti rationem, quasi in ipsis humanæ societatis initijs constitutus esset, descriptam volens Ioathamus, primum ac potissimum consilium esse potuisse ait deligendi eum, qui sapientiæ, prudentiæ, atque lenitatis humanitatisq; dotibus præstaret; huiusq; facultatis imaginem ac symbolum in oliua constituit: qua arbore nulla alia, vel perpetuæ frondis specie, vel vmbræ suauitate & salubritate, vel innati succi generositate, vel remissi ex fructu liquoris vtilitate, atque etiam duratione, excellentior est; atque ita in laudatarum plantarũ censu, apud sacros prophanosq; Philosophos prima numeratur: satis autem ad nostrum institutum fuerit illud indicari, inter omnia luminis & ignis (quorum nominibus sapientia & efficacitas arcano sermone significantur) fomenta & pabula, primas & commodissimas oliuarum oleo partes tribui: ideoq; hanc materiam, ad sacrarum lucernarum ac lampadum vsum, vnicè à Deo in lege postulari. Addendum etiam his, quòd sapientia non solùm viuentes homines, sui compotes, illustres, vtilesq; omnino præstat: sed eosdem etiam vita functos, & celebritate nominis, & monumentorum à se relictorum exemplis, immortales cõseruat: & perpetuo posteritatis vsu renasci quodãmodo quotidie facit. Cuius rei imaginem sola nobis oliuæ materies repræsentat:

Oliua.

Oleum oliuarum.

Georg. 2. Quin & caudicibus sectis (mirabile dictu)
Truditur è sicco radix oleagina ligno.

Primùm itaque hominũ rectissimeq; initum spectatæ sapientiæ expetendæ consilij esse potuisse, Ioathamus arcano illo sermone indicabat: Dixerũtq; oliuę, Impera nobis. *Sua in lingua*, MALCHAH GHALENV, regna super nos. *duo autem nobis non prætermittenda, verbum*, MALCHAH, *ipsa sui pronunciatione præfert. Alterũ, non tyrannicam, sed æquabilẽ, salutarem, atq; sapientiæ prudentiæq; plenam regnandi formam postulare: namq; ipsa vocis origo & etymologia à consulendi significatione petitur.* MALACH *vocabulum, pro quo Latinè regnare sæpe vertimus, Chaldaico sermone pro eo quod est consulere, perpetuò vsurpatur. Alterum verò vocem ipsam perfectam non verbi tantùm, sed verbi ac nominis formam obtinere, plenamq; ideo & absolutam regnandi rationem, ac dignitatem oliuæ, hoc est, sapientiæ, tribuere videri. quod Latinè aut Græcè nullo simplici vocabulo repræsentari potest, pluribus verò coniunctis vix declaratur:* Tu regina, tu consultrix regna, consule super nos: *te enim planè regni ius, rationq; exspectat potissimùm.*

Regnum.

מלך

Quæ respondit, Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua & dij vtuntur, & homines; & venire vt inter ligna promouear?

Primam *eorum, qui de eligẽdo ad Reip. administrationem viro consultarent, sapientiæ optionem esse oportere, illud lignorum consilium, quod superiùs modò legimus & explicuimus, docet. Verùm enimuero cùm nominùs ei qui deligitur, de re causaq; sua, quam iis, qui deligunt, deliberare expediat:*

expediat: proxima ratio est, an iis, quibus rerum conceditur, vltroq; offertur summa, suscipienda continuò sit. Qua in re illud primum statuendum fuerit, antiquam, veram, & probãdam regnorum administrationẽ, antequam tyrannica vis ac potentia occupasset, ad ciuium tantùm vtilitatem & tutelam, non ad eius qui capesseret commoda, fuisse relatam. sed cùm res hæc vehementer ardua, laborum & periculorum cùm vitæ, tum aliarum rerũ, quæ ad vitam pertinent, plena esse cognoscatur; iis qui à gloriæ cupiditate procul absunt, non solùm despicienda, sed detractanda etiam atque fugienda censetur: maximè verò animi tranquillitatem & sapientiæ studium expetentibus; quibus quæ alij & magna & pulchra putant, & animorum atque vitæ discrimine petẽda censent, parua duci, eaq; ratione stabili ac firma contemni solent: maximè, cùm seueris & grauibus viris, animique principis compotibus, nihil tam molestum esse videatur, quàm inconstantes dissentientis populi ac principum mores ferre; quos emẽdare omnino curantibus, difficultatem maximam, inuidiaq; plentissimam subire, necesse est: tolerare autẽ ac conniuẽdo prætermittere, ab honesti officij ac muneris ratione alienissimum censetur. Huiusmodi sapientis cuiusquam viri, ad regnum administrandum postulati, recusationem, subiunctò oliuæ respõso, Iotham significabat: Numquid possum deserere pinguedinem meam? *Sua in lingua:* Numquid cessare faciam pinguedinem meam? *qua oratione suauissimam suaq; sponte vtilissimam, atque expetendam maximè, sapientiæ vim naturamq; esse indicauit: & quæ non solùm iis quibus possidetur, sed alijs etiam iucundissima gratissimaq; sit. namq; tantæ maioris q; etiam significationis est verbum* DESSEN, *pro quo interpres noster pinguedinem reddidit. Quin pinguedinis etiam apud Latinos nomen ad prosperitatem beatitatemq; significandam vsurpatur. vt:*

Antiqua Regũ institutio

Pinguedo.

——— hac prece te oro, Pingue pecus domino facias, &c.

præter Ingenium. verùm nomen DESSEN, *vltra pinguedinis significationem, flagrantiæ, suauitatis, atq; etiam salubritatis adnotationem admittit.* ZAITH *in lingua sancta, & oliuam & oleum significat:* DESSEN *verò, ipsam pinguedinis natiuam vim, quæ & in arbore, & in fructu, & in expresso oleo inest, suauior quidem ac delectatior, minusq; quàm oleũ crassa, magisq; penetrans. Ex quo illud est, Impinguasti in oleo caput meum. & illud: Bona fama impinguabit os. vnde etiam principes & magni viri in illa lingua* DESSANIN *aliquando appellantur. vt: Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ. Significantissimè autem oliua dixit,* Nunquid possum deserere pinguedinem meam? *Ita verò interpretamur* deserere, *vt ex primæua lingua indicabamus, cessare facere. fortasse Latinius intermittere diceremus. suum autẽ proprium natiuumq; succum nulli regno, nulli imperio, nullis ouibus postponendum sibi esse ait* Oliuæ *vtpote cuius & natura præstantissima, & vsus non sibi solùm, sed immortalibus gratissimus, & mortalibus esset vtilissimus. Nã in sacris olei vsum*

זית
דשן

Pſalm. 23.
Proverb. 15.
Pſalm. 21.
Principes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ignis. *perpetuum, candelabri lucernæ, igni ac lumini sancto materiam suppeditaturum, postulabant. Perpetuus enim ignis diuinæ efficientiæ imaginẽ quadammodo refert. Neque verò hoc in veris sacrosanctisq; Israëlitarum ritibus tantùm spectabatur, sed apud alias etiam gentes, ex naturæ ipsius contemplatione, diuinitatis quoddam symbolum ignis referebat: quam ob rem & Vestam dearum Romanis præcipuam, sibiq; felicissimam iudicatam, perpetuo igni colere placuit, quem nulla magis materia, quàm oleo, conseruari exploratum est: vnde & ille eiusmodi sacrum ignem perpetuò arsurum suo vouebat numini:*

Virg. Bucol. Eclog. 5. Craterasque duos statuam tibi pinguis oliui.

Ideo & oliua plurali numero deos appellauit: quòd parabola hæc non ad certam quampiam nationem, sed ad ipsam omni hominum generi cõmunem causam, hoc est, ad regni instituendi rationem pertineret. Qua dij vtuntur & homines. *In exemplari lingua vtrique nomini magnæ significationis adiungitur verbum, in hanc sententiam:* Quod in me dij honorantur, &

כבד viri. *Verbum* CHABAD, *cùm ad diuinam refertur naturam, honorem, reuerentiam, cultumq; omnem significat; cùm verò ad homines, amplitudinem, obseruantiam, & iuxta vnius cuiusque ordinem ac dignitatem, exhi-*

Proverb. 3. *bendam curam indicat. vt: Honora Deum de tua substantia, & de primitiis*

Exodi 20. *omnium frugum tuarum. &: Honora patrem tuum, & matrem tuam. &*

2. Sam. 10. *illud: Putásne quòd propter honorem patris tui miserit Dauid nuncios? vtrumq; verò vsum, atq; vtriusq; partis significationẽ, appositissima verborum adiunctione Chaldæus interpres indicauit:* Num relinquam vnctionem meam, *ex qua incenditur coram Deo, & in qua deliciantur filij virorum? Nam magnus & frequens vnguẽtorum quondam vsus apud principes viros, à quibus in conficiendis vnguẽtis prima purissimi olei petebatur*

Psalm. 103. Matth. 6. *copia. Atque huc illud pertinet: Vt exhilaret faciem in oleo. &: Tu autem cùm ieiunas, vnge oleo caput tuum. Quod verò Oliua dicit:* Numquid cessare faciam pinguedinem meam? *naturæ vim rationẽmque exprimit elegantissimè. Nam si, vt viuendi crescendiq; facultas plantis omnibus tributa est, ita etiam sentiendi cogitandiq; contigisset; fieri omnino nequiret, vt oliua ad aliarum plantarum suscipiendam curam, sine propriæ habitudinis, ac virtutis detrimento, traduceretur: cùm ea anima, quæ pluribus tùm externis curis intenta est, sui curatione neglecta, proprio corpori maciem tabemq; interdum exitium afferat: id quod in animantibus lactantibus plerumque conspicitur, atque in iis adeò plantis, quibus operandi vis facultasq; inest. Namq; hæ, quamuis subiectis stolonibus, aut alterius generis virgultis indulgent, minùs ipsæ lætæ, minusq; feraces visuntur. Quam ob rem qui colendarum arborum periti sunt, non alterius modò generis plantas & arbusta, verùm cognata etiam oliuæ ad fructum alendæ proxima, crescere vetant: vt suo in solo ac situ pinguis arbor proprium succum ducat, ductumq; commodè concoquat, & concoctum demum in fructus concinnatum, ad*

hominum vsus maturũ proferat. Quòd si vel venientes ad se cæteras plantas excipere, atque ex proprio loco legibus ferendis, & moribus emendandis gubernare, nec commodum oliuæ nec opportunum esset; longè verò importunissimum, & ab instituto ac voto alienissimum foret, relicto natali solo, atque mutandis assiduè locis ac regionibus, quæ vario plantarum generi diuersæ sunt, imperandi causa vagari. Neque enim variarum nationum formæ sine cura gubernatoris, & peregrinatione assiduaq; visitatione, administrari regiq; rectè possunt: id quod sapientissima oliua bene sibi notum & exploratũ recusabat. Et venire vt inter ligna promouear? *Duobus coniunctis verbis laborem, solicitudinem, varias ac multiplices curas, quibus publicarum rerum administratio referta est, indicauit, venire & promoueri, quæ in sacra lingua sic sonant:* VEHALACHTHI LA NVAGH. Et ibo ad vagandum. *Verbum* Ibo, *pro omni corporis motu ac labore per synecdochen vsurpari solet: nam cætera quæ exercẽtur vel opera, vel munia, vel opificia, vnius tantùm, vel saltem non plurium membrorum præcipuis operis præstantur, vt manuum, brachiorum, interdum etiam & pedum, cuiusmodi incisorum, fossorum, & pistorum, atque figulorum labor est, & aliorum qui ad hos relati seruiles dicuntur: quorum summam nos aliquando opportunè deducemus: viatorum verò, iterq; agentium atque ambulantium membris omnibus excipitur exerceturq; labor: quam significationem illud spectat: Ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructum afferatis. & illud apud exteros:* Ibo, & chalcidico quæ sunt mihi condita versu. *quæ deliberatum ac susceptum laborem iucundumq; indicant. Posterius verò verbum* NVAGH, *non corporis modò laborem, sed perpetuam animi solicitudinem, anxietatem, suspicionem, agitationemq; mentis, ipsi cogitanti plerumq; molestissimas, denig; id omne, quod Romanorum elegantissimi curarum nomine complexi fuere, significat; cuius exẽpli illud est:* Humanum in curas natum genus. *quas etiam* lagaces curas *lyricus Poëta dixit. Demum vt ex re ipsa, quid verbum significet, cognoscamus; hæc altera ex duabus pœnis erat, quibus, ob fraternæ cædis crimen, Chainum in terra Deus perpetuò ferendis damnauit: Vagus & profugus eris super terram. prius enim verbum, vagus, ad peregrinationis errores instabilitatemq;; posterius verbum, ad perpetuam animi anxietatem & curam, ex metu suspitionẽque profectam, refertur, dum nemini fiditur, nullius non timetur occursus, inuidiæ & insidiarum plena omnia esse censentur. quod & ab ipso Chaino declaratum didicimus: Ero vagus & profugus in terra: omnis igitur qui inuenerit me, occidet me; à singulis sese occisum iri pauebat ille, qui semel tantùm occidi poterat: quod tamen ad suspicionis, atque metus, inquietudinisq; exprimendam imaginem, sic dictum pronunciatumq; est. Nam quamquam vnum atque alterum nihil sibi nocuisse Chainus experiretur, tamen vt obuium quemq; proximum grauiore cura non metueret, sibi temperare non poterat. Et quidem si huius regnandi conditionis miseræ veritatem, testimo-*

Ambulationis labor.

Ioan. 15.

Vita

Curæ.

Tibull.

Horat. carm. lib. 3.

Genes. 4.

Vagus.

Profugus.

Conscientiæ cura & pauor.

Universidad de Deusto
Biblioteca

niorum copia confirmare pararemus; non modò Phalaridas, Ieronas, Mezentios, cæterosq; tyrannos, verùm & optimos quosque, & laudatissimos Regum, quorum vel historiæ constant, vel exempla hodieq; exstant, adducere testes poteramus; quibus, gloriæ cupiditate excepta, nihil regnandi labore atque cura miserius esse declararetur. Certè sapientissima arborũ oliua errores & vagationes, instabilitatem, curamq; perpetuam, hoc actionis administrationisq; genus esse definiuit: quod si sibi susciperetur, hoc pacto atque omine suscipiendum intellexit. Neq; enim aliter vel iustè, vel sapienter iniri suscipiq; poterat, nisi iis miseriis, quas res ipsa secum fert, sustinendis, laboribusq; exantlandis, quibus tamen illa pacatæ, quieti, animiq; perturbationibus vacanti, sapientiæ studia posthabenda minimè duxit: quæ tamen studia non ad otium atq; desidiam, sed ad Dei cultum & honorem, ad hominum vtilitatem referenda profitebatur. Quæ quidem maximorũ virorum ratio mensq; fuit: qui, quòd ab humanæ gloriæ, ambitionisq; contage alieni essent, à publicarum rerum tractatione sese subducẽtes, ad sapientiæ colẽdæ exercendaq; studia, sua tantum re, eaq; plerumq; exigua, contenti, traduxere: suisq; cum consiliis, tum sermonibus, præceptis, ac vitæ institutis, iucundos Deo, sapientiæ ac modestiæ amatori; humano verò generi vtilissimos in omnem vitæ partem fructus ediderunt. Iam verò verborum in hac parabola pronunciatorum mythologiæ partem interpretati, partem etiam deinceps interpretabimur: ex quo numero illud est, quòd oliua, à qua sapientia persona hoc loco sustineri dicebamus, pinguedine sua, hoc est, sapientiæ vi, diuos virosq; amplificari aiebat: id quod ipsa interpretatione verissimum esse constat, quãdo sacrorum librorũ paginæ omnes, & sapientiæ diuinæ admirationis, & sapientiæ in summis viris commendationis, in fronte & in

Psal. 146. „ tergo plenæ sunt. Magnus Dominus & laudabilis nimis, & sapientiæ eius
„ non est numerus, inquit Psalles. Quod ad viros attinet, illud satis nũc fue-

Prou. 2. „ rit citasse: Si intrauerit sapientia cor tuũ, & scientia animæ tuæ placuerit;
„ consilium custodiet te, & prudentia seruabit te. Illud quoque non præter-
mittendũ videtur, quod oliua in vtriusque, tum sapientis, tum Regis, actionibus comparandis significauit, cuius antè cognitam importunitatem prudenti ac sapienti viro æstimandam, atq; ideo vitandam ducebat: Vt inter ligna promouear, siue, Vt super ligna vager. *Iam quid promouere, siue vagari hoc loco significet, indicauimus. Lignorum autem nomine Hebraice,* consilium, rigorem, obturationem *significari obseruauimus, ex cognatione* יעץ עץ *coniugationeq; (vt Dialectici dicunt) verborum.* IAGHATS. GHETS. עצה GHATSAH. *Namque feminina forma* GHETSAH, *consilium Latinè*

Prouerb. 16. *redditur: masculina verbo* GHETS, *lignum siue arborem:* GHATSAH

Leuit. 3. 9. *verò verbum, interdum claudere, siue obturare, ac premere; nonnumquam eadem vox ordinum significatione vsurpatur, vt citatos ad marginem locos consulenti patebit. Ordines autẽ dicimus, quales in rerum natura rationeq; cõspiciuntur, qualésque in oppidis ciuitatibúsque cõstitui distinguiq; solent:*

Regnandi miseria.

vt patricios, cõsulares, equestres, & plebeios. Igitur vel ex hoc vno nomine, quo hominum genus significatum parabolæ author voluit, quanta, quàm importuna, ac molesta impeditaq;, quàm explicatu difficilis regnandi cura sit, apertè satis ostenditur. Non enim ex pecudum, armentorum, non ex ferarum, non demum ex belluarum nominibus; verùm ex arborum vocabulo GHETSIM, similitudo hæc petita est: vt longè facilius commodiusq; animantium omnium brutorum generi, quam hominibus imperari posse ostenderetur. Namque animantibus cæteris timorem, obseruantiamq; aduersus hominem, communis naturæ conditor indidit: homini verò (nisi timor diuinus imperet) innata nequitia ad omne imperij iugum auersandũ stimulos addit. Atq; ita cùm fallẽdi spes adest, profanis sacra, remoto metu, miscẽtur. Scriptũ est: Et terror vester ac tremor sit super cũcta animalia terræ, & super omnes volucres cæli, vniuersis quæ mouẽtur super terram, omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt. Nihil hic ab hominis imperio in omni animantum genere exceptũ præter homines, quos alia ratione, hoc est, timore sui, præcipuè gubernatũ iri Deus indicabat: cuius timoris elemẽta eodem loco declarauit: Sanguinem animarũ vestrarum requirã de manu cunctarum bestiarũ, de manu hominis, de manu viri, de manu fratris eius requiram animã hominis. Quicumque effuderit sanguinem hominis, fundetur sanguis illius per hominẽ. Quamobrem sapientissimè in quacumque gente legislatores totius constituendæ Reip. atq; condendi iuris initia à religione ducenda censuerunt, vt Lycurgi, Solones, Numæ, & omniũ antistes verissimus Moses. Totius autẽ difficultatis ac negotij, quod Rempub. capessentibus obycitur, summa causa in vario hominũ ingenio est; siquidem prudentes viri multarũ capitum belluam vulgus dicitare solent. Quot autẽ capitum viuunt, totidem studiorũ millia. Cætera enim animalia omnia, cùm consilij facultate careant, ideo hominẽ sibi præesse patiuntur, quòd præstantioris generis esse agnoscunt. Homo verò, qui sui se consilij compotẽ esse posse intelligit, natura quidem alteri homini non debet, consilio verò cedere non vult. Atq; hinc discordiarũ dissentionumq; ortus omnis emanat: plerumque verò consilia nimiũ discrepant, nec omnia vel aliorũ, vel sui semper similia constant, nihil humanæ vitæ ordinibus beatius, nihilq; commodius aut facilius quàm his præesse. Nunc verò quando suum quisque consiliũ non nisi inuitus alterius consilio subdit, gubernandi ratio difficillima adeò redditur, vt à gubernationis nomine ac virtute ad dominationis & imperij vim traducenda sit. Quod verò non omnia consilia vel paria, vel æqua, vel pura omnium sunt hominum, ac pleraque pars debilis & imminuti, & incõstantis consilij sit; aptissimè vsurpatũ est nomen GHETS, quod consilij quidem significationẽ habet, non tamen ea forma, qua GHETSA, hoc est, certum deliberatumq; consiliũ significatur. Atq; vt GETS nomen, vna syllaba contractius est, quàm GHETSA: ita imperfectum consiliũ hoc loco subindicat, quod pluraliter vsurpatum GHETSIM, plura vulgi consilia, & quo plura

Animantium pauor. Hominis nequitia.

Gen 9. „ „ „

Timor Domini hominum dux.

„ „ „ „

Hominum ingenia vulgus.

Iacobi 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt, eo perplexa magis imperfectiora q; arguit, imperfectũ enim imperfecto, ac varium vario adiunctũ componendi auget difficultatem. huic autẽ significationi si duæ illæ etiã obturationis, & varij ordinis addantur, illa conficietur forma consiliorũ, quæ difficillimos explicatus habitura sit, nimirum consilia minora, eademq; & varia, & clausa, pressa, obturata, qualis lignorum materia est. Ex quarum omnium rerum obseruatione & compositione, illa gubernandi regni summa constabit ratio, quæ à sapientibus & prudentibus (quorũ personam olim a hoc in apologo tenet) subducta est. Quamobrem huiusmodi prouincia ab iis, qui animorũ quietem expeterent, constantissimè repudiata fuit, cùm planè sapientiæ ac virtutis plus quàm humanæ fuerit, posse multis populis tranquillo atq; æquo animo, sine turis offensione, ac sine

2 Reg. 3. » *inuidiæ insidiarumq; suspicione, præesse. S. S. E. Dabis ergo seruo tuo cor*
» *docile, vt populũ tuum iudicare possit, & discernere inter bonũ & malum.*
» *Quis enim poterit iudicare populum istum, populum tuum hunc multum? Illud autem ad huius argumenti explicationem opportunè animaduertendum fuerit, sermonem hunc à Ioathamo non ex historiæ alicuius veritate, sed ex philosophiæ, & veri similitudine institutum, eo pacto, quo multa parabolarum atq; apologorũ pars, petitis à rerum natura imaginibus, institui solet: diuisam autem fuisse omnẽ hanc regni atque dominationis rationẽ in ea nomina, ex quibus constare posse intelleximus. Vt si nunc primùm hominibus de eligendo sibi Rege cogitatio consultatioq; incideret, quinam ad eam rem, qualesq; viri, quóque ordine, & quibus gradibus atq; artibus præditi, optari, deligiq; possent, cognosceretur. In quo genere primum & optimum consilium fuerit, animũ ad spectatæ sapientiæ, constantisq; prudentiæ virtutis adijcere. A qua ratione si vel ipsis discrepantibus, vel iis, qui optati fuerãt, renuentibus, discederetur; quónam deinceps diuertendum esset, immo quò plerumque diuerteretur, ex hominum ingenio ac moribus triplicem paritus cogitationem ineundam Ioathan subiungit.*

Dixeruntq́ue ligna ad arborem ficum: Veni, & super nos regnum accipe.

Sapientia. PRIMÆ, *eiq; optimæ ad gubernatorem deligendum cogitationi (quam esse semper certam & constantem, atq; coactis etiam & inuitis iis, qui efficere possent, initam & confirmatam oportuerat) alteram proximè subiecit Ioathan, quæ vulgares animos maximè ad principum delectum impellere*

Diuitiæ & opes. *solet. Nam cùm plerũque vulgus eos, qui ditissimi sint, efficacissimos strenuosq; maximè, & vt ad propriam augendam rem, ita ad omnia negotia opprimè idoneos, ac demum omnium hominum felicissimos putet, euenit, vt prætermissa nudæ ac simplicis sapientiæ optione, imperij ac regni dignitatem ex diuitiarum ac pecuniæ facultate & copia definiat.*

——quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, pulcher, sapiens etiam, & Rex,
Iob 29. Et quidquid volet. *S. S. E. Quando lauabam pedes meos butyro,*

butyro, & petra fundebat mihi riuos olei? quando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi? Videbant me iuuenes, & abscondebantur, & senes assurgentes stabant. Hoc igitur veluti virtute paratum, opportunissimum ad regni administrationem, propagationem, & firmitudinem, vulgus hominum existimat, & ipsis qui gubernandi fuerint, vtilissimum. Nam quibus ditissimus contigit Rex, minùs grauis in tributis & vectigalibus exigendis metuetur, magisq; in ornandis, ditandis, & amplificandis domesticis aulicis, ministrisq; suis liberalis futurus exspectabitur; denique & publicas & priuatas res commodiùs ac melius ditissimus quisque putatur, quàm pauper aliquis, æriq; egens; quamquam aliàs & sapientia præstans & mancipijs locuples, gerere posse. vti Cappadocum Rex quispiam fuerit. ——Adde quòd hunc, de Iuuenal.

Quo loquor, egregium populus putat, atque verendum
Artificem. *Huius autem consilij iudicijq; vulgaris imaginem Ficus ab arboribus in regnum delecta representat. Quippe nulla ex omni plantarum genere, quæ vel fructum afferunt, vel diuturnioris vitæ sunt, auaritiæ studium aptiùs refert quàm ficus: cuius ad exsugendum* Ficus. *vndique humorem, & frequentissimæ radices, & nonnullæ adeo longæ deprehenduntur, vt ad puteos, & ad fontes, ad paludes, & lacus longo interuallo distantes, pertineant: adeò etiã sagaces (quod admirati cognouimus) vt intra domorum ædiumq; ædificia loca quærere, subire, atq; obtinere didicerint, in quibus lagenæ, hydriæ, cæteraq; aquaria vasa ad familiæ assiduum vsum constituta, solent diutiùs hærere. His accedit quòd externi diuitiarum splendoris speciem præ cæteris non infelicibus plantis ficus refert, latissimorum foliorum, & eleganti ornatu, quæ & ipsa constantioris etiam, quàm arborum aliarum folia, naturæ texturæq; sunt, ita vt ex ramis quoque detracta, natiuum colorem & humorem longiùs retineant. Quæ quidem omnia fallentem istum, atq; vulgi oculos animosq; præstringentem diuitiarum nitorem exprimunt. Atq; hæc eorum diuitum imago est, qui sibi tantùm diuitias vndique corradentes, rem quocumque modo facere studeant, neque vllum acquirendi modum statuunt, neq; vllo in loco tam sterili sunt, in quo rationem non ineant, quemadmodum res crescere possit, vt ficus etiam, quæ vel in ipsis quoque vetustissimis & sole exsiccatissimis muris ex calce, ex intrito, ex cinere, ex puluere, atq; adeò ex durissimis saxis succos petere, exprimere, atq; trahere nouit: ob eamq; rem firmissima quoque alias ædificia diruere solet. Adquæ discutienda valent,* Sterilis mala robora fici. Iuuenal.

Igitur optatam sibi ficum huiusmodi sermone ad regnũ cætera arbores compellabant: Veni, & super nos regnum accipe. *in exemplari lingua sic:* LECHI ATH MALCHI GHALENV. Veni, tu regna super nos. *Veniendi verbum curam & operam postulat. oportet enim non segnem esse,* Regni cura & labor. *nec otiosum eum, qui sit regnum administraturus: immo nec semper eodem loco hærentem, suasq; tantùm curantem res; sed regnantem consulentemq;*

super

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſuper nos, non ſuper vnumquodpiam arborum genus, ſed ſuper nos omnes
Arborũ natura varia. *arbores, quas vt natura & ingenio, ita etiam locus varias & diuiſas communis conditor eſſe voluit. Aliæ namq; in montibus, in campo aliæ naſcuntur & creſcunt; quædam ſterile, vberrimum ſolum aliæ poſtulant: frigidum*
3 Reg. 4. Iob 40. *hæ, illæ calidum. S. S. E. Et diſputauit ſuper lignis à Cedro quæ eſt in Libano, vſq; ad hyſſopum, qui egreditur de pariete. Et ſub vmbra dormit in ſecreto calami, & in locis humentibus, protegunt vmbræ vmbram eius, circũdabunt eum ſalices torrẽtis. Quod & poëta eleganter obſeruatũ canebat.*

Virg. Geor. 2 Diuiſæ arboribus patriæ ſola India nigrum
Fert hebenum; ſolis eſt thurea virga Sabæis;
Media fert triſtes ſuccos, tardumq; ſaporem
Felicis mali, &c.

Hæc autem omnia noſſe, & curare, & opportunè adminiſtrare oportebat ficũ, quæ venire rogabatur, & regnare ſuper cæteras omnes. Quod verò ad regnandi rationem, facultatem, authoritaremq; faceret, vt non tam certa, conſtans, legitimaq; imperij capeſſendi virtus in diuitiis, quàm in ſapientia eſt, ita etiam in ipſa oblati regni propoſitione, varia pronũtiata eſt oblationũ formula ab ea, quæ in appellanda oliua pronunciabatur. Nam cùm vtrumq; nomen etiam in ſacra lingua feminini ſit generis, oliuæ inquam & ficui, quippe cùm manifeſtum eſſet, oliuam, vtpote ſapientem, regni curã ſuſceptam omni officio atq; opera ſua ſponte expeditum ire, tantum autem illud acclamatum eſt: MALCHA GALENV. *adiunẽto etiam in verbo* MALCHAH. *ſigno* VAV. *præter communem ſermonis vſum, quod verbum ita vt ſonat, vtq; ſcriptum exſtat, regnum non tam offert, quàm concedit; & ad nominis magis, quàm ad verbi formam ſignificationemq; refertur. eſt enim media vox inter nomen quod omnino refert, & infinitiuum atq; imperatiuum modos, iuxta mirabilem linguæ illius concinnandæ rationem, alij prorſus linguæ ex iis, quæ nouimus, negatam. Habet præterea idem vocabulum, quamquam femininũ maiori ex parte ſit, quandam tamen maſculini generis notationem ac vim, vt Latinè ſonare vtcũque poſſit:* Regina, regnando regna ſuper nos. *ita etiam vt in regnandi verbo maſculinũ quipptam intelligatur; tanta vnius verbuli in lingua illa aliquando latet vis. Eſt autem huiuſmodi ſalutationis ſententia: Quamquam regnum hactenus in cæteras non poſſideas, mereris tamẽ tu vnicè ac præcipuè, quippe cuius virtus ſua ſponte regin.. ac præſtantiſſima cæteris arborũ generibus eminea: Tu itaq; quam regnũ certius ac plenius decet, regina es, ſuper nosq; regnando regnato, nam te rectè regnaturam nouimus. At verò longè minoris humilioriſq; ſententiæ oratio hæc altera eſt, qua Ficui regnandi permittebatur authoritas, quando imperatiuo femineo enũciata, regnum diuitiis ac diuitibus non tam firmum ſua natura eſſe poſſe, nec tam concedi quàm committi declaratur. Namq; profectò niſi regijs diuitiis vtendi aliquando, atq; illarum quàm plurimæ ſiculneæ lactis aliqua ex parte ſibi communicandi ſpes nulla*

nulla arboribus affulſiſſet, niſi illius externi ornatus ambitioſa ſpecies arriſiſſet, nulla præterea diuitis ipſius haberetur ad regnum ratio, ſicut de diuitiarum atq; egeſtatis viribus ſcriptum eſt. Si voluiſſem ire ad eos, ſedebam primus: cumq; ſederem, quaſi Rex circũſtante exercitu, eram tamen eorum conſolator. Nunc autem derident me iuniores tempore, quorum non digna
Iob 29. 30. *bar patres ponere cum canibus gregis mei.* ——Diffugiunt cadis
Cum fæce ſiccatis amici, Ferre iugum pariter doloſi. Hor. car. l. 3. Od. 35.

Quæ reſpõdit eis: Numquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructuſque ſuauiſſimos; & ire vt inter ligna promouear?

QVICVMQVE ad familiarem rem omni ratione exaggerandam animum ſtudiumq; appulerunt, quamquam & opes & potentiam aliàs percupiant; à lucri tamen ſuauitate nullo pacto diuelli ſeſe patiuntur: maximè verò ij, quibus diuitiæ ad priuatam tantùm voluptatem, non ad publicã vtilitatem comparantur. Namq; hæc auaritiæ fallacia eſt, quam oculorũ concupiſcentiam Apoſtoli vocant: ſiquidem cultores ſuos cæcos dementesq; agit, Auaritia. *nihil in vita diuitiarum copiis felicius eſſe perſuaſos, quamobrem idolorum ſeruitus à Paulo ſtudium hoc dictitatur. Nam qui re ſua familiari ita delectantur, vt neq; ab eius vſu ſuos excludant, amicisq; potiùs & Reip. ſi quando vſus fuerit, impertiant; ij in honeſto ponuntur loco, & digni videntur quibus honorum communicatio fiat, atq; hoc nomine & hac ſpe magiſtratibus præfici ſolent: quod & arbores in ficu experiri tentabant, arbitratæ cum illo ſuccus vndique combibendi ingenio, conſilium etiam eſſe ad publicas res ſuis diuitiis copiisq; iuuandas. Sed quia illa ſibi tantùm viuere, ſibi quærere, ſibi rem congerere in animum induxerat ſuum, idq; facillimum putauerat, nullam occupationem ſibi ſubeundam decreuit, cuius cauſa vel rem impendendo minueret, vel non augendo ſiſteret, certisq; finibus compeſceret.*

Nam bona pars hominum decepta Cupidine falſo,
Nil ſatis eſt, inquit, quia tanti, quantum habeas, ſis. Horat. Ser. Sat. 1.

Qui huius ingenij conſiliiq; ſunt, intelligunt ſe non propter aliæ artes aut partes, verùm propter diuitiarũ copiam ad magiſtratus optari: ex qua re diuitias magiſtratibus potiores eſſe argumentantur, vtpote quarum cauſa ipſi expetuntur; ex eadem etiam diuitias omni magiſtratui anteponendas ſta- Diuitiarũ & munerum collatio. *tuunt, præcipuè cùm has magiſtratibus rectè adminiſtrandis creſcere non poſſe norint, ſed contrà imminui neceſſe eſſe, certò ſciant. Hinc illud ſubit, indignum videri tantum laborem, quãtum publicarũ rerum adminiſtratio poſtulet, in ſua familiari re labefactanda ponere, quem in augenda amplificandaq; ponendũ eſſe potiùs duxerint, atq; veteres & notas acquirendi artes, nouis poſthac magiſtratus gubernandi artibus, multo ſtudio ac labore magna & frequenti cum populi vulgiq; ingeniis conflictatione addiſcẽdis, præferre conſultiſſimum eſſe cenſent. atq; ita nullam nobilitatẽ, nullam voluptatem diuitiarũ ſingulari vſu, & priuato fructu maiorem deſinentes,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

deliberata sententia omni aliæ conditioni nuncium remittunt. Numquid possum deserere dulcedinem meam? *In exemplari lingua:* Numquid cessare faciam dulcedinem meam, & prouentum meum; & ibo ad vagandum super ligna? *Succus humorq; omnis à ficu vndequaque extractus in lac vertitur, quo ipsa alitur, quoq; plerumque abundat; ex quo etiam humore & fructus nutriuntur & crescunt; &, vbi maturuerint, dulcescunt. Qui tamen fructus nisi maturè vel à cultoribus decerpantur, vel ab auiculis deuorentur, diutiùs arbori inhærentes, paulatim exsiccati, succum illum suauem materni stipitis ramis resorbendum præbent, atq; ita illi arescũt, vt, cùm demum deciderint, nulli sint vsui: quod in cæteris felicibus arboribus non euenit, quarũ maturrimi fructus sponte decidunt, ydemq; succo suo refertissimi, partim cultoribus, partim auibus, quadrupedibus, & reptilibus etiam vtiles euadunt, ac si qui his superfuerint, tamen sõlo humectando, pinguioriq; reddendo, prosunt. Sed ficus, vti diximus, nisi cultorũ manu ac vt, vel auium insectorumq; direptione anticipentur, nihil quod maturum probandumq; fuerit, vltro remittit; ita vt sibi tantã operam dare arbor haec inter fructificas vnica videatur. hoc itaq; cum primis ad responsi excusationisq; sententiam obseruandũ fuerit. illud etiam deinceps, quòd præter cæteras arbores omnes, hæc nũquam sterilis, numquam non fertilis est. Oliua, pomis, nucibus, cæterisq; non fugacis fructus plantarũ generibus annorum vices fertilitatem concedere abnuereq; videmus, idq; variantibus aliquando, interdum verò constantibus interuallis; ficui verò, nisi morbus altàs incausa sit, nullus annus fructum negat, siue eum frequentem, siue rariorem; qui tamen paucitatem magnitudine & elegantia compensat: ex qua re efficitur, vt non, sicut in cæteris, tempus fructuum, sed fructus ipse ficulneus temporis index sit, adeò vt, nisi ficus indicarit tempus, nondum adesse putemus. S. S. E. Hiems transiit, imber abiit & recessit. aduentantis verò iam mo præsentis veris signum certissimum subiungitur, Ficus protulit grossos suos. &: A ficu discite parabolam. Cùm iam ramus eius tener fuerit, & folia eidem nata, scitis quia propè est æstas. In ramo tenero ficus grossi sunt, quos folia innata contegunt. Quamobrem primùm sterilissimi temporis, atq; ingratissimi anni signum illud annotandum Propheta indicabat: Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis. Igitur duobus nominibus cæterarum omnium arborum ditissima ficus censetur. altero, quòd, quamquam lacte ac dulcedine sua plenissimè referta sit, numquam tamen quærendi extrahendiq; omni ex parte ac loco humoris curam operamq; intermittit, siue hyeme examinetur, siue vere, vt sæpe à nobis examinata est: altero verò, quòd fructu prouentuq; suo nullis annorum vicissitudinibus fraudetur. sunt enim anni quibus nulla pyra, nulla mala, nullas oleas in toto arborum horto aut pago conspici audias; nullas verò in toto ficeto ficus exspectari, nullis memoria nostra æstatibus audiuimus. vtrumque autem diuitiarum suarum nomẽ duobus vocabulis ficus indicabat:* dulcedinẽ meam,

Ficus natura

Cant. 2.

Mat. 14.

fructusque suauissimos. *qui vno verbo* TENVBATHI *in germana lingua dicitur. vt autem segetum areæq; fructus omnes* TEBVAH, *sic arborum prouentus* TENVBAH *illo in sermone dicuntur, qui Latinè autem communi, & non aliena voce, redditus dici possunt. adnotandum porrò est, nullam mentionem à ficu factam vtilitatis ex sese ad aliud quodpiam genus promanantis: sed omnem vsum fructumq; sibi tributum vni. Namque ab oliua publica aliàs excusabantur commoda:* Quòd in me honorantur dij & viri. *à ficu verò nihil tale dicendum exspectes, sed,* An cessare faciam dulcedinem meam & prouentum meum. *Omnia sibi.*

תנואה תנובה

——— nempe videmus
Et formam & mentem semper properantis auari.

Quamquam, inquit ipsa, libenter principatum adirem, si modò è re mea esset; tamen cùm non sine fortunarum mearum vel detrimento, vel saltem modo, atq; augendarum incommoditate vtrumque teneri possit; nõ committam omnino, vt dulcedini ac voluptati huic istam vestram anteponam gloriam, maximo præsertim continuoq; labore sustinendam: mihi potiùs vni commoda esse volo. Iam verò vt ad significationẽ apologus componatur, duabus rebus familiaris res crescere potest, negotiis videlicet & vectigalibus: Familiaris rei augendæ rationes. *quippe negotiis augetur continuis, & à vectigalium assidua repetitione exactionẽque maximè exaggeratur cumulus, ius præcipuè vel parcissimè insumptis. De priore genere Satyricus:*

——Cùm te neque feruidus æstus
Dimoueat lucro, neque hyems, ignis, mare, ferrum, Horat. Ser. lib. 1. Sat. 1.
Nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter.

De posteriore verò idem:

Si quis ad ingentem frumenti semper aceruum
Porrectus vigilet cum longo fuste, nec illinc Lib. 2. Sat. 3.
Audeat esuriens dominus contingere granum,
Ac potiùs foliis parcus vescatur amaris.

Sunt autem quidam altero, hoc est, negotiorum genere locupletes, qualis ille fœnerator Alfius: aly verò altero, vt Vectidius, qui Diues arat Curibus, Pers. Sat. 4. quantum non miluus obertet: *atq; vt diues ille, qui prouentui in sui vnius vsum seruando horrea apothecasq; dilatabat. Nonnulli autem vtroque, vt is, qui quòd sibi vni liberalis, cæteris verò omnibus auarus esset, reprehẽsus, respondebat:*

——Iure, inquis, Thrasius istis
Iurgatur verbis; ego vectigalia magna Hor. lib. 2. Sat. 2.
Diuitiasque habeo tribus amplas regibus. ergo
Quod superat, non est melius quo insumere possis?
Cur eget indignas quisquam te diuite? quare
Templa ruunt antiqua Deũm? cur, improbe, caræ
Non aliquid patriæ tanto emetiris aceruo?
Vni nimirum tibi rectè semper erunt res?

Alteram augendæ rei partem, quæ fœnore mercaturisq; exercetur, dulce-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dinis suæ nomine ficus significabat. Quippe huiusmodi auarorum oratio esse

Iuu. Sat. 14. *solet:* ——— Lucri bonus est odor ex re
Qualibet; illa tuo sententia semper in ore
Versetur, Diis atque ipso Ioue digna poëtæ.
Vnde habeas, quærit nemo, sed oportet habere.

Vsque adeò celebris sententia illa est, vt diuitiarum cumulandarum studium, cùm de felicitatis rationibus, deq; bonorum ac malorũ finibus disputatur, inter maximè expetenda à nonnullis ponatur, vt ille referebat:

——— Quod magis ad rem
Attinet, & nescire malum est, agitamus, vtrùm ne
Diuitijs homines, an sint virtute beati:
Quid purè tranquillet, honos, an dulce lucellum?

Lucellum etiam, quamuis exiguum, tamen dulce tis censetur, quibus insatiabile acquirendi votum suscipitur. Alteram verò curam exaggerandæ rei ex compositis prædiorum atq; fundorũ redditibus, atq; coaceruandis in aræa vectigalibus, illo altero nomine indicatam ficus voluit: Et fructus suauissimos. *siue, vt exemplaris lingua habet,* Prouentum meum. *Vtramq; autem occupationem ex auaritiæ vitio natam sapientissimè significabat Salo-*

Prou. 30. *mon illo prouerbio: Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicẽtes, Affer, Affer. deliberato itaq; consilio qui huiusmodi tenentur studio, reip. honestè ac diligenter administrandæ laborem diuitiarum augendo cumulo posthabendum indicant, atque honoribus, quamquam aliàs optandis, tamen vt instituto suo minùs aptis, vale dicunt.*

Horat. Sat. 1 Populus me sibilat, at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.

aiebat ille.

Locutaque sunt ligna ad vitem: Veni, & impera nobis.

Electionis genus tertiũ

IN *exemplari:* Veni tu, & regna super nos. *Tertia hominum deligendo sibi Rege deliberantium consultatio ad eum optandum initur, qui modestia, probitate, atque beneficentia in cæteros, morumq; comitate, lenitateq; animi probatissimus fuerit. Quam rationem à sapientiæ optione secundam esse oportuit. Verùm hanc consultationem non vnius tantùm ligni, hoc est, non consilij vnius, sed plurium cõsiliorum fuisse meminerimus, ac planè popularem, penèq; vulgi ingenium referentẽ, qui species alias veri falsiq; tumultu permixtas capere solet. Sanè si non recto ordine decreta, tamen recta hæc actio fuit deligendi vitem, quam tametsi non illa, qua oliua, semper virenti forma, semperq; pingui natura, suisq; virtutibus ac partibus sese firmante intellexerant; ingenio tamen miti, leni, ac placido, cæterarumq; arborum amico esse norant: quæ & fructus vbertate, & vsu homines iuuaret, operæq; pretio numquam cultores fraudaret suos: quippe quæ secundæ post fi-*

Habac. 3. *cum feracitatis laudem sit emerita. S.S. E. Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis. vbi enim in his duabus plantis desideratur fructus, nullus*

nullus in cæteris spem sui promittit. Et quamquam non parem cæteris arboribus corporis atq; formæ speciem sortita fuerit, qualem oliua primùm semper virens, deinde ficus sese suósque ramos proprio in stipite continens, foliorúmque ambitu & ornatu totam vestiens tamen; nec, vt diximus, infelix, ne, quo tempore viret, eleganti colore destituta, & quæ humilitatẽ naturæ roborisque defectum arte & industria sufficere norit, vlmis, aliisque sterilibus plantis innixa, quas, non vt hedera, iniquè ingratèque perdere, sed sine vllo detrimento fouere, ornare, atque curæ cultuiq; hominum suæ causa commendare nouerit: Vitis vt arboribus decori est; vt vitibus vuæ. Virg. Eclo. 7
canebat ille. Quæ quidẽ omnia in vitis imagine nobis obseruata, viri quamquam humilioris aliàs conditionis, nec illustri genere, tamen probi virtutibusq; præditi pluribus, humanũ ingenium, compositosq; mores, atq; mitem & æquum animum, æquabilem ac familiarem cum cæteris consuetudinem, & elegantem etiam venustumq; sermonem, demum ad res domi foriq; gerendas idoneam facultatem referunt: cuiusmodi viri exemplum, omni inutili & ignauæ aliàs nobilitati comparatum, maximè antecellere author ille aiebat:

——— Tamen ima plebe Quiritem
Facundum inueni. solet hic defendere causas Iuuenal. Sat. 8.
Diuitis indocti, veniet de plebe togata
Qui iuris nodos & legum ænigmata soluat.
Hic petit Euphraten iuuenis, domitique Bataui
Custodes aquilas, armis industrius; at tu
Nil nisi Cecropides, *&c.*

Huius census viros, hisq; præditos artibus, persæpè ad belli pacisq; administrandas res quæsitos, & ab aratro, ab horto, à grege, ab officinisq; vtilissimè petitos; veterum historiarum exempla non rara docuere: quo in albo Seruios, Decios, Curios, Mariosq; ponimus, quorum optionis numquam populum pœnituit. Transeo Dauidem, Saulem, & Gedeonem, aliosq; in sacris annalibus laudatos. Namq; horum electio non ad populi iudicium vel consilium, sed ad Dei authoritatem referenda est, qui non iuxta intuitum homi-

1 Sam. 16. *nis iudicat. Homo enim videt ea quæ parent; Dominus autem intuetur cor.*
Veni tu, & regna super nos. *Verbũ* MALVCHI, *pro quo Latinè impera, siue regna, reddimus, mixtum ex actiua passiuaq; voce, affine satis illi voci est, quæ in oliua appellanda pronunciabatur, significatq; voluntatem eorum qui optarent, & optatæ etiam personæ dignitatem. In hanc sententiam singamus passiuam vocem verbo Latino regnare, atq; ex regno regnas, quod præesse imperareq; significat, regnor regnaris faciamus, cuius vis in ipsum, qui regno præficitur, transeat; ita vt regnari significet, Regem constitui. hoc pacto sic orationem interpretamur; Tu quamquam ex magnarum arborum genere non sis, quippe quæ nec statura, nec stipitis aut ramorum firmitudine ac robore, cæteris vel bacciferis, vel pomiferis parem speciem sortita fue-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ris: tamen in tuo ordine, hoc est, medio inter arborem atq; arbustum primas tenes, cùm cæteris procerior crassiorq; euadas, & palmitum prolixitate ad magna etiam spatia pertinere possis. Addè quòd in toto isto genere nullius neq; fructus, neq; folia tuis comparata æquentur: non malogranatorum, non citoniorum, quamquam aurea vocentur mala: præterea ista comitas, lenitas, & caritas, qua vel steriles plantas complexa non foues modò, sed ornas etiam, nobis placent, moresq; omnino integri & innoxij probantur: quam ob rem regnari te, hoc est, Regem nobis præfici, certum est: tu ergo tua ex parte regnum suscipe, nobisq; imperato.

Quæ respondit eis: Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines; & inter ligna cætera promoueri?

HVIVS *plantæ atq; oliuæ responsis & sententiis quantũ nam regnandi gloriæ tribui, quantum curæ ac solicitudini adscribi oporteat, apertè monemur, simulq; docemur naturas rationesq; rerum expendere ac iudicare, nec vulgi opinionibus, sed rerum ipsarum veritate in omnem cùm priuatæ, tum publicæ vitæ consuetudinisq; partem duci: nec tamen in otio ac desidia segnes viuere velle, sed actionibus vacare, quibus pietas colatur. (est autem pietas officium erga Deum & homines.) Propositis porrò duobus actionum generibus, id optare quod cum ingenio animoq; nostro maximè quadret, quodq; sine vlla vel numinis, vel hominis offensione, vel animi proprij perturbatione, nocere nullis, prodesse quamplurimis possit. Magna quidem præclaraq; res regnum est, si gloriam spectes, sed gloria quantalibet quid erit, si gloria tantùm est? aiebat ille. Profectò inter vanissimas res vanissimum locum apud Ecclesiasten obtinet. Maxima verò omniq; laude digna, recta rerum regniq; administratio creditur: sed hoc disputatione magis, & legibus condendis tradi potest, quàm eorum, qui gubernãdi sunt, moribus præstari. Ex quo fit, vt ab iis maximè formidetur ac recusetur, quorum artes ad eam rem idoneæ censentur; vtpote quibus & laborum & curarum incommodorumq; subducta ratio illam contulerit summam:*

Iuuenal. Sat. 10. ——— Quæ præclara & prospera tanti,
Vt rebus lætis par sit mensura malorum?

Quam ob rem ab inanis gloriæ appetitione remotiorẽ vitem, cùm suæ, hoc est, naturæ conditionis, minimè pæniteret, laboris magni paruo compendio ponendi tæderet, proprij officij muneris q; memorem, & numquam deserendi cupientem respondisse intelleximus: Numquid possum deserere vinum meum: *quod suo vocabulo* THIROS *pronunciatum, id significat, quod ex vuis remittitur antequam excoctum vini nomen obtineat: Latinorum mustum non adeo aptè respondet rei ipsi, quam idcirco genimen vitis aliquando interpres noster vocat. Ex vino quidem nihil nisi vinũ acetumq; fit: ex* THIROS *verò, nondum illo nomine mutato, & multa variaq; vini genera, & acetum, & sapa, alijq; dulces liquores, liquorumq; aliorum sa-*

תירוש Genimen vitis.

pores & fermentationes conficiuntur: de quibus à medicæ materiæ authoribus, ab agriculturæ doctoribus, à physicisq; varia traduntur; & nos aliquando nonnihil ex sacræ lectionis obseruatione, Deo annuente, trademus. Numquid desinere faciam ETHTHIROSI, *cõmodissimam varij gustus, multiplicisq; vsus materiam, mihi vni ad conficiendum à natura consessam, nulliq; aliæ vel arbori, vel frutici communem; sed nec vllo imitationis modo conferendam, hoc adiunctum possessiuum,* meum, THIROS meum, *siue* vinum meum, *indicat. Non solùm igitur cùm vinum tam est, sed ex quo* THIROS *esse incipit, iam tunc & deos & homines gaudio afficit. Quòd si apologus intra Israëliticæ tantùm sapientiæ veros fines explicandus fuerit, quemadmodum hoc vitis genimen deos homines q; lætificet, rectè Chaldæus indicauit:* Numquid relinquam vinum meum, ex quo libatur ante Dominũ, & magnates lætantur? *Præter hanc libationẽ, cui vini portio adhibebatur, solenne fuit antiquis Israëlitis, sacra celeberrimaq; cantica à vini degustatione inchoare. Sin verò ad Gẽtium quoque opiniones, religiones, siue superstitiones pertineat imago, Libero patri sacram vitem hilaritateq; dicatam nemo non nouit, & vinum ipsum Dei lætitiam Pœtis dictitatũ, qui diis suis nullam matorem voluptatem, quàm nectaris vsum tribuunt, cuius præcipuam materiam* THIROS *esse intelligimus. Nam inter curas contentionesq; Olympi incolarum diuorum, pocula non rara ab Homero miscentur. Quod verò adiungitur,* Et homines; *Sacra lingua* ANASSIM, *viros, eosdemq; præcipuos explicat, quibus cùm priuatarum ac domesticarum, tum publicarum rerum continuas grauissimasq; curas temperare ac lenire vinum dicitur. S. S. E. Et vinum lætificat cor* ENOS, *mœsti & curis oppressi hominis. Et excitatus est tamquam dormiẽs Dominus, tamquam potens crapulatus à vino.*

Tractatu de Canticis, & Chimhius in hùc loco.

,, Psal. 103.
,, Psal. 77.
,,

Nobilis vt grandi cecinit Centaurus alumno,
Inuicte mortalis Dea Nate puer Tethide,
Te manet Assaraci tellus: quam frigida parui
Findunt Scamandri flumina, Lubricus & Simois:
Vnde tibi reditum cernis sub tegmine Parcæ
Rupêre: nec mater domum Cærula te reuehet.
Illic omne malum vino, cantuq; leuato,
Deformis ægrimoniæ, Dulcibus alloquiis.

Hor. Epod. Ode 13.

Et illud:

——— O fortes, peioraque passi
Mecum sæpè viri: nunc vino pellite curas:
Cras ingens iterabimus æquor.

Hor. Carm. lib. 1. Ode 7.

Quamquam ij, qui Remp. regũt, maximas res gerere putentur, quòd eorum administratio latissimè pateat, ad plurimosq; pertineat; non tamen illi soli magni animi esse iudicandi sunt; sed & ij omnes, qui vel in priuata vita magna quædam, atq; hominum generi vtilia inuestigauerint aut effecerint, aut certè conati fuerint; maximè verò si cum vtilitate innocentia, probitas, lenitasq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

lenitas q. coniuncta sit. nec omnes ideo ad ambitionem traducendi sunt; quicumq. virtutibus atque eleganti ingenio præditi probentur: satis vnicuiq. & officij factum, & laudis veræ partum esse putandum, qui quibus potest rebus, quibusq. valet artibus non segniter indulgens, humanum genus pro suo modulo iuuerit, pietatemq. vtroq. nomine promouerit. hoc est, Dei cultu atq. erga homines merito. & vt ille monebat:

Hor. lib. 1. Epist. 14. Quam scit vterque, libens, censebo, exerceat artem.

Certè suum THIROS, *cuius vsu & dij & homines gauderent, regnandi sine regni, solicitudinis, vagationis ac tempestatum causa sibi non commutandum esse vitis constituit, idemq. etiam boni ac probi, animo ingentóque commendabiles viri sensere: qui ab appetendis rerum publicarum curis omnino abstinuerunt, vel à commissis & oblatis sese abalienauerunt: quamquam iudicio vulgi dementes existimati, sani fortasse iudicio Dei, quod*

Martialis. *nollent onus haud vmquam soliti portare molestum.* Quod sis esse velis, nihilque malis. *Verùm hæc disputatio omnis intra humani consilij ac iudicij*

Electi à Deo magistratus. *fines cohibenda est. Alia namq. ratio fuerit eorum qui à numine deligẽtur; vt Mosis, Aharonis, Dauidis, Gedeonis, & cæterorum. Nunc vero ligna suas in theatro nostro partes agunt.*

Dixeruntq. omnia ligna ad Rhamnum: Veni, & impera super nos.

QVARTVM *optandi præficiendiq. Regis non tam consilium, quàm tumultum, postrema apologi pars ad viuum exprimit, perpaucis quamquam verbis. Nam tria quæ præcesserant genera, vel honestatis atq. dignitatis, vel vtilitatis, vel commoditatis rationibus expensa, probationis iudicium plausumq. merebantur: in quibus quamquam non plenum, integrum, omniquæ ex parte constans consilium positum fuerit, consilia tamen coniuncta cumulataq. consentiebant, quæ arcano nomine* GHETSIM *indicabantur, pro*

Tumultuaria consilia vulgi. *quibus Latinè legimus ligna. Verùm enimuero cùm consilia non ex optimatum, nec ex procerum & magnatum tãtùm authoritate ordinibusq. ineuntur, sed ex horum simul & plebeiorum confusa multitudine petuntur, vt in militum tumultuationibus (quibus aliquando interfuimus) plerumq. accidit: fieri non potest, vt in aliquam temeritatem non erumpatur, atq. is præcipuè ad rem gubernandam sumatur, qui populariſſimũ sese audaciſſimumq. præbuerit, & lingua promptum, & manu ad omne facinus expeditum. Nam in huiusmodi tumultuosis coitionibus potiùs quàm comitiis mator pars, quæ stultissima est, meliorẽ plerumq. & suffragio, & voce, & viribus vincit; quam quidem tumultuosæ actionis deformem formam apologi author illis expressit verbis:* Omnia ligna. *inter quæ multa vilia, infelicia, specie atque ordine minora, verùm numero longè plura melioribus, sicut in siluis conspiciuntur totum ferè solum occupare, & maioribus ac proceribus impedimento nocumentoq. esse.* Omnia *igitur* ligna, *omnia consilia confusa, vilia, & maiori ex parte communia, immo leuia omnia, inquam, vel sponte, vel plerumq. tumultuario motu impulsa, minimum omniũ, incommodissimum &*

& importunissimum arbustorum, Rhamnum *scilicet, Regem sibi adsciuisse dicuntur. Cuius nullus nec fructus, nec flos, nec ramorum, ac foliorum ornatus, sed nec arboris ac stipitis adspectus, in omniq. arbustorum genere nullius eo deterior status. Nam cætera vel ramis longioribus extenduntur, vt rubi, rosæ tum hortenses, tum siluestres; vel truncis crassioribus valent, inq. arbusculæ speciem resecatæ & cultæ crescunt, vt arbuti, cameleæ; vel foliorum grato odore, ac florum etiam varietate iuuant, & viroris amœnitate delectant, vt marini rores, myrthi, & genistæ; vel succus ac lachrymarum lenitate ad suffitus medicinamq. expetuntur, vt balsama, thura, terebinti ac lentisci; vel in alios demum vsus, vel vt minimum ad furnorum fouendum ignem conferuntur, vt spartorum, minorúmq. spinarum plantæ variæ. Vna verò Rhãnus nihil nec in se habet, nec in specie promittit, quod vel hominem vel animantem quampiam, vel etiam alias arbores iuuare possit: contrà verò habet manifestam nocendi vim, aculeis pro corporis sui modulo & maximis, & durissimis, quíq. carni infixi magnum dolorem, velut venenatæ cuspides, inferũt. Sed nec aliam sibi vicina plantam vigere sinit, quam obrem sola in vinearum hortorúmque sepibus non tam crescit, quàm horret, iumentis ac furibus arcendis tantùm addicta. Iam verò quod nam hominum genus huius plantæ imagine indicetur, facilè cognitu est, nimirum nequam, præcipitis ingenij, immanisq. temeritatis, audaciæ, considentiæq. perditæ, ad quodlibet nefarium scelus habile, sermone moribus pari, & in omnem turpitudinis partem vertibili; quod quidem impotentum hominum genus sacra lingua filios* Beliaal, *siue* Beliiaghal *vocat, hoc est,* Beliiaghal. *nullius omnino frugis, manifesti verò incõmodi compotes, eosdemq. huiusmodi nocentibus spinis adsimiles notat. S. S. E. Præuaricatores autem quasi* 1 Sam. 6. *spinæ euellentur vniuersi, quæ non tolluntur manibus: & si quis tangere* ,, *voluerit eas, armabitur ferro & ligno lanceato, &c. vbi nos legimus præ-* ,, *uaricatores, exemplar habet,* Beliiaghal, *quos* KVTHS, *hoc est, spinæ Da-uid comparat, atq. adeò spinæ euulsæ, vt nostra versio habet, euellentur; siue vaganti, vt exemplar significat, & Græci interpretes vertunt. Namque huiusmodi vagantes spinæ nullibi non nocent, nisi vitentur: atque ita obseruamus idem significari arcano in sermone nomine Rhamni, quod voce Beliiaghal significatur.* Beliiaghal, *inquit, quasi spina cauenda omnibus. Nihil* Indignitas ex cõditione & ingenio. *magis oppositũ, absurdumq. magis cogitari aut agi potuit, quã nomẽ munusq. regiũ ei tribuere, cui propriè* Beliiaghal *conueniret vocabulũ. Atqui spinis illud cõmuniter cõuenire, ex postremis Dauidis Regis verbis modo ostendimus; idẽ verò oppositũ ac maximè pugnans cũ Regis nomine ac ratione esse, manifestè apud Iobũ Elihu docebat: Qui dicit Regi, apostata; qui vocat du-* Iob 34. *ces impios. Vbi apostata Latinè legimus, proprio in sermone Beliiaghal est.* Apostata. *Igitur si res ratioq. nõ patitur, vt, qui verè sit Rex, Beliiaghal dicatur; longè minùs ferret eũ Regẽ optari, & adsciscì quẽ Beliiaghal esse cõstiterit, quale Rhamnũ esse omnibus constabat lignis, & tamẽ Regẽ sibi appellari libuit.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quæ respondit eis: Si verè me Regem vobis constituistis, venite, & sub vmbra mea requiescite: si autem non, egrediatur ignis de Rhamno, & deuoret cedros Libani.

QVONIAM *in personarum inductionibus plurimum refert, quibus verbis quid dicatur expendere; interpretationem ex verbo explicandæ nostræ editionis sententiæ adiungere non pigebit*: Et dixit Rhamnus ad ligna: Si in veritate vos vngitis me in Regem super vos, venite, regimini in vmbra mea: & si non, exibit ignis ex Rhamno, & deuorabit cedros Libani. *Nullam ex tyranno vel vtilitatem vel commoditatem sperandam, maximam verò incommoditatem, citissimam & vehementem calamitatem publicè priuatèq; metuendam, apologi finis appositissimè indicat. Numquid colligunt ex spinis vuas, aut ex tribulis ficus? inquit Sapientia. Atqui Rhamni ad cætera ligna responsum, quid ab ipsis de electione facta cogitandum sit, commonet, & quid à se sperari possit, apertè indicat. prior ratio in conditione proposita latet*: Et dixit Rhamnus ad ligna: Si in veritate vos vngitis me in Regem. *Primùm impudentiam audaciamq;, ex temeritate & cupiditate natam, illa animaduersio indicat*. Et quæ respõdit eis, *siue*, Et dixit Rhamnus ad ligna. *Nam si Rhamnus naturæ, humilitatis, & incommoditatis propriæ conscientia magis, quàm regnandi cupiditate, ageretur; nec sese inter ligna misceri aut numerari pateretur, nedum illa alloqui auderet. in cæterarum arborum alloquiis & responsis illud perpetuò prænotatum est, Et dixit eis oliua, Et dixit illis ficus, Et dixit eis vitis, quod vnaquæq; ex illis arbor esset, & suo in genere præstaret, dignáque primorum & magnatum lignorum concilio colloquioq; haberetur. Hoc autem loco Rhamnus & ligna quasi per admirationem opponuntur: ac si cætera omnia, quòd aliquo nomine prodesse possent, in lignorum censu habenda essent; hæc ob vilitatem, ignobilitatem, & nocendi ingenium esset potiùs à lignorum numero excludenda. & tamen hæc sui ipsius immemor, siue potiùs memor, nimia impudentia responsum callidum, seq; dignum, arboribus reddidit, quo an verè & ex merito sese Regem constituerint, ipsis cogitandum reliquit: quid verò illis in mentem venerit, quidq; præstare sibi ab electoribus possit, non suæ curæ esse considerari; quid autem à se exspectandum sit, manifestè prædicere. Neq; verò electionẽ de se factam repudiare in animo sibi esse, nec ipsa ligna, quòd non rogata, nec ambitu ipsius corrupta aut prensata, sed sua spõte communiq; consensu subire voluerint, posse iam imperium detrectare, sibi nõ repudiatum, sed extemplo susceptũ*. Venite, &c. *Est itaq; responsi sententia illa: Vos me Regem esse voluistis; meum autem non est cogitare, num aliqua veri ratione & examinatione id egeritis; vos hoc videritis, quorum communi consensu mihi potestas concessa est. Ego verò quàm minimè recuso, quod si præter electionis arbitriũ, potestatisq; mihi, aut alij permittendæ ac tradendæ ius, vis vobis facultasq; ineſt, spiritum mihi vel mutãdi vel augendi, vel alio modo dandi, ad regni gubernationem*

Tyrannus.

Matth. 7.

idoneum & commodum, id efficere & præstare vestra retulerit. hoc significabat illis verbis: Vngitis me in Regem. *Namq; Regis vnctio symbolum erat Spiritus Regibus à Deo collati ad efficiendum, vt in Saule, & Dauide, & Ieroboamo obseruauimus: de cuius vnctionis iure ac modo nos aliàs, diuino Spiritu duce, disseremus. Quod quidem Rhamni quamuis cupidæ calidæq; responsò moniti docemur, eorum, qui ad publica munia deliguntur, virtutem spectatam esse oportere, non exspectandam; nam cuius nulla laudata exempla antea constiterint, eiusdem post adeptam potentiam exstitura credere aut sperare, dementis magis quàm prudentis consilij fuerit. Si enim traditam ab electoribus potestatem cætera, quæ ad bene gerendam rem opportunissima sunt, pro electorum voto animiq; sententia consequerentur, facile esset ex lapideis vel plumbeis hominibus argenteos & aureos sibi magistratus constituere; sed hominum manus & ars externas rebus figuras affingere potest, naturam verò mutare vel corrigere nõ potest. S.S.E. Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur; sic cõfusi sunt domus Israël, ipsi & Reges eorũ, principes, & sacerdotes, & Prophetæ eorum; dicentes ligno, Pater meus es tu; & lapidi, Tu me genuisti. Verterunt ad me tergũ, & non faciem, & in tempore afflictionis dicẽt, Surge, & libera nos. Vbi sunt dij tui, quos fecisti tibi: surgant, & liberent te in tempore afflictionis tuæ. Peruidendum itaq; fuerit, quinã qualesq; dij, quales principes, quales optentur rerum publicarum administratores; num ij, qui perspectæ facultatis, spectataq; virtutis exemplis, Deo grati, populoq; vtiles fore sperentur: an ij potiùs, quorum nulla propria laus exstiterit, imò quorum manifesta vel inertia, vel improbitas, ac temeritas notata fuerit, ita vt vnctio humanam optionem præcedat, non sequatur. vnctionem autem hoc loco appellamus, rectè agendi facultatem consuetudine confirmatam, quæ ex Dei deducitur donis. S.S.E. Dei enim sumus adiutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis, secundùm gratiam Dei quæ data est mihi. &: Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, &c. Nam de iis, qui non ex perspectæ virtutis maturo iudicio, ac merito, sed ex ambitu, vel ex humana gratia, atq; ex alia priuati commodi opinione delecti fuerint, illa perpetua rhamni siue admonitio, siue potiùs exprobratio constabit*: Si in veritate vos vngitis me. *Vos, inquit, me optare, ac præficere potuistis, non iure optimo, sed populari tumultu: verùm vngere non potestis, tamen vtcumque meis partibus potentiam addixistis, quibus profectò minimè fraudandos vos fore polliceor; quæ verò meæ partes fuerint, ipsa profitebor, nimirum commoditas vtilitasq; nulla, rebus quamuis compositis; iisdem verò contrà turbatis, manifesta incommoditas, pestisq; certissima*. Venite, & requiescite sub vmbra mea; *siue*, Venite regimini in vmbra mea. *Si nullus præterea infelicium arborũ, alius tamẽ aliquis in vmbra hominibus, cæterisq; animantibus ad æstum arcendum vsus esse solet: in quibusdam autem commendatissimus, vt in hedera, atque in platano maximè; cuius, præter elegantissi-*

Vnctio Regia.

Ars humana.

Ieremi. 2.

Vnctio.

1. Cor. 3.

1. Tim. 4.

Vmbra arborum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mam trunci, ramorum, ac foliorum speciem, salubris & suauis expetitur vmbra, quo meritò à magnis principibus ex nativo solo adscita, in hortósque

Platanus. aliis etiam vtilibus arboribus concedere iussis, translata est. Platanusque ce-

Nux. lebs cuiusque vlmos, canebat Lyricus. Nucis quamquam grauis, tamen maxima vmbra est, & ad vnius fortassis horæ requiem non adeò infesta. Sola autem Rhamnus inhospitalis omnino habetur, vtpote cuius vmbra nulla, nullaque apricatio sit. Nam cùm tenuibus, non adeoque longis virgultis crescat, ipsademque discrepãtibus; non potest tantam ramorum comam facere, vt vel sibi ipsi aptam satis vmbram præbeat, nedum aliis ad sese accedentibus vel animantibus vel plantis commodam: quæ si non satis propè consistant, magis æstu lædentur ex Rhamni ramis in sese reflexo; si propiùs accedant, non solùm vmbra carebunt, sed horrentibus arbusculæ spinis, vel leui aura commotis, vehementer lædentur. Itaque omnibus nominibus illaudatam plantam sibi cætera ligna in Regem optasse, ipsius etiam sermone arguuntur:

Venite, tegimini. *Hebraicum verbum* HHAZZV, *ab æstu, à procella, ab*

Psalm. 16. *aliisque tempestatum iniuriis protegi ac defendi significat, quam ob rem firmissimarum, editissimarum rupium, speluncarum, & antrorum vsibus frequenter adiungitur, & auium, maximè gallinarum, erga pullos caritati significandæ appositum verbum est; ideoque variis Latinis, in hanc tamen sen-*

2. Sam. 19. *tentiam tendentibus, reddi solet. Vt, Sub vmbra alarũ tuarum protege me. & vbi nos legimus, Deus refugium meum, saluator meus; Dauid suis versibus ita canentem audimus, Deus rupes mea, qua protegar siue liberer. ede-*

חסה ממם *demque in carmine: Scutum est omnium sperantium in se. omnium, inquit,* HAHHOZZIMBO. *itaque* MAHHAZZ, *ab eodem verbo deductum nomen, Latinorum tutelæ aptè respondet. Quid verò magis pugnans, magisque ad ironiam pronunciari potuit, quàm quod à Rhamno aduersus populum suum de se promittebatur? Vteumque enim res caderet, commoditas & vtilitas nulla; incommoditas verò & pernicies maxima exspectanda illius fuit. Aut enim illæ tutelam ipsius expetentes, nullam experturæ erant: aut importunitatem iam fastidientes, tamẽ sibi ipsis maximã infestissimamque suo maximo malo ac dãno, sentire debebãt. Namque tyranni familiaritas & amicitia, calamitosa sæpe notatur; inimicitia verò ac simultas exitialis est.*

Iuuen. Sat. 4 Cum quo de pluuiis, aut æstibus, aut nimboso
Vere locuturi fatum pendebat amici?

Hæc familiarissimorum conditio; inuisorum verò illa:

Ibidem. Atque vtinam his potiùs nugis tota illa dedisset
Tempora sæuitiæ, claras quibus abstulit Vrbi
Illustresque animas impunè, & vindice nullo.

Nullum verò lasso, & perfugij egenti viro importunius consilium ferri poterat, quàm si quis illum sub horrentissima spina latebras sibi quæreret moneret. Nulla, inquit Rhamnus, ego vos me amicè petentes magis quàm vmbra mea iuuare possum; quæ quanta, quamque opportuna sit, venite, atque vti ex-

perimini, propiùs accedite. HHAZZV, *requiescite, tegimini, confidite, sperate. Quòd si hoc vel nonnihil videatur, vel non placeat, fastidiumque pariat, illud tamen certissimè exspectandum.* Egrediatur ignis de Rhamno, & deuoret cedros Libani. *Spinarum damna & incommoda nullare melius, quàm igne, corriguntur, aut vitãtur. Nam si quis longo etiam ferro resecare paret, tamen & ipse numquam non lædetur, & resecatis atque cæsis & sibi & aliis non solùm animalibus, verùm & plantis, incommodũ creat; quippe quibus venti vi depulsis, omnia quibus admouentur, lædi solent; quà ob rem cum generibus iis igni potissimùm ab agricolis agitur, id verò non sine incendij periculo, cùm nulla planta flammas celeriùs concipiat, & melius foueat, quàm spinæ, quæ leui vento pulsæ, ingentes etiam siluas vastare deprehenduntur. Huiusmodi autem tyrannidis omnis exitum fuisse, multæ de iis conscriptæ testantur historiæ.*

Vis consilî expers mole ruit sua:
Vim temperatam Dij quoque prouehunt
In maius; idem odere vires
Omne nefas animo mouentes. Hor. lib. 3. Carm. Od. 4

Ad generum Cereris sine cæde & vulnere pauci
Descendunt Reges, & sicca morte tyranni. Iuu. Sat. 10.

Verùm ij non nisi quàm plurimis antè perditis perire solent, id quod & Satyricus in Domitiano indicabat:

Sed periit postquam cerdonibus esse timendus
Cœperat, hoc nocuit Lamiarum cæde madenti. Ilem Sat. 4.

Quippe huiusmodi tyrannorum crudelitatem & sæuitiam, cæterorum hominum sceleribus infamium vindicem esse, primùm Deus permittit; quam ipse demum iudex grauissimis quoque pœnis vlciscitur. S. S. E. Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? & qui spernis, nonne & ipse spernêris? cùm consummaueris deprædationem, deprædaberis: cùm fatigatus defeceris, contemnere, contemnêris. Et erit, cùm impleuerit Dominus cuncta opera suа in monte Sion, & in Hierusalem: visitabo super fructũ magnifici cordis Regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius. Huiusmodi tutelam, hoc est, nullam, à se sperandam cæteris arboribus rhamnus pollicebatur: vt velut huiusmodi imperij sui illis fastiditi exitum, hoc est, sui ipsarumque certissimum incendium. Namque spinarum vsus, propriusque demum finis in igne est. S. S. E. Succensa est enim quasi ignis impietas, veprem & spinam vorabit: & succendetur in densitate saltus, & conuoluetur superbia fumi. In ira Domini exercituum cõturbata est terra, & erit populus quasi escа ignis: vir fratri suo non parcet. Quod verò singulariter Cedros Libani incendio ex se profectò deuorãdas prædicit rhamnus, principes populi vi-

Isaiæ 33. ros communi calamitate atque exitio primùm inuoluendos vastandosque significat: nam tyrannorum vis ac sæuitia in claros primoresque viros, quos præcipuè suspectos habet, inuidosque metuit, furere primùm solet. Cedros autem Cedrus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In Appar. Sacr. lib. Ioseph.

Libani, magnatum personam in imaginibus gerere, sacri sermonù peritiſ compertiſſimum eſt, idq. à nobis multis iam fuit exemplis indicatum. Atq. hunc parabolæ à ſe commentæ finem Ioathamus fecit, cuius (antequam theſim ab eodem adiunctam audiamus) doctrinæ ſummam breui ſermone, quæ de omni publicarum rerum adminiſtratione diſſeritur, ſubductam habere operæpretium fuerit. Primùm quidem docemur ius, quibus magiſtratus deligendi ius fuerit, curam eſſe debere eos optandi viros, qui commodis atque opportunis ad res agẽdas artibus, & virtutibus probati antè fuerint. Nam ſi arbores Regem ſibi deligerent, hoc ipſum profectò agerent, vt vel oleam, vel ficum, vel vitem, præſtãtiſſimas in ſuis ordinibus & optimas plantas, optarent: à quo conſilio ſi diſcederetur, neceſſe erat ex tumultu ac temeritate in rhamnum quampiam, ſibi ſuiſq. perniciosam, prorumpere. Deinde verò regni ac magiſtratuum potentiam nullo modo ambire decere, eos præcipuè qui ſapientia virtuteq. valent, atq. aliàs artibus moribuſq. ſuis prodeſſe hominum generi poſſunt, hiſq. potiorem ducẽdam priuatam vitam, non tamen prorſus inertem otioq. marcentem. Ex quo etiam conſequitur, non eſſe expetendum nec quærendum, nedum mala ratione ambiendum principatum, cùm oblatum viro repudiare non niſi prudentis, remq. expendentis animi conſiliiq. fuerit; quod ſi nec ſponte quæri ſapientia permittet, num ſugẽtem ſequi oportuerit, viderint ij, quibus ambitio fucũ facit. Demum illud compertum conſtitutumq. omnibus eſſe debere, magiſtratum non priuatarũ, ſed publicarum rerũ & commoditatum cauſa ac ſtudio ſuſcipiendum, quarum curatio tum grauiſſima, tum difficillima eſt. atq. hanc veram regni adminiſtrandi rationem quondam fuiſſe, rebus inquam conſulere, non potiri. Atq. hactenus totius huius cauſæ ac negotij genus ab oratore illo tractatum eſt, magna rerum ac perſonarum diſtinctione, cum ſummo etiam ſingularum partium decoro. Nunc verò deinceps ipſa ſua cauſa, quam theſin dicimus, ex argumentis duobus, altero ex comparatione, altero verò pugnantium natura productis, peroratur.

Doctrina de electionib. ſumma.

The ſis orationis.

Nunc igitur ſi rectè, & abſque peccato conſtituiſtis vobis Regem.

QVONIAM *magna (vti ſæpe monuimus) in huiuſmodi pragmaticis orationibus ſingularum non ſolùm dictionum, ſed coniunctionum & aduerbiorum vſurpatione vis eſt; ſecundam hanc ſermonis huius partem ex verbo adſcribere non pigebit, vt ex appoſitione maior verſioni noſtræ explicandæ lux accedat.* Et nunc ſi in veritate & in ſanitatibus feciſtis, & conſtituiſtis vobis Regem. *Quoniam in iudiciali genere verſatur oratio, & tota orantis actio ad accuſationem tendit, ea quæ iam nunc inſtituitur, oratoria nobis partitione diſtincta meliùs explicabitur, commodiusq. tenebitur. Duo autem crimina Sichimitis obijcienda ab accuſatore ſuſcipiuntur: alterum peruerſi pernicioſiq. in Rempub. conſilij atq. facti; alterum grauiſſimæ iniuriæ benemerentiſſimis illatæ. Atq. huius bimẽbris partitionis illa propoſitio eſt:* Nunc igitur ſi rectè & abſque peccato cõſtituiſtis ſuper vos

Sichimitarũ ſcelus duplex.

vos Regem; & : Nunc ſi in veritate & ſanitatibus feciſtis, & eõſtituiſtis ſuper vos Regem. *Primùm voculæ,* & nunc *ad orationum cataſtrophen, præcipuarumq. partium coniunctionem, atq. ad dicentis intentionem inducendam, frequentiſſimè vſurpantur. vt, Et nunc Reges intelligite. Nunc ergo filij audite me.* Nunc ergo iuuenis ſpecie lætare tui. *Iam, inquit Ioathamus, vt, quò mea oratio tẽdat, intelligatis, duobus vos crimnibus inuolutos eſſe contendam, quibus an expediri poſſitis, & conſcientiæ veſtræ, & rei ipſius manifeſtæ rationi, & diuino iudicio decernendũ relinquam. Primum crimen eſt, vos non rectè egiſſe; huic verò proximum, impiiſſimè feciſſe. alterum quidem, publicam Iſraelitarum; alterum verò, meam familiæ, atq. tribus omnis meæ cauſam ſpectat. Quod verò ex conditione proponitur, negationis vim obtinere in accuſationibus ſolet. Habet autem hoc minus inuidiæ, quòd minus contentionis & affirmationis in accuſatore oſtendit; & quòd iudicium, ab ipſius perſona prætermiſſum, accuſatis vel auditoribus permittit. vt: Si feci iſtud, ſi eſt iniquit. as in manibus meis. Si verè viuit, lucet, eamus* Quò ducit gula. *Huiuſcemodi conditionum formulis negationis vim humanus ſermo conceſſit. Igitur cùm actio iniuriarũ ſit, conditionalis propoſitio crimen in ſe manifeſtum continet, quod à negatione ſumptum, oppoſitt affirmationem intendit. hanc verò affirmationẽ ipſa poſtea confirmatio ex narratione facti petita ſtatuit, & munit. Atque ad amplificandam accuſationis vim inuidia primùm ex publica, deinde ex priuata cauſa, in accuſatos mouetur. Principiò, inquit, oſtendam ad optandum vobis & omni populo principem, non rectum conſilium initum; mox verò idem & vobis, & omni Reip. perniciosiſſimum euincam. Atq. hæc pars ita proponitur:* Si rectè, ſi in veritate egiſtis. *Quamquã ex iſta veſtra actione nihil ad me ſingulariter præter cæteros Iſraelitas attineret; tamen totius Iſraelis nomine accuſandi mihi eſſetis, quòd de re grauiſſima, maximique ad publicam vel ſalutem vel calamitatẽ momenti, non id egeritis, quod, quicumque conſilij alicuius compotes fuerint, agere deberent, tmò quod & arbores ipſæ ac plantæ vel ex ſola nominis conſilij affinitate egiſſent, ſi de deligendo Rege deliberarent. Namq. vt in apologo oſtenſum eſt, oliuã primùm, deinde ficũ, poſtea vitem adirent, & rogarent; demum verò ſi generoſis & probatis omnibus arboribus ſuas vel honeſtas, vel alias prætextas rationes excuſantibus, ac principatus repudiantibus, non ſuccederet, atq. ita ex tot repulſarum faſtidio ad rhamnum quampiam, plantarum omnium viliſſimam, non recuſaturam, communi iam omnium arborũ, ac vulgari tumultu magis quàm conſilio, iretur; tamen id nec bene ipſis verteret, nec vitij atque culpæ reprehenſione carere poſſet, cùm inter vitem & rhamnum complures eſſent plantæ aliqua virtute opportunæ, aut ſaltem non tam multis nominibus infames & incommodæ. Et quidem arbores illo pacto, ſi non poſtremam patientiam & maturitatem, tamen primam illam diligentiam præſtantiſſimas*

Et nũc vſus. Pſal. 2. Prou. 1. Iuu. Sat. 10.

Pſalm. 7. Pſalm. 17. Hor. lib. 1. Epiſt. 6.

ſimas

Universidad de Deusto
Biblioteca

simas quásque optandi ac rogandi, allegare possent, quamquam postrema demum festinationis non sine magno incommodo pœniteret. Hæc illis quidem verè quodammodo ac rectè (quatenus prima illi consilia manebant) acta videntur fuisse, quibus quamquam extremi exempli temeritatem quis vitio vertat, tamen nullam etiam in populari tumultu, ac sententiarũ confusione, vel crudelitatem, vel iniuriam alicui plantarum priuatè illatam, nec quicquam præterea quisquam obiiciat turpiter factum, præter commune ipsissimis omnibus incommodum ignobilis optionis peccatũ. Nunc verò, quod ad hanc partem attinet, roganti mihi, vos respondete, ánne quicquam huiusmodi, ad vestram & totius populi vtilitatem & salutem, egeritis? Num quemquam ex optimis, atq. regno principatúque propter sapientiam dignissimis, num ex ditissimis aliquem, num ex humanissimis, & morum ac vitæ sanctitate spectatis vllũ delegistis, adiistis, rogastis; demum verò num ab his omnibus repulsi, vos ex vestro tantùm consilio, atq. ex rogandi postulandique tædio, vilem & abiectum quempiam, nihil tale vel ambientem, vèl de se cogitantem, vltro petiistis, & non recusantem aduocastis, tandémque vobis præfecistis? Nam si vel hanc iniisseris rationem, quamquã non plenè veram, nec magnorum virorum corde ac mente dignã; tamen, quam arripere ac tenere posseris, ansam aliquã habueris, orationis si non prorsus honestæ, aut probabilis, saltẽ magnificæ, vel etiam ineptæ; quam nullã nunc constare, nec fingi, vllóve colore induci posse, & vos videre intellizo, & ipse etiã conuincam. Hæc itaq. prima causæ pars propositióque est, vos, quantũ ad delectionis consiliũ attinet, non rectè egisse, atq. hoc nomine impietatis in Rempub. crimine teneri grauissimo: cuius indignitas ex confirmationis argumẽtis amplificabitur. Si in veritate egistis. *In physicis sermonibus, veri ac veritatis* Verum.
nomina simplicem rerũ, siue singularium, siue coniunctarũ, rationem habitudinémque significant, ad cognoscentis animũ sensúmque relatã; idem Decens, pulchrum.
verò in morum concinnitate & modo quæsitum & repertum, decens siue pulchrum, siue decorum ab ethicis dicitur. vtrumque autem simul vnico versu pöëta ille complexus, pronunciauit.

Horat lib. 1. Epist. 1. Quid verum, atque decens, curo, & rogo, & omnis in hoc sum.

Sed cùm de moribus tantùm siue priuatis siue publicis instituitur sermo, verum & veritas pro decoro, pulchro, atq. pro honestate vsurpatur. Nam quod in humana vitæ consuetudine pulchrũ dicitur, idem suo in genere verum, rationiq. consentaneum habetur. Atq. huc illud pertinet: Psal. 57. 1 Reg. 12. 1 Reg. 2. Hor. lib. 1. Sat. 6. *Si verè vtique iustitiam diligitis, & : Seruite ei in veritate, &: Ambulate in veritate coram me. Et apud exteros :* Metiri se quemque suo modulo ac pede verũ est. *Alterum verò crimen huic adiunctum :* Et absque peccato. *siue, vt in exemplari est :* Et in sanitatibus & integritatibus. *Namque hæc & huiusmodi plura significat* THVMIM. *Si, inquit, innocenter, si candidè, si sanתומים
ac simplici mente, nullo dolo malo, nulla cuiusquam mortaliũ iniuria, nulla in Rempub. fraude, hoc est, absque peccato. *Atq. hoc loco rursus causa miscen-*

miscentur, & quæstio repetitur de facto ac de animi impulsu. Namque factum ipsum non rectè initum fuisse primùm accusatur, deinde nec simpliciter, nec imprudenter, aut temerario repentinoq. tumultu populi, sed mala mente, maloq. animo, ac deliberato cõsilio, conceptoq. dolo, id quod ex adiuncto scelere euincetur, atq. adeò ex voto & causa. Namq., vti dictum est, arbores nullo malo dolo, in cuiusquam plantæ perniciem admisso, post tentata meliora consilia, in deterrimum proruperunt, sibiq. ipsis cõmuniter incommodum pepererunt. Vos verò viri Sichimitæ, primores inquam populi, non mixti primùm aliis vulgaribus & plebeijs, sed authoritate vestra vsi, nec verùm in Remp. commune bonum consuluisse, nec honestã consultationem, sed turpissimam re ipsa expediistis, & confecistis; idq. non innocenter, sed grauissimo adiuncto scelere non solum iniuriæ immerentibus allatæ, sed ingratissimæ proditionis, & cladis illatæ in domum & familiam omnem viri optimi, & fortissimi atq. piissimi, optimeq. de vobis, deq. omni Israelitarum Rep. promeriti; Vtriusque verò criminis breuitatem, Si verè egistis, & *, in sanitatibus, subiunctis expositionibus explicat.*

Constituistis super vos Regem Abimelech, & bene egistis cum Ierobaghal, & cum domo eius: & reddidistis vicem beneficiis eius, qui pugnauit pro vobis, & animam suam dedit periculis, vt erueret vos de manu Madian.

VTRVMQVE *crimen & seorsum expensum graue, & simul connexum grauissimum esse demonstratur. Primùm enim instat, Abimelechi institutionem nec verè nec rectè initam, nec vtiliter aut honestè absolutam, quod satis suâ sponte indignum atq. impiũ facinus erat, etiam si id sine dolo, sine iniuria & inuidia fieret: nedũ tot, tamq. atrocibus primùm sceleribus admissis, & huic cõmuni malo peragendo, fundamẽti loco, præpositis ac substratis. Nam si vobis Regem optare animus fuerat, illius viri, qui nuper vita & gubernatione apud vos defunctus erat, rationẽ haberi consentaneum fuit: cuius si aliqua bona in Rempub. exstitissent merita, filios & familiam honore affici oportuit; ex quibus si nullus patri sufficiendus placeret, nullus tamen non honestè habendus dimittendusq. esset. Sin verò vel ipsi, vel ipsorum pater quicquam in vos singulariter, vel in Rempub. commisisset, vel commeruisset, iudicio id actum damnatumq. puniri æquum esset. Atqui filiorum nullum demeritum indicari potuit, quorum disciplina integra innocensq. viuente patre permansit. Patris autem non solùm nullam culpam proferre potestis, sed maxima & immortalia beneficia in vos collata, maximum laborem atq. vitæ discrimen vestri causa aditum, perlatum, & superatũ, negare vos posse nego: immo honoris officiiq. omnis ac pietatis aduersus illum debitores constituo; quæ si non satis data, satisq. per vos præstita docueritis, ingrati animi notam subeatis necesse est.* Si reddidistis vicem beneficiis eius? *ex propriis verbis:* Quòd vicem manuum eius feciſtis

Universidad de Deusto
Biblioteca

illi. *Si primùm hoc iniistis & præstitistis consilium, vt par illi referretur, non verbis modò ac laudibus, honestisq; commendationibus & titulis, sed beneficiis, actis & factis, rebusq; ipsis. namq; ille non solùm iudicio, verbis, orationibus, & administrandi cura vobis profuit, sed manibus vtrisq; vestræ salutis causa occupatis, & exercitatis, sed animo, sed totius corporis labore, ac magno cum vitæ periculo.* Qui pugnauit pro vobis. *Beneficiorum & meritorum summa proponitur. Hebraicè*: Qui prælia subiit pater meus, pro vobis, propter vos. *Pater meus, relicta domo & familia sua, pugnæ præliorumq; laborem suscepit, non pro filiis & filiorum loco, sed pro vobis, hoc est, vestra causa, & vice vestra: nam vobis quiescentibus, ipse solus, cum paucissimis illis, tamen ipse, vt caput, à Deoq; delectus, suo nomine ac periculo, gladius Domini ac Gedeonis, clamantibus sociis, prælia adiit, subiit, pertulit, ac superauit. Non vos pugnastis, sed pro vobis ille, & vestri etiam causa, nec verò ille prælia per alios gessit, nec sine labore, sed primus ipse subiit, maximaq; sedulitate & cura se ipsum primum periculis obiecit, in medios hostes irrumpens ipse cum paucissimis.* Et animam suam dedit periculis. *ex verbo*: Et obiecit animam suam ab ante. *Intrepidi ducis, & fortissimi pariter militis imaginem exprimit, qui sese primum periculo ac discrimini opponit, sociisq; exemplum præbet, & animum addit, nō oratione aut exhortatione tantùm, sed viribus & re. si diceret,* ante, *illud solùm significaret, non postremum locum in pugna illi fuisse occupatum, nec hostes à tergo, sed ex aduerso adortū, Gallicè*, vis à vis. *Itaq; particula* ante, *ad hostes referenda esset. cùm verò præposuerit* ex, *ad socios quoque commitones retulit sermonem. ille, inquit, sese hostibus aduersum obiecit, sese inquam primum omnium, & longè cæteros præeuntem, ita vt, cùm socij accederent, iam ille in medio versaretur periculo. Qua in re suum erga vos animum & officium maximè & constanter, apertissimeq; probauit, id quod, etiam si non successisset, immortalis meriti iure agnosci, laudari, atq; gratia haberi perpetuò debuit; & quamquā temere ac sine consilio fuisset cœptum, non tamen sine studio ac sedulitate conceptum dici posset; nedū cum deliberato animo, certo consilio, atq; excogitato ordine, maturoq; facto, denig; felicissimo successu gestum fuerit, victoria videlicet non solùm parta, sed promota, absoluta, & constabilita.* Vt eueret vos de manu Madian. *Suauissima lingua asseuerans coniunctio præponitur*: Et eripuit vos de manu Madian. *Verbū* NATSAL, *salutem alicui iam perdito allatam significat, prout*

Amos 3. *prieq; in huiusmodi argumentis vsurpatur. Quomodo si eruat pastor de ore*
» *leonis duo crura, aut extremum auriculæ; sic eruentur, qui habitant in Sa-*
Mich 5. *maria, & in plaga lectuli. Et quasi leo in iumentis siluarum, & quasi catu-*
» *lus leonis in gregibus pecorum; qui cùm transierit, & conculcauerit, & ca-*
» *perit, non est qui eruat. Ita iam captos, oppressos, & hostiū iam crudelitati addictos, & expositos illos fuisse significat, id quod historia ipsa docet apertissimè; & tamē ex huiusmodi calamitoso miserrimoq; statu paterna opera liberat-*

liberatos ait: Eripuit vos. *Est autem verbum in tertia coniugatione, quæ certam, integram, stabilem, ac perpetuam liberationem, salutemq; adstruit. quod verò notanter dicit,* De manu: *& periculi magnitudinem auget, & facinus factumq; amplificat. Nam longè difficilius fuerit prædā iam leoni captam substratamq; eripere, quàm adoriri, capereq; auenti defendere; minorisq; negotij hostem inuadentem excipere, & arcere, quàm victorem, imò compotem iam & prædæ possessione potentē spoliare, fugare, pellere, & condian, hostis numerosissimi, sæuissimi, vobis, agrisq; vestris pestiferi, & importunissimè infesti. quos autem eruit? si quæritis: vos ipsos ex miserrima cōditione, quam sub illo iugo ferebatis; quod tametsi ex ordine vestro conari debueratis, tamen depellere non potuistis; vos inquam eripuit, & in eum, quem tenetis, gradum restituit, ita vt, quòd viri Sichemitæ sitis, & appellemini, quòd perpetuum hoc vobis fuerit, vni, secundùm Dei prouidentiā & tutelam, patri meo acceptum referre debeatis. Atq; hæc patris mei de vobis ipsis meritorum summa est: quam qua pietate, quibus officiis vos compensaueritis, euesligio docebo. Atqui acceptum beneficiū, quamuis exiguum, obliuione sepelire, graue in omnium hominū genere crimen est, humanæq; consuetudinis vsui vehementer pugnans: in nobilioribus verò clarioribusq; viris, eiusmodi exprobratio flagitium censetur: sed pro multis magnisq; meritis, eisdemq; constantissimis, malam rependere gratiam, eandemq; plurimam, nefariæ ac prodigiosæ immanitatis & impietatis, ac plusquam ferinæ crudelitatis exemplum est, cui sceleri nec humana cogitatio, nec natura ipsa nomen imponere, aut inuenire nouit.*

Qui nunc surrexistis contra domum patris mei, & interfecistis filios eius, septuaginta viros, super vnum lapidem.

Status orationis.

Qvi nunc, *Orationis huius duo sunt status, definitiuus & legitimus: in definitiuo, de nomine & ratione causæ agitur, in legitimo verò, de indicij modo ac forma expeditioneq; decernitur. Coniecturalis hic nulla mentio, quia factum manifestū, publicū, atq; recens, imò præsens constituitur. causæ duo capita sunt, alterum indigni atq; exitialis in Rempub. consilij & commissi: alterum iniuriæ maximæ & impiissimæ, benemerentibus illatæ. vtrumque amplificatur, tum ex coniunctione & cōmunicatione factorum, in eundem finem tendentiū; tum ex comparatione rerū, personarum, temporum, & locorū, atq; etiam rationum quæ ex singulis oriuntur apparentque locis: omnia verò argumenta ex narrationū collatione producuntur. Patris sui aduersus Rempub. omne studium cōmemorauerat.* Qui pugnauit pro vobis, *pro vestra omniū salute, libertate, ac dignitate, idque efficienter. huic studio grauissimum illorū aduersus patrem suum odium opponi, idque præsenti exemplo manifestū:* Qui vos, *ipsi, pro quibus ille pugnauit, nunc salui & liberi illius beneficio potentes,* Surrexistis contra domum patris mei,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam omnem euertendam curastis, idq; efficaciter, nec in tanta seruata regione, vnica seruatoris ipsius domus stare per vos potuit, quam si ab hostibus fortassis impetitam, vos vestra opera ac dimicatione defenderetis, tamen ne millesimam quidem gratiæ partem exsoluissetis. Ille animam suam dedit periculis. *longeq; antè cæteros socios exposuit pro vobis, prælij discrimine ac labore prorsus immunibus, hostem iam præsentem, iam agros vestros vastabundam, vosq; inedia & armis perditurum, nocere non passus est.* Vos verò interfeciſtis filios eius, septuaginta viros. *non feminas, non vilia alias capita, sed viros, vobis, & Reipub. vestræ vsui futuros, quiq; hostibus formidabiles esse poterant; tanti viri filios, tanto numero, atq; paternæ virtutis apud exteros opinione, saltem patriæ disciplinæ hæredes & promotores. hoc significat nomen* filios eius, *ex vi vocis* BEN, *de qua alias cõmentati sumus: nec verò illos vobis nocentes aliquo pacto, nec cogitatione infestos, immo ne resistentes quidem, vel dimicantes, sed* Super lapidẽ vnum. *tamquam agnos in lanienã ligatos ac productos: id verò non tumultuante aliquo impetu, aut præcipiti animi impulsu, sed constante ac deliberate consilio, recto vultu, & tamquam iucundi alicuius ludi edito spectaculo, numerandis* Septuaginta, *quasi per otium & voluptatem; quod tamen vel immanissima & barbarissima hominum pectora tentare, & oculorum lumina turbare poterat. Namque huc illa numeri relatio tendit; vt apud Satyricum simile sæuitiæ in femina exemplum reprehensum:*

בן

Numeri notatio.

Iuu. Sat 6.

Verberat, atque obiter faciem linit, auditamicas,
Aut latum pictæ vestis considerat aurum,
Et cædens longi relegit transuersa diurni,
Et cædit, donec lassis cædentibus, exi
Intonat horrendum iam cognitione peracta
Profectura domo Sicula non mitior aula.

Et illud huic sententiæ germanum:

Ibidem.

——Minor admiratio summis
Debetur monstris, quoties facit ira nocentem
Hunc sexum, & rabie iecur incendente feruntur
Præcipites, vt saxa iugis abrepta, quibus mons
Subtrahitur, cliuoque latus pendente recedit:
Illam ego non tulerim, quæ computat, & scelus ingens
Sana facit. *Huc & illud spectat:*

Ibidem.

Túne duos vna fœuissima vipera cena?
Túne duos? septem, si septem fortè fuissent.

Itaque numeri adnotatio ad sceleris amplificationem adducitur, quod certo ac deliberato consilio susceptum, confirmatur magna crudelitatis constantia, impœnitentiq; animo. ad quem locum & illud pertinet: Dinumerauerunt Psal. 21. *omnia ossa mea. &, Viderunt in quem transfixerunt. Hæc de factis breuiter commemorata & collata sunt, quæ deinceps ad definitionis rationem ex causæ nomine tractantur. Patri, inquit, meo vnica causa fuit pietas erga patriam,* Ioan. 19.

patriam, ergaq; vos, quos hostium vi oppressos, liberandos suscepit, atque liberauit; Madianitarum, inquam, quos vobis infensissimos hostes, immortaliq; in vestram gentem odio incensos fuisse, manifestum est: vos verò paternam domum perdidistis prorsus, illius inimici domestici, ac familiaris proditoris & parricidæ amplificandi causa.

Et constituistis Regem Abimelech, filium ancillæ eius.

DVOBVS *nominibus exaggeratur crimen, quantum ad iniuriam Gedeoni illatam facit, & quòd ex omni familia ille constitutus fuerit, quem vilissimum, & quem etiam inimicissimum esse patebat, vilissimũ* filium ancillæ eius. *non ea parte, qua ipsius, sed ea, qua ancillæ illius filius erat, atque ob eam rem cæteris illius filiis inuidum, insidiatorẽmque se præbuerat; quod illis & certum & probatum fuisse, vel septuaginta fictorum auspicatum stipendium confirmabat. Atq; his argumentis sceleris in benemerentissimi viri domum patratum conuincitur: quod etiam contumeliæ in omnem Israëlitarum gentem factæ accumulatione exaggeratur. Ostenditur enim non solùm ex illa re malum & exitium Gedeonis domui, sed Israëlitis omnibus allatum, quorum in consilio factoque illo nulla salutis, nulla dignitatis, vtilitatis nulla fuerit ratio habita.*

Super habitatores Sichem.

PRÆPOSITIO GHAL, *non solùm relationem, sed finem etiam & causam indicat, quam Latinorum, Erga, vtcunq; imitatur; huiusq; adnotationis frequentissima exempla sunt, ex quibus vnum illud: Et osculatus est Ioseph omnes fratres suos, & plorauit super singulos singulorum nomine & causa. &, Pone Domine legislatorem super eos. &, Munera super innocentem non accepit. Itaq; orator hic publicæ iniuriæ, cum priuata conmodo coniunctæ, causam aduersus Sichimitas perorat, inuidiamq; in illos totius reliquæ gentis concitat.* Super viros Sichem. *Ex verbo:* Super proceres, primates, potentioresque Sichem. *Hæc nominis* BAGHALE Sichem *significatio in loco est: non, inquit, hac in re omni Israëlitarum publicè, sed vestræ tantùm priuatæ rei vos principes consuluistis; qui hoc vobis constituto Rege, regni totius vsum, authoritatem ac decus vobis promisistis, arrogareq; voluistis, atq; ita priuati cõmodi, & publici incõmodi toti Reip. vos reos statuistis: namq; huiusmodi electio nulli alij, præterquam vobis, bono esse posse putata est. Quid enim Abimelecho singulare ac præcipuum cum omni Israëlitarum gente interesset? nihil profectò, præter id quod cæteris Gedeonis filiis, immo cæteris Israëlitis omnibus commune erat: illud autem illi singulariter minus erat, quàm cæteris, ac deterius, quod ancillæ filius esset. hoc autem quod aliis minore in loco ponẽdum erat, vobis primum & re & consilio fuit: namq; hac parte vobis ille coniunctissimus est, vestra in patria natus, educatus ex matre, partim affine, partim populari vobis: atque non rogatum vt aliqua virtute præclarum, communi omnium populo-*

Genes. 45. Psalm. 9. Psalm. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum consensu postulatum, qualem qualè esse eueniret; sed ambientè, vtreq; postulantem, atq; matris & cognatorum opera vos prẽsantem priuatè constituistis, vobis ipsis, in vestram vtilitatem.

Eo quòd frater vester sit.

NAMQVE *matris, cæterorumq; prensatorum illa frequẽs vox fuerat ab illo dictata:* Considerate quòd os vestrũ & caro vestra sim. *Illa etiam persuasis omnibus communis culpa oratioq; fuit:* Frater noster est. *Atque ita illos ambitu & proprij commodi expectatione corruptos, pessimi & nefarij aduersus pietatem, aduersus publicam rem, aduersus beneficentissimam & benemerentissimam familiam consilij & sceleris reos conuincit, orationisq; definitiuo statu absolutè pertractato, ad legitimum opportunè accedit, quo totius causæ finem imponat.*

Si ergo rectè & absque vitio egistis cum Ierobaghal & domo eius hodie, lætamini in Abimelech, & ipse lætetur in vobis.

SVPERIORIS *status præpositionem, quam factorum commemoratione & comparatione confirmauit, nunc tam repetit, eodem conditionali sermone vsus, cuius vis, post expositum scelus, negationem inducit manifestam. vt, Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.* Si (Mimnermus vti censet) sine amore, iocisque
Nil est iocundum; viuas in amore, iocisque.

Psalm. 7.

Hor. lib. 1. Epist. 6.

Igitur ipsorummet reorum animos ad iudicij diutini expectationem primùm parat, conscientiamq; conclusionis pondere vehemẽter pulsat, & concutit. Infert enim id quod proposuerat, illos non rectum aduersus Rempublicam consilium iniisse, immo aduersus eandem, atque aduersus omne ius & fas, nefarium prodigiosumq; facinus consultò suscepisse & commisisse. Hodie. *Singularis vocis huius est vsus ad rei cuiusquam veritatem stabiliendam, atque ex omni controuersia dubioque remouendam & vindicandam. vt:* Filius meus es tu, ego hodie genui te. *&,* Ore locutus es, & manibus perfecisti, *vt hæc dies probat. Sua in lingua, vt dies hæc, vt nunc apertum patensq; constat, nullisque controuersiæ vel redargutionis exceptionibus obnoxium est, non magis quàm dies hic clarus à tenebris alienus est. Namque dies & tenebræ re ipsa opponuntur, ita vt simul constare non possint. S. S. E. Posuisti tenebras, & facta est nox. Itaque in die vt die, tenebræ nullæ sunt secundùm naturam. Si igitur vobis aliqua vel aperta, vel euidens defensio aut ratio constat, qua manifestam orationis accusationisq; meæ lucem obscurare, tenebrisq; inuoluere, atq; adeò hoc diei mihi constitutum lumen à me subductum vobis vsurpare potestis, & ostendere, rectè & innocenter, immo piè & gratè, officioseq; à vobis actum esse, mihi perpetuum luctum, vobisq; lætam gratulationem indicite, quam ratam propriamq; fore ex Dei iudicio exspectabitis: atq; ita festum hilaremq; diem agitate, meliori notatum lapillo, vt vobis omniq; Reip. faustum & felicem, tanto Rege constituto, cui gratulari debeatis, quòd postulatus vobis annuerit; & ille vicissim*

Psalm. 2. 1. Reg. 8.

Psalm. 101.

sim vobis, quòd tantorum virorum tam sapiente consilio, tam maturo iudicio, tam legitimo atque composito more fuerit delectus, magnamq; vtrique vobis inde beatitatem affuturam hodieq; cœptam promittite. Omnia hæc per antiphrasin ironiamq; dici, planum legentibus sit, & latenter conscientiæ illorum tenebras & perturbationem notari. Siquidem

Antiphrasis.

Mobilis & varia est ferme natura malorum
Cùm scelus admittunt, superest constantia; quid fas
Atque nefas, tandem incipiunt sentire peractis
Criminibus. tamen ad mores natura recurrit
Damnatos, fixa, & mutari nescia. nam quis
Peccandi finem posuit sibi?

Malorum conscientia. Iuu. Sat. 13.

Atque ita istorum scelus non solùm ex antecedentibus consiliis, ex facti immanitate, sed ex consequenti cõtumacia & proteruitate damnandum arguit Abimelech, vt quos tanti mali conscios non solùm non pœnituerit, nec puduerit, sed festum etiam lætumq; diem agere iuuerit. Lætamini in Abimelech, & ipse lætetur in vobis. *Mutuã gratulationem oratio hæc significat, & exprobat; non ait, Lætamini in Domino, aut in Israële, aut in facti honestate, vel in sapientia prudentiaq; vestra; sed, in Abimelech, & ipse in vobis. Nihil enim illis, præter personarũ nomẽ rationemq; ad lætitiæ illius, & gratulationis causam allegari poterat. atque in hac personarum appellatione, futuri exspectandiq; iudicij fundamentum prudenter occultéque iactum fuit, vt deinceps docebimus.*

Si autem peruersè; egrediatur ignis ex eo, & consumat habitatores Sichem, & oppidum Mello: egrediaturque ignis de viris Sichem, & de oppido Mello, & deuoret Abimelech.

ALTERVM *huius causæ statum, quem legitimum esse dicebamus, hoc vnico postremoq; versu Iothamus peroravit: cuius ratio omnis in pœnis & supplicijs scelere dignis inuenẽdis versari solet. Atqui parricidis, rerumq; publicarum proditoribus, ac patriæ euersoribus nullam singularem pœnam lex statuerat, quòd eiusmodi prodigiosa facinora ne nominando quidem indicare voluerat; id quod etiam nec in Gẽtium antiquioribus legibus: cautum vmquam fuit, quippe cùm nulla satis idonea & apta esse posset de monstris disputatio: quam ob rem ad communia iuris iudiciorumq; principia, tam ea quæ in naturæ disciplina, quàm quæ in scripta lege constabant, huius flagitij rationem referendam orator duxit, quorum priora illa sunt: Sanguinẽ animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, & de manu viri, & de manu fratris eius requiram animam hominis, & quicumq; effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius per hominem. Ex quo iudiciorum diuinorũ fonte illa à Christo pronuntiata sententia est: Qui gladio occidit, gladio peribit. posteriora, hoc est, scripti iuris ad hanc rem capita illa: Maleficos nõ patieris viuere. & quod sæ-*

Legitimus status.

Genes. 9.

Matth. 26. Exod. 22. Deut. 13.

ptus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deut. 17. *pius repetitur; Auferes malum de medio Israël. Hisce atque huiusmodi principiis pœnam Dei iudicio illis statuendam prædicit orator, ipsum appellans iudicem, quem sibi aduersarijsq. suis præsentem initio constituerat, cùm diceret:* Audite me viri Sichem, ita audiat vos Deus. *Cùm itaque in priori causæ statu vtrinque proditionis, insidiarum, ac parricidij accusati fuerint; Abimelechus nimirum, quòd igni scintillas dedisset; Sichimitæ verò, quòd fomentum ad Gedeonis domus incendium, & patriæ totius conflagrationem addiderint: parem ac persimilem ipsis exspectandam sortem precatur, & prædicat, hoc est, mutui odij ac diffidij, & exitialis inimicitiæ incendium, ad internecionem vsque vtriusque partis pertinax. Nam ex parricida quid nisi parricidium exspectandum? ex proditore proditio? Atque hoc spectat quod dixerat:* Lætamini in Abimelech, & ipse similiter lætetur in vobis. *Namque Abimelechi nomen omnino illaudatũ; nihil audientium auribus famæ commemorat, præter proditionem, parricidium, tyrannidem, Reip. euersionem, dolos & insidias.* Lætamini igitur *hoc nomine,* & ille in vobis lætetur. *quos authores, adiutores, promotores, demũque ad omne nefas obeundum & explicandum patronos, & tutores allegare potest. Lætetur itaq. idem in vobis: cumq. ille Abimelechus esse non desinat, nec vos Sichimitæ, vt quam iam in alios exercuistis vim, in vos demum ipsos exerceatis, consonum consentaneumque est. sic ille in mali filij educatorem malum patrem præcimebat:*

Iuuenal. Sat. 14.

Ergo ignem, cuius scintillas ipse dedisti,
Flagrantem latè, & tapientem cuncta videbis,
Nec tibi parcetur misero, pauidumque magistrum
In caueæ magno fremitu leo tollet alumnus.

Igitur dignos illos ex Dei iudicio censet, qui in sese vicissim experiantur, & exspectet, quod mutuo auxilio in alios fecerint: atque ita qui parricidam constituerant, parricidam sentient. ipse verò eosdem sui exitij authores patietur, quos atrocissimi cæpti adiutores habuit. Ignem, inimicitiarũ & hostilitatis, bellorum, dissidiorum, & exitij imaginem in loco referre, in sacro Apparatu multis docebamus exemplis. Deuoret, consumat, *idem in sua* אבל *lingua verbum est* ACHAL, *& ignis nomini plerumque ex translatione adiungitur. Atq. certum & prædictionibus consonum pœnarum exẽplum, nefarij sceleris iudicem & vltorem Deum, hominibus demum probatũ iri significauit orator hic, cuius nos & apologũ, & argumentũ atq. sermonem omnem, eo quo descripsimus modo, explicandũ suscepimus, addicti videlicet tum rerum naturæ ac rationi, tum verborum simplici & arcanæ significationi, tum verò historiarum, personarum, ac temporũ obseruationi, quæ omnia an iis, quibus aliæ placuere explicationes, ritè comparata perceptaq. fuerint, lectoris arbitrio iudicanda permittimus: certè historiarum veritatem cum commentationibus minimè cohærere animaduertimus, quod ad rerum contextum faceret.*

Qux

Quæ cùm dixisset, fugit, abiitque in Bera: habitauitque illic ob metum Abimelech fratris sui.

IOATHAMI *ac totius familiæ Ierobaghalis exitum hac vna actione & commemoratione historia declarat, simulq. consiliorum humanorum infirmitudinem atque inconstantiam indicat, eaq. tantùm cõstare, florere, & perpetua esse docet, quæ Dei consilio proposito q. nituntur. Quid ante decem annos (secundùm hominem loquimur) Gedeonis domo florentius, quid beatius, non Syria modò, sed Asia omnis tulerat? virum accepimus virtute ac fortitudine præstãtem, magnorum & fortissimorum Regũ & exercituum victorem & confectorem, oppressissimæ iam patriæ regionis liberatorem perpetuum, pacis ac felicitatis conseruatorem, clarissimis rerum gestarum monumentis intra penetralia cõstitutis omni populo celeberrimum, septuaginta liberis viris auctum, qui magnæ cuiusptam Reip. immo frequentissimæ olim gentis futuræ seminarium fore credebantur: tamen hæc, & quæ ex his sperari poterant, omnia vna die exstincta, vno luctu inuoluta, atque vno funere prorsus sublata sepultaq. perisse, idq. fraude, proditione ac domestica vi in ipsis penetralibus enata, & nutrita, in quibus generis ac nominis decorisq. æternitas fundata videbatur. Neque enim calamitas ista omnis à victis iam pridem hostibus (qui nulli exstabant) nec ab hostium fautoribus & amicis, maiorum suorũ cladis vltoribus, verùm à proprio ipsius principis viri filio, amicis & contribulibus, atq. adeò salutis acceptæ merito obligatissimus, allata fuit, atque ita omnis illa humanæ gloriæ Gedeoni concepta, magnoq. studio & composito consilio sota spes, breuissimo tempore, ac repentino momento euanuit, eaq. tantùm famæ ac nominis pars constabilita fuit, quæ diuinis iussis obtemperãti per fidem posita fuerat, hoc est, totius rei ab initio visi Angeli vsq. ad partæ victoriæ finem historia. Cætera verò quæ non hoc fundamento, sed humani sensus ac moris priuato opere cõstructa videbantur, excitato intra viscera incendio, in cinerem & fumum subito dilapsa abierunt. Existimo autem eos omnes, qui ab Abimelecho occisi sunt, paterni illo aureo trophæo domi statuendo consilij cõmunione & congratulatione aliquando superbiisse: quos tamen gloriam laudemq. omnem vni authori Deo acceptam referre oportuerat, atque ex consequenti nihil sibi priuatè arrogare, præter eam partem quæ ex Dei manifesta voluntate contigisset, quam vnam perpetuam sperare, atque sana fide, integroq. obsequio conseruare par fuerat, atque ad hanc nobis considerationem illud in mentem redit, quod in victoriæ illius admirabilis fine adnotãdum Spiritus sanctus dictauit:* Fecitq. ex eo Gedeon Ephod, & posuit illud in ciuitate sua Ephra: fornicatusq. est omnis Israel in eo, & factum est Gedeoni & omni domui eius in ruinam. *Nam cùm aliàs vir ille Ierubaghal plerumque, post primam illam à Deo excitationem appellaretur, atque hoc nomine celebris apud suos haberetur; tamen hoc loco bis Gedeonis domestico ac priuato nomine vocatur: quod nobis argumentum facit, illud nõ eo spiritu, quo auctus*

Humanarũ rerum exẽplum.

Super. 8.

Ierubaghal Gedeon.

Cc Ieruba-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nominum duorũ vsus.

Ierubaghal dictus est, sed eo quo Gedeon, id est, homini ipsi singulariter adscribẽdo, & rem instituisse, & rei etiam exitũ tulisse. huiusmodi nãque rationes in iis, quibus duo nomina, alterum ex humano, alterum verò ex diuino consilio indita fuerunt, numquam sine certa sententiæ differentia obseruauimus, vt in Abram & Abraham, Sarai & Sara, Iacob & Israel. Atqui Gedeonis sanguinem non totum fusum, aut prorsus perditũ Deus esse voluit: sed exiguis reliquiis, hoc est, filiorum omnium minimo superstite, conseruandũ decreuit, ab omni tamen illius excogitatæ ac præceptæ claritatis & celebritatis vsu alienum, & quasi ignobilem, nulliusq. præter communem, hoc est, humanam vitam, & religionis veræ cõmunione fruentem, sortis compotem. Quod postremo narrationis huius versu indicatum, sic explicamus: Quæ cùm dixisset, fugit. *Exemplaris lectio sic:* Et proripuit se Ioatham, & fugit, & iuit Beeran: *Viro constantiam ad orationis vsque epilogum finemq. superfuisse, author indicat, deinde verò spem omnem salutis à fratre suo obtinendæ ademtam, consiliumq. captũ certissimum fuga sibi prospiciendi, eumq. petendi locum, vbi quamquam ignoto ac priuato, vita tamen minori cum periculo, & cum patriæ, hoc est, Israëliticæ, religionis communione traduci posset, obscurissima atq. ab Abimelechi fratris notitia remotissima huiusmodi mentem ac studium verborum accumulatio, loci notatio, & personarum collatio ac relatio significant:* Proripuit se, fugit, aufugit, & fugit, & iuit. *Iotham priuato ac singulari nomine, nullo familiæ aut tribus cognomento, à cæteris qui Iotham vocarentur distinctus, atq. ita ad latendum magis expeditus,* Beeran, *extremum Israëliticæ regionis oppidum, secundùm Ægypti & Arabum confinia situm, & à Sichem remotissimum, vt Israeliticæ chorographiæ descriptione constat: vnde si quid periculi aut suspicionis forsan incidisset, breuis ac prompta esset in Ægyptiorum aut Arabum agros euasio & fuga. Erat autem loco nomen Beer-Sebagh, cõtractionisq. causa Beer dictitabatur, vt in vulgaribus & celebribus nominibus fieri solet. sic:* Vrbem quã dicunt Romã, Melibœe, putabã, &c. *Vrbem frequentiùs appellatam legimus. vt:*

Verg. Eclog. 9. Quò te Mœri pedes? an, quò via ducit, in Vrbem?

& Libonis puteal, propter frequentiam Puteal tantùm dicitur. vt:

Horat. lib. 1. Sat. 6. ——Ante secundam Roscius orabar sibi adesses ad puteal eras.

Et in Carpentani agri extrema parte, ac Toletani nunc media ferè regione locus sparti copia & artificio atq. mercatu notabilis, Pozuelo de la soga *vulgo dictus,* El pozuelo *sæpissimè nominatur, cognomẽto* de la soga *tracto. Atq. ita pro Beer-Sebagh, Beer Israelitis, ad est, puteus vsurpabatur. Atque hunc illius humanæ gloriæ, humanis rationibus à Gedeone quæsitæ, exitum sacra historia, ad huiusmodi contemnendam auertendamq. cupiditatem, ex vero exemplo indicauit. Vanum enim est ante lucem surgere. Nãque verò deinceps quali affectatæ potentiæ ac tyrannidis, malisq. artibus iniustorum magistratus, ambitionis demũ omnis qualis spectãda fabula sit, docebimus.*

Regnauit

Regnauit itaque Abimelech super Israel tribus annis.

NAM si omnis potentatus, etiam legitimi, breuis vita est, quàm breuissimam tyrannidis esse oportebat, res ipsa ratioq. demonstrat, præsertim vbi res omnis dolo ac vi, iniuriáque summa geritur, quæ omnia diuini iudicij vltionem accelerant. Certè denunciatæ in Iothami sermonis sine sententiæ euentus vltra triennium non fuit prorogatus; cuius quamuis breuissimum spatium, nusquam tamen quietum, nullaq. parte tranquillum, sed maximis dissidiorum, intestinorumq. bellorum procellis turbatum, maximis damnis, facinoribus, & suspicionibus, trepidationibus, direptionibus infestatũ, quales turbulentis ciuilium bellorum temporibus ingruere solent. Neque enim diutiùs tantæ iniuriæ vltionẽ differri diuina prouidentia passa est, vt iidem ipsi pœnas darent, quibus scelus susceptum, mutuoq. auxilio admissum confectumq. fuerat. S. S. E. Mea est vltio, & ego retribuam in tempore, vt labatur pes eorum. Iuxtà est dies perditionis, & adesse festinant tempora. In Deut 32. *tempore, ait Deus, vt labatur pes eorũdem qui commeriti fuerint, atque vt nulla magno sceleri quies securitásve sit. Quòd verò scripta tribus annis tantùm Abimelechum regnasse ait, ad temporum seriem continuationemq. pertinet. Nam ferè hæc sacris historiographis obseruatio est, vt totius temporis summa præponatur, & quid toto illo tempore actum fuerit, quam primum ex ordine repetatur. Verbum verò,* Regnauit, *quod ex Chaldaica versione transtulit interpres noster (cùm Latinum simplex non inueniret ad Hebraici vim exprimẽdam) manifestè docet Abimelechi dominationem illegitimumq. regnum illud fuerat, vt pote intempestiuum, ac per factionẽ mamultu, cæteris Israëlitis non inuitis modò, sed ne rogatis quidem: quod contemptionis atque contumeliæ, iniuriæq. magnæ ac publicæ genus fuerat. Ideo non dicitur,* Et iudicauit, *vt in cæteris, qui antecesserãt, dictum, & in aliis etiam postea dicetur. Tempestatis illius dominationem alio verbo significatam legimus Chaldaico,* regnauit, *præter temporis cõsuetudinem ac mores, quia nondum de constituendo Rege publicè atque ex Dei responso actum fuerat. Hebraicè verò* IASSAR, *potentiam exercuit, Latinè dici potest: non enim ex legibus ac moribus publicam rem, sed ex* SERARAH, *hoc est, potentia gerere instituit, populis quamuis inuitis, & obedire coactis.*

Regnauit. Iudicauit.

Misitque Dominus spiritum pessimum inter Abimelech & habitatores Sichem.

DEVM non solùm patentibus & manifestis in natura miraculis virtutem, voluntatem, prouidentiamq. suam testari, sed hominum etiam domandis, mutandis, ac flectendis consiliis, ad publicarum priuatarumq. rerum vel constitutionem, vel euersionem, & ea quæ apud Ægyptum, & quæ apud Persas Estheriæ tempore edita fuere exempla, satis apertè declarant, multaq.

Prouidẽtia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

multaq́, esse docent inter homines facta, quorum causas & initia ad occul-
Psal. 135. *tã animorũ ex diuina authoritate mutationẽ referri cõueniat. S. S. E. Qui*
facit mirabilia magna SOLVS. *cuius carminis propria in lingua concin-*
nati sententia hanc quam nunc agimus rationem indicat. Qui facit mira-
לברו *bilia magna* LEBADO *solus, secretò & seorsum, arbitriq́, semotis: idem*
hic Deus nunc eos, quos tanti sceleris sponte suscepti reos iam damnarat,
suarummet pœnarum ministros esse voluit, inuidẽtia atque inimicitiarum
immisso spiritu, qui quantum illis ad nefarium facinus conspirationis &
concordiæ fuerat, tantum odij ac discordiæ ad mutuũ exitium disseminaret.
Psalm. 77. *Huiusmodi immissiones ex sunt, quæ ad impietatis mulctam per angelos*
malos fieri dicuntur. Inter habitatores Sichem. *inter eosdem illos primo-*
res, quorum ope & auxilio facinus illud peractum fuerat. Namque idem
verbum, BAGHALIM, *hoc in loco vsurpatur.*

Qui cœperunt illum detestari.

HOC *toto versu historiæ summa proponitur, cui causa ratioq́, in proxi-*
mo subiungitur, deinde verò à tertio res omnis ex ordine narratur. Qui
cœperunt. *Inimicitiarum initium ab ipsis principibus Sichimorum vtrisq́*
factum indicatur, idq́, non verbis modò, sed re & animo atq́, studio. Quod
בער *Latinè detestari nunc legimus, in exemplari lingua est,* BAGAD, *pro quo*
1 Sam. 14. Iob 6. *interpres noster alias reddit, prænaricari, praterire, repudiare, auerti, & à*
pacto desciscere. Atq́, ex vnico Psalmi versu, quam rem hoc verbum signi-
Psalm 73. Psalm. 78. Psalm. 118. *ficet, Latinè cognoscere possumus: Vidi prænaricantes, & tabescebam, quia*
eloquia tua non custodierunt. & hoc vnicum verbum pluribus simul con-
Thren. 1. *iunctis aliquando explicatur. vt, Omnes amici eius spreuerũt eam, & facti*
sunt ei inimici. Chaldæus interpres SAKARV *reddit, quod mentiri, fal-*
lere, violare, & huiusmodi res agere significat. Propositionis itaq́, sententia
est, Sichimitarum primores tædio affectos primùm, deinde odio incensos, ab
illo priori studio & consensu abalienatos, tandem à pacto & iureiurando,
quod in principem sibi constitutũ celebratum fuerat, desciuisse, Deo id pro-
nidente, ne videlicet res illa per summam impietatem instituta radices al-
tiùs ageret, maiorq́, deinceps cũ Reip. calamitate euellenda esset: & ne quis
ex tanti sceleris authoribus, naturali morte præuentus, supplicij illius graui-
tatem euaderet, nec vllà exceptione sententiæ illi vmquam detraheretur,
Psalm 7. *Dominus iudicat populos. Atque omnis diuini iudicij ratio hæc subiunctis*
carmine indicatur.

Et scelus interfectionis septuaginta filiorum Ierobaghal, & effu-
sionem sanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem suum,
& in cæteros Sichimorum principes, qui eum adiuuerant.

NON *intelligimus ex hoc loco Sichimitas primùm id quod ipsi fecerant*
detestatos fuisse, quamuis sceleris conscientia agitatos non ambigamus, ve-
rùm hunc versum, diuini iudicij asserendi causa, ab authore inductum arbi-
pimus: cuius sententiæ seriem exemplaris linguæ versio ex verbo indicabit.

Vt

Vt veniret iniuria septuaginta filiorum Ierubaghal, & sanguinem illorum ponendum super Abimelech fratrem eorum, qui occidit illos; & super proceres Sichem, qui fulcierant manus ipsius ad occidendum fratres suos. *Huius iam orationis aperta sententia concinnáque connexio est, præcipuè si singulis membris attentior adhibeatur animaduersio.* Vt veniret iniuria HHAMAZZ. *id iniuriæ genus est, quo diuinam vltionem, aliàs lento procedentem gradu, accelerari solere, non semel adnotarunt: iniuria autem hoc loco, ex antecedente pro iniuriæ pœna vsurpatur, quam sceleris attenta commemoratio exaggerat.* Septuaginta. *ex numero prodigioso exemplo, deinde ex personarum dignitate & ratione,* filiorum, BANIM. *ex quibus frequentissima familiarum propagatio exspectabatur.* Ierubaghal. *viri de omnibus benemerentissimi, qui quocunq́, modo de medio sublati fuissent, vel exsilio, vel membrorũ mutilatione, vel carcere, tamen iniuriæ grauissimæ causam sisterent, nedum cùm occisi fuerint omnes.* & sanguinem illorum ponendum super Abimelech fratrem illorum.

Cuius supplicio non debuit vna parari
Simia, nec serpens vnus, nec culeus vnus. Iuu. Sat. 8.

Qui occidit illos, & super proceres Sichem. Qui, *quòd ille solus, quanquam mala mente, maloq́, animo agitatus, tamen immane nefas nec aggredi auderet, nec aggressus peragere potuisset,* fulcierant manus ipsius ad occidendum: *non hostes publicos, vel illi ipsi inimicos, ac priuatæ iniuriæ reos, sed* fratres suos. *Igitur istos tanti parricidij authores & opitulatores idem quod fecerat, exspectare oportuit, hoc est, parricidium ab iisdem in illum, & ab illo in ipsos exercendum: quandoquidem & ipsi fraterno nomine in illam iniuriam coniurauerant. Hactenus propositio & causa; nunc verò deinceps rei subtexitur series.*

Posueruntque insidias aduersum eum in summitate montium; & dum illius præstolabantur aduentum, exercebant latrocinia, agentes prædas de prætereuntibus.

PRIMVM *ad res nouandas consilium ex grassationis insolentia arreptum fuit; vtpote quæ Abimelecho offensionem grauem, & vehementem voluntatis commutationem allatura credebatur. Apertè enim illa in publicis vijs (quas regia authoritate & reuerentia tutas esse oportuit) grassatorũ ac latronum inuisa iniuria, popularem licentiam & Regis contemptionem arguere, ac Regem ipsum ad vltionem irritare potuit. Nam quamquam iste parricidio ac sanguine tyrannidẽ occupauisset, tamen post publicam illã acclamationem, ac frequentẽ salutationem, Regium nomen ac ius tam sibi certum, proprium, ac tutum rebatur (si tamen vlla in tyrannide securitas esse potest) & officium etiam meditabatur principum ac Regum, quorum bona curæ pars in ciuitatibus atq́, oppidis legum ac iudiciorum munere concinnandis & gubernandis, atq́, etiam in vijs communis consuetudinis causa*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sternendis ac tutandis, consumitur. Nulla autem res ciuitatum discordiam atq; tumultũ indicare potest apertiùs, quàm viarum turbatio. Quippe securæ ac bene constitutæ Reipub. cùm ad priuatum commodũ, tum ad cõmune, vt quàm liberrimi accessus ac discessus pateant, quàm expeditissimæ sint viæ, curare cum primis conuenit. Præterea nulla ad lacessendũ eum, quem hostem declarari libeat, consilia magis in promptu esse solent, nulla ad inchoandũ bellum opportuniora ac faciliora præludia, quàm direptionũ ac rapinarum cùm priuatè tum publicè, per piratas mari, vel per grassatores terra faciendarũ. ex quo genere tam in externis nationum ac gentium variarum, quàm in domesticis & intestinis ciuitatum bellis, non rara exemplorum copia semper cõstitit. Hoc itaq; ab istis primum vsurpatũ fuit facinus, quod tam ex raptorũ improbitate, quàm ex direptorum & exspoliatorum quotidianis querelis inuidiam Regi populariter commouere, eiusdemq; iram ad vlciscendũ concire facilè potuit. Quippe accepti damni infamia & clamor, longè etiam vero maior vndique excitatus, ad principum aures quàm celerrimè perfertur. id quod factum esse scriptura narrat:

Nunciatumque est Abimelech.

LICENTIAM *illam grassandi, atq; viatores exspoliandi, Sichimitarum procerũ non tantùm permissui, verùm consilio etiam sacra lingua adscribit, quorum mens fuerat, Regem latrociniorũ odio commotum, & insolentiam compescere properantẽ, per instructas in montiũ cacuminibus insidias ex improuiso adoriri, & captum interficere. Curatum itaq; est, vt de viarum importunitate ac periculo compositus aliquis ad illum perferretur nuncius, quo primùm perculsum esse oportuit, atq; in deliberationem actum & consultationem tum causæ, tum etiam rationis ad illum compescendum, animaduertendumq; facinus, ineundæ. Nec tamen ita temere & celeriter prorupisse adultionẽ constat, vtpote quem nondũ perspecta rei magnitudo, nec causæ ac personarum authoritas incertũ adhuc, & sibi officioq; suo maturiùs consulentẽ morari paulum, & quorsum illa tam repentè in noui regni initijs excitata viarũ ad se ducentium interruptio ac turbatio spectaret, dispicere. Quippe qui vnica tantùm regione, vnico regionis tractu, latrunculos illos vagari & excurrere intellexisset. Sed adiunctæ huic facinori publicæ defectionis, & nobiliorum coniurationis, certissima demum perculsit fama.*

Venit autem Gaal filius Obed cum fratribus suis, & transiuit in Sichimam: ad cuius aduentum erecti habitatores Sichem.

CVM *popularis tumultus & seditio atq; defectio, nisi certum atq; idoneũ caput nacta fuerit, nec constare sibi, nec oppugnantis vim sustinere possit; per commodè istis contigit vir quidam, nobiliori (vt historia indicat) loco natus, & fratrum atq; affinium frequentia & copia opulentior; cuius nomen* Ghelghal, *auspicij cuiusdam omine populo gratior accidit; idem enim atq;*

atq; Latinis Iuuencus significat. Atq; iuuencorum ad pugnam & contẽtionem vis & robur, cum laborum etiam tolerantia, cũ primis commendatur. patris etiam cognomen non parum opportunitatis ad præsentẽ vsum afferre videbatur, Ghebed seruum interpretari Latinè volentibus; non qui priuatam seruiret seruitutem, sed qui eo nomine quamquam appellatus, tamen liber esset, liberalemq; familiam sortitus, & se, & filium natu maximum, & prolem omnẽ, cognationemq; suam, laboribus ac periculis pro republica sua exponeret. Huius itaq; filium Ghegalum, siue sorte ita offerente, siue consilio impellente, eo tempore quo Sichimitæ tumultuari, atq; Regem solicitare cœperant, illac cum fratrum honesto numero iter facere euenit, quẽ illi sibi caput, consultorem, ac ducem libenter susceptum statuerunt: non tamen inuitũ, sed nec reluctantem quidem, imò, vt res ipsa docet, facilẽ & obsequentem, atq; hoc pacto fidem suam iis, qui se crearant, commendantem & confirmantem. hoc est quod per expositionem adiungitur: Ad cuius aduẽtum erecti habitatores Sichem. *ex primæua linguæ verbis ita:* Et confisi sunt illo proceres Sichem. *Hanc siue fidem, siue fiduciam, multa illis peperere: nam præter nomen & genus, id primum deliberantibus occurrit, nimirum liber hominis per vrbem ipsam transitus; qui si Abimelechi partibus animo atq; consilio fauere parasset, alio prorsus diuertendum, quàm tumultuanti ciuitati sese committendum, duceret; vtpote qui vel hac vna actione, populi magis quàm Regis profiteri crederetur studium, cùm præsertim non solus, verùm suorum opibus comitatus accessisset: quare defectionis cõmunionem apud Regem quoque suspiciosè prodere existimaretur. Porrò ipsa euentus explicatio communicatũ ciuitati cum homine consilium, atq; promissam patẽtiamq; operam prodit. Nec enim illi fidere debuerant ei, cuius animus ab Abimelecho non putaretur auersus, atq; iam apertè censeretur infensus. id verò vbi ex viri, cùm oratione, tum actionibus compertũ constitit, quamprimùm gerendæ rei commissa summa fuit. Siquidem nulli tam maius aut certius à Rege instabat periculum, quàm ei, qui cum tumultuante populo sese eodem defectionis crimine inuoluisset, idq; non vt priuatum quempiam, sed vt caput, authoremq;, nõ solum, sed cum suorũ eodem iudicio addicendorum manu & opibus tradidisset. Hæc illius orationis explicatio est:* Ad cuius aduentum erecti habitatores Sichem. *Habitatorum nomine populi primores accipimus, quorũ in huiusmodi deliberationibus grauissima sententia, & efficacissima habetur voluntas.*

Egressi sunt in agros vastantes vineas, vuasque calcantes: & factis cantantium choris, ingressi sunt fanum Dei sui, & inter epulas & pocula maledicebant Abimelech.

POPVLI *iam securi, & nouo duci fidentis prima actio fuit, in agros prorumpere, atq; propriας vineas, antea quàm bello experiendum esset, vindemiare, quæ hactenus Abimelechi metu nondum petebantur. Namque vt hi in-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

hi insidias Regi occultas posuerant, ita sibi instructas suspicari debebant, præcipuè cùm illum latrociniorum certiorẽ factum nihil apertè egisse intelligerent, cuius tamen animum non ita remissum aut negligentem cognouerãt, quin aliquid consilij & capere, & negotij sibi moliri putarent. Nunc verò ducem ex animi sententia, cui se crederent, nacti, patentibus iam portis, vindemiam suam curant, eamq; ex more festis gratulationibus absoluunt, choris, cantibus, & epulis, conuiuioq; vacantes ferias habẽt, non modo securi ac læti propter multi copiam, verum (vt humani ingenij puerilis petulantia est) propter præsentem ducem insolentiores facti, adeò vt ad absentẽ Regem inuidia contumeliaq; maledictorũ figendum prolapsi fuerint. Atq; hoc quidem facto non modo principum virorum, sed plebis etiam consensu, incepta pridem defectio atq; alienatio, coniurationis vim sortita est: cùm nemo enim sibi iam indulgendum arbitraretur ex iis, qui epulis interfuissent, & maledicto atq; opprobriis fuissent assensi (namq; vbi altera reipublicæ pars tantùm, hoc est, vel nobilitas, vel plebs tumultuatur, nec tam constans existimatur defectio, nec tuendæ dignitatis, ac recuperandæ potestatis spes principi abycitur) Egressi sunt in agros. *Securitatis argumentum esse solet libera in agros prodeundi facultas, sicut ille olim referebat:*

Hor. Car. lib. 3. Ode 5.

——— Vidi ego ciuium
Retorta tergo brachia libero,
Portasque non clausas, & attua
Marte coli populata nostro.

Vastantes vineas. *Vindemiantes liberè & intrepidè. ex primæua lingua explicamus:* VAIBATSERV ETH CHARMEHEM. Et vindemiarunt proprias vineas. *ita vt præsidio ducis opportunè collocato, singulis vineas suas adire, & ex usu vindemiare integrum esset. ex hac facultate superbiam ac lætitiam; ex lætitia verò, vino atq; epulis aucta, insolentiam, ex hac porrò licentiã ad maledictum natam, lectio ipsa arguit, hoc gradationis ordine in principe lingua obseruato:* Et venerunt in ædem Dei ipsorum [*Baghal-berith indicatur*] & comederunt, & biberunt, & maledixerunt Abimelech, *quem non tam honesto & illustri titulo Regem vel principem, sed priuato tantùm nomine, eoq; spurij indicante, & quasi exprobrante appellabant. Atq; huiusmodi ab iis, qui inpræsentiarum duce audiente insolescebant, partes initæ fuerunt: quales verò ducis ipsius exstiterint, operæpretium fuerit audire.*

Clamante Gaal filio Obed, Quis est Abimelech, & quæ est Sichẽ, vt seruiamus ei? Numquid non est filius Ierobaal, & constituit principem Zebul seruũ suum super viros Emor patris Sichem? Cur ergo seruiemus ei? Vtinam daret aliquis populũ istum sub manu mea, vt auferrem de medio Abimelech. Dictumque est Abimelech, Congrega exercitus multitudinem, & veni.

Vt *hostem populo infensum redderet, & contẽptionis iudicio damnandum*

dum obiceret, maledicti argumenta præcipua ex probro petiuit, exordio à comparatione sumpto, orationisq; figura concisa admodum & populari, hoc est, interrogatione, vsus est: quæ cum auditori æstimanda permittitur, præsentiorẽ orantis, ac potiorem partem specioso colore insinuare nititur, cuiusmodi superbiorum iuuenũ militares actiones esse solent. Igitur vt aduersarium in odiũ ac inuidiam contemptionemq; adducat, nudo ac simplice nomine primùm appellat; deinde alteri parti, grauissimo titulo atq; elogio dignæ, cõparat: vnde conditionis imparis peruersitatem arguit. Quæstionis autem summa est, non illa videlicet, An Regi delecto & salutato fidẽ seruari oporteat: sed an populum priuato cuipiam, nobilissimos inhoneſto, ciues hospiti, eidemq; inimico & infensõ, liberos seruo, generosos ignoto, legitimos spurio, modestos contumelioso seruitutẽ seruire deceat. Est igitur prima ab honesto & vtili cõparata argumentatio; atq; oratio omnis mixti est generis: constat enim deliberatione & accusatione, diuersis omnino, immo oppositis è locis petita, atq; illa fuerat, qua eidẽ populo ad eundẽ hominem Regem optandum, creandum, & acclamatione ac plausu salutandum, non ita pridẽ fuit persuasum. Siquidem illa suasio omnis necessitudinis maternique sanguinis fuco color abatur, atq; robur ex ea re inducebat, quòd vnus singularis, idemq; coniunctissimus, & beneficio obligatissimus, multis & opulentis atq; concordia potentioribus, ad populi huius vtilitatem, esset anteponendus. Nunc verò contrà dominationi illi non ex regij tituli decore & splendore, sed ex tyrannidis ac seruitutis inuidia, nomen inducitur. indignum autẽ esse statuitur, ignobilem, spuriũ, atq; inimico & violento natum patre, nobilissimo & antiquissimo populo non imperare modò, verùm dominari etiam. Nam cùm omnibus graue seruitutis iugũ esse debeat in libertate educatis, iis præcipuè grauissimũ omninoq; censetur repellendum, qui non liberi solùm, verùm principes ipsi, vel saltem principũ socij & consortes, ab initio fuerint. cuiusmodi quondam Sichimorũ ciuitatem fuisse constat antiquissimam & nobilissimã, principesq; sortitam ex propria ipsorum gente. Nam hæredem ipsum, ciuitatisq; primariũ virum, ante quàm successionis iure regnum administrare contingeret, ipso vrbis nomine nobilitatum legimus. S. S. E. Quam cùm vidisset Sichẽ filius Hemor Heuæi, princeps terræ illius, &c. Gen. 34. *Atqui Regem ipsum, & eius hæredem futurũ, nihil quicquam publicè vel decernere, vel statuere, sine ciuium ipsorum consilio, consensu, & gratia valuisse, iisdem antiquissimis pariterq; verissimis historiarum monumentis memoriæ est proditum. Orationis itaq; propositio illa est, indignum, indecorum, atque adeò ignominiosum esse, Sichem ciuitatem præclarã ac liberam olim, nec proprio atq; eiusdem sanguinis Regi seruire solitam, nunc Abimelechi iugũ pati & ferre. Atq; hic causæ scopus duabus rationibus argumentando fulcitur: tum ob ipsius domini conditionem & ingenium, tum etiam ob dominatus superbiam & insolentiam. Altera autem pars illa expositione agitatur:* Numquid non est filius Ierobaal? *Altera verò huic subiungi-*

Ouid. Aiax.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur, Et constituit Zebul seruũ suum super viros Emor patris Sichem, & quare seruiemus ei nos? *Vtrag. lectio efficactam neruosq. habet admonitionis dominatusq. mouendam inuidiã, ac dedecus vitandum & animaduertendũ. Nam de Abimelechi vel matre, vel affinitate & necessitudine ex parte matris, ne verbum quidem pronunciatum est; sed omne causæ pondus & momentum ex patris nomine petitur, eoq. non proprio Gedeonis, verùm altero illis omnino graui & inuiso, nempe Ierubaghal, quod vir ille à præclaro olim facinore euersi vani cultus, atq. simulachri deturbati & luci incensi duxerat, non sine magna totius gentis offensione; quæ vt mendacibus & nefariis illis superstitionibus impensè tenebatur, ita nomine & cõmemoratione Ierubaghalis acerbè indignabatur. Quid, inquit, à Ierubaghalis filio exspectãdum vobis est, præter paternæ audaciæ exempla, quibus & vestra numina contemnantur, & dignitas, authoritas, atq. gloria ciuitatis regionisq. huius labefactetur? Nam quod contemptionis atq. insolentiæ hominis aduersum vos argumentum apertius requiri potest, quid vestra dignitate excogitari indignius, quàm seruum illius loco, & non seruum modò, verùm infamis & probrosi nominis, vobis & ciuitati nostræ fuisse præpositum?* ZEBVL, *habitatorem, siue habitatum, vertere possumus. Eum esse arguit, cui præter habitationem nulla cum populo illo amicitiæ, aut gratiæ, aut societatis necessitudo intercesserit, quasi aduenam, & à populi ipsius moribus & iudiciis alienum; cuius præfecturam ex Abimelechi voluntate & libidine magis, quàm ex populi vsu ac dignitate administratum iri, consequens erat credere. Vtrumque igitur indignum, inuidiosum, maximeq. suspectum statuitur, videlicet Ierubaghalis filium tyrannidem exercere, eundemq. Zebulum, nouum ignotumq. hominem, præfecturæ authoritate instructum, tantæ, tamq. illustri atq. antiquæ ciuitati præposuisse.* Super viros Hemor patris Sichem. *qui regnum suum ex consilio & voluntate virorum suorum administrare est solitus, & nomen filio haredi non aliud quàm ipsi ciuitati imponendum duxerit; itaq. se paterno nomine non modò erga proprium filium, sed erga ciuitatem omnem, Sichem dictitatam, pij parentis officio, ac iure, & munere addictum profiteretur. Hæc huius nostræ lectionis, quam Vulgatam dicimus, quamq. explicare intendimus, declaratio est. Illius verò alterius, quam præterea in sacra lingua habere dicebamus, sua quoque indicanda sententia venit:* Seruite viris Hhamor patris Sichem, & quare seruiemus ei nos? *Ex conditionum atq. personarũ comparatione, fastidium & stomachum auditoribus mouere augereq. satagit: nam ex altera parte duos animo & voluntate, atq. etiam nomine alienos, longeq. à populi moribus & vsu diuersos; ex altera verò, populum liberum, & principem atq. frequentem constituit, quem, vt splendore meliorẽ, tum hac seruitutis conditione minùs dignum defendit, atq. ex consequẽti ad potioris dominationis optionem incitat, oblatoq. vocum significato ingeniosè ac prudenter vsus, popularе iudicium conflare studet. Antiquum enim &*

vetus vulgi opinionibus ac sensui arbitrium est, in publicis muneribus & honoribus indigenarum, quàm hospitum; necessariorum, quàm alienorum; contribulium, quàm remotiorum, potiorem rationem habendã ducere: cùm contrà sapientissimi quiq. virtutem tantùm, & ad res agendas præstantiam animi (qui homines omnes vnius patriæ, hoc est, mundi, ciues verè constituit) spectandam censuerint. Est itaq. deliberationis huius sententia: Si seruiendum nobis necessariò est, ignauo & inerti cuiquam ex Sichimitarum gente, potiùs quàm inimicis ac insolentibus istis seruiendũ esse existimem, deligantur iudice me qui vobis placuerint ex filiis Hhamor, hoc est, asini, profectò dummodo Sichimitarum sint fratres; nam vel tales nobis præpositos æquiore animo tolerare debemus, quàm dominationem istorum perferre ac pati. Hhamor, *asini in illa lingua nomen est. Sint illi, inquit, ex gente necessitudineq. nostra, sint filij patris Sichem, sintq. qualescumque etiam ineptissimi. nam, vtcũque res cadat, magis ex vsu nostro harũ ineptiæ erunt, quàm istorum crudelitas & insolentia.* Et quare seruiemus ei nos? *Hactenus argumenta omnia ex honestatis & vtilitatis fontibus ac locis petita sunt, quæ in omni suasionis genere primas habere putantur ad auditorum inducendum animos; quibus si facultatis momentum accesserit, nihil vlteriùs ad impellendum requiritur. id autem ipsum orator hic deinceps agit sedulò.*

Vtinam daret aliquis populum istum sub manu mea, vt auferrem de medio Abimelech. Dictumque est Abimelech: Congrega exercitus multitudinem, & veni.

SATIS *superq. roboris & virium in vna Sichimorum ciuitate sibi fore factat, dummodo par ciuium voluntas cum strenua & explorata virtute constaret. Namq. coniuncta omnium & mens & manus, maximũ hosti negotium facesseret, vtpote quæ locorum peritia, & se suaq. defendendi necessitate, ac pro aris ac focis pugnandi cupiditate, inuictam insuperabilemq. se præstaret, eo præsertim duce, qui nihil aliud appeteret, quàm Reipublicæ illius libertatem ac dignitatem, suo etiam, suorumq. periculo, tueri. itaq. facultatem conficiendæ rei in vno populi consensu sitam esse confirmat, quem hoc pacto impetrare conatur: nulla enim alia re, nullis præsidiis, nullis auxiliis opus esse sibi asseuerat.* Vtinam, *inquit*, daret aliquis. *ex propria lingua:* Et quis dabit populum istum in manu mea. *duæ indeclinabiles voces,* ETH, & HA, *quarum ponderibus Latini carent, energiam amplificationemq. habent ad conciliandum apprimè vtilem: Si mihi, inquit, fortis & strenui, atq. ad rem agendam prompti populi huius facultas accideret, id quod vnum percupio, confectum breuissimè constaret, nempe,* vt auferrem de medio Abimelech. *Suis verbis affirmanter pronunciatur:* Et recedere faciam Abimelech. *ipse huius populi consensu ac viribus vsus, Abimelechum, quamuis numerosis copiis occurrentem, tamen expulsum dabo. Atq. hac complexione, quæ orationis epilogum imitatur, suspicionem omnem*

Universidad de Deusto
Biblioteca

affectati principatus à se summouet, vt qui nihil in votis habere declaret, præter seruitutis publicæ depulsionem: Vt auferrẽ de medio Abimelech: *nam nihil præterea cupio. eadem autem opera omnium animos ad eandem libertatis publicæ spem erigere, atq; ex consequenti conciliare, coniungereq; conatur. Siquidem res ipsa indicat, non omnes ab Abimelechi partibus abalienatos tunc fuisse; qui si essent, vel Zebulum præfectum sustulissent, vel vrbe saltem pulsum exclusissent. Quod verò subiungitur,* Dictumque est Abimelech, Congrega, *& c. eodem tẽpore eademq; actione pronunciatum intelligimus, siue à populo iam persuaso ad defectionem, & ad arma capessenda prompto ac festinante; siue potiùs ab Oratore ipso, animum sibi atque populo per comparationẽ augente, & hostem absentẽ tamquam præsentem compellante. Atq; hic orationis tropus ad fiduciam plerũque vsurpatur. vt.*

Vir. Eclog. 3. Vis ergo inter nos, quid possit vterque vicissim
Experiamur? ego hanc vitulam (ne fortè recuses,
Bis venit ad mulctram, binos alit vbere fœtus)
Depono: tu die mecum quo pignore certes?

& quod alter respondet:

Efficiam, post hac ne quemquam voce lacessas.

Sic etiam Ghaghalus iste, Ego, inquit, populum hunc mihi tantùm eligo atq; opto: tu verò, Abimeleche, quas maximas possis ac velis cogito copias, tuas, inquam, atq; te dignas; & veni. *Hebraicè,* Et prodi; *quo quidem verbo illius vel ignauiam, vel timiditatem arguere atque exprobrare contendit, quippe quem intelligebat, quamquam antea certiorem factum grassationis, in aditione ac regione sua per nonnullos ex Sichimitarum fece magis, quàm ex nobilitate aut honestiore ordine, excitatæ; tamen compescendæ causa nũquam prodiisse, vel quòd ipse non auderet, vel quòd ei, quam in promptu habebat, manus non satis fideret. Collige, inquit, quam numerosum possis ac velis exercitum, arbitrióque delectum; & prodito.*

Zebul enim princeps ciuitatis, auditis sermonibus Gaal filij Obed, iratus est valde.

MAGISTRATVVM *& munerum nomina ac titulos, verbaq; omnia significanter in sacris vsurpari, tam aliàs identidem indicauimus. atque ad hanc rationẽ referendus est hoc loco titulus,* Princeps ciuitatis, *qui in oratione Ghaghal* PAKID, *id est, præfectus dicebatur, nunc* SAR, *hoc est, princeps & Imperator nuncupatur, vt qui potentiam & licentiam longiùs, quàm præfecturæ termini postulant, obtinuisset. Hic igitur cùm se crimine eodem cum Abimelecho in illa oratione inuolutum cognosceret, nec securum esse, nec pro arbitrio virum illum & populum compescere, nec dignitatem personamq; tueri posse intelligens, tam grauiter iniquòque conceptam animo, tamen quia impræsentiarum euomere non poterat, interim dissimulauit, dum Abimelechi potentia & operæ vsus vlciscertur.* Iratus est valde.

proprio tropo atque idiotismo: Et exarsit nasus illius. *nimirum aduersus Ghaghalum, & aduersus populi Ghaghali verbis irritatam & concitatam partẽ. sed iram tantũ & intra nasum cõpressam illo tempore, lectio indicat.*

Et misit clàm ad Abimelech nuncios, dicens: Ecce Gaal filius Obed venit in Sichimam cum fratribus suis, & oppugnat aduersum te ciuitatem.

REI *propriæ ipsius, quæ tamen cum Abimelechi causa agebatur, nulla ab isto mentio facta est, quo magis illi & sua commendaretur voluntas & fides, & ad vltionis cogitationem excitaretur animus. accusatio autem ad seditionis authores & promotores tantùm pertinet, cum callida quadam opidanorum excusatione, qui non volentes, verùm coacti & inuiti quodammodo, ad defectionem impellantur.* Et misit clàm. *pro Hebraico verbo* BETHARMAH, *Chaldæus interpres more suo* BERAZ *reddidit. hunc Latinus noster imitatus, vnica voce* clàm, *expressit. est autem* THARMAH *nomen loci proprium, in quo illa tempestate Abimelechus agebat, idemque aliàs* ARVMA *dicitur. Atq; vox ipsa & altitudinem summitatemq; significat, & à verbo* RAMAH *deriuatur, cui insidiarum & simulationis, siue dissimulationis significatio accedit. Quam ob rem vtrumq; nobis explicatur, missos fuisse nuncios occultè, eosdemq; Abimelechum in* THARMAH, *siue* ARVMAH *conuenisse.* Venit in Sichimam cum fratribus suis. *Hos tantùm in inuidiam illo nuncio vocatos vult, quos tamen paucos esse indicat, atq; adeò facilè perditum iri, dumodo vrbe excludi contingat: nam interiùs commoratos difficilius fuerit superari, vtpote vrbem præsidij firmitudine, atque partium alliciendarum studio, munire sibi satagentes.* Et oppugnat aduersum te ciuitatem. *Hebraicè:* Et ecce illos TSARIM vrbem contra te. *Præsidium ac munitionem in ipsa vrbe instruẽtes. quod non solùm armis armatorumq; manu, sed locorum etiam occupatione & instructione fit: cùm tamen nullum ab illis præsidium ædificatum legerimus, sed præsidij loco illud Baghalis templum occupatum significasse hunc credimus; atque omnia hæc, vero etiam maiora, ad instigandũ vehementiùs Regem confinxisse. Negotij verò facilitatem vel difficultatem in hominibus vrbe extrahendis, vel continendis, positam esse docet: quibus extractis & exclusis, cætera omnia paranda promittit, omnemq; rem, quemadmodum expediri conficiq; conueniat, adiuncto consilio exponit.*

Surge itaque nocte cum populo qui tecum est, & latita in agro, & primo manè oriẽte sole, irrue super ciuitatem; illo autem egrediente aduersùm te cum populo suo, face ei quod potueris.

EXPEDIENDÆ *rei rationem & formam, commodissimam & breuissimam fore docet, si hostis ex insidijs petitus concludatur: quo sublato, nihil ad vrbem capiendam negotij reliquum fore significat. Plus enim hoc facto atq; maturiùs actum iri intelligat, quàm si coacto vndiq; magno exercitu,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tu, consertoq; prælio, experiundum sit; quippe hæc alia vtriq; parti periculum minatur, & ancipitem promittit successum, atq; in ciuilibus bellis principi ipsi, quamquã victori, tamen est calamitosissima, qui extenuatis publicæ rei atq; militiæ suæ viribus, externo hosti ad inuasiones aditũ patefacit. Ideoq; Zebul consilium est, vt, quæ paucis cõfici possunt, ad magni exercitus cogendi moram non differantur; & quæ vnius periculo capitis sedari possunt, citra multorum domesticorum ruinam & cladem maturentur. Cum populo qui tecum est. *In exemplari lingua:* Et nunc surge noctu tu, & populus qui apud te. *Celeritatem incepti exigit vox,* Et nunc; *& temporis nocturni constitutio, quod ad insidias parandas, hostemq; præueniendum, consilium apprimè censetur opportunum. Quòd verò Regem ipsum compellat, ad efficientiam & authoritatem facit: quippe magni momenti res, & quibus de regia dignitate ac salute agitur, non tam cõsulte ac rectè aliis, quamuis fortissimis & coniunctissimis, ministris committũtur, quàm ipsi, cuius præcipuè interest, suscipiuntur; quippe cuius adspectu, præsentia, & voce, propriorum militum animi affici & erigi, fidorum ciuium recreari & confirmari, abalienatorũ verò reuocari, vel saltem perterrefieri possint. ideoq; ipse in hanc expeditionem prodire monetur:* Tu, & populus qui apud te. *Tibi tam notus, nec te deserturus, atq; adeò tam exercitatus, non exspectatus aliis, ad hanc rem, quam consulo, non adeò opportunis.* Et latita in agro. *In primæua lingua:* Insidias tendito in agro. *Non in domibus suburbanis, neque in villis, vnde nec tanto ordine, nec tanto impetu expediri res potest; sed* in agro, *vbi coniunctius & commodiùs componuntur cunei. atque hoc etiam ad dolum pertinuit, quo Zebulus hostem deludere parabat, iuuenem nimirum non adeò his curis, acutiq; belli artibus & consiliis instructum.* Et primo manè, oriente sole, irrue super ciuitatem. *Noctis tẽpus, quod ante auroram superesset, instruendis collocandisq; insidiis, atq; in reficiendo per quietem milite ponendum esse censet: deinde proximo ac summo manè surgendum, atque ita properandum, vt primo solis exortu versus vrbem procedatur, eaq; prima inuasio ab oriente inchoetur, quod illius temporis lux aggressos à tergo imbuens plurimum iuuet, occurrentes verò præstringens fallat. Plurimum enim ad huiusmodi cõflictus, solis ac ventorum rationem haberi retulerit, maximè cùm ventus orientem primo manè solem plerumq; præeat, ac excitatum puluerem occasum versus impellat. Atque ita explicamus verba illa,* Oriente sole, *vt non tempus tantummodo, sed locus etiam, vnde primùm prodeundum fuerit, indicetur.* Illo autem egrediente. *Significat se curaturum, vt Ghaghalus, aduenientis tantùm Regis certior factus, extra vrbem prodeat, celato interim animo sui aduersus populũ, atque adeò erga Ghaghalum ipsum, studij dissimulatione tecto. Quòd verò subiungit,* Fac ei quod potueris. *facilitatem promittit, & modum etiam præscribit. In exemplari lingua ex verbo:* Et facies illi sicut inuenerit manus tua. *Illud in primis, inquit, cõfirmo, te superiorem ea, quam indicaui, ratione*

ratione futurum; addoq; illud tibi præcipuè curandum, vt in hominẽ istum, qui seditionis caput est, impetus maximè fiat; quem an vinũ capi, an in prælio ac dimicatione interfici expediat, res ipsa atq; tẽporis opportunitas, loci ac circumstantiarum commoditas indicabit. tu id vnum agito, nempe vt, quod facillimum commodissimumq; pro tempore videatur, expedias; atque hoc vno superato, sæuire in populum interea desinas, quoad, quonam res inclinatura sit, perspexeris.

Surrexit itaque Abimelech cum omni exercitu suo nocte, & tetendit insidias iuxta Sichimam in quatuor locis.

IN *huiusmodi rerum trepidantium initijs nihil opportunum magis creditur, quàm acuti consilij matura explicatio & expeditio.* Cum omni exercitu suo. *Ex exemplari:* Et omnis populus qui cum ipso. *Superiùs autem legeramus,* Tu, & populus qui apud te. *quia nondum certa exploratag; monitori, populi illius mens & voluntas fuerat. Hanc verò nunc Abimelecho constantem & perspectam ipsa verba indicant, præsertim vox,* Omnis, *& illa altera,* cum ipso. *Nam dictio* cum, *siue* GHIM, *familiarius & propius rem rei, personæq; personam, ex obseruatione sermonis, coniungit. vt:*

Tecum habita, & noris quàm sit tibi curta supellex. Perf. Sat. 4.
Mecum vnà in siluis imitabere Pana canendo, Verg. Eclo. 2.

& in sacris: Qui non est mecum, contra me est. indicat itaq; eandem fuisse Matth. 12. Luce 11.
omnium aduersus Abimelechum voluntatem, illiusq; diligentiam & celeritatem nullius cunctatione vel refragatione tardatam. Huiusmodi exẽpla tyrannidis principio frequentia spectantur, & apud Romanos & Græcos leguntur scriptores, vbi tyrannus indulgentia, dissimulatione, conniuentia ac largitionibus militum & comitum suorum licentiam permittit, audaciamq; auget, animosq; sibi firmat. In quatuor locis. Quatuor capita, *sic in exemplari. Chaldaicè verò:* Quatuor acies, *siue* ordines, *quibus dispositus exercitus, vrbis inuasionem à quatuor cæli plagis parauit, & ciuibus euasionẽ præcluserit. interpres noster loci nomen pro plaga significãter posuit.*

Egressusque est Gaal filius Obed, & stetit in introitu portæ ciuitatis. (*Ex primæua lingua:* Et stetit apertione portæ vrbis.) Surrexit autem Abimelech, & omnis exercitus cum eo de insidiarum loco.

NEC *satis securum, nec satis tamen metuentẽ, sibiq; cauentem Ghaghalum lectio hæc nobis narrat: quem vel solum, vel paucis comitibus, nimirum fratribus tantùm suis, & cum Zebulo sibi infenso, dissimulante tamen, vrbis portam adiisse memorat, visendi videlicet cupidum quemadmodum res intus foris q; haberent. idq; eo tempore factum, quo primo vrbis portæ aperiri solent, præsertim in locis atque oppidis parum quietis, qualia ea sunt quæ confines habent aliarum ditionum agros: in his enim portæ publicæ non ante solem exortum aperiuntur. cuiusmodi mos in tota Italia est, atq; in aliis regnorum,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

regnorum, quæ nos peragrauimus, vicinitatibus & confiniis. Chaldæus paraphrastes apertionem, siue ostium portæ MAGHALANA *vertit, atq; eam turris partem superiorem significat, qua portarum tegitur aditus, quo visendi agri causa hominem adscendisse indicat, pro quo Latinus interpres noster* Introitum *reddidit, pari significatione.* Surrexit autem Abimelech. *vno eodemq; versu, vtriusque ducis cura actioq; narratur: atque ita vtrumq; eodem articulo temporis accidisse intelligimus, nempe vt Ghaghalo agri spatium ex superiore loco explorante, Abimelechus ex insidiis prodire inciperet: id verò fuisse sole primùm exoriente, atq; ab eadem parte, hoc est, ab Ortu, hunc ducem cum delecta sibi manu exiliisse interpretamur. Et* omnis exercitus. *is nimirum, quem sibi ducendum illo tempore secreuerat, hoc est, quarta totius exercitus parte. propria lingua:* Et populus [ille] quia apud se, *id est, qui sibi in partitione insidiarum obtigerat. Atque hoc pacto ex Zebuli sententia, vt Ghaghalus falleretur, euenit.*

Cumque vidisset populum Gaal, dixit ad Zebul: Ecce de montibus multitudo descendit. Cui ille respondit: Vmbras montium vides quasi capita hominum, & hoc errore deciperis.

ORIENTE *atq; occidente sole opacorum corporum vmbras in aduersam regionem ad infinitum protendi, Mathematici docent: easdem tunc accretione ac decretione celeriùs moueri, harumq; motus circa meridiem tardiores videri, eiusdem disciplinæ & assidui spectaculi obseruatione cognouimus. adq; hanc rationem illud spectat:*

Virg. Eclo. 1 Maioresque cadunt altis de montibus vmbræ.

Accidit autem eodem tempore, vt illius facis radio mortalium à terra intuentium acies sensusq; vincatur, atq; ideo nec ipsa clarè videatur, nec ea facilè definiantur, quæ prospicientibus obiecta ab ortu fuerint: quamobrem quæ huic talia existimantur, alteri cuipiam diuersi generis esse vel existimari, vel fingi, & affirmari facilè possint. Atq; ita populũ ex aduersi montis culmine descendere incipientem, Ghaghal sibi visum indicabat, id quod res erat; quem tamen Zebulus montium crescentes & cadentes vmbras callidè interpretatus esse aiebat, inimicum hominem hoc pacto eludere, atque temporis prospiciendi sibi angustiis premere ac turbare, studens. Vmbras montium vides quasi capita hominum. *Exemplar sic habet:* Vmbram montium tu vides vt viros. *Latenti irrisione hominem decipere ac retinere voluit. Vmbram autem singulari numero dixit, quòd omnis illa acies certo ordine procedens, vnum veluti corpus constitueret, vnam tãtùm vmbræ speciem protenderet: quæ tamen motu ac descensu ipso in arbusta ac saxa illisa, diuidi atq; in varias findi partes visa, virorum imagines Ghaghalo vel non satis perspicuè intuenti, vel turbato ac metuenti, fingeret. atq; hoc pacto & metum, & sensus hebetudinem homini fortitudinem professo dissimulanter exprobrat, ac sibi prouidendi curam cogitationemq; interturbans meratur.*

ratur. Namq; hoc consilio eam, quam legebamus, inuadendi rationem Abimelecho in mandatis præscripserat.

Rursumque Gaal: Ecce populus de vmbilico terræ descendit, & vnus cuneus venit per viam quæ respicit quercum.

COGNITAM *sibi iam rei veritatem, ne refellere aut dolosa interpretatione eludere Zebulus posset, tribus argumentis Ghaghalus asseuerat: primo videlicet loci atque locati distinctione; secundo motus; partitionis ac dimaricationis tertio. Vmbilicum autẽ terræ, hoc loco ipsa summa & eminentissima, atq; adeò firmissima montium cacumina dici accepimus, Chaldæo paraphraste firmitudinem interpretato. Est autẽ argumẽtationis explicatio: Satis mihi distincta atque patefacta constat res, vtpote montis culmen editum & immobile conspicienti, atq; populum ab eodem iam culmine descendentem videnti; nec tantùm descendentem, sed iam etiam in plures cuneos diuisum, & diuersis procedentem locis: id quod in vnius montis vmbra apparere minimè potest; quippe cùm vnius corporis vnica vmbra sit, vnico solis radio in aduersam tantùm partem obiecta. iam verò tantum abest vt vnica conspiciatur mihi rei species, vt vna etiam illius pars ab aliis diuertens, versus certum & notatum signum gressus incessusq; tendat, hoc est, versus eam quercum, siue vallem, cui Augurum est impositum cognomẽtum. Sua lingua sic:* MIDERECHELON MEGHONENIM. *Alterũ, inquit, caput diuertit vltra viam vallis querceti Augurum: præterea sole adscendente, vmbræ nõ vlteriùs protrahi & descendere, sed versus initia retrahi & adscendere conspici solent. Namq; hoc loco illi nomen publicè constabat, ex antiqua fortasse aut recenti auguria illic captandi superstitione, qualẽ in Dodonæis quercubus, & in Deliis oliuis, atq; in Parnasi quondam lauris Gentium disciplina confinxit. Atque ita sententiam suam non specie dubia, nec coniectura, sed aperto sensu & clara luce, adeoq; Mathematica lucis & vmbrarum distinctione, & rerum ipsarum cum locis comparatione, confirmat Ghaghalus.*

Cui dixit Zebul, Vbi nunc est os tuum, quo loquebaris: Quis est Abimelech, vt seruiamus ei? Nónne hic populus est quem despiciebas? egredere, & pugna contra eum.

SVMMOTA *iam dissimulantis persona, animum suum Ghaghalo insensum prodit Zebulus, atque ignauiam, timiditatem, insolentiam, & audaciam arguit, defectionis & coniurationis culpam eidem vni impingit, luendamq; temeritatem denunciat. Atq; hoc exemplo quales esse soleant inimicorum, præsertim potentium, simultates, æmulationes, dissimulationes, ac demum vltiones, admonetur doceturq; prudens lector.* Vbi nunc est os tuum, quo loquebaris. *Fortium, inquit, virorum & honestas suscipientium partes non verba magnifica, sed gesta & facta æstimari atque ex successu definiri oportet; quippe quorum non tam lingua ad promittendũ, quàm*

Universidad de Deusto
Biblioteca

manus ad conficiẽdum idonea promptaq́. habeatur. nec magnanimi viri est, absentem inimicum contumelijs inuectiuis lacerare, sed armis ac præsente virtute superatum, causa minorem declarare. Namque timidi & ignaui ac muliebris ingenij censetur, clamoribus & conuiciis quemquam tactare, atq́ longo ex interuallo verberare. quod qui fecerit, nisi præsentissima virtute & maxima celeritate confirmatum præstiterit, audaciæ, insolentiæ, iniuriæ pœnas det necesse est. Igitur vel tu nunc factis quàm sermone meliorẽ, vel saltem parem te exhibe; vel contumelioſa inuectiua eos quos læsisti vltores sentito. Nulla enim tibi vtriusuis pacti optandi declinatio fugáue reliqua erit, vtpote cui intra vrbem, me iudice atque expulsore, non sit latendum: extra verò nisi vi armisq́. via aperiatur, nulla vsquam patet euadendi, locis vndique per armatas acies occlusis; quas quidem non minùs quàm ducem ipsum infestas vt experiare, ipse tibi in causa fuisti, cui non satis fuit Abimelechum maledictis & conuicio insectari, Quis est Abimelech, vt seruiamus ei? *Sed exercitum etiam hunc, qui se ad fortitudinis exemplum assuescere atque exercere studet, derisum in inuidiam & contemptionem adducere.* Nónne hic populus est quem despiciebas? *Verbum* MAAZ, *contemnere Latinè dici potest. est autem contemnere, eum, quem quis sibi infestum, aut inimicum, aut alias aduersarium putet, nihili facere; vt apud*

Iuuenal. Sat. 3.

Satyricum: Me quem luna solet deducere, vel breue lumen
Candelæ, cuius dispenso ac tempero filum,
Contemnit. *Atq. ita Mezentius diuûm contemptor. Sed quando verbo huic adiungitur constructio* BO, *hoc est,* In ipso; *despectionis quoq. significatio additur, & abiectionis. huiusmodi tropo vsus apud Isaiam Deus, se à populo suo despicatui datum queritur: Filios enutrini & exaltaui, & ipsi spreuerunt me. Sic apud Latinos:* — Ergo superbum

Isaiæ 1.

Iuuenal. Sat. 11.

Conuiuam caueo, qui me sibi comparat, & res Despicit exiguas.

Cùm autem illam orationem iactaret Ghaghalus; Congrega exercitus multitudinem & veni: *& contemptionis & despicientiæ significationem dabat manifestam, qua ignominia nulla grauior exercitui cuipiam inferri potest; cùm nullæ tam exiguæ copiæ sint, quæ etiam instructissimo duci optari, ac suppetias ferre posse non putentur: nulla tam imbellis hostium manus, quæ prudenti imperatori contemptui esse debeat: nam contemptio securitatem, securitas negligentiam, negligentia verò calamitatem parere solet. Arguit igitur Zebulus aduersarium temeritatis ac superbiæ primùm, quippe qui maledictis absentem Abimelechum lacessiuerit, & illius exercitum quantumlibet numerosum contempserit: deinde verò ignauiæ atq. timiditatis & inertiæ, vel præsenti oratione patefactæ ac proditæ, nimirum:* Ecce populus de vmbilico terræ descendit. *Hebraicè pluraliter,* Descendũt. & vnus cuneus venit per viam, *&c. Hæc itaque sententia est interrogationis illius:* Vbi nunc est os tuum? *Hebraicè:* Vbi nunc hic? *Quisquis, inquit, & qualis quantusq́. tibi ipsi esse videaris, tamen varium ac dissimilem te ipsum pro locorum ac temporum opportunitate ostendis, ac mentis animiq́. tui ingenium satis peruersum; quippe qui in media turba, vbi neminem tibi aduersari præsentem intelligis, vbi, inquam, tutus à periculo es, magnifica dicere noueris, & hostem prouocare ac maledictis incessere, hostiles copias in contemptionem adducere non dubitas: cùm verò ad rem ipsam ventum est, vel primo nondum satis certo prospectu trepidas, & quæ minora sunt, maiora existimas & pronũcias, primâ illam visam aciem in vnum coactam longè lateq́. extensam ducebas:* Ecce de montibus multitudo descendit. *Hebraicè:* De montibus populus. *Videbatur enim tibi vnus populus complures occupasse montes; nunc verò iam plures videntur populi, atque maximi & instructissimi, in plura, vti ais, diuisi capita. cur autem nunc tam multi existimantur populi, qui antea præ te optatis q́. tibi ciuitatis huius copiis contemptione ac despicatu digni censebantur? oportuit autem, si pari animo ac virtute semper constares, vel illic illo tempore, cùm res integra esset, eadem, quæ nunc profers, pronunciasse verba; vel nũc, cùm ventum ad verum est, idem, quod tunc iactaueras, repetere;* Congrega exercitus multitudinem, & veni. *Nũc verò sermo tuus timidum, & inertem ac degenerem arguit virum. Quòd si, quãquam sermone varium, fortitudine tamen ac præsentia animi eundem te esse dicere velis; istud nobis & Abimelecho atque aliis probandi occasionẽ nactus confirma, cùm nihil noui, quod excipere possis, acciderit; quippe cui idem hostis, quem lacessieras, idem quem despexeras exercitus, ad laudis & iactationis tuæ materiam contigerit.* Nónne hic populus est quẽ despiciebas? egredere, & pugna contra eum. *Tu Abimelecho dixeras,* Egredere. *illo igitur iam ex animi tui sententia egresso, reliquũ est, vt tu nunc egrediaris. quin, si fortis verè esses, primus egredi debuisses, vtpote qui prior vltro prouocaueris. nũc verò quando non sponte, sed lacessitum aduentare vides,* Egredere quæso nunc, [*sic in exemplari lingua*] & pugna contra eum. *Atque hæc admonitionis conclusio, nec neruis nec significatione caret. Iactauerat enim Ghaghalus in illa sua concione sibi delecta, tantùm Sichimitarum manu Abimelechum, quamuis maximo exercitu instructum, tamen facilè è medio tollendum, sine (vt in exemplari est)* pellendũ. *Pelli autẽ dicitur aliquis de loco quem obtinet, quod difficilius multo est, quàm nondum obtento loco arceri & excludi. est igitur argumentatio à difficultatis comparatione petita. Tu tibi pellendum hominem promittebas, ille nunc eo in loco est, vt minori negotio, hoc est, vnico prælio conserto, arceri & repelli, si fortiter agas, possit, qui non tam citò, támque facilè ex vrbe pelletur, vbi iam te cessante fuerit ingressus. opportunitatem occasionemq́. tibi oblatam anteuertendam censeo. Ita huiusmodi partim aperto, partim dissimulato sermone, id quod Zebulus intenderat, confecit, vt videlicet Ghaghalus sine vllo suo ipsius periculo, nullo ciuium à se illato incommodo, vrbe, quam disiidijs turbauerat, pulsus, temeritatis & audaciæ pœnas daret, quod ante hac tutò curare & efficere non potuerat,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

propter partium ſtudia, & opes, & certam propugnantium dimicationem, maximè qui præter multos ex plebe, nobiliorum ordines ſingulos vel apertè alienatos, vel certè ſuſpectos omnes haberet. Atq; omnia hæc ex ciuilis prudentiæ præceptis & inſtitutis petita ſunt; quibus tamen permiſſus, diuini iudicij decreta, in vtriuſque partis excidium & animaduerſionem facta, interim obſignabantur.

Abiit ergo Gaal ſpectante Sichimorum populo, & pugnauit contra Abimelech. Qui perſecutus eſt eum fugientem, & in vrbem compulit: ceciderunt́que ex parte eius plurimi vſque ad portam ciuitatis.

ZEBVLI *ſermone & occulta exprobatione punctus, & nobilium, quibus ſeſe vltro propugnatorem obtulerat, verecundia (qualè apud Homerum cum Achille manum conſerturus Hector præfert) atq; adeò temporis ac manifeſti periculi neceſſitate coactus Ghaghalus, nobilitatis familiis atq; opibus in ordinem digeſtis, aciem inſtruit, ipſeq; dux præit.* Spectante Sichimorum populo. *Sichimorum nobilibus ipſum præcedentem ſequentibus, ad nutus & imperia promptis & paratis atque certis. Hæc huius abſolutæ conſtructionis ſignificatio eſt ex exẽplari petita, vbi ita legimus:* Et prodiit Ghaghal ad facies primorum Sichem. *Chaldaicè verò:* Ante ſeſſores Sichem. *ita dictione,* ad facies, *ſiue* ante, *quonam duce, quibus copiis in illam expeditionem itum fuerit, indicatur. Huius verò primi cõflictus qualis exitus fuerit, ſubiuncto narratur verſu:* Qui perſecutus eſt eum fugientem. *Abimelechum ſuperiores partes obtinuiſſe explicamus: namque ita ex exẽplari lingua legimus,* Et perſecutus eſt illum Abimelech. *Verbum,* perſecutus, *Ghaghalum primo congreſſu fuſum indicat, deinde verò cæſum, quam rem interpres Latinus illa oratione exprimebat,* Et in vrbem compulit. Vſque ad portam ciuitatis. *Ex exemplari:* Vſque ad apertionem portæ. *Quæ oratio magnam occiſorum partem iuxta & circa portam cecidiſſe ſignificat, partim ab inſequenti hoſte occiſos, partim ſua ipſorum feſtinatione, trepidatione, & fugæ atque euadendi contentione compreſſos, conculcatos, vulneratos, atque interfectos, vt in huiuſmodi exemplis paſſim euenit. Atque hoc pacto multos ex Sichimitis, diuino iudicio, impietatis, ſuperſtitionis, & crudeliſſimorum homicidiorum pœnas dediſſe intelligimus.* Vſque ad apertionem portæ, *interim dum porta aperiretur, dumq; apertam neminem ex ciuibus, quem admitteret, haberet, rurſúmque hoſti ponè ſecuto obſeruaretur.*

Et Abimelech ſedit in Rumah: Zebul autem Gaal & ſocios eius expulit de vrbe, nec in ea paſſus eſt commorari.

POST *primum illud ciuilis belli periculum quidnam foris, quid domi factum fuerit, mox deinceps narratur. Atque cum primus Abimelechi non ſegnis, nec inertis, ſed callidi conſilium fuit, nihil impræſentiarum de tenta-*

denda vrbe contendere, quippe quam iam clauſam, & ducis illius præſentia atq; fratrum ope propugnandam, expugnatu fore difficiliorem exiſtimari oporteret, quamobrem Zebuli præfecti arbitrio, officio, & curæ relinquendam, cuius ipſe artibus multum fideret, & actionem omnem è re ſua, magis quàm ex populi vſu, futuram ſperaret. Itaq; ille, hoſte in vrbem coacto, receptui canens, in Arumam, quam Tharmam quoque vocari antea dicebamus, reuerſus conſediſſe dicitur, vt qui nihil ſe vlteriùs contra Sichimam rerum gerere velle ſimularet, viri illius nouas molientis res impetum fregiſſe contentus. ideoq; ſedendi verbo diſſimulatio hæc narrata eſt, quòd hoc publicè dictitato, ſecuriores Sichimitæ ab hac parte redderentur, atq; ad ſedandam domeſticã turbam & ſeditionem, animis & ſtudiis intenti conuenirent. Nam quamquam nihil foris timeretur, interiùs tamen lædi, frangi, atq; imminui non poterant, quoad ſeditionis ignem exſtinguerent. At cùm ſeditio duobus factionum capitibus aleretur, altero Zebuli, legitimè ab Abimelecho præfecti, altero verò Ghaghali, iam fracti, & fratrum opi auxilioq; tantùm nitentis, facilis fuit ciuium, ancipiti hactenus voluntate laborantium, ad Abimelechi partes & ſtudiũ inclinatio, cui præſertim plebeij ordinis maxima pars faueret, vtpote fratri, atq; ex eodem cenſu conſanguineo: quam quidem rem probatam ſibi eſſe, duobus argumentis Zebulus agnoſcere potuit: altero, quòd concionis tẽpore Ghaghalus ipſe ſibi à plebe metuere viſus fuerat, qui cùm primorum ſtudia certa putaret, cæteros in hunc modum prenſare ac ſubornare ſatagebat; Vtinam daret aliquis populum hunc in manu mea: *altero verò, quòd eundem ad certamen bellique diſcrimen primum egreſſum, ſolus nobilium ordo ſecutus fuerit. Itaque hiſce rebus nitens Zebulus, quaſi qui nihil de ciuibus, ſed de ſeditionis promotore, periculorumq; authore ageret, ipſum Ghaghalum cum neceſſariis & coniunctiſſimis, hoc eſt, cum fratribus, tamquam inutilem, immo pernicioſum ciuibus, è ciuitate eiectum, extorrem, exſulemq; pronunciat. Atque hac in re clementiam Regiam magis præferre, quàm potentiam & ſeueritatem oſtendere curat, vt qui eum, quem capite damnare poſſet, non ſupplicio, ſed exſilio, quod profugium portuſq; ſupplicij habetur, mulctaret. ac præter fratres illius, quorum exceptum voluit nullum, cæteris ciuibus omnibus atque nobilitati cum primis parcendum duxit, cùm illi tanquã aduenæ neminem intus, qui de reſtitutione experiri poſſe crederetur, relinquerent, omnes omnino ejiciendi cenſebantur. quibus ſi ex nobilitate aliquis eodẽ iudicio damnatus fuiſſet ac pulſus, affinium & familiarium offenſionem ſuſpicari ac timere conſentaneum erat. quare iis tantùm, cum quibus ciuitas malè, & ſine quibus quietè agere poſſe putaretur, edicto publico exſulare iuſſis, cæteris clementia ac ſecuritas promitti credebatur.* Et ſocios eius, *eoſdem quos antea fratres dici audiuimus, neminẽ præterea. In exemplari ipſo, & Chaldaica atq; Græca verſionibus,* Frattum *nomen exprimitur.* Nec in ea paſſus eſt commorari. *Perpetuo exſilio damnatos fuiſſe, lectio hæc ſignificat,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

hoc est, omni reuocationis spe & facultate præcisa. Ex exemplari lingua ad verbum: A sedendo Sichimis, *quam sententiam totidem vocibus expressit Chaldæus. Græci verò interpretes legitima & forensi formula vsi sunt,* τοῦ μὴ οἰκεῖν ἐν συχήμοις, Vt non habitarent in Sichimis.

Sequenti ergo die egressus est populus in campum: quod cùm annunciatum esset Abimelech.

ABIMELECHO *eò vnde venerat recepto, & iudicio per Zebulum aduersus coniurationis authores facto & constituto, securitatem tam sibi constare Sichimitæ putarunt: eademq; vtendum ac fruendum esse ducētes, curandæ rei rusticæ causa singuli in agros prodierunt. Quod nimirū tempestas anni postulabat, cùm autumnus post vindemiā factam, sementis operam parare adornareq; cogat. vtramq; verò rem, hoc est, Ghaghali expulsionem, & populi securitatem, per varios nuncios Abimelecho indicatam, historia refert. Ex exemplari lingua:* Et nunciauerunt Abimelecho. *Vnius rei vnicum nuncium mitti satis fuerat, sed pluralis numerus vnum & alterum missum indicat: priorem quidem, qui coniurationis capita vrbe electa narraret, atq; ideo vrbem expugnatu minùs difficilem argueret: posteriorem verò, qui populi vagationem non adeò breui Abimelecho sperandam affirmaret, atq; opportunitatē occupandæ vrbis, & defectionis authores puniendi, ad cæteras commoditates adiunctam ostenderet. quos nuncios Zebuli occulto mandato ad Abimelechum allatos, intelligere consentaneum est; id verò factum eadem nocte post exactos exsules: quippe qua populi cura & strepitus non ad arma, sed ad rusticam supellectilem, sentirentur intenta.*

Tulit exercitum suum, & diuisit in tres turmas, tendens insidias in agris. Videnſque quòd egrederetur populus de ciuitate, surrexit, & irruit in eos.

EADEM *nocte copias omnes comparatas, & ad rem magna breuitate ac celeritate conficiendam, in tria capita distributas, tesseraſq; singulis datas, hæc lectio indicat. Atq; omnia hæc summo silentio, vt ne quicquā præsentiretur, facta, quo maior hostis ex improuiso opprimendi commoditas crearetur. Summo autem mane idem ipse locis ac rebus obseruandis intentus, certam populi securitatem intellexit, quem tempestiuè occupādum, turbandum, atq; opprimendum inuadere constituit. hoc est quod legimus,* Surrexit, & irruit in eos. *quemadmodum verò id confectum fuerit, euentu exponitur.*

Cum cuneo suo oppugnans, & obsidens ciuitatem. Duæ autē turmæ, palantes per campos, aduersarios persequebantur.

IPSE *sibi ad vrbem opprimendam, ex tribus, quas antea instruxerat, cohortibus vnam optauit; eamq; in plura capita partitus, circum muros, & ante*

ante portam protendit: duas verò per agros ordinibus variis diuisas, iis qui foris essent trucidandis operam dare iussit. Cum cuneo suo pugnans, & obsidens ciuitatem. *ex Germanis verbis:* Et Abimelech, & capita quæ cum ipso tetenderunt & constiterunt ad apertionem vrbis. *Capita autem appellantur hoc loco tribuni, centuriones, quinquagenarij, ac decuriones, quales in singulis cohortibus fuisse militaris docet ratio. ex his verò partim muros ambiuisse, partim ad portam cum Abimelecho constitisse legimus, vt videlicet nec aditus, nec exitus vllius, quàm ciuium, daretur copia.* Duæ autem turmæ. *Vocabulum* turmæ, *quod equitum propriè est, pro cohortibus peditum vsurpatur.*

Porrò Abimelech omni die illo oppugnabat vrbem: quam cepit, interfectis habitatoribus eius, ipsaque destructa, ita vt sal in ea dispergeret.

REI *gestæ rationem partitionis membra ordine magis quàm constructione declarant. Nam totum diem in expugnanda & occupanda vrbe positum; deinde reliquum tempus ciuibus interficiendis, & muris diruendis, atq; solo exarando, & sterilitatis ac desolationis damnando positum, versus narrat. Namq; hoc exemplo, quod in perduellionis ac imminutæ maiestatis reos statueretur, cæteris vrbibus ac tribubus metum iniectum voluit Abimelechus, ea, quæ huiusmodi tyrannis frequentiùs vsurpari solet, sentētia;* ODERINT DVM METVANT. *verùm feritate ac sæuitia istius, oppidanorum scelus, & exstinctæ Gedeonis domus ac familiæ omnis cladem, iudex & vindex Deus vleiscebatur: id quod initio historiæ huius Scriptor, sacro dictante Spiritu, admonuit: Misit Dominus spiritum pessimum, &c.* Supra.

Quod cùm audissent qui habitabant in turri Sichimorum, ingressi sunt fanum Dei sui Berith, vbi fœdus cum eo pepigerant; & ex eo locus nomen acceperat: qui erat munitus valde.

NONNVLLA *hoc versu explicationis causa à Latino interprete fusiùs redduntur, & quædam etiam ex adnotato margine in contextum irrepsisse videri fortassis possunt. quæ vt cognoscātur, nullumq; sententiæ detrimentum afferre probentur, lectionē eandem ex primæua lingua, deinde ex Chaldaica & Græca versionibus referre non pigebit.* Et audierunt omnes domini turris Sichem, & venerūt ad TSERIAH BETHEL BERITH. *Chaldaica in hunc modum:* Et audierunt omnes habitatores turris Sechem, & adierunt TSERIAHH BETHEL ad constituendū fœdus. *Græca verò ita habent in Complutensi & Regio;* καὶ ἤκουσαν πάντες οἱ ἄνδρες τοῦ πύργου συχήμων, καὶ εἰσῆλθον εἰς τὸ ὀχύρωμα οἴκου τοῦ [βηθλ] βερίθ. Et audierunt omnes viri turris Sichimorum, & ingressi sunt in arcem domus [Bethel] Berith. *Ex quarū collatione lectionum, illud narrationis compendium facimus: Apud Sichimam, non longè ab vrbe fuisse turrim, siue potiùs villam aut vicum, cui ex præcipui loci vici-*

nitate

Universidad de Deusto
Biblioteca

nitate nomen illud constaret MIGDAL SECHEM, *hoc est, Castellum, siue Turris Sechem, cuius sensus complura loca in sacra Geographia & Chorographia adnotauimus. Nam ditiorum villæ, vicinius & familiis frequentioribus instructæ, propter turrem aliquam conspicuã magis quàm firmam, qua insignitæ erant,* MIGDAL *nomen cum adiuncta ac præsente nota obtinebant; atq. ita Ierosolymis vicinus locus,* IESV *ætate Lazari & aliorum focis habitatus, nonnumquam* Magdalus, *interdũ* Castellum *apud nos dicitur. Vnde insigni illi atq. sanctæ feminæ Mariæ, distinctionis causa Magdalenæ cognomentum accessit. Igitur quo tempore Abimelechus vrbem Sechem expugnabat, habitatores ac domini proximi pagi (cui* Turris Sechem *nomen siue à vicinitate, siue ab antiqua memoria Sechem, quondam terræ illius Regis, hærebat) expugnationis & cladis illius certiores facti, fuga salutem sibi consulentes, in Berith, hoc est, fœderis Dei templum, sese omnes recepere, quem locum, pro tempestatis illius periculo & angustiis, sibi subsidio fore existimauerant, tum propter arcis ibidem constructæ munitionem, tum propter religionis reuerentiam, quam sperauerant ab Abimelecho ei adhibendam numini, cuius auspiciis ipse ad regnum fuerat inauguratus, præsertim quod nomen ipsum* BERITH, *id est, fœderis tutelam eodem confugientibus promittere, & asylum præstare videretur. Atque ita vtrumque vocabulum* TSERIAHH, *quod arcem significat, &* BERITH *significanter in narratione vsurpatum est. In arce itaque & religione sua defensionis præsidium istis constituendum videbatur.* Qui erat munitus valde. *explicatio est nominis* TSERIAHH, *pro quo Græci interpretes* ὀχύρωμα *reddidere.*

Abimelech quoque audiens viros turris Sichimorum pariter conglobatos.

HVIVS *rei per eos qui agris pagisq. excurrentes, agricolarum & pastorum interfectioni operam dabant, certiorem factũ Abimelechum intelligimus. quam idem sinistrè ac perperam interpretatus, vt qui sibi omnes infensos inimicosq. duceret, in suspicionem nouæ coniurationis atq. pertinacis rebellionis venit.* Pariter conglobatos. *Antiqua lectio sic verti potest verbo:* Et indicatum est Abimelecho quòd congregati sunt [mutuo] omnes domini turris Sichem. *verbum* HITHKABETSV *deliberatam congregationem, & indictum conuentũ significat. cùm tamen illi non huiusmodi consilio, sed simplici cogitatione, & opinione salutis ex loci dignitate obtinendæ, congregati narrẽtur: id autem siue fœdere ante deditionem ineundo, siue interim præsidio arcis occupando, quoadvel effugium daretur, vel aliorum finitimorum patrocinia vel auxilia peterentur. ideoq. simplici verbo* venerunt, *explicata fuit actio, quæ tamen, indicibus referentibus, conueniendi & congregãdi siue* conglobandi *verbo descripta est. ita enim huiusmodi turbulentis temporibus in peiorem partem res omnes accipiuntur. facile autem hoc persuasu fuit Abimelecho tyranno, ac nemini iam ex Sichi-*

Sichimitis fidenti, & cui loci munitio & firmitudo idem arguere viderentur. Numinis præterea nomen & religio non ad interceßionem ac deprecationem petitum, sed ad mutuam illorum constringendam voluntatem atque fidem, vsurpatum existimabatur. ita nihil in hominum rebus & actionibus est, quod in varias partes, pro ingenij cogitantis opinione & vsu, nõ possit arripi. Viros turris Sichimorum. *In exemplari:* Omnes domini turris Sichimorum. *ita tenues res delatorum verbis solent exaggerari.*

Adscendit in montem Selmon cum populo suo, & arrepta securi, præcîdit arboris ramum, impositumque ferens humero, dixit ad socios: Quod me vidistis facere, citò facite.

VIRI *huius dexteritatem & celeritatem, atq. in excogitandis rebus ad bellum idoneis pro tempore promptitudinẽ, multis partibus describit historia: quæ omnia si in superbam mentẽ cadant, & multis, & sibi ipsi exitium maturare solent; contrà verò prudenti ac pio duci, vtilitati, ornamento, & ad gerendas res adiumento sunt maximo. Atque taciturnitatem cum primis ad conficiendum opportunam, maximè cùm res cunctationem non ferat, omnibus in historiis, & nostri ævi exemplis adnotauimus. Conuentus dominorum turris in arcem illam, vni Abimelecho indicatus fuerat, qui silentio indicibus commendato, quemadmodũ illam inimicorum partem vlcisci & expedire quàm celerrimè posset, subitò inuenit, & inuentum, sine cunctatione facessit non militibus tantùm, sed populo omni* qui apud se erant, *tam bellatoribus, quàm horum ministris & sarcinarũ baiulis secum montem conscendere iussit: montem autem densissima silua celebrem, qui à nemorum vmbra* TSALMON, *id est, tenebrosus, nomen obtinebat. de quo scriptum est: Salmon & Hermon in nomine tuo exsultabunt. Vbi verò ad* Psal. 88. *siluam ventum fuit, ipse consilio cum nemine ex suis cõmunicato, quid cæteris faciundum sit, exemplo monstrat, & præcepto tradit.* præcîdit arboris ramum. *Cùm plura nomina Chananæa sint, pro quibus Latini ramum reddunt, hoc loco* SOCHATH *legimus, quod & Chaldæus ita reliquit. significat verò arboris ramum membris cõpluribus fultum, & foliorum & frondium multitudine ita tectum, vt vmbraculum constituat, solis repellat ardorem. Nam magnam cũ nomine* ZZVCHA *sono & significatione affinitatem verbum hoc habet. est autem* ZZVCHA *idem quod Latinis casa, tugurium, & tentoriũ.* Impositumque ferens humero. *ex primæuæ linguæ lectione duo verba obseruamus, duplici quoque actione explicanda: &* extulit illum, & imposuit super humerum suum. *densum illũ ramum in altum primò sustulit, quasi speciem præferret experiundi num satis vmbrosum, satisq. ramusculis & frondibus tectum, sibi excidisset, quod conspicientibus opinionẽ facere poterat petendi loci cuiuspiam deserti, in quo vmbraculorum opus vsuiq. foret. quamobrem ipse & super se erexisse, ac deinceps humero ferendum imposuisse, idemq. cæteris faciendum imperasse dicitur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur: vnicuique videlicet suum cædendum, & eodem modo ad vmbræ expetrientiam erigendum, atq; humero exportationis causa imponendum.

Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, sequebantur Ducem.

NON *exemplum modò, sed expediendi celeritatem ille imperauerat, simul vt consilium celaret, atq; agendi festinatione, arbitrandi & diiudicandi spacium præcluderet, & opportunitatẽ omnem anteuerteret suæ aduentationis iis, qui in arce erant, indicanda, aut alio modo significanda. Namq; huiusmodi celeritas obseruatores & indices, qui in eodem exercitu plerumque versantur, incertos ac suspensos detinet. Quod verò legimus,* certatim, *ad cædendi celeritatem, & ad ramorũ eligendorum contentionẽ pertinet, quod vnusquisque suum ramum quam densissimũ esse curaret, atq; ita significanter in exemplari legimus:* Et præciderunt omnis populus singuli TSVCHA, & ierunt post Abimelech. *Nihil aliud certi habentes, quàm ducem præeuntem sequi.*

Qui circumdantes præsidium succenderunt: atque ita factum est vt fumo & igne mille hominum necarentur, viri pariter & mulieres habitatorum turris Sichem.

EXISTIMARE *libet rem omnem illi populo ante exitum non fuisse cognitam, vel saltem id ab Abimelecho curatum, ne quisquam è suis quoquo pacto miseris illis vel salutem, vel euadendi locum aut prece & misericordia, aut pretio & mercede concederet. ideoq; imperium illud,* Quod me vidistis facere, citò facite; *nullo alio modo quàm actione exemploq; suo declaratum voluit, vt qui primus depositum ramum arcis muris ac portis admouerit, primusq; subiecto igne incenderit, idq; quàm celerrimè.* Citò facite, *inquit, nullo interrogationi, deliberationi nullo relicto loco. hoc est quod interpres noster significare voluit illis verbis:* Atque ita factũ est, *& cecinit, inquit, vt fere mille capita tum virorum cùm feminarum, vno breuissimo incendio interempta, & præfocata deprehenderentur. quod verò excidit,* fumo & igne, *ex rei ipsius æstimatione diligenter arguit. Siquidem illa vnica causa fuit quamobrem densissimos quosq; ramos, & foliis refertissimos, Abimelechus cæsos asportatosq; voluerat, quippe quamuis ignis calor & vis durioribus hæreat lignis, flammæ verò impetus & fumi copia frondibus, atq; iis præcipuè virentibus excitatur. ita autem faces suppositæ admotæq; fuerant, vt fumi vim flammarumq; æstum intra arcem ipsam propellerent. ideoq; in exemplari lingua explicatur:* Et incenderũt aduersus illos arcem *deinde etiam vt sacrilegij inuidia ex eo minueretur, quòd non templum incendi, sed perduellionum & inimicissimorum arx & præsidium firmissimum tolli tactaretur. Namque vt sæpe admonuimus, verborum ac nominum semper obseruanda æstimandaq; significatio est. præsidium incendi iussum, nulla numinis aut fani mentio habita est: postea verò ve-*

ritas detecta & patefacta cunctis, non armatorũ phalange, sed virorum ac mulierum multitudine reperta, Omnium habitatorum turris Sichem, *qui eò salutis causa confugerant, tamquam ad asylum & firmum pariter, & ipsorum met opinione religiosum. In exemplari vocem* GAM, *id est, etiam, siue* quoque, *legimus in hunc modum:* Et mortui sunt quoque omnes viri turris Sichem. *eò autem spectat lectio, vt non ipsi Sichimitæ incolæ tantùm, sed horum affines ac vicini, qui tyranni huius consilij & sæuitiæ communione damnati fuerant, nullum euadendi supplicij locum reperire potuisse notentur, cumq; maximè infestum fuisse expertos, quem ex superstitione tutissimum crediderant.*

Abimelech autem inde proficiscens, venit ad oppidum Thebes: quod circumdans obsidebat exercitu.

DIVINI *iudicij decretum fuerat, vt sæuissimæ tyrannidis fautores & adiutores primùm, deinde verò tyrannus ipse ad supplicium postremus produceretur, idemq; qui cædem aliis attulerat, sibi mortem etiam conscisceret quodammodo, & tantorum homicidiorum ac parricidij pœnas daret, sicut superiùs hoc eodem capite edocti fuimus. Ipse itaq; Abimelechus, nondum cæde Sichimitarum atq; internecione expletus, rabido animo & adspectu, ne quicquam vel sæuitiæ suæ vel metus relinqueretur expers, proximam vrbem* THEBETS *inuasit, quam, vtpote debiliori muro vallatam, atq; adeò propugnatoribus desertam, facilè cepit, ingressusq; rectà in turrem tetẽdit, in quam sese populus receperat omnis.* quod circumdans obsidebat exercitu. *in exemplari lingua eadem operâ obsessam & captam legimus.*

Erat autem turris excelsa in media ciuitate, ad quam confugerant simul viri ac mulieres, & omnes principes ciuitatis, clausa firmissimè ianua, & super turris tectum stantes per propugnacula.

OPORTET *turrim illam & spacio amplissimam, & opere firmissimam fuisse, quæ publici præsidij & propugnaculi nomine & vsu cunctum caperet populum.* Et clausa firmissimè ianua. *ex exemplari:* Et clauserũt secundùm se. *id est, postquam eò recepti fuerunt omnes, ostium clausum, adhibitis interiùs custodibus, munierunt.* Et super turris tectum stantes per propugnacula. *ita & rem & causam Latinus interpres vertendo explicuit. Namque illi nuper incensæ arcis Berithi periculo cauti ac prouidi, non omnes intra turris parietes delitescere voluerunt; sed bona pars tectum occupauit, vt, quibus posset armis & consiliis, inimicum à muri incendio, & à porta repelleret arceretq;.*

Accedensque Abimelech iuxta turrim, pugnabat fortiter; & appropinquans ostio, ignem supponere nitebatur.

NON *contentus vrbis occupatione ac direptione, quæ iam ingresso constabat, omnisq; moræ, nedum etiam æquæ cuiusptam deditionis, impatiens,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad excidium vsque sæuiebat, ipséq; primus sese in discrimen conijciebat, quæ maiorem fortitudinis suæ opinionem ac metum propugnatoribus injiceret, expugnatoribusq; animo addito, omnem cunctationem præuerteret: quod tamen temerarij & audacis magis, quàm fortis, ac prouidi, & strenui ducis habetur exemplum. Namque huius partes sunt, curam operamq; omnem in præuidendo & cõsulendo, atq; in aliis exercendis magis, quàm in militis officio præstando, ponere. Sic enim aliquando Scipio, cùm sese armis quàm diligentissimè instrui iuberet, cuidam suspicionem metus objecenti, se à parente sua ducem, non militem futurum editum, respondisse dicitur.

Et ecce vna mulier fragmen molæ desuper iaciens, illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius.

NARRATIO *hæc, singularibus personarum ac numerorum membrorumq; circumstantiis explicata, rem non casu, sed consilio, ac diuino iudicio factam declarat. Primùm quidem supplicij istius ministrum non virum, ducem, aut Regem, aut alias virum quempiam constitutum, sed mulierem illius vltricem superbiæ, quæ illi ex materna educatione, atq; adeò maternæ affinitatis subsidio nata fuerat.* Vna mulier. *numerum excludit tam virorum tum mulierum: nam si à pluribus fuisset petitus, non esset mirandum, vna aut altera ex tot saxis accepta plaga: nunc verò tam certa vnius mulieris percussione illius caput illisum & confractum, intrepidum petentis animum numinis vi impulsum quis non credat, cùm præcipuè id in mente, atq; etiam in voce fortasse iacentis fuisse historia subinducet?* Et misit mulier vnica fragmen molæ superioris super caput Abimelech, & confregit caluariam eius. *ita in exemplari. At verò caluariæ siue ossium capitis supernorum confractionem, ex alto loco, duro saxo, atq; iacentis ira impulsuq; factam, cerebri comminutio necessariò consequitur, quæ antiquis omnibus medicis letalis omnino iudicata est. quamquam non ita grauis exempli plagas, etiam cum cerebri detrimento, à Franciſco Arceo, nostro in Chirurgica arte præceptore, sanatas viderimus: verùm ad plagæ huius grauitatem & dolorem, hominis indignabundi acerbitas adiuncta, desperationem vitæ, mortisque celeritatem attulit.*

Qui vocauit citò armigerũ suum, & ait ad eum: Euagina gladium tuum, & percute me, ne fortè dicatur quòd à femina interfectus sum. Qui iussa perficiens, interfecit eum.

HOMINIS *furorem, arrogantiam, & stultitiam, quæ nũquam à tyrannide seiunguntur, aperte satis prosopopœia hæc describit. Namque huiusmodi quicunque sunt, alio modo quàm (vt ipsi loquuntur) generoso interire indignantur. ad quam sententiam illud pertinebat quod à Zebed &*

Sup. 1. *Tsalmona superiore capite pronunciatum est: Irrue tu in nos, &c. Huiusmodi Neronis postea, aliorumq; tyrannorum commemorantur exitus. Nam*

Saulis in sacra historia longè alio spectat exemplum, vt suo loco (Deo deducente) disseremus. Quod verò hic tyrannicè & stultè magis quàm fortiter putauerit, ex eo arguitur, quòd inflictam ex superiori loco plagam adignominiam fuerit interpretatus, perinde ac si conserta cum inermi muliere comminus manu, vulnus ferro accepisset; cùm exemplum hoc non ad fœminæ fortitudinem, sed ad vltoris Dei prouidentiam & iudicium, referri potius oporteret. Quod verò legimus, Vocauit citò, *significat illum curasse, vt antequàm primæ illius plagæ vis calorem excitaret spiritusq; in cerebrum euocaret, quorum impetu concidere necesse erat, vulnere aliunde accepto corruisse crederetur, atq; ita ipsum sibi mortẽ consciisse fama narraret: demum vtcũque interpretari vellet, rumor illum à femina læsum, & ab intimo ac familiari confossum percrebuit: quæ res iustum Dei iudicium declarauit in parricidam, qui familiæ suæ interitum familiaris cuiuspiam operà attulerat.* Interfecit eum. *non vno tantùm vulnere magna vi ac celeritate impacto confodit. Sic ex primæuæ historiæ verbis explicandum.*

Illo quoque mortuo, omnes qui cum eo erant de Israel, reuersi sunt in sedes suas.

NOLITE, *ait Psalles, confidere in principibus, nec in filiis hominum, in* Psal. 145.
quibus non est salus. Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam: in »
illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Vltra fidem, societatem, & se- »
dulitatem, quam inter principes & exercitum seruari consentaneum fuerit, varia fuisse multorum vota & studia, in illis bellis ex Abimelechi gratia & fauore exspectanda, quæ omnia illo pereũte simul exstincta, neq; quicquam cuiquam amplius fuit exspectandum aut sperandum, nec quicquam præterea illius tyranni causa curandum, cui nullus qui vel interitũ vlciscereturr, vel etiam funus curaret, ex omnibus Israelitis amicus relictus commemoretur. sed, Omnes qui cum eo erant, reuersi sunt in sedes suas. *ita vt nemo bellum illud agi, vel produci, sua interesse iam putarit, eoq; tantùm susceptum videri posset, vt de parricidij illius nefarij authore, & adiutoribus primis sumeretur supplicium, idq; non hostium aut inimicorum, sed sociorum fratrũ, consanguineorumq; operà fieret, vt res rei cõparata, manifestum Dei probaret iudicium. Adnotationem hanc ad legẽtium vtilitatem ex ipsa exemplaris linguæ lectione adiunximus, quæ sic habet:* Et viderũt viri singuli Israelitæ quòd mortuus est Abimelech, & abierunt vir in locum suum. *Singuli Israelitæ illius casus & interitus testes spectatoresq; fuisse narrantur, eoq; viso singuli rem suam facessisse dicuntur, tamquam ad hoc tantummodo producti viderentur, quod cùm vidissent confectum, demum cognoscerent, atq; inter se collatum frequenti narratione vsurparent. Namque nomen,* Viri Israel, *non sine certa significatione hoc loco appellatum est, quod potentem cum Deo forti, & omnia quæ sese spectant, ad eiusdem numen & consilium referentem, interpretamur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et reddidit Deus malum, quod fecerat Abimelech cõtra patrem suum, interfectis septuaginta fratribus suis. Sichimitis quoque, quod operati erant, retributum est: & venit super eos maledictio Ioatham filij Ierubaal.

TOTIVS *iam superiùs recitatæ tragœdiæ vtilissimum ad doctrinam exemplum hominibus propositum, summa hæc oratio breui atque significante verborum numero magno cum sententiæ pondere tradit, cuius initium à dictione,* ET, *factum est: quæ nõ tantùm verbum verbo, sed rei rem, & causis effecta, atque antecedentibus consequentia in sacro sermone adnectit,*

Cic. Offic. 1 *valetq; perinde atque Latinis oratoribus, Itaque; & pœtis, Ergo. vt: Itaque vtamur potiùs bonitate nostrorum verborum, quàm splendore Græcorum.*

Prop. lib. 1. *Et illud:* Ergo sollicitæ tu causa pecunia vitæ es.

Iuuenal. Sat. 9. *Et,* Reddidit ergo metu, non moribus.

Similem vim apud Hispanos obtinet vocabulum Assique, *& apud Italos* Dunque, *& in Belgarum idiomate* Maer. *quæ suis in linguis animaduersionem excitant, vt Græcus suum illud* ὄνος οὖ. *Huius, inquit, exempli illa obseruatio, illaq; explicatio publicis moribus atque etiam communi Israëlitarum omnium iudicio & sermone exstitit. Eorum qui tanta fratris crudelitate & impietate, tanta adiutorum ope, indigne atque immeritò corruissent, vicem* ELOHIM, *hoc est, Deum orbis iudicem, fuisse vltum, atq; non in auctorem tantummodo sceleris, verùm in fautores quoque seuerè animaduertisse.* Sichimitis quoque. *ex germanis verbis:* Ita & omne malum virorum Sichem reddidit ELOHIM in caput ipsorum. *in authores, inquit, ipsos adhuc superstites ac viuos; quippe iudicium hoc intra quadriennii ab initio criminis editu fuit, quod tẽpus ad pœnitentiã fuerat vtriq; parti concessum; qua neglecta, tamẽ supplicium maturatũ est. id quod ita factũ oportuit, vt præsentissima Dei prouidentia sibi omnino consentire hominibus probetur, ex cõstante & cohærẽte iudicij pronũciatione primùm, & consequente deinde exercitatione. Namq; sententia quidẽ iuuene nuper*

Supra „ *paternã causam agẽte fuerat pronũciata: Si ergo rectè & absq; vitio egistis*
» *cum Ierubaghal & cũ domo eius, lætamini in Abimelech, & ille lætetur in*
» *vobis. Sin autẽ perueršè, egrediatur ignis ex eo, & consumat habitatores Si-*
» *chem, & oppidũ Mello: egrediaturq; ignis de Sichem, & de oppido Mello, &*
deuoret Abimelech. Huc itaq; illud hemistichium pertinet: Et venit super eos maledictio Ioatham. *Nam is monẽte Deo illa prædixerat, quæ euenisse cognouit vltore Deo, qui quondam de viduarum ac pupillorũ immunitate*

Exod. 22. „ *ita cauerat: Viduæ & pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabun-*
» *tur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, &*
» *percutiamq; vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli. illius autem iuuenis ad iudicem Deum clamor illa formula nobis antea excipiebatur: Audite me viri Sichem, ita audiat vos Deus.* Maledictio *hoc loco idem significat quod exsecratio, obnunciatioq; dirarum.*

CAPVT

CAPVT DECIMVM.

POST Abimelech surrexit dux in Israel Thola filius Phua patrui Abimelech, vir de Isachar, qui habitauit in Samir montis Ephraim.

ABIMELECHI *tyrannidem breuissimo exstinctam tempore quæ consecuta fuerint tempora deinceps narratur. ac primus in iudicibus atq; ducibus Thola ponitur, vir paterno splendore ac tribu etiam nobilis, qui ob virtutis præstantiam, reipublicæ administratione ac tutela susceptа, Samiram vrbem in Ephraimi sitam monte incoluit, quòd opportunum locum pro temporis & rerum ratione & vsu censuerit tum ad ius populo dicendum, tum ad regionem ab hostium inuasione defendendam. Hunc vero non otiosum, aut desidem ignauumq;, sed strenuum & fortem, atque vicinis finitimisq; formidatum fuisse, verbum* Surrexit *probat, cũ adiuncta causa quam primæua lingua explicat:* Et surrexit ad seruandum Israelem Thola filius Phua filius Dodo. DODO *autem patruum suum significat, vel patrem suum, cuius possessiuum cùm lectio non declaret, interpretes Abimelecho adscribunt, maximè quod ad id admittẽdum Græca versione quodammodo inducantur,* ὑὸς πατρὸς ἄδελφου αὐτοῦ. *quamquam sunt qui* DODO *proprium nomen esse existiment, quo huius Phuæ auus appellatus fuerit, quando & nomen ipsum à Chaldæo interprete suis elementis integrum conseruari constat. ad quod etiam accedit Gedeonis familia in Manasse tribu conscripta, cuius fratrem, qui Abimelecho patruus contingeret, ad eãdem tribum referri conueniret; nisi vlla hic ex affinitatum ratione intercedere posset exceptio. quam cõtrouersiam alias iudicibus dirimendam reseruamus, illud obseruasse cõtenti, Deum illis iudicum saculis ex singulis ferè, vt aliàs adnotabimus, Israëlitarum tribubus virum delegisse, cui reipublicæ cõmitteretur cura. Atque verbum* Surrexit, *non ex successione, sed delectu aut acclamatione, aut potentia & opibus, aut singulari diuinæ prouidentiæ sententia, potestatis siue ministerij tus huic vel illi constitisse significat. cuius adnotationis exempla quam plurima per sacros occurrunt libros. vt, Surre-* „ Exod. 1.
» *xit in terra Rex nouus super Ægyptum: qui ignorabat Ioseph, id est, pulsis*
» *iam & exstinctis Regibus illis, quos tanto beneficiis, tanta amplitudine, tantis diuitiis auxerat Iosephus, alius quispiam non hæres, verùm occupator, clauum tenere cœpit. ita hoc loco* Thola *ex alia familia atque tribu surrexisse cõmemoratur, singulari adnotatione successionis, nõ hæreditatis: nã qui paternum autumq; locum in potestate vel magistratu obtinet, in sacro sermone* Regnare, *siue* Iudicare, *siue aliàs munus gerere pro illo dicitur, sua verò in lingua* THAHHATHAV. *qui verò non hæreditario, sed alio iure quẽquam subsequitur, Latinis succedere dicitur, ac successor idem appellatur: sacri verò sermonis vsu, regnare, vel aliàs rem administrare post*

alium

Universidad de Deusto
Biblioteca

alium fertur. Cùm verò Tholam hunc Abimelecho ad populi salutem actutelam successisse declaret historia; Abimelechum etiam ipsum, quamquam malis artibus & rationibus admissum, tamen eodem tuendi, defendendi, ac iudicandi Israëlis munere functum fuisse indicat, cuius culpa non in magistratus iure violato exsiliterat, sed in eodem iure per summam iniuriam stabiliendo. Namque is publico Sichimitarum consensu princeps fuerat salutatus: verùm quia ea res non moribus & æquitate, sed ambitu peracta, atque sceleratis parricidiis firmata fuerat, vt & illi & illius fautoribus malè verteret, euenit, id quod vltima præcedentis capitis sententia expressè

Supr. 9. *fuit adnotatum: Reddidit Deus malum quod fecerat Abimelech contra patrem suum, interfectis septuaginta fratribus suis. & paulo etiam superiùs eiusdem culpæ communione Sichimitas damnatos vidimus, & scelus interfectionis septuaginta filiorum Ierubaghal, & effusionem sanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem suum, & in cæteros Sichimorũ principes qui eum adiuuerant. Itaque non tam electio Abimelechi, quàm electionis causæ & euenta in crimen vertuntur Sichimitis: qui tamẽ aliàs vnum quempiam ex tanto fratrum numero, vel ex alia etiam tribu, suffragiis & voce declarare potuissent. Hunc verò quamquam infelici consilio declaratum, tamen toto triennio ad Reipub. gubernacula sedisse historia indicauit:*

Supr. 9. *Regnauit itaque super Israel tribus annis. quod spacium in temporum ratione ac numero ad summam quoque refertur. Atque illas armatorum copias, quas ab Abimelecho aduersus Sichimã deductas legebamus, prætorias fuisse, ac perpetuò in militari officio & exercitatione versatas intelligimus, non autem tunc primùm coactas: nam & hoc ipsum mandato illo indicatur,*

Supr. 9. *Surge nocte cum populo qui tecum est. Quamquam verò nihil ab illo aduersus externum hostem gestum fama historiaq; acceperimus; tamen illius copiis & populum in officio, & finitimos in metu contentos fuisse, existimare licet, vtpote perculsos ac territos nomine & opinione viri ad rem agendam augendamq; prompti, & suorum gratia atq; opibus potentis, nec non incredibilis ferocitatis exemplo diffamati, qui septuaginta fratres super lapide vno, vna die, principatus ineundi & firmandi studio sustulisset. Iam verò huius successorem Tholam fortitudine ac prudentia, consularibusq; virtutibus illustrem, & præsidiorum atque subsidiorum opportunis curis, & iuris dicendi muneri atque officio intentum, viginti ac tres annos perpetuos feliciter præfuisse, & vita pariter atque magistratu ac religionis pietate defunctum, in eadem quam iudex tenebat vrbe honestè sepultura conditum cepimus. Existimamus autem vrbi illi nomen factum à Samir lapidis eadem loci abundante copia, qui apud Græcos & Latinos exigua mutatione vocabulum retinet* SMIRIS, *Hispanis verò atque Italis* Smeril & Smerillo *dicitur; atque Latino interpreti nostro plerumque in Adamanta vertitur. de quo nos iam aliàs pluribus disserebamus. Bono autem iudici bonoq; custodi (id nomen magistratibus omnibus à Platone tribuitur) celebre sua*

cognominis

cognominis sepulchrum decretum fuit; quippe Samir *significatio ad custodiam & firmitudinem pertinet.*

Huic successit Iair Galaadites, qui iudicauit Israel per viginti duos annos, habens triginta filios sedentes super triginta pullos asinarum, & principes triginta ciuitatum, quæ ex nomine eius sunt appellatæ Auoth-Iair, id est, oppida Iair, vsque in præsentem diem, in terra Galaad.

VIRO huic, *propter diuitias & opulentiam, communi ac publico suffragio administrandæ reipublicæ munus delatum intelligimus, quippe consentaneum fuerat eum haberi prudentem & fortem, quem Dei beneficio felicem esse constabat. Magnã autem seculis illis felicitatis partem in legitima, eaq; numerosa ac florente prole positã, & diuina illa promissa quæ vmbram atque imaginem futurorum bonorum sacra continet lex, & multa etiam Vetum ac Psalmorum oracula documentaq; comprobant; præcipuè si eiusmodi familiis diuitiarum honestis artibus paratarum abundans & cõmodus accedit vsus, cum vtentium honore ac dignitate cõiunctus. S. S. E. Beatus homo qui timet Dominum, qui ambulat in viis eius. Labores manuum* Psalm. 127. ,,
tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit. Vxor tua sicut vitis ,,
abundans, in lateribus domus tuæ. Filij tui sicut nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominũ. Huc etiam ,,
illud spectat: Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filij ,,
merces, fructus ventris. Sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excussorum. ,,
Beatus vir qui impleuit desiderium suum ex ipsis, non confundetur cùm lo- ,,
quetur inimicis suis in porta. Neque verò apud Israelitas tantùm, quibus ,,
honestissimum ducebatur, populum pium ac religionis veræ colentem vel vnica sobole propagare; verùm apud Gentes etiam, numerosior filiorum familia publicis ornamentis & immunitatis priuilegiis afficiebatur. vnde apud Romanos illa trium atque duodecim liberorum iura nata sunt. Hunc itaque virum felicem haberi oportuit, quem Deus triginta liberis auctum voluerat, iisdemq; ad ætatem vsque virilem perductis, atq; non sordidis, sed ingenuis & nitentibus, patremq; equestri apparatu, cùm prodire opus esset, comitantibus. Sedentes super triginta pullos asinarum. *Mulos hoc in loco interpretamur, qui ex asina & equo, vel ex equa & asino gignuntur. Erat enim illis regionibus honesta ac vel regia huiusmodi iumentorum vectio. Chananæum nomen* GHAIARIM, *cuius singulare est* GHAIR, *pullum significat plerũque ex asina vel asino progenitum, sed non semper eum qui in asinorum genere sit ponendus. Nam & apud Iobum* GHIRPARE *in-* Iob 11.
uenimus, pro quo interpres noster onagri pullum reddit. Onagrum autem quamquam siluestris asini nomine Latini pariter Græcus indigitent, tamen natura ipsa mulis quàm asinis ostendit similiorem. Atq; ita Græcus interpres cum Chaldæo consentiens, τριάκοντα πώλους, triginta pullos *vertit,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

nullo posſeſſiuo adiuncto, quod nec in primæuo reperitur exemplari. Pullum autem & aſininus & equinus Latinè dicitur. itaque opulentum virū hūc adnotatio hæc ſignificat, qui multos filios honeſtè ac liberaliter educaret, atque ſplendidè deduceret. Sedentes ſuper triginta pullos iuniores, atque ex conſequenti non ignauos, immo fortes & induſtrios, qui domitis pullis ex ſententia uti ſcirent. quibus verò artibus omnes illi ſeſe exercerent, ac rem familiarem augerent, regionis & patriæ adnotatio indicat, nempe Galaad, quæ & frugum vbertate, & pecorum armẽtorumq. fecũditate nobilis fuit. Pecuariam itaque huic familiæ amplam rem & ruſticam etiam ſatis bene cultam fuiſſe cenſendum eſt. hæc verò omnia vitæ decorauerat grauitas & integritas, quam rectè inſtituta tot liberorum turma probabat. Nomen autem ipſum idonea ad agendas res ſignificatione acceſſerat. IAIR *lucentem, candidum, ſplendẽtemq. dixerimus, quo etiam antiqui illius Iairi Manaſſes filij memoriam & exemplum repræſentari videbatur. Atq. his ornamentis ad ſummam amplitudinem, & regendi Iſraëlis authoritatem vir ille peruenit, quam per viginti & duos annos diligenter & dignè tranſactos ad mortem vſque comprobauit, eoq. temporis ſpatio triginta liberos, quorum ope in munere adminiſtrando opportunè vtebatur, in triginta ſua regionis antiquis oppidis collocatos, pro nominis ſui ratione claros nobilitatosq. reliquit.* Et principes triginta. *Ex exemplari:* Et triginta GHEIARIM illis, illis vocabuntur HHAVOTHIAIR vſque in diem hūc quæ in terra Gilghad. *Gilghaditæ regionis partem eam, quæ nunc præcipuè indicatur, bis eodem nomine, verùm alia atq. alia ex ratione celebrem exſtitiſſe, hæc lectio docet; quæ cùm breuiter ac ſignificanter tantùm relata fuerit, nobis erit diſtinctius explicanda. In concione illa celeberrima & ampliſſima quam de omni gentis ac rei Iſraëliticæ initio, progreſſu, & ſtatu Moſes habuit, terram omnem Argob, quæ Gigantum quondam nomine inſignis fuerat, Iairo Menaſſes filio in vſum poſſeſſionemq. ceſſiſſe narrabat, eamq. multis oppidis habitatã, mutato deinceps cognomẽto* HHAVOTHIAIR, *hoc eſt, Belluas Iair, deinceps dictitatã, quaſi ea ſermonis figura gegantes, id eſt, robuſtos terræ illius habitatores, non ſecus quàm belluas, Iairo ſuperatos & interfectos referret, poſteritatiq. memoriæ ac monumentis mandaret. Sunt autem huiuſmodi de hac re concionatoris illius verba:*

Deut. 3. „ *liquam partem Galaad, & omnem Baſan regni Og, tradidi mediæ tribui*
„ *Manaſſe, omnem regionem Argob: eunctaq. Baſan vocatur terra gigãtum.*
„ *Iair filius Manaſſe poſſedit omnẽ regionẽ Argob vſque ad terminos Geſſuri*
„ *& Machathi, vocauitq. ex nomine ſuo Baſan,* HHAVOTH-IAIR *[id eſt, Villas Iair] vſq. in præſentẽ diem. Hæc illius nominis illi regioni impoſitio ratio & cõmemoratio vltra tercentũ annos producta fuit, quæ poſtea etiam alia de cauſa confirmata præſenti lectione refertur, hoc eſt, de nomine huius alterius Iairi, cuius triginta filiis triginta regionis illius frequentia oppida, ſingula ſingulis, ad habitandum regendumq. ceſſere, non ſine gloria & rei*

bene adminiſtratæ commendatione, quam ob rem euenit, vt eadẽ quæ antea HHAVOTH-IAIR, *id eſt, Belluæ Iair, ſiue (vt interpres noſter explicationis cauſa vertiſſe videtur) Villæ Iairi dictitabãtur, iã nũc deinceps horũ filiorũ gratia & merito* HHAVOTH-IAIR, *id eſt, Belluæ Iair, hoc eſt, à Iairi filiis illic conſidentibus gubernata oppida cognominarentur, rebus & vocibus iam nunc aptiùs comparatis. Namq. olim à giganteo Barbaro genere domito & expulſo, Hhauoth dictæ fuerant, ac non ita frequenti populo Iairi occupantis ætate cultæ: quam ob rem in illo loco Latino interpreti ſiue explicatori villarum nomine exponebantur. poſtea verò cùm loco & frequentia & cultura creuiſſent, ad vrbium propè rationem & cenſum atque nomen acceſſere, ita vt meritò à Latino ſiue verſore ſiue expoſitore fuerint oppida dicta, cùm in hoc ſermone nullum aliud ſuccurrat vocabulum, quo linguæ ſanctæ elegantia & germana proprietas hoc loco exprimi poſſit. ea autem ſic habet:* GHIRIM, *in illa linguaid ſignificat quod Latinis* Vrbes. *huic nonnihil diſcrepans vox* GHCIARIM *oppida vrbibus minora, facie tamen & cultu vrbium æmula, dicuntur, cuiuſmodi apud Hiſpanos in Carpentania* Talauera & Eſcalona, *in Bethica* Cremona, *in Bethicæ & Luſitaniæ finibus* Zzafra *ſunt: & in Belgio* Hondiſcotum, *& in Lotharingia* Pont à Monſon, *& huiuſmodi alia in aliis regionibus inſignia, quibus, dummodo ſermonum non refragaretur vſus,* Vrbecularum *nomen fortaſſe quadraret. Hiſpani* Ciudadetas & medio ciudades *vocant. Habemus itaque* GHIRIM, *quod vrbes; &* GHCIARIM, *quod oppida, villas vel ſemiurbes interpretamur. tertia reliqua eſt vox* GHAIARIM, *pro qua pullos Latinis reddi docebamus. ex quibus adnominationis elegãtia vtcumq. conſpici, delectareq. conſpicientem poteſt. Nam triginta Iairi filiis totidem* GHAIARIM *inſidẽtibus cũ triginta etiam* GHCIARIM *in domicilium atq. ditionem ceſſiſſent, nomen etiam & celebritatẽ* HHAVOTH IAIR, *hoc eſt, belluarum, ſiue potiùs vrbecularũ Iairi meruerunt. itaq. nomen quidẽ retentum eſt; verùm nominis ratio aptior & opportunior horũ cauſa extitit, propter verborũ affinitatem; quam Paronomaſiam dicendi artifices vocant. Hæc itaq. ſententia huius Latinæ verſionis,* Quę ex nomine eius ſunt appellatæ: *quæ antea prioris illius Iairi nomine inſignes fuerãt, huius poſterioris Iairi exemplo ac iure eodem ſunt celebriores cognomento, atque perpetuum viri & familiarũ illius monumentum documentumq. in hanc vſq. diem conſeruant. Sacra ac germana oratio ex verbis cõuerſa rem ipſam obſeruatione indicat:* Et triginta GHAIARIM illis, illis vocabuntur HHAVOTH-IAIR. *Græcos interpretes locutionis figuram hanc exprimere conatos arbitramur:* ἐπιβεβηκότες ἐπὶ τριάκοντα πώλους· καὶ τριάκοντα πόλεις αὐτοῖς κεῖ αὐταὶ ἐκάλεσαν ἐπαύλεις ἰαΐρ. *Ita accurata apparet allusio* πώλους, πόλεις, ἐπαύλεις. *duos itaque Iairos in hac lectione indicamus, non vnum, vti nonnulli opinantur, qui ſi eſſet, vltra trecentos profectò vixiſſet annos.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mortuusque est Iair, ac sepultus in loco cui est vocabulum Chamon.

SEPVLCHRI *locus ad historiæ veritatisq. testimonium & monumentum perpetuum indicari solet, ita vt nominis celebritas ex depositi amplitudine, vel obscuris oppidis parta, vel illustribus auctior accesserit. Huius autem oppidi, præter hanc, qua in Annalia & Iudicum commentaria relatum legimus, nullam antea mentionem factam meminimus. Sed iã ab huius sepultura vnà cum viri memoria atq. fama loci etiam recolebatur nobilitas.*

Filij autem Israel peccatis veteribus iungentes noua, fecerunt malum in conspectu Domini, & seruierunt idolis Baalim & Astharoth, & diis Syriæ ac Sidonis & Moab & filiorum Amon & Philistiim: dimiseruntque Dominum, & non coluerũt eum.

HVMANI *ingenij prauitas, & in bonis studiis ac rebus inconstantia, nec non nouarum ac peregrinarum actionum auiditas & æmulatio, his antiquarum lectionum monumentis ad posteritatis memoriam, eruditionem, ac prudentiam ad viuum expressa depingitur.* IAM *nimis vetus, nimiumq. vulgaris illa quadraginta quinque annorum spatio producta religionis ac reipublicæ facies, fastidiosissimis hominum sensibus videbatur, cùm præter antiquos veteresq. ritus & mores, à duobus proximis iudicibus instauratos, nihil præterea ludorum, nihil publicæ lætitiæ, quo populus oblectaretur, exstaret. Vnus tantùm locus certis statisq. diebus, isq. cum magna reuerentia, cum tristi seueritate esset petendus, atque ex prisca tantùm disciplina colendus, idq. vnico ac singulari semper modo & ordine: cùm tamen Gentes cæteræ omnes, atque in primis eæ, quarum vicinitate & commercio vtebantur, alijs atq. alijs cultibus variarunt, & frequentibus sacrorum, ludorum, & saltationum, conuiuiorum atq. epularum spectaculis delicijsq. fruerentur, qui tamen homines quoq. erant, & publicarum ac priuatarum rerum vsu & splendore non minùs bene viuere feliciterq. agere viderentur, atq. idem diis religionibusq. propriis omnia accepta referrent, vt quibus numen esse, & non ita rigidam cultus disciplinam placere crederent. Huiusmodi itaq. rationibus putatis, filij Israel non modò intermissas iam pridem superstitiones postliminio recipere, sed nouas etiam atq. recentes dedicare, & à vicinis pro libidine petitas inferre decreuerunt.* Peccatis veteribus iungentes noua. *Exemplaris verbi* IOZZIVHV *significationem circumloquio expressit Latinus interpres, quod aliàs simplici vocabulo, addiderunt, imitari solet. Namq. non repetitio modò, sed cumulus & auctio hoc verbo significatur. Rursus, inquit, antiquã superstitionẽ, illis paucis annis intermissam, renouare, atq. temporis anteactæ iacturã iisdem quibus antea dediti erãt frequentiùs repræsentãdis, & nouis præterita inferendis adaugendisq. resarciendam curauerunt. idq. cùm priuatè, tum publicè, atque adeo contentiosè. id significat appellatio filiorum Israel cum exacerbatione criminis*

ac sceleris, quòd tantum ab illo Israele degenerauerint, qui familiam suam omnem istis superstitionibus immunem alienamq. esse curauerat. Namque vltra intermissorũ Baghalim & Ghastharoth instaurationem & amplificationem, quidquid apud vicinos colebatur, nouis auctionibus indies accedebat. S.S.E. Nouæ recentésque venerunt, quos non coluerunt patres eorum. Deut. 30.
Baalim & Astharoth. *De nomine & ratione* Baghalim *fusiùs aliàs diximus: tantùm hic repetere sat fuerit, hoc nomen masculinæ & pluralis formæ esse, & eos deos significare, quibus hutusmodi sexum èluſa tribuebat antiquitas, vt Saturnos, Iones, Martes, Apollines, Mercurios, Vulcanos, & cæteros omnes. Hos ab Homero & antiquioribus pœtis consecratos Deos, siue Deos appellare, atq. in suos fastos inferre Romana potentia, in populi gratiam atq. in Reipub. ementitam amplificationem, curauit. ex hoc genere Beli etiam, Chamosi, ac Dagonis, & multa alia nomina apud Assyrios, Syros, Palæstinos, Moabitas, & Idumæos dedicata sunt, Barbarorum videlicet deorum. Verùm quia masculorum tantùmodo numinum turbam non satis felicem fore existimauerant, eò licentiæ à pœtis & huiusmodi superstitionũ antistitibus progressum est, vt cælum quoque, maria, ac terræ, & elementa omnia, atque adeò infera ipsa regna deabus feminis tum virginibus tum nuptis, necnõ & meretricibus, implerentur, istisque etiã numen, potestas, & iuuandi atque lædendi mortales arbitrium & vis tribueretur. Atq. ita Iunones innumeræ, Dianæ, Pallades, Cereres, Proserpinæ, Hebes, & Irides, & Veneres, in Dearum sunt relatæ numerum, præter Nymphas Dryadas & Hamadryadas & Oreadas, nonnullaq. alia minoris censũ nomina, quibus omnibus alia atq. alia sacra, pro variis vtilitatis atq. efficientiæ opinionibus, instituta sunt: & quamquam mares & feminæ crederentur, tamen nonnũquam Dij atq. Deæ distinctis appellabantur nominibus.*

Duíque Deæque omnes, studium quibus arua tueri,
Quíque nouas alitis non nullo semine fruges,
Quíque satis largum terræ demittitis imbrem,

Virg. Geor.

Nonnumquam masculino vocabulo vterque concludebatur sexus. vt:

Illa Deos ciet agricolæ pro vitibus vuas,
Proserete spicas, pro grege ferte dapem.

Tibul. lib. 2.

Verumenimuero Chananæorum veteri disciplina vterq. sexus tam pluraliquàm singulari numero sua distincta, augusta, ac sancta nomina sortitus est. Nam quicumque mares numen habere crederentur, singuli BAGHAL, *plures* BAGHALIM *dictitabantur; feminæ verò omnes, quæ consecratione & cultu existimarentur dignæ, singulariter* GHASERETH, *pluraliter verò* GHASTHAROTH *nuncupabantur. vocis autem etymo* GHASERETH, *diues femina significatur, cuius pluralis est* GHASTHAROTH. *diuitiarum verò cumulus, eos quibus contingit, felices esse vulgo putatur: vnde effectum est, vt beatitatis & beati nomina ad diuitias ac diuites Romano sermone referantur, vt:*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hor. lib. 1. Sat 8. Idem lib Epod. Ode 8. Idē Car. lib. 2. Ode 19.

Vt Nasidieni iuuit te cena beati? &: Esto beata, funus atque imagines
Ducant triumphales tuum. *Hinc etiam euenit, vt beatitatis quoque nomen & epitheton cælicolis illis ac feminis præcipuè concederetur.*
Fas & beatæ coniugis additum Stellis honorem.

Atq. ita confusè diuitem pro beato, & beatum pro diuite vsurpare Latinis scriptoribus licet, quod & Græcis in suis vocibus μακάριος & πλούσιος contingit. Iam verò ad Chananæam linguam redeamus, in qua vox HASCRIM *pluraliter enunciata, felicitatem siue beatitatem significat, eidem illam valde affinem* GHASCRIM *in diuitias Latini vertunt. atq. ita* HASCROTH & GHASTHAROTH *similima ferè nomina in beatas vel diuites vertere nobis licet. & quia magna etiam cum simplicitate coniuncta vtilitas iunioribus ouibus feminis attribuitur, idem etiam nomen ad significandum hoc genus pecudum traductum est. quamobrem audito nomine* GHASTHAROTH, *simplices ac beatas, & hominum generi vtiles, perpetuaq. iuuenta vsas feminas intelligere libet: quales eas quæ cælo ac deorum consessu & conuiuio dignæ existimarentur, Gentes illæ nominarunt. Atq. huiusmodi nominibus & numinibus varto indigitatis cognomento, multa loca apud Chananæos sacrata dicataq. traduntur, vt Baghal-Berith, Baghal-zebub, Baghal-Paghor, Baghal-Gad, Ghastharoth-Karnaim, & complura alia, quæ alias ad catalogum antiquitatis studiosorum gratia redigentur. Summa autem explicationis huius este: Nomina illa* BAGHALIM, & GHASTHAROTH, *Chananæis olim vulgatissima & celeberrima, ab Israelitarum degenere populo fuisse cum suis ritibus ac superstitionibus admissa & vsurpata per summū nefas, cùm sacra ac diuina lex vna & quinquaginta præceptionibus, ac multis dirarum prædictionibus, id vel commemoratione fieri cauisset. Hanc autem vocem* GHASTHAROTH *Chaldæa Assyriaq. lingua nonnihil immutatam* GHASTHARTA *pronunciat, quam postea Græcorum sermo, quòd gutturalibus elementis & prolationibus destitutus fuerit, translatam ἀστάρτη protulit: deinde verò ex minùs diligente & accurata rei notitia vnam quampiam deam esse putatam, &* Astarten *nominatam, Græci historici suis scriptis mandarunt, & Latini tradiderunt. id quod & nos admonendum duximus, ne quis cum Plutarcho cæterisq. scriptoribus in huiusmodi Astarte Assyriorum ipsis vocata dea, nomine pariter atq. re decipiatur: quale in multis aliis corrigere facilè fuerat, si nostri hoc laboris & instituti esset. Igitur Israelitæ antiquis regionis suæ superstitionibus multo studio reuocandis, magno sumptu & apparatu adornandis, non contenti, aliis quoque operam & cultum dicare voluerunt.* Et diis Syriæ, *Damascenis. Nam cùm triplex Syria siue Arā in sacris Geographicis à nobis fuerit descripta, hæc Israelitarū regioni vicinissima confiniq. erat ab Aquilone, cui adnexæ Occasum versus adiacebant Sidoniorum ac Tyriorum prouinciæ, quibus peculiares colebantur dij.* Et Sidonis. *A Meridie verò & Ortu Moabitæ Israelitarum claudebant fines, quorum etiam*

etiam religionibus apud se sancitis, ita vacasse arguuntur: Et Moab, & filiorum Amon, & Philistiim. *qui ab Ægypti fluuio dicto tractum omnem inter Israelitas & Sidonios tenebant. Animaduertendum autem est, in sacræ linguæ narratione his omnium vicinarum gentium diis nomen non* Baghalim & Ghastaroth, *sed* ELOHIM *adscribi, ea quam modò explicabamus adnotatione. Quod nomen plurale est, & ad gubernationis, prouidentiæ, virtutis atq. efficientiæ, consilij & iudicij rationes vsurpari, non semel docuimus, pro quo Latini interpretes interdum Iudices, nonnūquam Angelos, sæpissimè deos reddunt. est autem in exemplari opportunissima consilij, voluntatis, actionis, negotij, studij atq. sedulitatis exaggeratio ad hanc arguendam causam, quæ nomine Elohim repetito, ac singulis nationibus adiuncto fit, cum reiteratione duarum dictionū, coniunctionis inquam & articuli, quam figuram Polysyntheton Rhetores vocant.* Et [*ipsos*] deos Aram, & [*ipsos*] deos Sidonis, & [*ipsos*] deos Moab, & [*ipsos*] deos Amon, & [*ipsos*] deos Philistiim, *quæ interpres noster semel tantùm posito accusatiuo connectit: Græci verò, quod articulis opportunis abūdant, singillatim expresserunt,* καὶ τοῖς θεοῖς συρίας, *&c. Ipsa autem repetita coniunctorum membrorum pronunciatio vel verbosum enumeratorē delassare potuit, & tamen Israelis filios tantum in illa re, in illa impietate positum studium, tanta cura & opera minimè lassauere. Deos autem numero multitudinis vnicuique numerationis membro adscribit author, vt affectatum & contentiosum superstitionis studium exprimat. Non, inquit, selectum aliquem & præcipuum ex singulis nationibus Deum, sed Deos, & Deos, & Deos. Quippe hominum ingenio vbi à diuinæ legis orbita ad propria opinionis atq. delectionis semitas diuerti libuerit, nullius vmquam inuenitēdi, addendi, mutandi, atq. innouandi res statuitur modus. hic enim licentiosè illisae fetendi bonum & malum facultatis fructus fuit; qui semel gustatus,* Gen. 3. *insanam & insatiabilem infert famem curiositatis, quam æmulationis & contentionis orexis quadam vehementius irritat. Vnde variarū sectarum, disciplinarum, atq. dissimilium rituum & morum, secum & cum aliis pugnantium, origo est.* ATQVE *hanc quoque partem nos pio ac Dei cultori viro cuius, in suo etiam seculo obseruandam cauendamq. indicamus. Igitur cùm Israelitæ rebus publicis atq. priuatis maximā ex religione vtilitatem afferri intelligerent, omnium vicinarum nationum, quam existimabant felicitatem primùm petendam, deinde ipsarum quoque gentium amicitiā & societatem cōciliandam sibi esse duxere; id quod nullare commodiùs assequi se posse putauerunt, quàm religionum communione: vt hoc pacto cæterarum religionum deos hospites adscitos, & tēplis atq. aris positis cultos, iam quasi ciuitate apud se donatos, experirentur propitios; vicinos verò ipsos, à quibus deorum illorum sacra discebant & accipiebant, sibi tum disciplinæ communionis, tum mutuæ consuetudinis causa, & morum similitudine socios confirmarent; atq. demum cæterorum omnium felicissimi euaderent. Quippe qui*

omnium

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnium vicinorũ deorum communi collegio atq; domicilio apud se constituto, regionem suam cæli æmulam reddidissent. Tam multis itaq; diis inducendis, consecrandis, dedicandis, atq; colendis intenti, Dimiserunt Dominum, & non coluerunt eum. *Namque hic huiusmodi mutationis exitus,*
Deut. 32. *legislatoris vaticiniis fuerat prædictus: Deum, qui te genuit, dereliquisti,*
» *& oblitus es Domini creatoris tui. Primùm enim tot nouis rituum & cultuum generibus & formis, tot simulacris deorum, non in vna tantùm vrbe, sed in omni oppido, vico, pago, monte, fonte, atq; via collocatis, tot lucis nemoribusq; consitis, tot templis structis, altaribusq; erectis, ornatior & elegantior multo visa est regio. Iam verò tanta vestium & culturæ licentia & varietas, tanta ludorum, saltationum, & cantionũ, atq; carminum diuersitas, ita nouarum cupidos puerorum, feminarũ, iuuenum atq; etiam senum animos oblectabat, vt priscam illam antiquæ ac paternæ disciplinæ simplicitatem fastidio ac satietate abalienaret: maximè cùm illa vnum tãtùm ad diuinam rem agendam locum, eumq; ter singulis annis adeundum constituisset; atq; hoc modo quosdã otiosos, atq; superstitiosos, vagandiq; auidos, ingrata desidia continere; alios verò, quibus non tantum vel otij, vel facultatis esset ad excurrendum, visendi templi copia priuare visa esset (mentior, nisi hoc nomine Mosis tabernaculum, & Salomonis templum apud Christianum scriptorem damnata legerim) ita adeo hac nouarũ religionum vice omnibus tum vagis & peregrinandi cupidis, tum etiam iis quibus non tantum discurrere liceret, magna opportunitas magnaq; commoditas creata est: cùm nemo esset cui vel in oppido, vel, si placeret, in horto proprio, vel etiam domi, templorũ atq; deorum illorũ frequens non constaret copia. Sordescere ergo primùm Dei nomen & cultus cæpit atq; contemni, ac deinde quàm citissimè istis nouis moribus obsoleuit, adeò vt derelictus fuerit Dominus, nec vllo pacto etiam inter tam multos hospites ille, si non vt antiquus, ac sui ipsorum gentis, hoc est, Israelitarum verè tutelaris Deus, tamen vt tam diu in illa regione tribus & vltrà seculis notus, atq; innumeris modis illustris, vel saltem vt hospes etiam inter cæteros admissus, quinimo illorũ animo & proposito exclusus, & contemptus fuit; tum quod nec alium secum*
» *cognosci Deum ipse antè cauerat. Ego enim sum Deus tuus qui eduxi te de*
» *terra Ægypti. Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus vnus est. Non adorabis deos alienos. Tum quòd illius sacra, & cultus omnis, cum cæterorum deorum ritibus, institutis ac ceremoniis pugnarent. His autem admissis & institutis, illa deseri contemniq; consequens fuit.*

Contra quos Dominus iratus, tradidit eos in manus Philisthiim, & filiorum Ammon.

PRÆDICTIONES *illas in Mosis vaticinio non ad necessitatem, sed ad monitum consiliumq; decantatas, Israelitarum culpa & opprobrium suis euentibus verissimas atque certissimas declaratas, animaduertere est. Vidit*

Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est: quia prouocauerunt eum filij sui & filiæ. Siquidem complures & magnæ, atq; graues admodũ prouocationis causæ ex istorum peruersa mente, atq; libidinoso electionis consilio exstitere. Prima illa offensio fuit, velle aliam constituendæ Reipub. inire rationem ab ea, quam diuinis acceperant institutis ac legibus. Secunda verò, decus & splendorem ac felicitatem sibi ex alienis religionibus adsciscere. huic autem proposito res ipsa accessit, Chananæorum numinibus maribus ac Deut. 32.
feminis instaurandis, aliisq; præterea inducendis ex vicinarum regionum imitatione, & vt alia quàm plurima flagitia omittamus, ipsa expetita cum vicinis gentibus cõsuetudo atq; societas, vitiosissima ipsis calamitosissimaq; fuit, vtpote quarum corruptissimis moribus perniciem afferri necesse erat, maximè verò cùm id externarũ religionum affectata, & studiosè quæsita communione conficeretur. quippe Israelitæ cum religione sua, in illo medio totius terræ theatro constituti fuerant, non qui quicquam, quod ad religionem pietatemq; faciat, ab vlla vspiam gente nationeq; mendicarent, sed qui institutorum morumq; suorũ exemplo, cæteris omnibus populis veræ pietatis magistri, doctores, authoresq; essent. S. S. E. Ecce dedi te in lucem gen- Isai. 49.
tium, vt sit salus mea vsq; ad extremum terræ. Atqui cætera omnia quæ hoc »
loco nobis indicata, Israelitis appetita crimini dantur, certa admonitionis ac prædictionis lege cauerat Deus: Non inibis cum eis fœdus, nec miserebe- Deut. 7.
ris eorum, nec sociabis cum eis coniugia. Filiam tuam nõ dabis filio eius, nec »
filiam illius accipies filio tuo: quia seducet filium tuum ne sequatur me, & »
vt magis seruiat diis alienis: irascetur q; furor Domini, & delebit te citò. »
Huius diuinæ offensionis euentum huic narrationi subiunctũ legimus; causam verò atq; fomenta malorum & calamitatũ ab ipsis Israelitis excitata fuisse, res ipsa indicat, qui, simulatq; sua ipsorum libidine à Deo sese abalienare studuerunt, perdito æmulationis furore (vt hominũ ingenium est) cum gr quas æmulabantur gentibus ex consuetudinis initiis, in generis, opum, diuitiarũ, industriæ, splendoris, atque adeò in religione colenda præstantiæ, contentionem venire cæperunt. Nam non minima de hac re Gentibus eundem cultũ professis altercatio, ac rerum & verborum discrepãtia esse solet, hinc autem rixæ oriuntur & iniuriæ mutuæ, ex quibus bellorum inchoantur incendia. Tradidit eos in manu Philistiim & filiorũ Ammon. *Traditionem hanc iure summo factam intelligimus, quam sacer sermo ita accipiendam indicat. sic ex verbo:* Et exarsit nasus Domini in Israel, & vendidit eos in manu Pelisthim, & filiorũ Ammon. *Namque nomẽ ipsum,* Israel, *quasi correlatiuum est nomini,* Domini: *nõ quidem ex natura alterius partis, hoc est, Domini, sed ex cõditione & obligatione alterius, hoc est, Israelis. Quamquã enim Domini rationẽ & mentionem non continuò Israelis nomen & ratio sequatur, tamen Israelis appellationẽ & constitutionẽ Dei possessio euestigio consequitur; illudq; verissimè enunciatur, Si Israel est, Dei Domini est. quando idem est Israel, quod Dei Deo, & cũ Deo*

Universidad de Deusto
Biblioteca

potens, id est, quidquid Israeli sub hoc tributitur nomine, id omne ad autho-
rem & Dominum Deum est referendũ. Siquidẽ Israel à natura nihil plus
quàm Iacob fuerat, beneficio autem, efficientia, gratiaq; Dei, Israel factus,
appellatusq; fuit. id quod ex ingenuorum Israelitarum professione confir-
Psal.99. *mare libet. Scitote quoniam Dominus ipse est Deus; ipse fecit nos, & non*
» *ipsi nos. populus eius, & oues pascuæ eius. Igitur cùm se exuti ab hac profes-*
sione per insaniam alienare studuerint, commeruerunt vt ab offenso Domi-
no ac pastore lupis, quorum consuetudinem optauerant, castigationis causa
exagitandi, & lacerãdi permitterentur. atq; hæc traditio & permissio ven-
dendi verbo declarata est. Namq; emptionis iure comparatum seruum, atq;
iusta & clemente seruitute exceptum ac tractatum, tamen ingratum effec-
tique desertorem & fugitiuum, vendendi facultatẽ iura omnia hero con-
cedunt: quod castigationis genus in seruitiorum iudicijs mitissimum censi-
tur, sed vt illa inutili atq; improbo seruo sentiri possit, asperioribus domini
vendi huiusmodi solent. Venditi autem fuerunt hac tempestate Israelitæ, in-
quos amicos & socios affectauerant, vt tandem seruitutis vtriusque discri-
men experti resipiscerent. Quippe hanc cum Israelitis quondam emptis, de-
inde ob scelera & flagitia vendendis, atq; identidem redimendis, rationem
perpetuam Deus tenebat, quam fusiùs aliquãdo apud Prophetas declarauit.
Amos 9. *Nũquid non vt filij Æthiopum vos estis mihi domus Israel? ait Dominus.*
» *Numquid non Israel adscendere feci de terra Ægypti? &c. Hoc autem per-*
fecto atq; hac lege sibi cum seruis officiũ prodentibus agendum esse, Domi-
Deut.32. *ipse prædixerat: Quomodo persequebatur vnus mille, & duo fugarent de-*
» *cem millia? nonne quia Deus suus vendidit eos, & Dominus cõclusit illos?*
Non enim Deus noster vt dij eorum [nimirum qui nec lædere, nec iuuare
sui cultores vel desertores possunt] & inimici nostri sunt iudices, &c.
Hoc itaq; iure, & consilio hoc, Israelitas nationibus vicinis traditos intelli-
gimus, & hominum à Deo alienatorum consilij quales sint exitus, admone-
mur. Est autem in versu hoc summa ac breuis mox deinceps enumerationis
explicandarum calamitatũ propositio, sacris historijs perquam familiaris.

Afflictiq́ue sunt vehementer, & oppressi per annos decem & octo omnes qui habitabant trans Iordanem in terra Amorrhæi, quæ est in Galaad.

VT *non Latinam tantùm, sed etiam sacram edoctis linguam hoc loco*
consuleremus, carmen hoc ita ex exemplari vertebamus: Et fregerunt, & quassauerunt filios Israel in anno illo: octodecim annis, omnes filios Israel qui vltra Iordanem in terra Emorrhæi, quæ in Galgad. *Non*
omnes vicinos ac finitimos ex socijs inimicos repente exstitisse, nec eodem
tempore omnes Israelitas fuisse inuasos intelligimus, sed ab iis cœptam ca-
lamitatem, qui primi ob ortu habitabant, & cogitandi materiam, & præsen-
tiæ spatium, & locũ ipsis cum primis, & cæteris maximè tribubus fuisse
concessum,

concessum, frustra tamen per id tempus, donec illud insaniæ malum, plagis
acceptis, sentiri, & curationis ac sanitatis desiderium iniri cœpit. Vt verò
Hebraica explicemus (Nam Latina nihil nodi habet lectio). Eodẽ anno quo
Iairus è viuis decesserat, Israelitas magna festinatione, & summa conten-
tione, regioni suæ illis implendæ superstitionibus operam dedisse, scriptor in-
dicat, quo etiam anno nondum plenè exacto, calamitatem populo ex Orien-
talioribus finitimis afferri cœptam, indiesq; auctam, ad octauũ ac decimum
vsq; annum, perpetuis malorum & cladium incrementis & accessionibus,
durasse. Atq; ita hic annorũ numerus illi qui Iairi gubernationi tribuitur,
est adscribẽdus. Omnes qui habitabant trans Iordanem *Israelitas, non*
alios, indicat: namq; Amorrhæorum regionem nulli alij tempore illo occu-
pabant populi. duobus autem verbis prima hæc describitur ærumna: Afflicti
sunt & oppressi. ita hoc loco Latinus interpres reddit IIRGATSV & IIRTSATSV. *quæ in stragis atq; imminutionis argumentis vsurpãtur,*
atq; ita etiã à nostris vertuntur. Dextera tua Domine confregit inimicum. Exod.15.
& Calamum quassatum non conteret. Alterum Hispanicè vertimus que-
brar, alterum verò calcar. *vtroque autem Israelitarũ res vehementer qui-*
dem vexatæ, afflictæ, atq; fractæ; non prorsus tamen describuntur perditæ.
Loci demum adnotatio causam etiam siue speciem inferendæ iniuriæ subin-
dicat: nimirum quòd direptionis prætextam, cupiditatem repetitionis cuius-
dam simulatione colorarent Ammonitæ: vt qui Israelitarum regionẽ illam
tantùm esse proferrent, quæ citra Iordanem iacebat Chananæorũ quondam
sedes. hanc verò Amorrhæorum numquam, nec olim à Deo, vel à legisla-
tore Mose promissam; sed obiter inter eundum habitatoribus interfectis
occupatam, vtpote fertilem, & pecuariæ curandæ rei opportunissimã, quam
tamen multo antea ab ipsis possessam, nũc postliminio recuperandã Ammo-
nitæ iactabant. Atq; ita Israelitas premebant, vt, nisi loco concederent, diri-
piendos atq; euertendos omnino curarent, maximè rebus Israelitarum in-
dies imminutis, ac viribus ex Dei iudicio debilitatis.

Intantum vt filij Ammon transmisso Iordane vastarent Iudam, & Beniamin, & Ephraim: afflictusq́ue est Israel nimis.

AMMONITAS *quondã Ghamorhei illa regione expulerant, quam*
Ghamorhæis debellatis Israelitæ occupauerant, atq; duabus tribubus ac di-
midiæ concesserant. quibus in bellis Iairus ille priscus rem strenuè gesserat,
Gigantео etiam perdendo genere, & tamen nunc tantus animus, tantum
roboris Ammonitis accreuerat, vt non solùm vicinas illas tribus preme-
re atque stringere licuerit; sed transmisso Iordane, cæteras etiam tribus
infestare, quæ secundùm fluuium aut non longè iacebant, atq; ita porrò Is-
raelitarum res omnes exedere ac proterere cœptum est. Iudam, & Beniamin, & Ephraim, *qui Iordani proximas habuere sedes, vt ex nostris geo-*
graphicis cognoscere est. Vastarent, *non excursionibus & latrocinijs modò,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed bello palàm illato, fortissimam & principem tribum Iudæ cum vicinis & coniunctissimis vexarent, Deo hanc calamitatem ad illorum curandam insaniam permittente.

Et clamantes ad Dominum, dixerunt: Peccauimus tibi, quia dereliquimus Deum nostrum, & seruiuimus Baalim.

IN *morbis quibus mens animusq; ægrotat, prima curationis spes, doloris atq; mali sensu, & causæ cognitione, vel inquisitione ostenditur. hoc exemplum etsi non satis plenũ, tamen in his pœnitentiæ initijs proponitur, quòd Israelitæ intra propriam religionem sese vexatos, nec tamen ab antiquis illis numinibus, quibus loca illa quondam dicata fuerant, vlla ex parte seruatos experirentur: ideoq; consilium illud nunc damnabant, quod de Baghalim & Ghastaroth colendis susceptum fuerant exsecuti, nulla interim de aliis superstitionibus, quas à finitimis susceperant, facta mentione. Nam quamquam nomine Baghalim, numina omnia, quæ à Gentibus falsò colebantur, dici possunt; tamen illam quam superiùs explicabamus distinctionem inter deos & Baghalim, non pœnitendam ducimus, atq; obseruandam commendamus. Non enim Israelitæ illam suam dementiã prorsus agnouerant, sed eam tantùm partem, quæ præsentior videbatur, arripuerant pœnitentiæ & confessionis, siue id ex studio facerent retinendi partem tam multorũ cultuum, tanta celeritate & alacritate susceptorum ad vrbis regionisq; suæ ornamentum, ne leuitatis notam apud cæteras nationes subirent, quam etiam inimicitias parituram timere poterant: in promptu namq; erat Sidoniorum cæterorumq; offensio ex tam subita mutatione consilij, & abalienatione suæ religionis, & consuetudinis vsu. Quamobrem, illis omissis, Baghalim tantùm improbant, hoc est, deos quos patrios putauerant, quod iam videlicet illos sibi prorsus inutiles intelligerent, vtpote antea à se maioribusq; suis non semel repetitos, damnosè tamen semper & calamitosè; siquidem nũquam antea cultos sine consequente mox publica clade & ærumna, meminerant. Causam verò eam esse argumentabantur, quòd præsente Deo, quo authore sua illis regio in vsum cesserat, regionis ipsius dij vel pulsi & summoti loco, vel inopes atq; superuacanei, vel nulli omnino censendi essent; quippe qui nec regiones, nec gentes suas, nec sese etiam defendere tuerique potuissent, Deumq; verum esse, qui illam regionem iam sibi peculiarem fecisset, atque ipsis eandem habitandam, seseq; Deum agnoscendum colendumq; præbuisset. magno itaq; scelere & piaculo fuisse desertum eum Deum, quem Israelitarum vnicum tutelarem, ac singularẽ principem gubernatoremq;, ab ipso vsque gentis initio fuisse constaret. Hæc illius confessionis,* Peccauimus tibi, *explanatio est, quæ ex personarum collatione & comparatione instituitur.* Tibi, *quem nostrum Elohim agnoscere & colere debuimus, peccauimus tamen, idq; gemino scelere admisso, desertionis tui, & admissionis Baghalim, alienorum videlicet, & inimicorum gentis nostræ, hoc est, quibus Chana-*

nææ hostes nostri addicti fuerant. Atque ista imminuta, vti dicitur, confessio fuit, quam diuina Sapientia taxatam voluit, ad veræ pœnitentiæ integritatem instituendam.

Quibus locutus est Dominus: Numquid non Ægyptij & Amorrhæi, filiiq́ue Ammon & Philisthiim, Sidonij quoque & Amalech & Chanaan oppresserunt vos, & clamastis ad me, & erui vos de manu eorum?

ISRAELITAS, *qui vnius tantùm sceleris reos sese declarauerãt, piaculorum multorum enumeratione & exaggeratione Deus vrget, atque ad veram integramq; pœnitentiam vocat accusationis repudiationisq; specie, vt qui homines omnes saluos fieri, & ad veritatis agnitionem redire vult. quidquid autem effatur, misericordiæ rationem præcipuè spectat. Audiam quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem in seruum suum, & super sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor. Est autem accusationis siue causæ status huiusmodi:* Psal. 84.

Non est cardiacus, Crarerum dixisse putato,
Hic æger, rectè est igitur, surgetque? negabis:
Quòd latus aut renes morbo tententur acuto. Horat lib. 2. Sat. 3.

Vos, inquit, vnum tantum crimen confessi, meam solicitatis clementiam, quam tamen multis aliis, nec isto minoribus flagitijs vobis abalienastis. existimatis vobis in eo peccatum fuisse, quòd inutilium Baghalim cultus publicè reuocatus atque susceptus fuerit, quorum populos vobis hostes manifestos cognouerat is; quam ob rem reiiciendum iam & explodendum censetis, atq; hoc pacto in gratiam meam vos receptum iri arbitramini, retentis adhuc cæteris diis, quos plurimos ex vicinis gentibus adduxistis, eosdemq; nunc vnà mecum retinendos colendosq; procuratis. Quantum autem à vera ratione, vestra ista ratio oratioq; aberret, daceri vos oportet. Namque Gentes omnes eos pro diis colere instituerunt, quos sibi benesicos esse putauere, atq; beneficentiæ opinione, vel cælorum ministras formas, vel principes viros, vel alias res, quamquam falso, tamen hoc efficacitatis ac tutelæ colore sibi consecrant: eos verò quos vel nullos esse credunt, vel aliis nationibus propitios, sibi verò infestos existimant, cũ gentibus suis respuunt & auersantur.

Inter finitimos vetus atque antiqua simultas,
Immortale odium, ac numquam sanabile vulnus,
Ardet adhuc Combos & Tentyra, summus vtrique
Inde furor vulgo, quòd numina vicinorum
Odit vterque locus, cùm solos credat habendos
Esse deos, quos ipse colit. Iuuenal. Sat. 15.

Igitur si vos propterea Baghalim tantùm vobis abiiciendos existimastis, quòd eos cum Gentibus suis inimicos infestosq; senseratis; & me recipiendũ, vtpote qui Chananæis expulsis, ac ipsorum Baghalim damnatis, terram hanc vobis possidendam

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipse concesserim: cõsequitur etiam vos ab istis, quos adhuc retinetis, diù aliquo beneficio fuisse obstrictos, vel obstringendos esse sperare, quam ob rem illos retinendos & colendos decreueritis. vel igitur illi cultores iuuare possunt suos, vel non possunt: si non possunt, oleum & opera frustra iis colendis impenditur: si possunt, nusquam tamen antea beneficos vobis fuisse docere potestis, immo cum suis Gentibus infestos vobis experti fueratis, non solùm istos, sed alios etiam. vos Baghalim & Ghastharoth honore & cultu dignos decreuistis, iisq; etiam quinque Gentium deos adiungendos curastis, deos Aram, deos Sidonis, deos Moab, deos filiorũ Ammon, & Palæsthinorum deos, sed cùm vos à populis, qui vel istos vel similes habent deos, afflicti antea & vexati mirum in modum fueritis, nullum à diis eorum beneficium, ab illorum gente damna quidem, incommoda & iniurias vobis accepta inficiari non potestis: diis autem ipsis nihil libertatis aut salutis, nihil commodi acceptum referre ure valetis, sed vni mihi: namq; illi populi oppresserunt vos, oppressos autem nullus illorum deorum liberauit, nullus aliqua ex parte iuuit, nec ex illis quemquam gens vestra in asperitatibus rerum, vel in angustiis temporum inuocauit. Et clamauistis ad me. *Ingrata improbáque gentis istius ratio reprehenditur, cui in secundis rebus magna contemptio & obliuio veri proprijq; Dei, in angustis verò & aduersis certa recordatio atque inuocatio cum subsidij subsequentis experientia exstiterit, & tamen salute renouata, rursus in insanam variæ superstitionis libidinem reditum sit. Exemplaris oratio ita ex verbo habet:* Et dixit Dominus ad filios Israel, Nónne ab Ægypto & ab Emorrhæo & à filiis Amon & à Philistim: & Sidonij & Amalech & Maghon oppresserunt vos. *qua troporum conuersione, antiquorum & præsentium temporum plena imago istorum oculis obijcitur, qua pulsati animi hunc vnicum Deum perpetuum seruatoremq; agnoscant, suumq; insaniæ detestẽtur morbum. Antiquæ oppressiones & calamitates ab Ægyptijs quondam illatæ commemorantur primùm: deinde verò cæteræ, quæ tum regionem subeuntibus Israelitis, tũ tam ingressis & possidentibus, allatæ fuerant Mosis & Iosuæ temporibus: postremo verò hæ quæ sua istorum, qui reprehendũtur, & patrum memoria quasi præsentes erant, quæq; antea in hoc libro narratæ sunt.* Sidonij & Amalech & Maghon. Maghon *gentis nomen est, pro quo Latinus interpres, Græcum secutus, Chanaan reddidit. Aliàs ad Madianitas referri posset, qui cum Amalechitis non ita pridem regionem penè vastauerant. est itaque reprehensionis pondus & vis illa, Israelis populo verum ac proprium Deum temporibus duris tutelarem & beneficum extstimatum, aduocatum & beneficentissimum auxiliatorem, seruatoremq; probatum fuisse; eũdem rebus compositis, & pace quieteq; parta, contemptum repulsumq;, quasi eum necessitatis tantùm causa admittendum, deinde verò erepti fastidiendum censerent. quo ingrati animi crimine nullum vel rusticius, vel detestabilius vitium, quo plures isti sunt, me antea quamquam vnicum, in multis tamen angustijs iisdemq; maximis & variis vocatum, non surdum neque tardum, neque iunctam oratio arguit, nimirum retentæ adhuc superstitionis, iis videlicet colendis diis, qui multi ac varij ex vicinis Gentibus, Sidonijs, Syris, Palæstinis & Ammonitis ac Moabitis adsciti inducti q; nuper fuerãt, perinde ac si impudica femina, ærumnis pressa, à legitimo viro opem auxiliumque imploret, & tamen interim adulteris domi retinendis ac fouendis det operam.*

Et tamen reliquistis me, & coluistis deos alienos.

Ita *mihi vestri curam & liberationem imponendam, alienis verò diis cultum impendendum decreuistis. Quod verò ait,* Et inuocastis me; *ad Israelitarum confessionem extorquẽdam facit. neq; enim vos docere potestis ab alio quàm à me liberatos, vt qui non alium quàm me singulariter aduocatum, libertatis vindicem experti estis. Nunc verò, retentis ad colendum alienis diis, mihi rursus salutis vestræ negotium dare pergitis.* Ideirco non addam vt vltrà vos liberem. *Amantis magis quàm repudiantis Dei ira oratio hæc indicat, & ad pœnitentiam potius quàm ad desperationem vrgentis animum, atque medici ægrotorum insolentiam increpantis stomachum fastidiumq; exprimit. Namq; hic sæpiùs à se recidiuos curatos, & tamen non temperates nec dicto obsequentes relicturum se minatus, sibi consolere ac parcere cogit, atque hoc pacto ad mentem reuocat. quadrat verò indignatio hæc cum prædictione illa: Et dixi, Vbi nam sunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam? de quorum victimis comedebant adipem, & bibebant vinum? Surgãt & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.* Deut. 32.

Ite, inuocate deos quos elegistis; ipsi vos liberent in tempore angustiæ.

Ex *ἐιρωνείᾳ ac dissimulatione consilium monitúmque nascitur. vt:* I nunc, & ventis animam committe. *latet verò orationis aculeus in duobus verbis,* Deos quos elegistis. *Elohim enim gubernatores prouidentes, & vindices atque præfectos, iudicesq; significat. electio autem libera est, non coacta. quod si quis ducem ignauum, vel iudicem imperitum, aut stultum vel insolentem principem sibi vltro præficiat, eum infelicis exitus culpam sibi vni adscribere oportuerit. Atque collatio comparatioq; rerum huiusmodi est: Vos me, quoties afflicti vexatiq; fuistis, & opitulatorẽ appellastis & habuistis, istarum Gẽtium deos vel nullos vel infestos, saltem inutiles, cognouistis: & tamen vobis colendos principes, vindices, ac protectores, iudicesq; optastis tales, vt periculo facto experiamini, ipse vobis integrum relinquam; vtpote qui vos minimè iuuare ac liberare constituerim. isti si iudices sunt, ius inter vos hostesq; vestros dicent, iudicium q; exercebunt: sin secus, quid vobis tanto consilio ac studio mali apportaueritis, demum sentietis: id autem periculum duabus examinabitur rationibus, nempe inuocatione vestra, & illorum opportuna ac præsenti ope: quod eo facilius factu fuerit, quo plures isti sunt, me antea quamquam vnicum, in multis tamen angustijs iisdemq; maximis & variis vocatum, non surdum neque tardum, neque* Iuuenal. Sat. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

neque mancum, sed efficacissimum liberatorem experti fueratis, istos tam multos nũc iam deinceps experimini an auditores, an in ipso articulo tẽporis, cùm in summas angustias fueritis adducti, liberatores laudare debeatis. Ipsi vos liberent. *Vt auxiliũ non aliis quàm vobis clamãtibus & appellantibus allatũ, numinum ipsorũ præsentiam & voluntatem probet, quod non aliàs probabitur, si communis appellantibus & non appellantibus libertas atque salus contingat. quæ si maximè vobis aliquando constet, non autem in tempore angustiæ; ea accidisse potiùs, quàm euenisse dicetur: neque enim singularis prouidentiæ atque opitulationis miraculum, nisi certo atq; annotato tempore, spectatur, cùm aliunde quàm ex Deo res corrigi restituique non possit.* Nec Deus interfit, nisi dignus vindice nodus Inciderit.

Horat. Art. Poet.

Psal. 9. *S. S. E. Et factus est Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Namq; vbi res vel secundæ sunt, vel non ita pressæ atq; graues, nec beneficium tam anxiè poscitur, nec aliatum tam facilè agnoscitur. Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno. Verumtamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabũt. Tu es refugium meum à tribulatione quæ circumdedit me. hoc ipsum verò obseruandum quondam Vates monebat: Surgant & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant. vnde fit, vt quæ hanc obseruationem non admittant, in miraculorum nomen exactamq; rationem venire minùs censeantur. Atq; hanc orationem à Deo dictatam, & Prophetæ cuiuspiam illo seculo creati ore peroratam, vtilissima populi consecuta est pœnitentia.*

Psalm. 31.

Dixeruntq́ue filij Israel ad Dominum: Peccauimus, redde tu nobis quidquid tibi placet; tantùm nunc libera nos.

POENITENTIÆ *vnum argumentum, simplex atq; candida solidaq; confessio est; alterum verò, damnati facti & studij euidens atq; manifesta mutatio. Namq; vtrumuis prodentem animum nõ bene pœnituisse arguere licet. est autem pura ac non simulata confessio, non quæ hominibus tantùm (quibus imponi non difficile est) sed quæ Deo etiam, animorum ac mentũ arbitro, probatur. quam rem adnotatio,* Ad Dominum, *indicat. Verè, inquit, resipiscentes, atque sermone diuino correpti, sese accusationis reos meritò agnoscunt; sibiq; consci, Deo intertùs confessi, publicè etiam suam cõfessionem.* Peccauimus. *qua publica & manifesta voce non vnũ quidpiam, quale antea, peccatũ scelusq; sibi admissum, sed quæcumque ab accusante corripienteq; Deo exprobrata fuerant, fatentur. atque ex consequenti pro repetitis toties multis ac variis tum desertionis ac defectionis, tum proditionis criminibus, pœnas sese commeritos agnoscunt, quas tamen nõ omnino deprecantur (vtpote diuinorum iudiciorum nõ prorsus ignari) verùm mitiores, & quales parẽtes à filiis petere solent supplices postulant; eas quoque ad aliud tempus differri cupiunt, quo familiariùs & clementiùs agere tubeantur, idq; non hostium manu & opera, sed ipsius Dei efficientia, quem clemen-*

clementissimum, irarumq; minimè tenacem esse didicerant. Namq; huiusmodi animo ac mente parentum concepta ira, quæ non efferuescentis stomachi initijs expletur, vel breui hora remitti atq; ab vltione ad castigationem diuertere solet. quam ob rem, personæ ac tẽporis definitione excepta, clementissimè secum actum iri credunt, ideoq; aiũt: Redde tu, *manus tua, non autem hostium aut aliàs hominum manu, quæ temperamentum atque modum nescit. Nam quamquam fortissima ac robustissima Dei manus ad puniendum sit, numquam tamen vel iratus desperandam viuentibus hominibus plagam inijcit; sed, vt peritissimus ac fidelissimus medicus, insanta laborantes ægrotos ita ferit, vt magis demum correxisse quàm læsisse dicatur, certis ad verbera membris, certis locis opportunoq; tẽpore petitis, vt sine noxa fiat. quam ob rem castigandi hominis prudens ac sapiens optio fuerit, quæ Dei ipsius clementiæ ac voluntati castigationis arbitrium modumq; permiserit. S. S. E. Coarctor nimis, sed melius est vt incidam in manus Domini (multæ enim misericordiæ eius sunt) quàm in manus hominum.* Quidquid tibi placet. *non quod hominibus hostilibus libeat. In exemplari est:* Fac tu nobis sicut omne certum bonum in oculis tuis. *quo iudicio nihil clementius expeti potuit. Omne bonum quod verè atque prorsus bonũ demum experiemur, dũmodo id oculis probetur tuis, qui homines se & sua tibi permittentes, tibiq; supplicantes, quamquam graues pœnas commeritos, tamen nõ ad exitium, sed ad correptionem ferire soles. Namq; hunc vnum ex moribus, qui Deo sub nomine* MIDOTH *attribuuntur, esse, antiqui Vates affirmarunt. In tribulatione sua manè consurgent ad me; venite & reuertamur ad Dominũ, quia ipse cepit, & sanabit nos; percutiet, & sanabit nos.* Tantùm nunc libera nos. *Ex exemplari:* Verũtamen libera nos quæso hodie. *Antithesis est alterius membri. effice, inquiũt, tu nobis quidquid bonum iudicabis; hodie verò, cùm premimur ab hominibus, libera nos. Sapiens profectò oratio atque deprecatio, ex diuinæ clementiæ cognito vsu profecta. Nam si Deus, cùm iratus fuerit, misericordiæ recordãtur; quid non sperãdum cùm misericordem sese præbuerit? si, dum castigat, iram remittit, de beneficioq; cogitat; dum liberat, quid nisi cogitationes pacis cogitabit? itaque ex cõfessione ad misericordiam implorandã progressus factius est; quam vt impetrare contingeret, ad veræ pœnitentiæ periculum deuenitur.*

1. Reg. 24.

Osee 6.

Habac. 3.

Quæ dicentes, omnia de finibus suis alienorum deorum idola proiecerunt, & seruierunt Domino Deo: qui doluit super miseriis eorum.

DECLINA *à malo, & fac bonum. Hæc solidæ pœnitentiæ ingenua examinatio probatioq; est, quam sacra lingua* THESVBAH, *id est, conuersionem dici aliàs docuimus. rectè autem interpres noster mutationem hanc illis verbis cõtexuit,* Quæ dicentes; *cùm huiusmodi sensum in conjunctione* VAV *contentum intelligeret. indicat autem historia, communi*

Universidad de Deusto
Biblioteca

decreto atq; studio rempublicam illam istus fuisse superstitionibus repurgatam, post responsum à Deo Prophetæ interpretatione acceptum, peccatum q; ab ipsis agnitum. De finibus suis. *de regione ditioneq; sua omni, tam iis quæ publicè & communiter, quàm quæ singulariter ac priuatè, quocũque nomine inducta fuerant. Verum quia non satis hoc fuisset, nisi & melius instituti, additum est,* Et seruierunt Domino, *tum corrigendis componendisq; moribus, tum sacris ritibus legitimè instaurandis: atq; huiusmodi pœnitentia pœnitentiaq; fructibus expiatos, diuinæ misericordiæ benignitas atq; singularis cura, liberatio ac tutela consecuta est.* Qui doluit super miseris eorum. *publicam calamitatem & miseriam ipsos sibi homines moliri, ipsosq; aduersum se diuinam iram vltionemq; peccando solicitare, sacra doctrina frequentiùs testatur, Deumq; natura sua beneficentissimum misericordemq; maximè; beneficia eum priuata tum publica vltro in homines ponere; pœnas verò & supplicia non nisi sceleribus prouocatum, & institiæ rationibus inductum sumere, id verò quasi inuitum, si ita loqui fas*

Genes. 6. *fuerit, ad illius misericordiæ significandam præstantiam. S. S. E. Videns autem Deus quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio hominis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit quòd hominẽ fecisset in terra: & tactus dolore cordis intrinsecus, Delebo, inquit, hominem, quem creaui, à facie terræ. Huiusmodi misericordiæ affectum ad Israelitarum restituendas res Latina huius hemistichij versio indicat. quod in suo exemplari & hũc & alterum etiam admisit sensum. Sonat autem ex verbo:* Et afflicta est anima sua in miseria Israel. *vt Israel & recti & obliqui vim referre possit, atque ita eadem oratio duplicem pariter sententiam indicet; alteram, Israelitas diuinæ clementiæ conciliandæ studio se ipsos laboribus, ieiuniis, lachrymisq; dedidisse, & cruciasse, ac valde macerauisse: atque ita exprimetur hæc res, &* Israël *ipse animam suam in* GHAMAL *labore atq; ærumnis afflixit. Alteram verò huic reciprocã, videlicet, Deum tantæ Israelitarum afflictionis spectaculo animam suam, hoc est, se ipsum afflixisse, atque de maturanda populi salute quàm celerrimè egisse, in eoque*

Iudic. 18. *antiquum illud obtinuisse: Repentè loquar aduersus Gentes & aduersus*
» *regnum, vt eradicem & destruam & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui vt facerem ei. Atque hoc & quàm plurimis aliis exemplis, quæ referre nimis longũ esset, illius linguæ, quæ olim sacra dicitur, præstantia probatur, quæ nulla verborum variatione aut mutatione sæpè binas aut ternas, interdum & plures interpretationes nihil pugnantes, sed sese iuuantes confirmantésque, recipit. Iam verò restituendarum Israelis rerum ac mutationis Ammonitarum initia exponuntur.*

Itaq. filij Ammon cõclamantes, in Galaad fixerũt tentoria: contra quos congregati filij Israel, in Maspha castrametati sunt.

IN *ipsa pœnitentiæ exercitatione tempestatem Deus mutare incipiens, animum*

animum Israelitis addit, & Ammonitas ad aliã cogitationem impellit, quo res commodiùs, facilius atque citiùs conficiatur. Namque hos ab illis, quas exercebant, excursionibus ac direptionibus ad expugnandam omnino, atque occupandam eis Iordanensem regionem, animo & studio communiq; consilio conuersos accepimus: id verò commodissimè euenturum opinatus, capta cùm primis vrbe Galaad, regionis præcipua, quam olim Machirus Manasse filius bello captam, & populo atq; ædificiis auctam, filij nomine peculiariter adscripserat. S. S. E. De Manasse ortus est Machir, à quo familia Machiri- Num 26.
tarum: & Machir genuit Galaad, à quo familia Galaaditarum. Præcepit er- Num. 32.
go Moses Eleazaro sacerdoti, & Iosue filio Nũ, & principibus familiarum
per tribus Israel, & dixit ad eos: Si transierint filij Gad & filij Reuben
vobiscum Iordanem omnes armati ad bellum coram Domino, & vobis fuerit terra subiecta, date eis Galaad in possessionem. &, Porrò filij Machir filij Ibidem.
Manasse perrexerunt in Galaad, & vastauerunt eam, interfecto Amorrhæo habitatore eius. Dedit ergo Moyses terrã Galaad Machir filio Manasse. Cõclamantes. *Collecti atq; conuocati per præcones bellicos ex variis locis, in quibus grassabundi errabant, dispersiq; fuerant, iussi sunt omnes in Galaadam conuenire, eius vrbis capiẽdæ causa, vt hoc pacto tota regione facilius & commodiùs potirentur. id verò vbi Israelitis compertum fuisset, atque prædones & excursores in vnum locum receptos esse consilitisset; de conuentu bellico faciendo, atque consilio aduersus hostem capiendo, studiosè ac diligenter actum est. ea verò celebritas & frequentia apud Masphan siue Misphan habita est, qui locus ab altitudine & eminentia nomen acceperat (quod Latinè speculam dicere licet; Hispani* La atalaya) *in tribu Beniamin ad Ghebalum montem situs, vnde & hostis quid rerum moliretur agere tue, facilius cognosci posset. interim verò dum Israelitæ Masphan conueniunt, Ammonitæ, siue noui consilij capiẽdi, siue exercitus copias augẽdi & melius instruendi causa, sese in suam regionem receperunt. id quod ex contexendæ historiæ filo deducitur. Nã qui posteà Israelitis dux exstitit, Iephthes, in Ammonitarũ regionem legatos misit, atque legationis superbo prouocatus responso, in ipsam regionem intulit bellum.*

Dixerũtque principes Galaad singuli ad proximos suos: Qui primus ex nobis contra filios Ammon cœperit dimicare, erit dux populi Galaad.

QVAMQVAM *Ammonitas in patriã regionem receptos Galaaditæ cognouerant, instructiores tamen reditum ire suspicabãtur, vtpote quorum iam inde à primis inuasionis initijs intellexerant consilium, & fuæ capiendæ regionis contentum studium fuerant experti. quam ob rem maiori quàm antea animo, vtpote diuinitus aucto, defensionem propugnationemq; curare incipiunt, atque ducem belli non ex suffragio, sed ex virtute optare deligere q; constituunt, idq; non expectata aut petita exterorum Israelitarum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

consultatione vel ope, quippe quibus, celerrimi Ammonitarũ reditus opinione & suspicione properantibus, ea res maioris moræ videretur, dum Israelitæ omnes & loco & proposito conuenirẽt. Qui primus ex nobis. *Ex propria lingua.* Qui [certus] vir cœperit præliari in filiis Ammõ. *Esto, inquiunt, cuiuis, quocumq; ex loco aut ordine, dummodo vir ipse atque virilitate præditus, hac lege atq; hoc pacto, vt primus ipse non exspectatos hostes, sed petitos bello adoriatur, is, inquam, dux caputq; Galaaditis omnibus, id est, regioni nostræ suscipitor. de cæteris autem tribubus nihil decretum fuit, sed de illis cis Iordanensibus tantùm, quibus ad proximum ac veluti iam præsens discrimẽ, & ad perpetuam totius regionis tutelam & securitatem, idoneum principem & gubernatorem cõmuniter præficere consultissimum visum fuerat.* Principes Galaad. *In exemplari:* Populus principum Gilghad ad socium suum. *Nam quamquã potestatis omnis authoritas à Deo sit, principes tamen & potentes, Imperatoresq; ipsi, alia atq; alia ratione exsistunt. qua in re optima causa eorum est qui à Deo instituuntur, vt Saulis, & hoc abdicato Dauidis, & eorum quos liberatores populi ex hac historia complures cognouimus, huic verò proxima eorum qui populi voce principes declarantur; si tamen id consilium ab spectatæ virtutis ac probitatis notitia profectum sit. huic succedit illa quorundam, qui consuetudine ac legibus, antiquoq; more principatum ex maiorum legitima hæreditate obtinent. postrema autem, tyrannidem occupantium est, eaq; infelicissima. Animaduertendum verò fuerit, Israelitas illa tempestate, atque in his Galaaditas præcipuè partim Oligarchia, partim Democratia fuisse vsos. Nam cùm illi certũ & communem non haberent Regem, eorum, qui familiarum primi capitaq; dicebantur, parebant arbitrio; hos verò generis in singulis tribubus indicabat*

Num. 26. *successio. S. S. E. De Manasse ortus est Machir, à quo familia Machiritarum; Machir genuit Galaad, à quo familia Galaaditarum; Galaad habuit filios Iezer, à quo familia Iezeritarum; & Helec, à quo familia Helecitarum; & Asriel, à quo familia Asrielitarum; & Sechem, à quo familia Sechemitarum; & Semida, à quo familia Semidaitarum; & Hepher, à quo familia Hepheritarum. Atqui ex veteri per Moysen instituto more singularum familiarum patrocinia suis ipsarum primogenitis, tamquam senatoribus, committebantur, quos ex muneris nomine & vsu seniores populi, ac tribuum capita dictos appellatosq; accepimus. Atque hæc Oligarchiæ forma quædam erat, non inutilis quidem nec indecens, si rerum peritia, & opum copia ac virtute, cum primis verò concordiæ studio, ad publica commoda instructa esset, sicut scriptum est: Et si quispiam præualuerit contra vnũ, duo*

Eccles. 4 *resistent ei. Funiculus triplex difficilè rumpitur. Verùmenimuero hominum vitio & ignauia, ac plerumq; priuatæ singulorũ rei cura non rarò euenit, vt publica à compluribus vel neglecta deserantur, vel cõtentione & ambitione debilitentur, & insidiatorum infestatione reddantur peruia, tutelamq; suorum experiantur infirmam. id quod hoc ipso, de quo agimus, tempore Galaa-*

Galaaditis accidisse intelligimus, quibus in multorum huiusmodi procerum numero firmissimum tamen desiderabatur præsidiũ: quamobrem adoptandum sibi atq; Reipub. omni certum & fidelem strenuumq; tutorem conuenientum esse, atq; seruata principum suorum reuerentia, tamen vnum omni regioni præfici oportere iudicatum, quem videlicet spectata virtus, & virtutem consecuta salus potissimùm probaret. Hæc illorum verborum, Populus principum Galaad ad socium suum *significatio est. Nempe inter Iezeritas, Helecitas, Asrielitas, Sechemitas, Semidaitas & Hepheritas (qui omnes quamquam nominibus varij, tamen Galaaditarum generis nomine atq; iuris communione socij erant) constitutum fuisse, vt, quicumque in illo aduersus Ammonitas bello rem strenuè gereret, is regioni omni, etiam tribuum capitibus, in posterum imperitaret, non vt occupator & tyrannus, sed vt adscitus & salutatus patriæ pater, cui filiorum tam patriciorum quàm cæterorum, hoc est, totius populi cura & authoritas communi consensu concessa esset, non secus ac si nunc è mortuis exstaret Gilgad ille progenitor, à quo familiæ ipsorum omnes disseminatæ ac deductæ fuerunt: quippe Manasses Machirum, Machirus Galaadum singulos reliquerant hæredes, Galaad verò, compluribus susceptis liberis, regionem & societatẽ partitus est. Hæc itaq; sententia est illius communis plebisciti,* Erit dux populi Galaad. *siue, vt in exemplari,* Erit in caput omnibus habitantibus Gilghad. *Namque illis visum est illud reipublicæ corpus, quamquam multis ac variis membris concinnatum, tamen capite adhuc carere, quod requisitum ex præsentis virtutis manifesto exemplo petendum esset, atque hoc pacto nulli ex cæteris membris. suo singulorum loco constituris iniuria fieri, sed ingens commoditas, vtilitas, authoritas, atque decus accedere censebatur. Huiusmodi autem populorum consilio, iudicio, atque decreto qui intercederet ex primoribus exstitit nemo, vtpote singulis propter authorum consensum grauissimo, & propter instantis tempestatis necessitatem & vsum vtilissimo, nec minùs etiam propter orationis ac tituli rationem honesto.* In caput omnium habitatorum Galaad. *Nam qui hanc vel reuerentiam, vel seruitutem, vel quocumque nomine appellare vel notare liberet, instituebant, primorum atque patriciorum nomina numero & facultate opibusq; longissimè superabant, ydemq; sibi subeundum ius atque cæteris instituebant.* Omnium habitatorum, *sine vlla vel ordinis, vel conditionis, vel personæ exceptione. Hoc itaque Democratiæ, siue popularis actionis exemplum fuit.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT VNDECIMVM.

FVIT itaque illo tempore Iephthe Galaadites vir fortissimus atque pugnator, filius mulieris meretricis, qui natus est de Galaad.

BONA *consilia, atque constanti ratione inita & curata, bono demum euentu firmari probarique solere, historia docet illustri exemplo fortissimi viri, eiusdemq; non tyrannidem adorti, sed propter spectatam virtutem exoptati & adsciti. illud præterea indicat, nullam egregiam virtutem & facultatem esse, quam tametsi vulgaris opinio atq; temeritas inimica inuidia loco suo aliquando dimoueat, tamen beatior occasio multo cum fœnore demum non restituat, imo angustiore honestioreq; amplificet. Quo tempore Galaaditarum res virum aliquem tutorem, felicem maximè, desiderabant; vt ex animi sententia idoneum experirentur, ex Dei beneficio contigit. id verò quemadmodum comparatum cõstitutumq; fuerit narratione altiùs repetita, exponitur. Erat, inquit, illa ipsa tempestate vir quidam, & virtute, & rei militaris peritia insignis, eiusdem quidem regionis hominum cõcius natus, atq; adeò congener, sed fratrum inuidia atq; insolẽtia exclusus, ac necessariò exsul, cui, vti virtuti veræ euenire solet, exsilium nõ miseriam, sed gloriam felicitatemq; peperit: quippe nullibi magis fortis & ingenuus, virilisq; animus, quàm in angustis & aduersis rebus temporibusq; perspicitur. demum vulgi iniustum reprehenditur iudicium, virorum æstimationem non ex propriis virtutibus & artibus, sed ex externis partibus habentes.*

Nam genus & proauos, & quæ non fecimus ipsi, Vix ea nostra voco, *aiebat ille. Sed in hac iniqua Iephthe repudiatione, non superbia solùm, sed auaritia etiam damnatur. Meretricem verò hoc loco vel vxorem non legitimis ductam ritibus, vel cum Chaldaico interprete tabernariam definimus. Namque* ZONAH *mulierem vel sui corporis faciẽda copia, siue pluribus, siue vni tantùm ea cõcedatur, vel etiam aliqua publica taberna aut caupona quæstum facientem significat, vt in Iosuæ commẽtariis declarabamus. Accidere autem illo tempore potuit, vt quæ mulier inopia premeretur, sese locupleti viro, quamquam non legitimo coniugio, permitteret aut traderet, fide tamen eidem vni seruata; quod genus etiam in* ZONAH, *hoc est, victum quærentis nomine & ratione censetur. certè vtcumque res habuerit, Iephthe Gilghadi filium esse publicè constiterat, idq; lectio ipsa asserere imẽdit:* Qui natus est de Galaad. *in exemplari lingua:* Et genuit Gilghad [*ipsum*] Iephthe, *qui vt nẽmini in dubium venire posset, Galaaditæ, siue Gilghaditæ cognomen perpetuò habuit hæreditariúmque, quamquam aliàs cæteris hæredum commodis vsibúsque exclusus. existimare autem licet hunc primum Galaadi esse genitum, cui alij postea ex legitima coniuge accesserint liberi.*

Habuit

Habuit autem Galaad vxorem, de qua suscepit filios: qui, postquam creuerant, eiecerunt Iephthe, dicentes: Hæres in domo patris nostri esse non poteris: quia de altera matre natus es.

HVNC *per vim iniuriosè atq; inuidiosè exclusum, & ætatis adnotatio, & verborum ratio apertè declarat:* Qui postquam creuerant. *Cùm plures essent, matremq; domi haberent institutricem, cum qua ipsi simul & patri imperare quodammodo possent; Iephthe natu maiorem ipsis atq; in paterna domo pro filio educatum, & virtutis authoritatisq; argumentis præstantem, iniquo animo ferentes, quem, dum pueri essent, obseruabãt, & fortasse metuebant, viriliter sese atq; grauiter ferentes propter matris diuersitatem insimulare incipiunt, deinde adultiores atq; potentiores facti, cõtemnunt, ac demum dura acerbaq; consuetudine, tamquam alienum à se omnes habent, perpetuò alterius matris opprobrio excipiũt, demum cohæredem sibi futurum negãt, ac tãdem excludunt, omniq; in posterũ hæreditatis ineundæ spe deturbant, vt fortem animum hac impulsum contumelia, non solùm domo, sed patria etiam omni regione abalienatum, ad mutandi loci cogitationem cogant. Ex narrationis serie tempora distinguentes, intelligimus illum primùm communi consilio, & coniunctis fratrum opibus, vi exclusum, deinde etiã hæreditatis exspectatione ac spe, qua pendere fortassis posset, fuisse quoque deiectum, nullo alio nomine, nisi* quia de altera matre natus es. *nam paternum nomen insectas iri non potuit:* In domo patris nostri. *Illud verò* Esse non poteris, *nõ ad leges neq; ad mores; sed ad volũtatem violentiaq; impetum & furorem refertur. quod in exemplaris verbi pronũciatione adnotatur,* Non hæreditaberis *(vt sic explicandi causa loqui liceat)* in domo patris nostri. *est autem in antitheto elegantia & grauitas Latino sermoni negata.* Domus *in sacra lingua non ædificiũ ipsum, sed familiam atq; soboIem ex receptissima translatione significat:* Ben *verò, pro quo Romanè filium reddimus, ædificij partem solidam & firmam, cuiusmodi lapides lateresq; sunt, indicat, allusione ad lapidem facta.* Στύλοι γὰρ οἴκων εἰσὶ παῖδες ἄρρενες, *vti apud Euripidem dicit Iphigenia. lapidi verò nomẽ Hebraicè est* Aben; *lateribus autem coctis* Laben. *Tu, inquiunt, quamquam à patre nostro Gilghadi, hoc est, Galaaditis dicaris; tamẽ nobis in paternæ familiæ constructionem & amplificationem cohærebis minimè, quem numquã vel audiemus, vel patiemur cognominari* Ben Gilghad, *hoc est, filium vel lapidem Galaad; sed Gilghaditem quidem, de quo non laboramus modò: verùm* Ben issah ahhereth athah, *filius lapis mulieris alterius* tu: *eam igitur domum, cuius tu* Ben *es, curato, nos autem patris curabimus & ornabimus, qui* Gilghad Banim *perpetuò dictitati sumus. Atque ex his apparet ratio, quamobrem in ipso primo huius capitis versu Iephthe Galaaditis, idemq; meretricis mulieris* Ben, *siue filius, fuerit vocatus.*

Euripides in Iphigenia in Tauris.

Quos

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quos ille fugiens atque deuitans, habitauit in terra Tob. Congregatiq́ue sunt ad eum viri inopes & latrocinantes, & quasi principem sequebantur.

MANIFESTA *vis proditur verbo ipso fugiendi atq. deuitandi, quod idcirco interpres noster adiunxit. terram autem Tob non longè ab illa regione remotam fuisse, consecuta postea de Iephthei felicitate fama arguit. est verò nomen non regionis, sed viri ea tempestate principis; quod ex eo apud omnes fere interpretes fidem obtinet, quòd nusquam huiusmodi nomen in sacra ac prophana geographia topographiaq́. exstet: quamquam Chaldæum exemplar vnum* Toba, *id est, bonam habeat: quod tamen cum cæteris exemplaribus non pugnat, Chaldaicis idem cum sacris retinentibus nomen* Tob. *Fuit autem illi principi viro vocabulũ huiusmodi, siue proprij nominis vsu impositum, vt sanctò illi seni* Tobiæ, *eiusdemq́. filio* Tobi; *siue explorata atq. spectatæ virtutis ratione & commemoratione cognomenti elogio tributum, vt nunc in Hispaniæ Bethicæ finibus Assidonensis Medinæ ducibus ex egregiæ à maioribus acceptæ, & à posteris conseruatæ erga Regem Rempublicamq́. fidei testimonio, Boni cognomen perpetuò adhæret. Hunc itaque principem, suæq́. terræ defensorem nec ignauum nec ingratum, vt vel nomen ipsum profiteri videbatur, sibi, in cuius præsidio ac tutela lateret, Iephthe patronum petiit, cuius etiam gratiam boni fortisq́. viri præstando officio promereri adipiscíq́. studuit, nec certè voto frustratus, quippe qui collecta paulatim vacuorum virorum phalange, eadem sapienter ac feliciter ducenda atq. exercenda, felicitatis in gerendis rebus opinionẽ publicè habuerit.* Viri inopes & latrocinantes. *Chananæum nomen* REKIM *vacuos, otiosos, atq. patrimonio & cura liberos significat, qui cùm quid agant domi non habeant, militiæ, quam compendiosissimam sibi fore sperant, sese vltro addicunt, siue ea iusta & legitima sit, siue improbior, qualis prædonum, & piratarum, ac grassatorum. hos Latini* errantes, *Hispani* auentureros *vocitant, qui quòd stipendia non mereantur, facilius teneri possunt etiam à pauperioribus ducibus, spe tantùm commodorum, ex exspoliis aut direptionibus diuidendis contenti. Græci* λῃστὰς *interpretati sunt, quos Latinus sequutus,* Inopes *dixit. horum vltroenientium copiam, propter comitatis, humanitatis, atq. dexteritatis opinionem, paulatim ac singillatim collectã, certum in exemplari verbum* IITHLAKETV *declarat, translatũ ab iis qui vel oleas, vel nuces, vel huiusmodi fructus in terra sparsos, colligunt. Hispanicè,* apañaronse vno à vno, dos à dos, y tres à tres. *Non coactos verò, sed sponte conuenisse, reciproca verbi forma docet:* Et quasi principem sequebantur. *ex exemplari lingua:* Et egrediebantur cum illo. *quo dicẽdi tropo militaris ordo ac disciplina, exercitatio dexteritasq́. significatur. vt illis*

1 Sam. 22. *Et egrediebatur ad omnia Dauid quæcũque misisset eum Samuel, & ampliauit eum Saul à se, & fecit eum tribunum super mille viros, & egrediebatur & introibat*

& introibat in conspectu populi. Atq. hæc oratio virum non latronem, sed prudentem ac strenuum ducem describit, qui sociorum phalangem instruendam, & in disciplina contentam, dictóq. parẽtem, nusquam inertem, nusquam segnem, ac minimè vsquam desidem, verùm prorsus alacrem, ita vt numquam ipse prodierit in bellum, quin omnes, nullo excepto, haberet comites, concordi animo ad omne belli discrimen secum subeundum promptos: quæ res & ipsis, apud quos degebant, populo ac principi vtilis & grata fuit, & Iephthe dexteritatis ac virtutis opinionem celebritatemq́. comparauit.

In illis diebus pugnabant filij Ammon contra Israel.

EVGAM *illam Iephte multo ante Ammonitarum inuasiones & incursiones fuisse, expositio hæc adnotat, ita vt quod Iephthe exsiliũ dicebatur, tamen ad salutis populi opportunitatem diuina prouidentia translatũ fuisse videatur. ita Deus, quæ per iniuriam ab hominibus temerantur, ad eorum ipsorum, à quibus illata est, commodum & præsidiũ conuertere nouit. cuius rei exempla quamplurima in sacris obseruantur historiis. vt illud: Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum,* Gen. 50. *sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, sicut impræsentiarum cernitis, & saluos faceret multos populos. Huiusmodi rationem à Deo nunc initam, historia indicat, nempe opportunè istam calamitatem per Ammonitas Israelitis illatam ea tempestate, qua Iephthe Gilghaditen florere in suo exsilio, atq. virtutis dexteritatisq́. famam colligere cœpisset. Ex Hebraica figura sic reddere Latinis verbis possumus:* Et fuit à diebus & pugnabunt filij Ammon cum Israel. Et fuit, *orationum & narrationum contextum indicat, vt apud Latinos, Illa tempestate.* A diebus, *annum integrum significat, vt in Abrahami historia. Maneat puella saltem decem dies apud nos:* Gen. 24. *& postea proficiscetur. in exemplari est: Dies vel decimum, quo tropo vel annum totum, vel decimum vsq. mensem illam apud se hærere rogabat: atq. ita apud Latinos disiunctim explicandus est locus. Sic in hac narratione post excursiones illas atq. inuasiones, cõuentumq. Israelitarũ in Mispan actum, post receptos in Gilghad atq. in suas regiones Ammonitas, decurso iam anno bellum apertè omni Israeli ab ipsis inferendum indictum promulgatumq. fuisse, interim verò & istos instructiores copias comparasse, & Israelitas pœnitentiæ ac pietati cum primis, deinde concordiæ & collectioni virorum, atq. aliis rebus opportunis dedisse operam. Indicto autem atq. inferri cœpto Israelitis bello, Gilghaditas, quos propter vicinitatem regionis, primos impetus sustinere necesse erat, plebiscitum illud antea declaratum edidisse, ac de eligendo quærendoq. duce sedulò egisse.*

Quibus acriter instantibus, perrexerunt maiores natu de Galaad, vt tollerent in auxilium sui Iephthe de terra Tob.

HVIVS *tam aperti & manifesti belli initia fuisse arbitramur diruptionem montium, quibus Galaaditis regio ab Ammonitis diuidebatur. Namq.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

hãc facilioris expeditionis, & celerioris occupationis causa multis magnisq; operis factam accepimus contra Gentium ius, contraq; fas; quam iniuriam & hoc tempore per Iephten victorem, & postea alias vlciscendam Deus

Amos 1. iudex suscepit. S. S. E. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus filiorum
» Ammon, & super quartum non conuertam eum: eo quod dissecuerit prægnantes Galaad, ad dilatandum terminum suum. Prægnantes autem, idem quod montes non steriles illic significare, in commentariis declarabamus.

Ierem. 49. & apud Ieremiam: Ad filios Ammon hæc dicit Dominus, Numquid non
» filij sunt Israel, aut hæres non est ei? Cur igitur hæreditate possedit Melchom
» Gad, & populus eius in vrbibus eius habitauit? Iccirco ecce dies venient, dicit Dominus, & auditum faciam super Rabbath filiorum Ammon fremitum prælij, & erit in tumultum dissipata, filiæq; eius igne succendentur,
» & possidebit Israel possessores suos, ait Dominus. Igitur quo tẽpore bellum hoc ardere, ac montes finesq; vastare cœperat, Maiores natu, hoc est, Familiarum principes viri ac proceres, quorum titulos iam enumerauimus, admisso plebiscito illo Iephten petiere, curam tutelamq; sui rogantes, imperiumq; & suo & populi nomine vltro deferentes, qua in legatione seniorum ac primorum cum primis est habita ratio, vt res communi omnium consilio acta constitutaq; crederetur: constabat enim de plebis rogatione & consensu, de primorum verò adscensu non constabat. id verò vt omni dubio eximeretur, proceres ipsi legatione suscepta curauere simul, vt hoc ipsum exploratum esset, vtq; res maiore dignitate & authoritate personarum inita, maiorib⁹ ad persuadendum ponderis ac momenti esset, atq; adeò si ad conditiones descenderetur, nihil excipi demum aut mutari posset ex procerum à plebe oriatorum atq; præmissorum concessionibus & pactis.

Dixeruntq́ue ad eum: Veni, & esto princeps noster, & pugna contra filios Ammon.

QVAMQVAM in illo plebiscito imperium ei decretum fuerat, qui Ammonitas bello impetisset; diuersa tamen ratione fuit à legatis relatum, quibus commodius ad persuadendum visum fuit consilium, si dignitas primum authoritasq; viro offerretur viro, deinde verò cura & industria quæ tanta dignitate digna esset, postularetur, cum promissione facilitatis, commoditatis, & fidei, quæ suscipiendæ prouinciæ pondus grauitatemq; minueret. Magna enim res imperium atq; potestas esse creditur, quamobrem magnis laboribus ac sudoribus, multoq; negotio ab iis qui gloriam aucupabantur petita, non tamen omnibus obtenta est, quandoquidem multi in ipsis vix portum iam tenentes periere. Quamobrem multi propter incertum exitum sese discrimini committere verentur. Huiusmodi ambiguitatem difficultatemq; omnem non emolliunt tantùm aut eleuant legati, sed orationem prorsus tollunt, idq; solum postulant vt Iephthe fidem ipsis habeat, sese

credat iisdem, atq; socium nunc præbeat, principem constituendum quàm primùm in locum deuentum fuerit. Veni. Nam hoc ipso & tua erga nos fides, & nostra in te cognoscetur voluntas, atq; hoc pacto ratio nostra cõstituetur, vt tu nobis princeps, nos tibi dediti atq; imperio parentes dicamur & simus. de reliquo populo nihil dubitandum est, vbi nos ipsi seniores & primores te nobis præficimus, cuius authoritas vel nobis obsidibus constabit, etiam si nullius populi accederet consensus, nedum nunc cùm populus ipse vltro de vindice sibi atque cæteris omnibus appellando lezem tulerit, eumq; potissimùm deligendũ decreuerit, qui Ammonitas bello adortus, rem strenuè gesserit. Horum verò qui rogationem ac voluntatem præstaret, tu vnus nobis præter cæteros idoneus ac legitimus præcipuè iudicatus es, vt qui & natura Gilghadites, & virtute fortis strenuusq; exstiteris. Atq; ita nos populo consilium acceptum ferimus, tu nobis iudicium debes, qui te populo & nobis statuerimus principem. Quamobrem de componenda primùm & constituenda principatus tui ratione & possessione, cura altera nobis omnino sine tuo negotio suscepta, altera tibi tantùm de cõseruatione reliqua est, eaq; non difficilis explicatu, tum propter honestatem, tum propter officiũ, quod facultate etiam maiore, nostra ex parte iuuabitur & fulcietur. Et pugna contra filios Ammon. in exemplari lingua ita est, Et præliabimur in filius Ammon. Non possum satis admirari illius ætatis hominum, atq; linguæ illius elocutionem, tanto rerum & rationum pondere, tam breui verborum numero expressam. Viro omni, ac principibus præcipuè, rem dignitatemq; suam tueri atq; defendere, tum honestissimum & expedientissimum est; tum etiam longè facilius, quàm nondum suam inuadere & vsurpare. Namq; hoc tyrannidis, illud muneris officiiq; est proprij; illud commississe, hoc etiam omisisse flagitium censetur. Causæ igitur commendatio in rerum seriem & consequentia versatur. Antequam princeps fueris, non te vlli pro nobis periculo expositum volumus: vbi iam cõstitutus sis, tu ipse dignitatem amplitudinemq; tuam conseruandam suscipies. Namq; hoc res ratioq; postulabit. est & alia vis & significatio in verbo pugna, à personæ ipsius more, instituto, atq; studio petita: quippe viro forti, & maximi ad res gerẽdas animi, nulla res gratior contingere potest, quàm propriæ virtutis exercendæ opportunitas & occasio, quam vel vltro quærere & antecapere, vel oblatã tenere, vel amissam plorare fortissimus quisque solet. Cùm verò hoc vno studio atq; negotio & rem & decus sibi comparare Iephte constituisset, opportunè & sapienter ad id agendum inuitatur, quod ipsi dulce ac decorũ in primis habebatur, hoc est, ad pugnandum, quod eo libentiùs suscepturus erat, quo honestius intelligeret. Iam verò si honestati vtilitas, atq; his etiã facultas accederet, nullus vel comparationi vel exceptioni restabat locus, quo minus magno studio, intrepido animo, atq; ingenti spe rem alacris aggrederetur. Hæc autem omnia breuissimo hoc verborum compendio continentur. Non, inquiunt, te otiosum principem esse volumus, quippe cùm nec mens,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec ætas ista ad otium vel ad vmbram comparata tibi videatur, atq; ita grauiter patiaris te à bellicæ rei studio ad inertem & ignauum principatū trāduci. ad pugnam rogaris, camq; longè honestiorem ac iustiorem istis quibus das operam. Namq; illæ in alterius causam gratiamq; tractantur, nempe principis terræ huius, in qua nunc hæres. At verò hoc, quod tibi suademus bellum pro patria, rebus, dignitate, authoritate, principatu, populisq; tuis honestatis & vtilitatis ratione ac iure plurimum præstat. Præterea hic tu bellum non cum inimicis, non cum hostibus tuis geris, sed, stipendiariorum more, principis terræ huius arbitrio voluntatique obsecutus, alienos hostes inuadis & sustines. At verò hoc non honestum modò, sed necessarium pro aris & focis, pro patria & salute ac liberis, aduersus legitimos hostes tam inde à principio gentis nostræ declaratos & infensos, nunc verò maximè infestos, filios Ammon, ita vt belli causa & materia nulla possit esse iustior, nec necessaria magis, quam tu vel priuatus fouere iuvareq; deberes, nedum princeps declaratus, libenter suscipias. Quod verò notanter pronunciatur, In filis Ammon, *modum, locum, formam commoditatemq; spectat. Namq; hostem in suis regionibus potius petitum adoriri, quàm in propriis operiri & exspectare, bellandi peritissimis commodius, facilius, splendidius multo, atq; magis etiam compendiosum iudicatur. Quippe duobus alendis exercitibus terra exhausta, & culturæ intermissionibus debilitata, atq; adeò multum licentiæ & frequentia multis partibus vastata, etiùs ad deditionem vel ad conditiones cogitur, ac deinceps in sui restitutionem intenta, de alienis inuadendis cogitat minùs. præterea direptionis ac prædæ spoliorumque spe, magis in hostili quàm in propria regione milites ducuntur. Nam hîc si vincere contingat, præter sarcinulas impedimentaq; bellica, nihil quod diripiatur vtile constat: illic victoribus & ista multo commodius, & victis principibus vrbes, oppida, ædes cùm priuatæ tum publicæ, spoliorum materia & copia abundant. His porro addendum, vt res aleaq; sinistrè cadat, si ab alterum inuaserit, propulsetur; tamen suam regionem, quò sese recipiat, quæque imminutum hostem minori cum periculo sustineat, integram famamq; sit reperturus. Quamobrem huic eidem rationi in illa populari lege cautum fuerat,* Qui in filis Ammon cœperit præliari, erit dux populi Galaad. *Porrò, quod maximi etiam in suasionibus momenti est, facilitas etiam & commoditas vnico verbo* Præliabimur, *exponitur, cùm Iephthe auspice ac duce primores hi, non spectandi, aut aliud agendi, sed pugnandi animo atq; studio, ac dexteritate sese prodituros profiteantur, qui cum pro religione, pro vita ac patria, pro liberis & agris, pro libertate ac dignitate propria bellum ineant, strenuè acturos significant, vt offensiam & iracundiam prouocatiq; sapius, contumeliam vlciscantur suam.* Præliabimur in filis Ammon. *nos præliabimur, tu imperabis.*

Quibus

Quibus ille respondit: Nónne vos estis qui odistis me, & eiecistis de domo patris mei, & nunc venistis ad me necessitate cōpulsi?

HVMANI *iudicij inconstantiam temeritatemq;, prudentis ac sortis viri oratio hæc breuiter ac dilucidè arguit, quod plerumq; ex opinionis tumultu agi solet, in rebus secundis præsertim: ex veri autem obseruatione ac trutina raro, idq; aduersis temporibus coactum ducitur. Tantum enim illa propry commodi cupiditas hominum animos transuersos agit, vt, ne ambitionis & superbiæ materia desit, ipsa sibi certas vel leges vel consuetudines fingat, quibus quæ vnica atque communis deberet esse societas, leuissimas ob causas nulla indicata culpa scindatur & dissipetur. Sed hic ingens immensusq; sese aperit campus, in quo cùm oratio libere vagari non possit sine frequenti multorum atq; importuna offensione, in exiguum nobis gyrū compellenda erit. Cùm natura ipsa veritatisq; rerum viri vniuscuiusque existimatio ea esse ac manere debeat, quæ virtute, non quæ externa aliqua ope illata est, illud plerumq; vel nullo vel postremo loco ponendum, hoc in primis ac ferè vnicè & solidè probandum & petēdum homines arbitrantur, in quo ad iniuriam vsque, & ad humani iuris, ad ciuilis officij, ad fraternæ vsque pietatis contemptum & violationem peccare non verentur. Cuius malignitatis exemplum in huius viri causa arguitur: quod antequam explicemus, quibus nam iudicibus ac personis obiectum fuerit, indicare operæ pretium fuerit.* Quibus ille respondit. *Exemplaris lectio personarum authoritatem exprimit.* Et dixit Iephte senioribus Gilghad. *Vt causa ipsa ex personarum ratione iure perorata agnoscatur, non ait, hominibus, sed quibus, hoc est, iisdem ipsis senioribus, eodem nomine ad partes vocatis, vosne senores Gilghad, quorum vel iudicio, vel consensu è ciuitate societateq; vestra eiectus, alienatus, expulsusq; fueram, me nunc non vt ciuem, sed vt auxiliatorem petitis, id est, non iuri meo, sed vestræ consulentes inopiæ. oportet autem vel nonnullos ex his ex eadē familia, & fortasse etiam Iephte fratres fuisse, cùm seniores Gilghad nominentur omnes, vel cum senioribus nonnullos ex fratribus rogādi causa adscitos venisse. Iā verò vt, quo iure, quóue more Iephte causam suam egerit, cognoscatur; antiquorum Iurisconsultorum responsum de hac re citare, atq; interpretari non pigebit. Fuit olim, hodieq; exstat ciuilis iuris ex Mosis lege deducti cōmentarius triplex: vnus* Misne, *hoc est, repetitio legis; alter* Gamara, *id est, integra; tertius* Thozzephta, *inscripti; postremum autem opus Authenticam vel adiunctam dicere Latinè possumus. Huius Chaldaica interpretatio, quæ ad hanc rē facit, sic Latinè ex verbo reddi potest: Hæc à principio in Israel fuerat lex, vt ne alienaretur hæreditas à tribu in tribum traducta. quam ob rem nemo vir ex alienatribu vxorem accipere poterat; cùm verò accideret, vt cuiquam mulier ex alienatribu propter amorem optaretur, ea dimittebatur ex viri domo sine hæreditate, cui ex hominum sermone nomen deinceps adhærebat* PVNDAKITA [*idem Chaldæis valet quod Hebræis* ZONAH, *significatq;*

De sanctis & hæreditatibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

» catq. Latinè quæstuariam siue merentem] quam, inquam, vir illius non-
» contribulem amauerat. Huiusmodi autem fuit Iephte mater, &c. Hactenus
explicatio nominis ZONAH Chananæi, & PVNDAKITA Assyrij: quam
ob rem vbi superiùs Iephte à fratribus exclusus dicitur illo nomine, Quia
de altera matre natus es, Chaldæus interpres vertit, Quia filius mulie-
ris ex tribu alia tu. Atque hoc quod vxorem ipsam spectabat, indicatum,
cuius in hæreditatis partem etiam viduæ relictæ, vel repudio exclusæ, vel
aliàs discedentis nulla causa cõstabat. Quod verò ad huius protem ex huius-
modi viro susceptam attinet, ita in Misne & in Gamara habet: Cui filius
» est, ex quocumq. loco, tamen filius ipsius est, idq. ad omnem rem, exceptis iis,
» quos vel ex ancilla, vel ex alienigena, hoc est, Gentili habuerit. in cuius de-
» finitionis explicationem illud à iuris prudentibus adscriptum est: Quid est
» quod dicitur AD OMNEM REM? nempe ad hæreditatem & impuritatem eiusdem. Hoc est, vt idem ad hæreditatis ius admittatur, quippe iisdem cum patre suo obseruãtiæ, & religionis, atq. puritatis obligationibus deuinctus est. Quibus ex definitionibus ac legibus, legumq. interpretationibus, illata Iephte à fratribus iniuria arguitur, quæ cùm hactenus patienter perlata fuerit nunc vt opportunè, sic & confidenter his legatis obiecta exprobrataq. fuit: vt, si repulsa daretur, iustissima videri omnibus posset. Namq. quis beneficium, quod nõ debetur, postulat ab eo, quem ipse suo iure per vim & ignominiam contumeliamq. deiecerit? Iniuriã autẽ non solùm ex facto, sed ex animi impulsu exaggerat. Qui odistis me: idq. validissimo argumẽto confirmat, hoc est, iudicij reiq. exemplo, non modò qui nullum apud vos mihi in repub. aut ciuitatis muneribus locum esse volueritis, sed ex domo & familia patris mei, vobis notissimi, contra fas & ius eiecistis me, quem ab ipsa pueritiæ indole noueratis, in paterna domo adoleuisse videratis; eadem cum patre religionis obseruatione spectatum, & si nõ vtilem vobis, quia experiri propter inuidiam non placuit; tamen innocentem, tamen modestum, neminiq. vmquam infensum, neq. fratribus iniurium, etiam cùm malè ab ipsis haberer, nec postea etiam vllo vel leui facto vel dicto infestum, sed cedentem omnino, quem vos neque tunc defendendo aut iudicando asseruistis, nec toto hoc tempore postliminio reuocãdum curauistis, vtpote non neglectum modo, sed odio habitum, interim dum nihil esse videbatur quo mei rationem habere cogeremini. Namq. ista vestra modò apud me actio nõ voluntatem probat, sed necessitatem manifestam arguit: cui vt quàm occultissimè pareatis, isto principatus prætexto titulo datis operam. Et nunc ad me venistis necessitate compulsi. *Ex propria lingua:* Et cur venistis ad me nunc cùm angustiæ vobis? *Miror, inquit, vos hoc tempore venisse, cùm nullo pacto amicitiam vel curam mei, sed vestri vnicam docere demonstrareq. potestis, ad me ita vobis exceptum, cùm liberum iudicium, integrumq. constabat officium, quem nihil auxilij vel opis ex vobis petere aut indigere scitis nunc, imo contrà vobis opportunum & opitulatorem existimatis, ad*

erumnæ vestræ vel depulsionem, vel communicationem petitis. cùm meæ res in angusto essent, neminem vestrum aduocatum aut vindicem expertus fui: cùm vobis angustissimæ sunt, mihiq. secundiores, vos omnes ad me confugitis. itaq. temporis occasio nec dissimulari verum, nec dolum celari sinit. Cùm angustiæ vobis. Quod quàm iustum sit, res ipsa indicat: certè vobis nec liberale, nec decens videri debuit. Cur *ergo* venistis?

Dixeruntque principes Galaad ad Iephte: Ob hanc igitur causam nunc ad te venimus, vt proficiscaris nobiscum, & pugnes cõtra filios Ammon, fisque princeps omnium qui habitat in Galaad.

INGENIOSA *necessitas & senilis prudentia effecerunt, vt iisdem argumentorum locis, quibus ad repulsæ honestatem causa Iephte constabat, ad efficacem tamen perorationem color inueniretur. Namq. ille ex absurdo atque indecoro illorum petitionem exprobrauerat, hoc ipsum argumentum ipsi ad mouẽdum, impellendum, ac demum conuertendum viri animum arripiunt. Nobis, inquiunt, non vt priuatis, sed vt senatoribus Galaad iniuriam tibi factam, vel vt authoribus, vel vt non propulsantibus exprobrasti, cùm illa non consilio nostro, sed fratrum tuorum insolenti tumultu illata sit, nam tu non nos, verùm fratres tuos fugiens huc te recepisti: sed ex eo nos ista culpa liberos cognosces, quòd nos ipsi, qui tunc non tantùm à te stetisse videbamur, nunc nulla fratrum tuorum ratione habita, vltro te petierimus, non modò in tuum ordinẽ restituturi, sed in amplissimum locũ promoturi, principem constitutum non fratrum tuorum modò, quibus vel minor antea, vel par, saltem non maior censeri haberiq. poteras, sed nostrum, atque adeò omnium qui habitant in Galaad. Demus tamen & istud tibi, nos in partem istius criminis vocatos; vel, si mauis etiam, nos esse qui culpam omnem cùm fratrum, tum nostram præstare debeamus: quid nam tibi gratius, opportunius atque honestius contingere potuerat, quid magis in votum venire, quàm vt nos ipsi præstaremus, & qui te, quem arbitrio vel intercessione retinere priuatum, vt existimas, possumus, nunc vltro itinere suscepto, ac opera data petamus, & reuocandum deducendumq. curemus tanto cum splendore ac honore, vt cuius priuatæ saluti non consuluisse videri possumus, nunc publicæ patriæq. salutis administrum salutatum & declaratum comitemur, ducemq. nobis in bello præficiamus? itaque hæc ipsa nostra, quam reprehendis, opera veniendi ad te magnam non solùm acceptæ tibi contumeliæ compensationem, sed gloriæ amplificationem affert: quam si tu repudiaueris, non iam nostræ culpæ, sed tuæ vel contumaciæ vel inhumanitati, vel etiam tumiditati ac pectoris angustiæ imputandum erit. nec enim diffidentiæ debet adscribi, cùm nos ipsi ad te venerimus, nosq. tibi crediderimus hoc loci, & comites itineris ac demum promissorum obsides præbuerimus. Ob hãc causam. Quia electus es: nam si id nõ accidisset, vel tu apud nos non tantam virtutem ac dexteritatem ostendisses, vt illius ergò vnius*

delige-

Universidad de Deusto
Biblioteca

deligeris in omni regione dux, & vnus creareris princeps. Quod si maxime contingeret, non tamen tantam omnium nostrum in te voluntatem experirere, atque nunc opera officioq; experiris, qui venimus ad te seniores primoresq; Gilghad, vt sumus omnes, & non aliquem misimus nuncium. Atqui si vel non exclusus, domo tamen propria relicta huc te sponte tua recepisses, propter necessitatis authoritatisq; patriæ ius non petitus à nobis, sed accersitus ac iussus venire debuisses. Ac nec quidem fortasse tu vmquam domo excessisses tua, neque eam tibi, ciuili & rei familiari intentus, virtutis & fortitudinis opinionem comparauisses, quam istud quod vocas exsilium peperit. quam ob rem quam tu iniuriam accusas, nos opportunitatẽ & commoditatem, ad nomen decusq; amplificandum tibi creatam, interpretamur, atque adeo nobis acceptam referendam, quam si ex odio atq; contemptu profectam criminaris, nihil est quod crimen istud vel declinemus, vel frangamus, vel condonandũ vincamus, nisi vna tanti senatus pœnitentia, quæ nostro aduentu comprobatur, cum oblati vltro principatus promisso: quem vbi obtinueris, pro arbitrio in omnes habitantes Galaad, atq; adeo in nos ipsos, exercere possis. Sua ex lingua sic orationis huius reddentur verba: Ideo nunc conuertimus ad te. *quo verbo facti pœnitentia integra non animis tantùm, sed officiis atq; operibus declarata indicatur. nisi enim omnium nostrum voluntas ad te conuersa esset, non omnes viri tam graues ad te petendum conuenissemus, nunc verò verso studio communiter conuenisse videt, ac te rogantes propugnatoremq; postulantes & salutantes, primas vltro deferentes audis. Quid nam excipere excusareq; potes, quo minus nobiscum vnà venias pugnaturus, non tu solus, sed nobiscum, propugnationisq; præmium, hoc est, rerum summam commissam solus reportaturus?*

Iephte quoque dixit eis: Si verè venistis ad me, vt pugnem pro vobis contra filios Ammon, tradideritq́ue eos Dominus in manus meas, ego ero vester princeps.

VT *redargutionis huius planior reddatur sensus, carmen totum singularum verborum enumeratione ac serie vertendum censemus.* Et dixit Iephte ad seniores Gilghad: Si reuocantes vos me ad præliandum cum filiis Ammon, & dederit illos Dominus ad faciem meam, ego ero vobis in caput. *In dubiis ac suspicione dignis actionibus cauere virtuti ac*
Publ. Mim. *prudentiæ adscribitur:* Ad tristem partem strenua suspicio, *inquit ille. Et quidem in colloquio hoc non minùs prudentem & circumspectum sese præbuit Iephte, quàm in bellica virtute fortem antea præbuerat: quæres viri observationi multum etiam ponderis apud seniores addidit, non minorem ad res agendas prudentiam, quàm ad gerendas dexteritatem miratos. Prima quidem salutatione ad imperium in ipsos, quàm primũ in patriam ventum esset, ineundum inuitasse videbãtur, idq; oratio ipsa præferebat:* Veni, & esto princeps noster, & pugna contra filios Ammon. *Id ille non ex animo*

animo ac studio, sed ex necessitate profectum arguebat, quam suspicionem oratores delere curantes, eo quo explicuimus pacto responderunt, se ob eam causam venisse, vt secum reuocato bellum in Ammonitas demandarent, atque imperium in Gilghaditas decernerent, itaq; in posteriori oratione imperij mentio belli curam demandandam secuta est. Hac ipsa autem sermonis ratione illud ipsum, quod principio obiecerat, nunc rursus cõfirmat Iephte, id est, ipsos non ex voluntate, sed vsu coactos agere secum; id est, ita callidè promittere, vt non qui propter amicitiam ad honores, sed propter metum ad labores aduocent; vt cùm, si victi essent, necessarium Ammonitarum iugum subire deberent, leuius ac satius arbitrarentur Iephte imperium pati, si per ipsum victores euaderent; atque ita illum non haberi inter Galaaditas & fratres primum, sed ex inimicis leuiorem futurum duci. Ac verborum quibus hic sensus exprimitur explicatio iam sese aperit: Si verè venistis ad me. *Iam vestra sese mens oratione ista palàm prodit. Nam reuocatio ista non ad honorem, sed ad laborem mihi imponendũ decreta fuit,* Vt pugnem pro vobis contra filios Ammon. *Egregiam verò ac sinceram reuocationem, magnumq; honorem, magnum potiùs onus,* Vt pugnem contra filios Ammon: *priuatus nũc ac tutus cùm sim, eò veniam, vt priuatus etiam vestra bella suscipiam, priuatusq; geram: atqui victoriæ præmium honestissimum dicetis fore, principatum apud vos exercẽdum. quid, si ante victoriam occumbam, quid vel commodi vel honoris mihi ex vobis venerit, quod animum vestrum mihi probet, quodq; periculum compenset aditum? imò vnicum tamquam vobis inuisum caput meum, quod discrimini obyceretur, petitum, huiusmodi declarabit exitus. Quòd si dicatis, magnam vobis in Deo spem esse obtinendæ per me victoriæ: namque ego quidem illum solum modo victoriæ authorem appellaturus, spectaturus atq; habiturus sum, neminem præterea alium; cùm hæc sua ipsius atque Israelis sui causa sit. Atqui tunc* Ego ero vester princeps *scilicet: verum principatus ille quónam tu re ad me pertinebit, studij ne ac voluntatis, & concessionis declarationisque vestræ; an potiùs laboris & operis à me suscepti, & belli atque victoriæ legibus? magis autem Dei vnius consilio ac beneficio, qui me & victorẽ constituerit, & re prosperè gesta principem vobis vel inuitis præfecerit. itaque non libentibus, sed coactis vobis me reuocari intelligo, à quibus id tantùm suscepisse dicar,* Vt pugnem; *à belli verò ac periculi superati iure, atq; adeò à Domino vt vobis præsim, qui seruitutis graue iugum vobis ab hoste imminens fractum repulerim. Hanc verò suspicionem qua ex propriis verbis à Iephte præstringebantur, nulla commodiùs ratione delere potuerunt seniores illi, quàm deditione præsenti, ac declaratione ad Iephte arbitrium facta, iuretur ãdo in præsentiarum dato, velut pignore, quo nullum vinculum ad adstringendam fidem pij viri arctiùs esse voluerunt, Deo id probante, atque ita sanciente: Reddes autem Domino iuramenta tua.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Qui responderunt ei: Dominus qui hæc audit, ipse mediator ac testis est, quòd nostra promissa faciemus.

Hebr. 6. HOMINES *per maiorem sui iurant, & omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem est iuramentum, Deo videlicet immortali tum iudice tum teste interposito. Atqui cùm se dupliciis orationis quadam quasi pugnantia vrgeri intelligerent, consultissimum esse duxerunt, interpretationem non sibi reseruare, sed Iephte ipsi totam permittere, atq; posteriorem orationem cum priore hoc pacto confundere, vt nullus illis malitiæ, nullus Iephte suspicionis relinqueretur locus.* Quòd nostra promissa faciemus. *Hoc modo Latinus interpres pactum ad priorem orationem referendum declarabat, idq; ex exemplarium verborum serie explicamus:* Deus erit audiens inter nos, nisi secundùm verbum tuum sic faciemus. *Pactorum, inquiunt, & conuentorum ea vis naturaq; esse debet, vt quocumque modo pronuncietur oratio, res tamen ipsa simplex immobilisq; constet. Non enim ex pactione verborum quibus iusiurandum comprehenditur, sed ex perfidia & malitia, per quam insidiæ tenduntur alteri, Deus immortalis hominibus irasci succenserecq; solet. quam ob rem quæ nos tibi promittimus, non ex nostro, sed ex tuo vsu declarari accipiq; iure debent. sed vt nihil etiam huiusmodi nobis vel ad exceptionem, vel ad explicationem reliquum esse possit, non nostram, verùm tuam orationẽ valere Deo teste atque iudice volumus: ita vt tibi orationem nostram quolibet pacto explicare fas sit; nobis verò eam ita à te explicatam fide ac re præstare sit necesse, idq; nunc religiosa affirmatione sit promissum. ex te itaq; dictum, ex nobis exspectabitur factum. Et profectò nec commodiùs, nec liberaliùs aut certiùs de re ipsa omni inter illos pangi ac transigi potuit, vbi neutri parti ad petendum, vel ad excipendum reliqui quicquam fuerit. Fuit autem Iephte animus postulandi, vt ante belli initia præfectus declararetur, idem ipsum rursus concedendi, senatoribus certa mens voluntasq; fuit. Vtrumq; verò subsequenti continuo exemplo, communi cùm populi tum patrum consensu, firmatum exstitit.*

Abiit itaque Iephte cum principibus Galaad, fecitque eum omnis populus principem sui: locutusque est Iephte omnes sermones suos coram Domino in Maspath.

BELLVM *illud tametsi ad Israelitas pertinebat cunctos, præcipuè tamen Galaaditas spectabat, qui primi hostium inuasioni obnoxij, atq; horum causa cæteræ etiam tribus, vti superiùs intelleximus, vexabantur. Quam ob rem omnis de Iephte eligendo ac sibi præficiendo ratio, ad communem Israelitarum conuentum, qui apud Mispã celebrabatur, à Galaaditis delata est, quorum præcipuè in illam expeditionem sese parare & instruere intererat, quorumq; consilium & iudicium, de imperio Iephte demandando, nullum in cæteras tribus præiudicium fecerat, vtpote tantùm in habitatores Galaad principatu decreto. id verò totum cum omni Israele communicandum videbatur. Re verò atq; ratione omni collata & examinata, conditio demũ publicè renunciata fuit, atque præsente & probante concilio accepta, consensu vtriusque partis, Iephte videlicet & Galaaditarum. Hoc est quod illa significatur oratione:* Locutus est Iephte omnes sermones suos coram Domino in Maspha. *Israelitarum communem cõuentum, siue Ecclesiã publica & communi de causa coniunctam sanctam sacramq; habitam antiquis, hac & multis aliis lectionibus obseruauimus. S. S. E. Quoniã Deus æmulator Dominus Deus tuus in medio tui. &: Audi Israel, vos hodie contra* Deut. 6. Deut. 20. *inimicos vestros pugnam committitis: non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, ne formidetis eos; quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis cõtra aduersarios dimicabit, vt eruat vos de periculo. Igitur in illo conuentu repetita à principio narratione omni, quam antehac legimus concionem à Iephte habitam, ac publica sententia acclamationeq; probatam intelligimus.* Omnes sermones suos, *res omnes initio aliè repetito. Hunc verò eundem locum proprij domicilij nomine delectũ, ac deinceps cultum sibi Iephten optasse notauimus. bono videlicet auspicio muneris sui, ibidem præsente Deo ac publico conuentui fauente, initi. Fuerat autem locus hic omni Israeli sanctus faustusq; habitus abusq; prima regionum illarum inuasione & occupatione, propter manifestum beneficium victoriæ Iosuæ promissæ ac præstitæ, quo tempore Chananæorum Reges omnes, communis propugnationis causã, in eundem locum, Iabino Asorita conuocante; fuerant coacti.* Iosue 11.

Et misit nuncios ad Regem filiorum Ammon, qui ex persona sua dicerent: Quid mihi & tibi est, quia venisti contra me, vt vastares terram meam?

ANTIQVIS *& sacris populi illius legibus nullum bellum cuiquã vel vrbi vel regno mouere fas erat, nisi vel propulsandæ, vel vlciscendæ publicæ iniuriæ causa; idq; ante denunciationem, oblatæ pacis temperamento fuerat cauendum, maximè in iis regionibus, quæ in Chananæorum censu ab initio non fuerant. Si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres* Deut. 20. *eis primùm pacem, &c. Cuius religiosæ legis clemẽtia sibi rem omnem cum primis inchoãdam Iephte proposuit, quãquam fortissimus & strenuus vir, tamen qui fortitudinem omnem non ex libidine exercendam ducit, nõ ex gloriæ cupiditate, quæ quorundam animos ad ferociam incendens, iura sibi nata negat, & nihil armis non arrogat, sed ex humanitate & æquitate, atq; adeo ex iure, ita vt inuitus magis & prouocatus tueri sua, quàm vltro aliena inuadere aut affectare censeatur. Huiusmodi exemplo Iephte causam suam aliàs manifestam, tamen publicè constare voluit, antequã vel Ammonitis, vel illorum rebus quicquam vel incommodi vel damni inferre occiperet, missis legatis ad Regem ipsum, illarum, quæ antea ab Israelitis acceptæ erant, iniuriarum authorem, cui & sese cum primis Israeliticis rebus præfectum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

fectum ac vindicem constitutum declarabat, & causam etiam vel culpam, si qua esset, præsituram pollicebatur; quæ si nulla esset, tamen iniuriam expostulatam retunsurum significabat. Qui ex persona sua dicerent. *Hac circuitione Latinus interpres nominis Iephte in exemplari expressi notationem explicuit, atque verbi etiam* Misit, *vim, quæ personæ mittentis authoritatem firmat. vt aliàs, Deo donante, in disputatione de Apostolatu, explicabimus. Atqui legationis documentum & authoritatem, nihil prætereà literæ continebant, sed mandatorum summa ratio legatis ipsis credita fuerat. cuius argumentum illud fuit, vastationis ac direptionis notam & manifestam calamitatem Regi authori adscribere, & iniustè illatam obijcere.* Quid mihi & tibi. *Quid mihi culpæ, & quid tibi iuris, aut querelæ causæq; iustæ est? cùm vtrumque constare oportuisset antequam vel tu moueres quicquam, vel ego vexarer: id enim Regis & victi & consanguinei officium fuerat. Contrà verò actum est, cùm tu non lacessitus aut intra regionem tuam læsus, vltro tamen veneris ad me, non ad agendum de rebus tuis, sed ad alienas perdendas ac diripiendas,* Vt vastares regionē meam. *Id quod non potuit suscipi sine magna vel mea culpa, vel cupiditate atq; insolentia tua. quam cùm ego vlciscì possem, vtpote manifestè offensus & lassus, tamen iudicio tractanda experiri malui, paratus causam à te dictam vel iustam concedere, vel iniustam depellere.*

Quibus ille respondit: quia tulit Israel terram meam, quando adscendit de Ægypto à finibus Arnon vsque Ieboc atque Iordanem. Nunc ergo cum pace redde eam.

ALIENARVM *rerum cupidis & appetentibus, vbi facultas & potentia suppetit, prætexendarum cupiditati suæ causarum materia & copia, siue ea ex vero, siue ex falso, ex proximo, an ex remoto loco, vel tēpore petita, non deest tamen. Vbi enim semel mala insedit mens, dictum factúmue facilè inuenit quo iure, quáve iniuria nocendo expleatur. callido isti & improbo atque inuidia exardescenti alienæq; felicitati insidianti principi, Iephtei authoritas quadam tenus contemnitur, rursus quoad se facere posse videtur, admissa appellatur. Nam cùm is ex legationis personis ac mandatis intellexisset, virum illum principem reipublicæ, & ducem belli causa declaratum, priori tantùm nomine in responso accipiendum duxit, hoc sensu & colore: Cùm tu Galaaditarum iudex gubernatorq; prædicēris, nihil à me ex tempestendum postulandumq; putes, vt ab authore iniuriæ, quam ego mihi factam exponam; sed vt à iudice, cuius officiū est non modò curare ne quid cuiquam vel ciui, vel hospiti, vel vicino, vel remoto, damni aut mali præter ius afferatur; sed etiam vbi allatum constiterit, euestigio resarciatur. Cùm ergo tu rogas,* Quid mihi, quid tibi? *respondeo, mihi causam certam & magnam, tibi nullam esse culpam, sed Israeli omni, à quo exspoliatus fui. quam ob rem ego nihil aduersum te hactenus egi molitusue fui; sed aduersus Israelitas, idq;*

idq; non nocendi studio, sed ereptam mihi iam pridem regionem atque possessionem recuperandi. Hæc itaque causa est, cuius confirmatio ab historia petitur; historia autem adnotationibus ac descriptionibus certis coloratur. Principio enim illud statuitur, Israeli ante adscensum ex Ægypto nihil vsquam possessionis in omni terrarum orbe fuisse, præter vnam fortasse speluncam, ab Abrahamo vltra Iordanem in Chananæorum regione emptam ad sepulchri vsum. Quòd si ex promissis Abrahamo & Israeli factis repetenda ratio fuerit, constabit, nihil illis eis Iordanem antea fuisse promissum à Deo. adscendentibus verò ex Ægypto Israelitis illam vocem causámque semper fuisse vsurpatam, nempe Chananæa regionis occupationem & possessionem à Deo promissam, & iam iam præstandam. Namq; huiusmodi illorum professio erat: Tantùm est nobis vt concedas transitum, donec veniamus ad Iordanem, & transeamus ad terram quam Dominus Deus noster Deut. 2. » *daturus est nobis. ita adeò nec quicquam illi antea vsquam terrarum prius, nec alibi quàm vltra Iordanem quicquā promissum docere indicareq; possunt. Quod verò ad me attinet, illud constat, regionem omnē* A finibus Arnō & Iaboq vsque ad Iordanē *dictionis meæ fuisse certis, & qui mutari non possunt, limitibus, hoc est, fluminibus tribus definitam. Hanc verò nec sibi Israelitæ docebunt possessam antea, nec promissam quidem, sed dolo ac fraude occupatam,* quando adscendit de Ægypto, *cùm tantæ multitudini nec antea à meis offensæ aut læsæ, vel caueri, vel obstari illa tempestate ab imparatis incolis non posset. occupatam itaq; & hactenus iniuria retentam, quia non ex æquo ac iusto mihi meisve redditam, adhuc desiderare coactus fui, nunc iam bello repetendam experiri constitui. Neque enim vllum idoneum hactenus nactus fui iudicem, à quo postulare possem: quippe nullius toto hoc temporis interuallo Galaaditis exstitit princeps; sed Israelitarum quædam antea popularis gubernatio fuisse videtur. Nunc verò percōmodè & mihi & Israelitis accidit, cùm tu princeps omnibus constitutus & index, quæ mea sunt, mihi adiudicare & reddere possis ac debeas, atq; hoc pacto & me immunem constituere, & Israelem sustinendi belli molestia, necessitate atq; ærumna vindicare, & me illi pace atque amicitia conciliare ac vincire, certum aliàs & pugnando per vim recipere, quod ius meum persecuto, & pacem danti negatum fuerit. Hæc Ammonitarum Regis dicendæ causæ summa fuit duabus, vt apparebat, munita rationibus; altera possessionis propriæ iure, altera verò insimulatione iniuriæ qua Israelitæ tenerentur. Ita facilè potentiores ad prætexendam cupiditatibus suis honestatem, colores reperiunt.*

Per quos rursus mandauit Iephthe, & imperauit eis vt dicerent Regi Ammon.

Ex *exemplari sic, quamquam minus Latinè*: Et addidit adhuc Iephthe, & misit nuncios ad Regem filiorum Ammon. *Pulchra ac decora*

Universidad de Deusto
Biblioteca

boni principis actio, qui non iure modò atq; causa, sed officio abundare voluit, ac simul ostendere parem sibi esse & respondendi de iure, & bello etiam agendi ac decernendi facultatem & mentem; præterea tantam modestiam, vt quæ officia minimè deberet, tamen faciat: namq; vrbani ac ciuilis, nec superbia elati principis fuerat, causam suam antè Israelitis per legatos probare, quàm bellum & malum inferre, maximè affinibus ac vicinis. Huius ciuilitatis nullũ exemplum editum fuit. verùm tam illud multo censendum rusticius & inciuilius, atq; etiã superbius, acceptis vltro per legatos mandatis per eosdem respondere, nullis à se ex propria aula vel seorsum, vel cum iis redeuntibus, vel antea, vel postea delegandis, quod ex Gentium iure ac more etiam inter remotissimos fieri solet, maximè cùm æqua aut par potestatis ratio & forma est. Namq; in superiore aliquo principe aduersus inferiores, & legibus suis constrictos, hoc plerumque non requiritur; inter eos verò, qui proprio ac supremo vtuntur iure, desiderari, vitio & culpæ adscribitur. Hæc autem iniqua agendi ratio significanter narrando indicatur. Namq; superiùs legebamus, Et misit Iephte nũcios ad Regem filiorum Ammon. *quos legationis authoritate ornatos, rem non per literas, sed per mandata egisse ostendimus. Deinde verò legimus,* Quibus ille respondit. *siue, vt exẽplar habet,* Et dixit Rex filiorũm Ammon ad legatos Iephte, *non ipsi Iephte per legatos à se rursus missas, sed per eosdem. Nec enim tantum illi tribuendum duxit, vt ipse per suos responderet. Quæ res indignitate sua satis stomachi mouere potuit principi alteri, nisi maior honestæ omnibus modis victoriæ, quàm offensionis propriæ, aut molestiæ cura fuisset. cui tamen tanta modestiæ ratio habita est, vt qui vel bellum per cursorem denunciare, vel non denunciatum inire, vel denũciati sibi conditionem accipere posset, tamen pluribus rursus auctis legatis de causa iureq; suo respondere maluerit. Hoc est quod lectio significat,* Et addidit adhuc Iephte, & misit nuncios. *Namq; rursus & plures etiam non cursores, non tabellarios, verùm* legatos, *legationis dignitate authoratos, ex verbo* addidit adhuc, *intelligimus, quibus & sese non Israelitarum aut Galaaditarũ principem, sed Iephte nominare, illum verò Ammonitarũ Regem salutare & obseruare præcepit. Demandatæ verò legationis exemplum grauissimum, & tali viro, taliq; causa dignum, in narratione subiunctum est.*

Hæc dicit Iephte: Non tulit Israel terram Moab, nec terram filiorum Ammon.

ADVERSARIVS *Rex hactenus Iephtei personam admiserat, quatenus iudicem & vindicem sibi fore postulabat: quo in iudicio se actorem, Israelem verò constituebat reũ. Atque hoc pacto honorem quodammodo Iephteo deferebat, persuadereq; suam causam & iudicium extorquere studebat, id tamen satis pro imperio, non qui legatos proprios ad reposcendũ constituisset, nec qui illius iudicium sibi subeũdum concessisset, sed factum à se probandum, contra se verò repudiandum, & potentia sua vtendum significasset. Nam sibi nullum iudicem agnosci, præter se, cui satis causæ esset ad repetendum, idq; pro ratione esset, volenti repetere, vt qui Rex ac nulli alij principi esset addictus. quòd si ille principem & iudicem Israelitus se præbere vellet, consulti ßimè ageret, non examinanda, nec atterenda diutiùs re per litem aut cognitionem nouã, sed quàm primùm ipsi reddenda, ne plus damni & mali differendo afferret, quod postea cùm auertere aut deprecari non posset, & calamitatem populi augeret, & inuidiam in se concitaret. Quippe quæ breui ac sine belli molestia reddere noluisset, magno cum malo amittenda imprudenter suasisse, ac pro officio maleficium genti suæ tulisse diceretur. Hæc sensus fuit illius perorationis regiæ:* Nunc ergo cũ pace redde mihi eam. *Nam pacem postea non obtinebis, nisi nunc quàm primùm reddideris integram. Hæc significat vox* BESALOM, *hoc est, quietam, pacatam, & perfectam, absq; detractione aut exceptione vlla. Atque hac in causa Iephte iudicis partes, tam iniqua conditione impositas, prætermittens, oratoris ac defensoris accipit, & strenuè agit.* Hæc dicit Iephte, *non vt princeps, sed vt priuatus quispiam Israelites, qui causam non ex personæ dignitate, nec ex potentia & opibus, sed ex vero & æquo defendendam suscipit. Fuerat autem duplex in Regis accusatione status: desinitiuus alter, alter verò legitimus. Desinitiuus facti definitionem & nomen spectabat,* Quia tulit Israel terram. *legitimus verò facto iniuriam adscribebat,* meam. *Namque vtraq; pars in iudicio de repetendis exigitur, in quo altera tantùm nihil confitere posit. Nec enim sat est docere sublatam rem, nisi iniustè sublatam accusator euicerit. Vtramq; verò criminis partem non modò refellit Iephte, sed dissoluit verissimè simul & sapientissimè. Nam primo loco nihil de facto agit, quod vtriq; parti communiter constabat, & ex Regis oratione satis liquebat, hoc est, teneri Israelitis regionem ab eo tempore quo ex Ægypto adscendere contigisset, numquam verò antea possessam aut habitam: sed quoniam nihil ad crimen ponderis in hoc erat, illa duo petita sunt, hoc est, nomen facti, quod ad finitionem quæri primùm oportet, hoc est, an occupatione, an vsucapione, an hæreditatis, an victoriæ iure, an rapina & violentia res obtenta fuerit. Rex rapina factum accusabat, quod iniustissimæ inuasionis criminibus exaggerabat,* dum adscenderet ex Ægypto. *Iephte primo loco definitionem diluit, deinde eadem negatione iniuriæ crimen refellit, vtrumque autem in orationis propositione defendendum suscipit.* Non tulit Israel. *Hæc est altera priorq; pars de facti definitione, qua & terra sublata negatur, &, si maximè sublata concederetur, id tamen non esse Israeli imputandum, vt qui in illa re nihil quicquam proprio ex consilio egerit, sed ne cogitarit quidem agẽdum. Quamobrem alij authori quàm Israeli adscribendum esse illam sublationem, si tamen sublationẽ dicere fas fuerit, quod etiam suo differetur loco. Posterior pars de iniuria sibi facta, quam Rex expostulabat, eadẽ quoque propositione negatur,* Terram tuam, *hoc sensu: Nec*

Universidad de Deusto
Biblioteca

aduersus Israelem iusta cuiquam mortalium actio de hac re esse potest, nec aduersus quemquam ista actio iniri iure debet isto nomine tulit, *nec cuiquam minùs quàm tibi vel actio vel repetitio conuenit, nempe quia non* tuam. *itaq; & actoris, & rei personæ, & definitio nomenq; facti, & iniuriæ constitutio per vnius negationis oppositionem separata tolluntur, atq; ita tota causa ad desperationem adigitur. triplicem hanc defensionis partem grauissimis argumentis & rationibus, ex re atq; historia ipsa rectè ac diligenter ductis, confirmat Iephte, repetita altiùs historia. quod verò in propositionis oppositione additur,* Neque terram filiorum Ammon, *ad calumniæ exaggerationem facit. magna enim calumnia est, tuum dicere quod nunquam tu possedisti, sed maior, si quod nec tu, nec maiores tui possederant, dicas tuum, maxima verò, si tuum affirmes, quod nec tibi vnquam proprium iure esse aut debuit aut potuit. itaque docebo te ea repetere, quæ nec ipse tua esse vnquam potuisse probare possis. docebo etiam ab iis aduersus quos nihil tibi iuris est, sed nec tibi, nec alij cuipiam fore euinces.*

Sed quando de Ægypto conscenderunt, ambulauit per solitudinem vsque ad mare rubrum, & venit in Cades. Misitq; nuncios ad Regem Edom, dicens: Dimitte me, vt transeam terram tuam. Qui noluit acquiescere precibus eius. Misit quoque ad Regem Moab, qui & ipse transitum præbere contempsit. Mansit itaque in Cades.

PRIMA *huius ex ordine initæ narrationis pars ad docendam & demonstrandam Israelis in omni huiusmodi actione & causa, immunitatem vsurpatur, hac argumentatione: Cuius nec voluntas accusari arguiue potest, eiusdem nec factum indicari, in crimenve potest vocari. Israeli nulla fuit vnquam vel cupiditas vel voluntas, alienas cuiusquam mortalium res non inuadendi modò, sed ne vlla quidem ex parte ledendi: falsò igitur & immeritò crimen istud obijcitur. Nam si maximè ille ista libidine & cupiditate raptus egisset, tunc commodissimè ac tempestiuissimè experiri potuit, cùm totus & integer populus ex Ægypto eductus, viribus & opibus cõunctis, ac transmisso iam semel mari, à regionibus cultus nõ longè aberat, quas inuadere & expugnare posset, id tamen nusquam egit, nusquámve tentauit agendum, atq; adeò nec animo aut cogitatione concepit. Quippe qui non suo ipsius consilio ducebatur, sed Dei vnius, cui se populum adscriptum profitebatur, Israelis nomine appellabatur, hoc est, potentis cum Deo, atq; adeò nihil sine Deo valentis. Hoc autem nomine ac titulo, hac etiam religione adstrictus, multis annis* ambulauit per solitudinem. *neq; toto illo tempore cuiusquam populi regiones aut agros contigit, adeò vt magna per desertũ circuitione pererrata, quæ ex illius itineris mansionum descriptione cognosci potest, ad rubrũ mare, vnde priùs soluerat, fuerit reuersus, cùm inter agendum iter, secundùm plurium Gentium agros nunc diutiùs, nunc breuiùs, interdum propiùs, nonnumquam longiùs consederit. atq; hoc vel vno argumento Israelis simplicitas, innocentiaque, & abstinentia probari maximè potest, qui tanto tempore, tam longis erroribus & ambagibus viarum atque itinerum, semper sese in solitariis tenuerit locis, vbi nemo quisquam viuere posset, nisi à Deo ductus & altus, vtpote qui nihil cibi in tota illa solitudine, vnde pasceretur, haberet, atq; adeò indies imminueretur, maioribus & proiectioribus ætate indies mortem obeuntibus, in eademq; solitudine sepultis. Hoc itaq; vitæ modo & more tot annos produxit, tantum abest vt mortali cuipiã vim iniuriamq; inferre cogitauerit. Nec ab iniuria tantùm faciẽda, sed à damno vel minimo dando, illum abstinentissimum fuisse docebo.* Et venit in Cades, *primum, secundùm solitudinem illam, ab Idumæis habitatum locum, quem tamen non antè adiit, quàm de transeundi copia modestè & ciuiliter atq; amanter etiam rogaret, legatis ad Regem publica authoritate præmissis cum mandatis obtestatione abstinentiæ continẽtiæq; omnis. Hæc mandat frater tuus Israel: Nosti omnem laborem qui apprehẽdit nos,* Num. 20.
quomodo descẽderint patres nostri in Ægypto, & habitauerimus ibi multo tempore, afflixerintq; nos Ægyptij, & patres nostros, & quomodo clamauerimus ad Dominum, & exaudierit nos, misertusq; Angelum qui eduxerit nos de Ægypto. Ecce in vrbe Cades, quæ est in proximis finibus tuis, positi, obsecramus vt liceat nobis transire per terram tuam. non ibimus per agros, nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis, sed gradiemur via publica: nec ad dextram, nec ad sinistram declinantes, donec trãseamus terminos tuos. Cui respondit Edom: Non transibis per me, alioquin armatus occurram tibi. Dixeruntq; filij Israel (iisdem videlicet legatis interpretibus) Per tritam gradiemur viam: & si biberimus aquas tuas nos & pecora nostra, dabimus quod iustum est: nulla erit in pretio difficultas; tantùm velociter trãseamus. Qui noluit acquiescere precibus eius. *Nam præfractè prorsus respondit: Non transibitis. quem cùm tam contumaci repulsa offensus adoriri, vel ad sese cum armata manu prodeuntem, prælio sustentato & superato, saltem ad publicæ viæ copiam cogere posset, tamẽ impunem immunemq; prorsus relictum transiit.* Misit quoque ad Regem Moab, qui & ipse transitum dare contempsit. *Secundum innocentiæ atq; abstinentiæ Israeliticæ exemplum in legatione ad Moabitas destinata, & non secus atq; ab Idumæis impunè accepta repulsa, statuitur. Quamquam verò in Numerorum libro Moabitarum non fuerit facta mentio; tamen ita vt hic ex ordine narratur factum fuisse, Moyses in suorum temporum commemoratione significauit. vti deinceps proximè exponemus. Ita duobus Regibus cõtemptus ac repulsus Israel, nihil molestiæ intulit, nihil damni: quod si voluisset, aut vnquam facere cogitasset, nihil opus erat transitus copiam & rogare, & tanta cunctatione exspectare, cùm armata manu liberè trãsire posset, antequam illis alius exercitus comparari posset ad intercludendũ transitum. verùm & ciuiliter & amicè postulans, innocentiam pollicebatur,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam etiam, quamquam repulsa offensus, præstitit omnino, vtpote verbis tantùm & negatione, nonnullis irritatus armis aut pugnis. Mansit itaque in Cades. *dilationes ac temporis incommoda pati ac perferre maluit, quàm innocentiæ laudem ac propositum vllo pacto minuere. Atq; ex mari rubro profectis, & in Chananæam regionem tendentibus, proximi ac primi Idumæi erant, per quos rectus pateret transitus, vt qui ad Austrum iacerent; secundùm hos verò Moabitæ ab Austro ad Ortum vergẽtes, habitabãt: tertium autem locum magiq; Orientalem Amorrhæi occupauerant ad Iaboc cum vsq; flumen; quartum porrò tenuere Ammonitæ, à Iaboc ad Gessureorum confinia protensi: ita vt Israelitæ ad Ammonitas diuertere possent sine longa circuitione, prætermissisq; omnino Amorrhæorum agris, qui Moabitis erant contigui ac proximi, quam tamen partem oratione & legatione tentandam & rogandam duxere, eodémque modo atque officio, atque cum duobus antea Regibus egerant.*

Et circuiuit ex latere terram Edom, & terram Moab: venitque ad Orientalem plagam terræ Moab, & castrametatus est trans Arnon: nec voluit intrare terminos Moab; Arnon quippe confinium est terræ Moab.

OMNIS *hæc tam ex ordine instituta narrationum series, Israelitarum innocentiam aduersus omnes regiones munit, ac maximè aduersum fratres & affines, quales Idumæi, Moabitæ, atq; Ammonitæ habebantur, atq; etiam parasceuen adornat ad Moabitas de præsumpto ac ementito sibi iure pellendos. Nam satis superq; omnem iniuriæ suspicionem deleuit, qui permensis omnibus Moabitarum à Meridie & ab Ortu terminis vltra Arnon, hoc est, è regione Amorrhæorum, circuitionis finem fecit. Namq; ab Arnon qui in Occasum defluit, nihil tunc agri aut ditionis Moabitis cõstabat, cùm omnia quæ inter Arnon & Iabocum fluuios continebantur, sub Amorrhæi essent imperio.* Confinium terræ Moab, *illo tempore, & nunc etiam.*

Misit itaque Israel nuncios ad Seon Regem Amorrhæorum, qui habitabat in Hesebon, & dixerunt ei: Dimitte vt transeam per terram tuam vsque ad fluuium.

LOCA *duo Hesebonis nomine in sacra topographia notauimus, in ea regione qua tum Amorrhæi considebant; alteram regiam Orientaliorem; alteram ad Occasum Iordani magis vicinam. Illam priorem à legatis additam intelligimus.* Qui habitabat in Hesebon, *in exemplari lingua atque in Chaldaicis & Græcis versionibus legitur,* Regem Esebon. *Nam quãquam Amorrhæorum Rex qui dicebatur, Hesebonis Rex etiam haberetur, tamen vrbs illa propter amplitudinem, propter situm & mœnia atq; elegantiam, & regia constitut & nominari meruit, vt qui Hesebonis Rex appellaretur, idem totius regionis esset notus Rex. quemadmodum memoria nostra Francisci*

cisci insignis atq; laudatus princeps cùm Galliarum esset, Parisiorum Rex audire gaudebat, propter illius vrbis admirandam maiestatem, magni regni instar habentis. Obseruanda autem est annotatio hæc ad tephte causæ firmitudinem. Ad Regem, inquit, Amorrhæorum, qui, quamquam ex alijs locis in illam regionem venissent, tamen eam tenebant, & Esbonem regiam sibi adscribebant. Dimitte vt transeam per terrã tuam vsque ad fluuium. *Hebraicè, Chaldaicè, & Græcè,* Vsque ad locum meum. *legationis summa est, qua & regionis dominium illi Regi adscriptum agnoscebatur, & nulla ex parte lædendum cauebatur, & ex Gentiũ iure postulabatur transitus copia. Namq; vt vaganti & nullam certam sedem habenti, atq; ex consequenti aliena vel inuadenti vel diripienti populo, vt non tuta & innocẽs merito negari possit admissio; sic rursus certum & proprium indicanti locum, aditum concedere, non humanitatis ac ciuilitatis modò, sed humanæ societatis ac iuris est, præsertim cùm publica & militari via eundum sit cum innocenti fide; quæ si violaretur, iustam belli & vltionis causam relinqueret, atq; inuasionis vicini indicatiq; loci. Nam quibus nihil est quod auferri possit, non ita facilè creditur atq; iis, quibus certa constat res, vnde iniuriæ acceptæ mulcta petenda sit: ideo & sibi locum esse certum à Deo traditum, & eò se contendere, & recta via tantummodo transitum postulare Israel in hac legatione profitetur, cum continentiæ & abstinentiæ professione, quæ ad beneuolentiam conciliandam plurimum valet. Iam verò hoc legationis breue argumentum ex ipso exemplo à Mose repetito explicasse, operæpretium fuerit. Misi ergo nuncios de solitudine Cademoth ad Sehon Regem Hesebon* Deut. 2.
verbis pacificis, dicens: *Transibimus per terram tuam, publica gradiemur* „
via: non declinabimus neq; ad dexteram, neq; ad sinistram. Alimenta pre- „
tio vende nobis, vt vescamur: aquam pecunia tribue, & sic bibemus: tãtùm „
est vt nobis concedas transitum (sicut fecerunt filij Esau, qui habitant in „
Seir, & Moabitæ, qui morantur in Ar) donec veniamus ad Iordanem, & „
transeamus ad terram quam Dominus Deus noster daturus est nobis. quo „
in exemplo explicando nihil nunc morabimur, præterquam in vno loco ad Iephte causam opportuno, Tantùm est vt nobis concedas transitum. *quem ex Hebraicæ lectionis breuitate & idiomate sic connectimus: Cùm nihil à te priuatarum rerum nisi emptum poscamus id quod publicum est, hoc est, regiæ & militaris viæ quàm celerrimè conficiendæ vsum, nõ tanti facere debes, cùm Rex sis à nobis salutatus, & oratus, vt non gratis concedendum putes, sicut fecerunt Idumæi & Moabitæ, quos tu hostes habes, & non æquos vicinos; qui negantes quod iure gentium notis hominibus negari non debeat, humanitatem æquitatemq; tuam experiri coëgerunt. atque hoc loco fese eodem modo à Moabitis atq; ab Idumæis acceptos commemorauere. ex quo etiam illa partitio à Iephte facta, suis constat & consonat numeris. Hactenus orator Israelis abstinentiam demonstrauit, non qui vagè & insolenter ex Ægypto adscẽdisset, atq; obuia quæq; & casu oppositа occupasset,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

aut diripuisset, sed qui à certo loco, certa de causa, authore Deo, constituto compositoq; itineris consilio, omni procul nocendi cuiquam suspicione, multo tempore, atq; etiam multis oblatis tentationibus innocens probatus, ad locum propriam sibi destinatum contendisset, interim verò sua vniuscuiusque Regis & regna, & imperia agnouisset & obseruauisset, & vel vna abstinentia, & singulari ad vnumquemque legatione confessus esset. Quod verò deinde postea euenerit, ad cuius culpam, cuiusq; authoritatem referendum fuerit, narrando aperitur.

Qui & ipse Israelis verba despiciens, non dimisit eum transire per terminos suos: sed infinita multitudine congregata, egressus est contra eum in Iasa, & fortiter resistebat.

Noui, & ab Israeliticis antea moribus differentis exempli culpam in quem potissimùm transferri oporteat, narrando orator indicat, iniuria videlicet patefacta, quam Hesebonis Rex populo transitum postulanti inferre molitus fuerat, quámque, nisi Deus propulsaret, grauissimam intulisset. Qui non, vt ceteri duo, modestè transitum & candidè petentibus, ineffitiosè negauit; sed nulla prouocatus offensione, bellum inhumanissimè fecit. Qui & ipse Israelis verba despiciens. *diffidentiæ criminis cum primis insimulatur Amorrhæus, qui vel viæ vsum postulanti per legatos Israeli non crediderit. Nam ex iure & moribus Gentium, nullum suspicioni locum relinquit, quisquis de postulando transitu legatos mittit, præcipuè cùm nulla antea offensione sui, nullo exemplo alienæ, legatio repulsam aut cūctationem dilationemq; mereatur, cumq; eadem honesta sit, & modestissimis conditionibus instructa. Namq; huiusmodi ratio à quocumque inita, probādam atq; officio iuuandam sese commendat, nedum ab Israele, cuius vel nomen ipsum innocentiam & abstinentiam profitetur, & obseruantiam reuerentiamq; postulat præcipuè cùm sese moresq; suos manifestis declarauerit exemplis, nihil vsquam officiens iis quorum cōfinia peragrauerat, hoc est, Idumæis & Moabitis, quamquam liberè transeundi copia negata offensus. Hanc huius loci explicationem exemplaris lectio exhibet:* Et non credidit Sehon Israeli transire in termino suo. *non solùm per mediam regionem, regia, vt dicitur, via, sed nec in termino suo, per extremas partes terminī sui, cùm tamen nec Idumæi terminis suis montana regione proximus Israelitis interdixerint. Namq; à Cades ad Arnon vsque, perpetua itinera per vtriusque regionis extremos terminos peracta sunt, quamquā rectā per mediās terras via non fuerit concessa, ex qua proximus in Chananitidem erat*

Deut. 2. *trānsitus. de altero sic legimus: Populo præcipe, dicens: Vos transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau, qui habitant in Seir, & timebunt vos. Videte ergo diligenter ne moueamini contra eos: neq; enim dabo vobis de terra eorum quantum potest vnius pedis calcare vestigium: quia in possessionem Esau dedi montem Seir. Cibos emetis, &c. De Moabitis verò ita cautum:*

Tu transibis hodie terminos Moab, vrbem nomine Ar: & accedens in vicina filiorum Ammon caue ne pugnes contra eos, nec moueris ad prælium: non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon; quia filiis Lot dedi eam in possessionem. Quod ita diligenter actum & obseruatum testati fuerant legati apud Sehon, cùm dicerent, Sicut fecerunt filij Esau qui habitant in Seir, & Moabitæ qui morantur in Ar. Namq; illi quamquam interiora terrarum peruadere non stuerunt, non tamen à finibus montanis secundùm Seghiram & Aram arcendos duxerūt, sed prætreuntibus alimenta pretio suffecerunt. Quod quidem exemplum cùm beneficentia & humanitate superare debuisset Sehon, tamē malignitate magis & inhumanitate damnare visus est, cùm Israelis bonitati & religioni diffidens (quod primum crimen fuit) non solùm interiore via ac mediterranea, sed omni prorsus termino arcere molitus est, idq; grauissimo bello illato, Infinita multitudine congregata *Rectè reddidit Latinus interpres exemplaris linguæ pondus:* Et congregauit omnem populum suum. *omnem, inquit, populum ad inimicitias & inuidiam in Israelem incendit, atq; ad pugnam comparauit. nomen verò loci ad fidem etiam historiæ facit, & opportunitate & commoditate indicata, cuius vestigia & monumenta longo etiam tempore durare solent. erat verò Iahhatsa siue Iasa in ipsis regni illius confinijs opportuno ad pugnādum agro, & Israelitis, pugnam excepturis, incommodum. duo igitur sunt iam iniuriæ crimina: impulsus animi, hoc est, diffidentia; conatus, id est, populi coactio ac deductio in locū, vt de non transitus modo, sed accessus etiam impediri potuit: sed nec satis hoc contumeliæ visum fuit, nisi etiam Israeli quieto, & nihil tentanti, sed antiquum suum morem obtinenti, malum afferretur.* Et fortiter resistebat. *cui nam? inuadenti ne Israelitæ imò nihilminùs agenti: sed resistere hoc loco idem quod aggredi, impetere, & impugnare significat, quod exemplare declarat verbum:* Et præliatus est in Israel. *ipse vltro nihil lædentem vi iritauit, ferroq; lacessiuit. Chaldaicus interpres:* Et iniuit prælium cum Israel. *Græcus,* καὶ ἐπολέμησεν μετὰ Ισραήλ. *Quis autem huius rei fuerit exitus, quis etiam euentus, narratur deinceps.*

Tradiditque eum Dominus in manu Israel cum omni exercitu suo, & percussit eum.

Svperbiæ, & violati per summam iniuriam gentium iuris, atque impietatis, ob nominis numinisq; sui contemptionem, pœnas, à iustissimo & potentissimo iudice ac vindice Deo de illo Rege populoq; petitas, commemorat, cuius iudicio similium scelerum pares exitus decretos esse subindicat. Namq; vltra tria illa crimina, diffidentiæ, iniuriæ, & violentiæ, quantum etiam accesserat impietatis, & religionis contemptæ, quando non in populum illum eo nomine quòd vel hostem declaratum dicerent, vel vagum & alieni appetentem tausarentur, impetum fecissent, sed Israelis nomine vocatum, quē cum nomine etiam suo perditum cuperent, & perdendū ac pessumdan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum aggrederentur. quo profectò in consilio atque discrimine non tantum populi, quantum Dei ipsius res agebatur, cuius authoritatis nomen illud fuerat, cuiusq. dignitatis erat tueri. Quam ob rem ita confecta est pugna illa, tanta celeritate atque felicitate victoria constitit, vt vnius Dei virtuti, non humanis aut consiliis aut viribus adscribenda fuerit. Tradidit eum cum omni exercitu suo. *In exemplari sic:* Et dedit Dominus ELOHEI Israel [*id est, gubernator, index, vindexq. Israelis hoc nomine atque munere vsus*] Seon & omnem populum suum in manu Israelis. *Græcè,* τὸν σηὼν καὶ σύμπαντα τὸν λαὸν αυτῦ. in manu Israel. *eo modò atque iure quo princeps index legitimè damnatum capitis hominem, vinctusq. colligatum, satellitibus puniendum tradere solet. qua in re satelles nihil agit, nisi quòd iudicis decretam sententiam, gladio vel igne vel alio supplicy genere exsequitur. Atque illos non ab Israelitis vi & consilio superatos, verùm à Deo iudice ac vindice traditos, & ipsa conficiendæ rei magnitudo ac temporis brevitas docuit, & sententiæ decretum iam antea præscriptũ declarauerat, cùm Deus, qui Regis inuidam & obstinatam mentem, & populi furorem præuidens damnauerat, ita Israelitis, Mose interprete, præceperat: Surgite, & transite torrentem Arnon. ecce tradidi in manu tua Seon Regem Hesebon Amorrhæum, & terram eius incipe possidere, & committe aduersus eum prælium: hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos qui habitant sub omni cælo. Hic itaque illius malitiæ ac superbiæ exitus fuit. ex quo quid vltrà porrò euenerit, ueestigio commemoratur.* Deut. 1.

Et possedit omnem terram Amorrhæi habitatoris regionis illius.

DEFINITIVI *status erat indicare, cuiusnam gentis regio illa esset cùm ab Israelitis capta fuit: deinde quo iure fuerit possessa cognoscere, ad legitimum pertinebat statum, ad quem etiam tituli ac nominis definitio referri solet. Omnia hæc breui quidem oratione, sed luculẽtè satis dicit Iephte. Primùm enim vsurpationis titulus & nomen ex verbo* Possedit, *traditur. est autem possidere, siue Hebraicum* IARAS, *perpetuũ proprium q. sibi tenere, non tamquam commodatum, nec malo dolo initum, sed manifesta & quieta publicèq. comprobata lege obtentum, quodq. intercessionem vel exceptionem patiatur nullam, nec cuiusquam repetitioni sit obnoxium. Nam si quis maximè repetere poterat, is erat censendus qui antea tenebat & habitabat, quiq. & regni & Regis titulo potiebatur, vt Sehon Rex Hesebon, sed eo cum tota prole, domo, ac gente sua, pariter exstincto, terra & hæreditas, quæ cultore ac possessore vacua mansit, alicui in vsum iure cedere debuit, victori nempe, ac præcipuè si victoria non ex libidine & vi procurata, & per fraudem quæsita, sed ex manifesta sui defensione & propugnatione parta constiterit, cuiusmodi hæc fuerat ex Amorrhæis reportata habitatoribus regionis illius, non ab Ammonitu, vt minimè illam habitantibus. ita definitiua constitutioni vel indicato habitatore satisfactum est. titulus autem verbo* Possedit, *est repræsentatus. quòd si Israel eodem veniens, terram desertam fertam, & habitatore vacuam reperisset; tamen occupationis iure inire ac tenere potuisset, nedum ab habitatore iniustè lacessitus & vexatus bello, superiorq. euadens, victoriæ & expugnationis iure teneret. sed nec hoc tantùm iure, possessionis titulum & nomen sibi adscriptum defendit, verùm alio longè illustriore & grauiore, maiorisq. authoritatis iure, donationis videlicet & assignationis, à legitimo & verissimo principe Deo factæ, ad quem, tamquam ad authorem veteremq. dominum, & primum terrarum omnium diuisorem, & regnorum prouinciarumq. Imperatorem, regio omnis, quæ cultoribus electis vel exstinctis, vel aliàs desideratis, vacua deprehendatur, iure, vti dici solet, deuoluto reuerti debet. S.S.E. Meus enim est orbis terrarum, & plenitudo eius mecum est. Quod quidem ius vt æternum, ita etiam Deo vni æterno, & propter dignitatem, & propter authoritatem, proprium esse constat. sed præter hoc singularis etiam ratio exstitit, quam ob rem regio hæc Deo singulariter in ditionem dominatumq. concesserit, hoc est, vindicatio ipsa, qua Deus index ac princeps, malæq. fraudis vindex, illatam Israëli iniuriam & cladem propulsare, & nominis sui maiestatem tueri, & impietatis ac superbiæ noxam punire decreuit, sceleratis improbis Rege ac populo possessione exspoliandis, & capite mulctandis, quorum rem ad se imperij ac fisci legibus pertinentem, Israeli, cui immerito periculum ab illis intendebatur, cuiusq. decretum supplicium irrogandi cura commissa, & opera fuerat imperata, vltro donare voluit. Hæc ad possessionis titulum & nomen, atque adeò ad causæ definitiuum statum firmandum, à Iephte petita sunt, cum expositione ac descriptione terminorum regionis ab illis antea vsurpatæ, atque ab Israëlitis post victoriam possessæ.* Psalm. 49.

Et vniuersos fines eius ab Arnon vsque Iaboc, & de solitudine vsque ad Iordanem. *Hæc enim terra omnis ab Amorrhæorum gente non omni, sed ab habitatoribus regionis illius manifestè tenebatur & colebatur, atq. adeò cognominabatur Amorrhæi Hesebonitq. regio. ex qua Ammonitæ Regis calliditas redarguitur, qui calumnia belli res alienas pro suis petebat, authoremq. fraudis Israëlẽ insimulabat:* Quia tulit Israel terram meã. *quã petitionẽ cõstanti negatione refellit Iephte:* Non tulit Israel terram tuam. *nec tua terra fuit, nec Israel tibi, aut cuiquam quicquã cõsilio, aut studio, vel dolo, operaq. dedita abstulit: terra enim Amorrhæi fuit, eaq. per Deũ iustè ablata, Israelitæ donata fuit. Hæc autẽ redargutio amplificatione & expositione cõfirmatur.*

Dominus ergo Deus Israel subuertit Amorrhæum, pugnante contra illum populo suo Israel, & tu nunc vis possidere terram eius?

HVIVS *loci explicatio planior fiet exemplari versu ex verbis trãslato:* Et nunc Dominus ELOHIM Israel expulit Amorrheum à facie bus Israel, & tu expelles eum? *Verbum* IARAS *in illa lingua, oppositam siue relatiuam quodammodo significationem habet eleganti tropo. Nam in vna coniu-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

coniugatione idem quod possidere, siue succedere in possessionem; in aliaverò possessione pellere significat. vtraque verò coniugatio hoc in loco vsurpata est, THORIS & THIRAS. *est autem multiplex ad hanc redargutionem petitum argumentum, ab authoritate, iure, & potentia.* Dominus, *cuius nominis notationes misericordiam, beneficientiam, liberalitatem, & constantiam, veritatemq; spectare docebamus; præterea singularem erga pios curam.* ELOHIM, *quod prouidentiam continere sæpius commemorauimus, tum mundi, humanarumq; rerum omnium; tum Israëlitarum peculiarem tutelam, qua in illo delecto sibi populo principatum, iudicia, patrocinium q; exerceat singulariter. habet autem vnumquodq; nomẽ suas proprias obseruationes, quæ simul coniunctæ maxima ad rem amplificandam possent vi. est q; in Rhetoricis ornamentis exaggeratio dicta. vt illud:*

Ouid. Metamorph. 1. Cùm mihi, qui fulmen, qui vos habeoque regoque,
Struxerit insidias notus feritate Lycaon.

Dominus, inquit, ille misericors & beneficentissimus, Gentium omnium, atque Israëlis iudex, gubernator, patronus, ac tutor expulit Amorrhæorum commeritã damnatamq; gentem à facie populi sui Israel. *Hoc sentit orator, non Israelis consilio aut virtute, sed voluntate sententiaq; iudicij Dei illam gentem damnatam, vita, dignitate, & loco multatam, atq; eodem loco successorem decretum Israëlem, cui vt possessionis adeundæ expeditior copia fuit, totius Amorrhæorum populus vno impetu, vnoq; die è medio sublatus fuit. Namq; in tanta coactus omnis populus, ibidemq; vnica clade consumptus, manifesto diuini iudicij argumento fuit. Quis enim vmquã Rex sese gentemq; suam vniuersam, vni discrimini & prælio vnico obiecit, nisi quem Deus iusto iudicio damnatum, atque vno die cõmuni supplicio afficiendum perdendumq; decreuerit & produxerit? cuius decreti ac sententiæ exem-*

Deut. 2. *plum Israelt, vt ministro atque satelliti, pronunciatum illud fuerat: Ecce*
» *tradidi in manu tua Sehon Regem Hesebon Amorrhæum, & terram eius*
» *incipe possidere. & paulo post: Noluitq; Sehon Rex Hesebon dare nobis*
» *transitum: quia indurauerat Dominus Deus tuus spiritum eius, & obfir-*
» *mauerat cor illius, vt traderetur in manus tuas, sicut nunc vides. quod vt*
prædictum antea, ita re præstitum & confectum referebat Iephte, eiusq; rei euentum affirmabat fuisse, terræ à Deo principe Israeli possessionis ergà traditionem, idq; donationis ac voluntarij beneficij iure, in quo maximum & nefarium scelus ac facinus Ammonitæ Regi obicitur, volenti contra fas, contra manifestum Dei iudicium, id repetere quod nullo vmquam iure ad se pertinuerit. Non humano, quia numquam tuum fuerat: non diuino, quod ab Israelitis constat: non belli iustè illati, quippe numquam offensi: sed ex cupiditate & superbia concepto nomine, & sinistra verũ factorum q; interpretatione, quòd, vt Israël vi & armis oppressos habitatores exspoliauerat, ita tu Israelitas vi & armis oppressos loco pellere, atque succedere tu animum induxeris tuum; cùm tamen nec Israel Amorrhæum pepulerit, sed

Deus, nec factam à Deo donationem & agrorum assignationem rescindere tu potes, & tamen hoc iam pridem tentatum agere tendis. Dominus ergo, *opportuna illatio & argumentatio consilij & voluntatis aduersarij ex eiusdem tum oratione, tum facto.* Subuertit Amorrhæum. HORIS. *de possessione detecit, & tamen tu conaris in possessionem venire, non Dei beneficio, sed vi* possidere terram eius. & tu THIRASENV, possidebis eum. *Deum tu vis pellere, & occupare ius nobis ab illo concessum vltro? Simili tropo elegans ille Satyrarum scriptor colludebat:*

Horat. lib. 2. Sat. 2. ——— Nos expulit ille;
Illum aut nequities, aut vafri inscitia iuris,
Postremum expellet certè vivacior hæres.

Hactenus & rei ratio, & authoritas vera ac certa, & exitus, atque exitum consecuta euenta, & singulorum iura indicata & commonstrata sunt. Nunc verò subiuncti ratiocinatione, iniuriæ immanitas per similitudinem & comparationem amplificatur.

Nónne ea quæ possedit Deus tuus Chamos tibi iure debentur? quæ autem Dominus Deus noster obtinuit, in nostram cedent possessionem.

INVADENDÆ *Israëlitarum possessionis consilium ab Ammonita sine maxima impietate iniri non potuisse primùm, deinde verò sine maxima etiam infelicitate obiri & sustineri non posse, commonstrat Israelitica causa defensor hic, & demonstrando peruincit, his argumentationibus complurib⁹ & efficacissimis vnico loco, hoc est, diuinæ authoritatis obseruatione inuentis. vna quidem est:* Quidquid diuino iure alicui constat, idem optimo constat iure. *sed Israeli possessio hæc diuino iure constat: ergo optimè constat & maximè legitimè.* SECVNDVM *argumentum:* Quod Deus alicui possidendum donat, ab alio tẽtari nefas censetur. TERTIVM: Cùm quispiam per vim contra diuinum ius tentatur, piè ac purè ac iustissimè propugnatur & defenditur. QVARTVM: Quidquid Deus alicui non vult datum, iniustè ab illo qui petit optatur. QVINCTVM: Quod iniustè & impiè optatur, infeliciter inuaditur. SEXTVM porrò: Quod nec à Deo proprio nec ab alieno conceditur, impiissimè atq; insolentissimè initur. Ex quibus omnibus illa conficitur summa, huiusmodi consilia & facta, impie & nefariè inita, infelici exitu, atq; probroso euentu excipi, & authoribus suis infame tyrannidis & immanitatis nomen æternumq; dedecus parere. Atq; prima argumentationum harum pars, quæ Dialecticis Maxima, Rhetoribus Propositio absolutè dicitur, quamquam sese authoritate dignitateq; sua suscipiendam & probandam præbet, tamen ab hoc oratore prudentissimè ex ipsius aduersario extorquetur. Qui si rogaretur, quo potissimùm iure ea, quæ impræsentiarum possidet, obtineat, quoq; possit dicenda in causa tueri, promptum & certum haberet responsum, voluntatis ac virtutis Dei sui. Quandoquidem nec ille, nec sui quondam originem suam illo ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

loco esse docere possent, vtpote ex vtrisq; parentibus primisq; authoribus, à Loto aduena, eiusdemq; filia, & gentem & nomen deducerent: neq; sese primos illius regionis vacuæ occupatores demonstrare valerent. quam ob rem vt ibidem consedissent & manerent, Deo cuipiam acceptum referre, idq; sibi summum ius habere, laudare, atq; tueri debebant. Sed quoniam illi plures esse deos putabant, & tutelarem suæ gentis Chamosum prædicabant, consequens erat, & hæreditatem possessionemq; suam Deo suo Chamoso, vt regionis domino ac singulari protectori possessoriq;, adscribere. Hoc autem argumentum cùm illis vsurpandum non ad rei veritatem, sed ad causæ & argumentationis comparationem permittit Iephtæ, propositionẽ à se institutam altè & constituit & firmat, ex qua aduersario defensionem omnem præripiat. Atq; ita festiua & efficaci enthymematis iaculatione argumentatur: Vt, quæ tu habes, Deo tuo acceptа referre, pulchrum & iustum ducis, ita & quæ Israel habet, optimo iure possidet, tantoq; illustriore & efficaciore, quanto res ipsa minus habet dubitationis. Nam vt tu habeas tua à Chamoso deo tuo, tamquam possessore diuinq; iuris tibi authore, non disputo, sed alleganti permitto. Certè Israeli hanc terram ab ADONAI, *noto & apud omnes gentes nominato Israelis Deo, nobis contigisse donatam res ipsa, & quam breuibus à principio repetiui; declarat. Ego Israelis possessionem tamquam à Deo acceptam assero. Tu dic tuam à quo habeas: nihil splendidius dare potes, quàm dei tui Chamosi voluntatem, à quo istam terram donatam tibi propriam vendicas. eam illius voluntate colito & possideto, sinitoq; Israelem frui ea, quam, Deo suo authore & donante, potitus est.* Iure tibi debentur? *iure per te allegato vel allegando. ita explicanda est versio nostra. Exemplaris lectio simplicem præfert sensum:* An non quæ expelli te faciet Chamos deus tuus, id possidebis? & omne quod expelli fecit Dominus Deus noster à faciebus nostris, id ipsum possidebimus? *Fas enim tibi nefas videatur, quæ à deo tuo habeas, non possidere & defendere vbi quis tentauerit; ita sacrilegũ censeri conuenit, nostra appetere, quæ manifesta Dei nostri donatione cõtigere. Huic etiam illa adstruitur argumentatio: Cùm tu hactenus numquam hanc regionem habueris, nullo iure tibi propriam arrogare potes. Nam proprium id quod numquam fuit obtentum quis dicat? Proprietatem autem nullam aut copiam tibi ex Dei tui voluntate factam docere vales. Siquidem à principio gentis vestræ, cùm his regionibus viuere cæpistis, numquam hæc pars tibi tributa, numquam possessa fuit, sed ista quam obtines tantummodo. Quare velle nunc & appetere multo plura, quàm Deus tibi fuerit partitus, etiam si ea nullius alterius essent, nefarium & impium ducere deberes, nedum ea tentare quæ totius orbis ac noster, singulari prouidentia, Deus nobis, Amorrhæo eiecto, præbuit. ex his autem manifestè impius argueris, qui, quæ à Deo habueris numquam, Deo nostro eripere nobisq; rapere coneris, atq; ex consequenti infeliciter tentes, Deo tuo id non probante, ac nostro Deo aduerso infensoq;. Atque in hac redargutione maxima*

maxima Regis audacia atque incredibilis temeritas petitur & expugnatur: qui neque hoc etiam ius, hoc est, Dei proprij nomen & voluntatem, in causam suam citare poterat, nisi noua atq; ementita fictione. Namque, vt paulo inferiùs ostendemus, regio illa fuerat cultorum Chamosi, hoc est, Moabitarum, non autem Ammonitarum, à quibus non Chamos colebatur, sed Melchon. duabus enim istis nominibus eos, quos sibi tutelares & patrios habebant, deos, illi duo populi, Moabitæ & Ammonitæ, indigitauerant. Hi Melchomen, id est, Mercurium, animarum ductorem; illi, Chamosum sibi peculiariter consecrantes. ita quo tempore Moabitæ ab Amorrhæis expugnati, & illa regionis suæ parte magna & optima pulsi fuerant, Poëtarum versibus ac monumentis ratio hæc omnis luculenter decantata fuit. Cuius carminis exemplum à Mose non modo in historia relatum, sed breui atq; aperto argumento illustratum accepimus, hoc modo: Vrbs Hesebon fuit Sehon Num. 21.
Regis Amorrhæi, qui pugnauit contra Regem Moab: & tulit omnem terram quæ ditionis illius fuerat, vsque ad Arnon. idcirco dicitur in prouerbio; Venite in Hesebon, ædificetur & construatur ciuitas Sehon: ignis egressus est de Hesebon, flamma de oppido Sehon, & deuorauit Ar Moabitarum, & habitatores excelsorum Arnon. Væ tibi Moab, peristi popule Chamos. dedit filios eius in fugam, & filias in captiuitatem Regi Amorrhæorum Sehon. luctum ipsorũ disperiit ab Hesebon vsq; Dibon, lassi peruenerũt in Nophe, & vsque Medaba. Sunt & alia testimonia, quibus vtrique ex his gentibus proprij, qui colerentur, dij Chamos & Melchon distinguuntur. vt, Colebat 3. Reg. 11.
Salomon Astharten deam Sidoniorum, & Chamos deum Moabitarum, & Moloch idolum Ammonitarũ. & illud: Tunc ædificauit Salomon fanũ Chamos idolo Moab in monte qui est contra Ierusalem, & Moloch idolo filiorum Ammon. & apud Hieremiam in Moabitas prædicentem: Ibit Chamos in transmigrationem, sacerdotes eius & principes eius simul. Et confunditur Moab à Chamos, sicut confusa est domus Israel à Bethel. &, Væ tibi Moab, peristi popule Chamos. Atq; vt ille Moabitis, ita quoq; Melchon Ammonitis tribuitur. Ad filios Ammon hæc dicit Dominus: Nũquid non filij sunt Israel? aut hæres non est ei? cur igitur hæreditate possedit Melchõ Gad, & populus eius in vrbibus eius habitauit? de qua etiã re vaticinatus Amos sit: Et ibit Melchon in captiuitatem ipse, & principes eius, dicit Dominus. Ieremi. 48. Ieremi. 49. Amos 1.
Quibus locis examinatis & obseruatis, quid Iephte Ammonitarum Regi verè obycere voluerit, facilè perspicitur. Nempe nullam ipsi subesse, aut proferri posse rectam & iustam rationẽ, qua illius terræ petitio niteretur. Nam cæteraomnia, quæ ab illo dicta prætextáue fuerant, manifesta inficiatione depulsa sunt. Cur verò terram suam diceret, nihil supererat, nisi voluntate fortasse Dei sui allegaret, qua se iustè id petere contenderet, id est, Deum illius regionis velle illi terram suam tradere in possessionem: quod duobus argumentis Iephte oppugnat; altero quidem, Deum Israeli voluisse & velle eandem regionem populo donare suo possidendam, & non voluisse modo, sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

tradidisse & conseruasse hactenus, vt verum Dominum terræ, populiq; è medio sublati victorem, & verum Israelis tutorem, cuius prouidentiâ atq; tutelam, & promissum antè factum, & mox consequuta ac præstita res docuerant, ipsum verò nihil habere certi atq; veri quod contrà diceret, aut in suam causam proferret, nisi falsam orationem & professionem voluntatis Dei Chamos, quem suum deum falsò appellaret, cum tamen numquam hactenus coluisset. Atq; in loco versus repetitus vtriusque orationis indicabit sensum. An non quod expellere faciet te Chamos deus tuus, idipsum possidebis? & omne quod expellere fecit Dominus Deus noster à facie nostra, idipsum possidebimus. *Prior pars ad Regis intentionem refertur, posterior ad depulsionem ex contentione petitam à Iephte opponitur. Esto, inquit, terram hanc Chamosi fuisse, qui Moabitarum habetur deus: & tamen ille non expulit Amorrhæum inuasorem & expugnatorem terræ à cultoribus suis habitatæ. dices non expulisse quidem, ideoq; non tibi possessam, nunc autem expulsurum te duce & ministro, ac id tibi in possessionem venturum [magna vis & significatio in verbo* IARAS & HORIS *constat] atqui ille non expulit, nec tu possedisti; Deus noster expulit à facie nostra, præsentibusq; nobis possidendam dedit, & iure possidebimus non tantum hoc, sed omne quod ipse à facie nostra expulit, vt terrã Chananæorum, quam nos hoc iure possidemus, quod pulso habitatore nobis præsentibus tradiderit. quod si illam iure expulsionis antecedentis, & donationis præsentis, nostram verè dicere possumus, vt possumus certè, & hanc etiam eodem iure antecedentis expulsionis, & subsequentis euestigio donationis & possessionis, nostram dicimus, atq; adeò omni iure iam acto & transacto vendicatam asserimus. Tu verò hanc nullo nec præsenti, nec præterito tuam dicis, sed omnino futuris rationibus, callidè & malitiosè diuinatis, atque ex tua mente, non ex vero profectis, arrogas. Hæc est vis verborum ac temporum, quæ in iuris interpretatione magnum habet acumen.* Quod expellere faciet, ipsum possidebis. quod expellere fecit, ipsum omne possidebimus. *Namque in possessionis causa & iure futurum vel nihil valet, vel leuissimum est; præteritum verò ac præsens ponderis habet plurimum: Hæc mea fuerunt, & sunt mea; possedi, & possideo; possedi iure expulsionis antecedentis, & donationis subsequentis, eodem iure possideo. Hæc mea erunt, quia vel tu ex metu, non vltro aut volens, sed inuitus metuq; cessum dabis; vel, ego, Deo terræ ac meo te expulsuro, possidebo. quid callidius iniquiúsve, maximè verò quum & hoc etiam falsò pronuncies, Chamosum tuum denm allegans? qui quamquam Moabitarum, quorum hæc regia fuerat, dicatur deus, nec tuus tamen, nec populi tui vmquam est appellatus. & tamen hunc in tuam gratiam expulsurum ais, quo tu possideas: quasi si id facere posset, ille tibi potiùs quàm genti suæ sit professurus; quonam malo merito fuerum, quos antea non potuit defendere ac tueri, nec cùm ab Amorrhæis occuparetur, nec postea restituere, cùm, illis à Deo*

Deo nostro pulsis, terra nobis cessit? quo bono tuo, quem antè sui negligentem, ille non amauit?

Nisi fortè melior es Balac filio Sephor Rege Moab.

AMMONITARVM *diuisas & regiones & religiones iam distinximus, atq; ideo variam vtriusque in rerum ac possessionum iure consequẽtem rationem indicauimus: quam Iephte in hac depulsione sapientissimè persequitur, duplici tum præteritorum tum futurorum comparatione, atque in vtraque Ammonitæ improbitatem coarguit & refellit. Si de diuino iure tibi dicenda ratio est, nulla tam aduersus me causam̃q; meã constat, cùm nullo pacto, nulloq; nomine terram hanc, quam Israel possidet, tibi adscribere possit, sed nec sperare etiam, in posterum tuã vllã ratione posse dici. Nam quod Chamosum spectat, non ad te, sed ad Moabitas attinet, quorum terra hæc fuerat, quo tempore ab Amorrhæis expugnata est. hos illo tempore Chamosus suus defendere ac tutari noluit, vel certè nõ potuit, sed nec postea instaurare, cùm Israelitis hæc à Deo suo traderetur. Cur igitur te semper antea à se alienum nunc demum suscipiat Chamosus? ánne quòd vel causa ipsa, vel singularibus meritis tu antiquos illos huius regionis possessores antecellis? an quòd præstanti aliqua virtute & felicitate superas? atq; de hoc non laboro, cùm causari posses offensionẽ aliquã, quamobrẽ primi illi Moabitæ multati fuerint, sed eos qui superstites fuerũt, atq; eorũdẽ posteros, quibus laudibus, quo iure tãtum te præeuntẽ probabis, vt tibi regionẽ, quæ ad se verè ab initio pertinuerit, tu propriã vendices, recepturũq; mineris?* Nisi fortè melior es. *ex exẽplari lingua:* Et nũc an bonus bonus tu præ Balac filio Sephor Rege Moab. *Cõparatione duplici Ammonitæ Regis causam examinãdo urget: altera iuris, virtutis altera. Cùm manifestè cõstet Balaachũ, Sephoris notissimi Regis filiũ, & ipsum illustrem, Moabitarum imperium tenuisse eo tempore, quo, Amorrhæis interfectis, regio hæc Israelitis in possessionem concessit, cumq; eundem regionis suæ tutorem ac diligentẽ principem historiæ tradiderint, cùm etiam Israelitis inuidentem, & nocendi cupidum commemorent; consequens est, eũdem numinis sui existimari cultorem, tibiq; in iis quæ Moabitis tribuenda venerint negotiis & causis, non modo vt extero, sed vt impari etiam anteferẽdam, cuius partes & iure suo, & personæ etiam laude, cæteris omnibus antiquiores censentur. Namq; ille tunc Moabitarũ Regis Sephori filius, & hæres, atq; Rex etiam erat. quamobrem quæ illi tunc adscribi vel iure vel opinione poterant, tibi tanto postea interuallo arrogari non licet nunc nouo iure, quo illum viceris, non melior quidem regni iure, cùm ille Moab Rex Regisq; filius fuerit, tu verò nõ fueris, nec illi proximæ stirpis cõiunctus ramo, quippe neq; ab illo, neq; ab illius patre ortum habes: non pietate, quippe ille Chamosum obseruabat, cùm regio hæc ex Amorrhæis caperetur: non virtute aut opibus, cùm illi tot duces, tot principes superfuerint, qui de arcendo atq; minuendo, & labefactando*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Michæas. *Israele studiosissimè curabant & agebant, nullumq; lapidẽ non mouebant, vt populo huic molirentur exitium; & tamen hanc, quam tu molitus es, calumniam numquam tentandam arbitrati sunt. ita qui duobus nominibus superare debuisses Balachum illum, vt cupiditati tuæ vel fictam orationem prætexeres, neutro illi par aut similis, aut vllo pacto cohærens deprehenderis. Prima hæc orationis pars in redarguenda Ammonitarũ Regis petitione & iniqua postulatione, à Iephte consumpta est, idq; argumentis confectum ex hæreditatis iure productis. Quòd non fuisset res ab Israele sublata, ac nec tentata quidem, quod ante Israelem de petentis ditione ac iure numquam fuisset, sed de Amorrhæi dominio. Quòd Israel, ab iniuria perpetuò abstinens, iniustè fuisset vexatus & inuasus. Quòd Amorrhæus malo suo merito fuisset, iudice Deo, mulctatus; illiusq; res, eodem iudice atque authore Deo, Israeli in possessionis vsum cessisset. Iam verò deinceps secunda tractatur pars, in qua depulsionis versatur vis ac cardo omnis: qua peracta, nihil exceptionis reliquum est, quo minùs maliznitatis, inhumanitatis, ac sacrilegi sceleris aduersarius conuincatur. Hæc autem pars Depulsio dicta est, qua ita aduersarij refellitur intentio, vt nihil, quo lædere possit, reliqui habeat.*

Aut docere potes quòd iurgatus sit contra Israel, & pugnauerit contra eum.

ARGVMENTATIO *hæc Dialecticis Comparatio, Rhetoribus Contentio, Poetis Examen dicitur, Philosophis verò Magis ac minus, hoc modo: Si, cui magis videtur ineſſe, non ineſt; ergo nec ei, cui minùs videtur ineſſe, inerit. ostenderat superiùs nullum ad repetitionem Ammonitarũ Regis ius constare: deinde verò cùm indicauit cui aliqua causa in hac re vel optimè adscribi poterat, hoc est, Moabitarum Regem. ex cuius tamen aperta confessione omnis aduersum Israelitas causa perit: quippe cui si vlla superfuisset, non dubium quin sedulò suscepta, diligenter actitata, & fortiter defensa sustentataq; esset, vtpote Israelitarũ inimico, & nocendi materiam atq; opportunitatem & facultatem omnibus, non communibus modo & hominum parabilibus, artibus & pactis, verùm naturam excedentibus, magna cura & contentione studuerit, & nulli sumptui parcendum duxerit. & tamen cùm cætera omnia, etiam ante occupatam ab Israelitis regionem illã, de qua nunc agitur, tentauerit, non præiudicio tantùm, sed manifesto indicio se ab eiusmodi causa alienum statuisse cognoscitur. Nam si ille quicquam de hac re agendum censeret, vel oratione, sermone, scripto, aut postulando, aut exposturlando ageret: vel, si hoc non proficeret, armis tẽtandum duceret, magna spe & exspectatione non propriarum opum solummodo, sed vicinorũ auxiliq; atq; subsidij, qui Israeli, obinuidiam in despoliati Regis gratiam, propulsandæ iniuriæ simulatione, sese exhiberent infensi: verùm cùm neutra ex huiusmodi*

iusmodi rationibus per Moabitas inita fuerit, manifestã legitimæ possessionis confessionem Israelitarum partibus adscribi necesse fuerit. Quòd iurgatus sit. *quòd in iudicio vel extra iudicium verbo, vel oratione, vel quauis querela aut incusatione Israelitas tentauerit.* Quòd iurgatus. *in explicari:* An iurgari iurgatus est. *omnem iurgij formam, vel grauem vel leuem, hac verbi geminatio & constructio excludit, vt etiam omne pugnæ, tum illatæ, tum irritatæ, etiam leuissimum genus illa altera,* An prælhari prælhatus est in illis? *pro quo interpres noster reddidit,* Et pugnauerit contra eum? *quem odio plus quàm capitali odisse, ex propriis actionibus conatibusq; arguitur. quibus ex rebus omnibus illud conficitur, nullum fuisse Moabitis ius repetendi aliquo pacto ab Israelitis, id quod ex Amorrhæo iustissimi belli ac diuini iudicij iure ablatum possidebatur. Atq; hoc Moabitarum iudicium quamquam satis superq; fuisset ad Israelitarum probandam firmandamq; rem, tamen perpetuæ possessionis inuiolato longissimi tam temporis vsu, nullaque ex parte contaminato aut sollicitato, plenissimè comprobatum stabiliuit.*

Quando habitauit in Hesebon & viculis eius, in Aroër & villis illius, vel in cunctis ciuitatibus iuxta Arnon per trecentos annos.

CERTE *quædam annorum ac temporis definitiones apud singulas gentes præscriptæ sunt, quibus transactis, rerum possessionem moueri iurisprudentiæ periti omnes iniquum censent. Atqui Deus ad quinquagesimũ vsq; annum repetendæ rei actionem tantùm differẽdam statuit. id quod ex venditionum & emptionum iure postliminio reuocando cognoscitur. Ostenderat autem Iephte, Israeli ex Dei iudicio, quod semper primum esse voluit, atq; ex victoriæ authoritate, deinde ex legitima, atq; nulla vel lite, vel pugna, vel alia exceptione interturbata, vsucapione suam illam regionem constituisse; nunc verò eandem sibi confirmatissimam defendit tẽporis longissimo, atq; omnibus nationum omniũ præscriptionibus productiore vsu, nempe trecentorum annorum, quibus nihil vmquam Moabitæ aduersum Israelitas de hac re vel mouerũt belli, vel fecerũt negotij, vtpote qui terrã illã non sibi ereptam, sed ex Amorrhæis iustissimè expugnatam & captam scirent, nefariumq; arbitrarentur, quod suum non esset, inuadere. Nam si suum putassent, tureq; repeti posse intellexissent, cùm fortes armatiq; essent, adeo vt Israelã, per mediterraneam viam transitum petenti, obsistere pararent, vel tunc eodem tempore huius terræ ergò bellum inferrent, vel eidem in expugnandis Chananæorum regnis occupatissimo facilè hanc possessionem, nullo præsidio relicto defensam, abstulissent, capta primùm Hesebone vrbe regia, & munitionibus aucta, aut saltem illorum posteri tãto temporis interuallo, quod habere se existimarent ius, apparatis ad bellum opportunis copijs, atq; prudenti consilio exspectata occasione, quæ multiplex & varia sese obtule-*

rat,

Universidad de Deusto
Biblioteca

rat, repetissent. Nam sæpius, vt iam vidimus, Israelitarum res & opes afflictæ, debilitatæ, & in magnas angustias redactæ fuere, & tamẽ Moabitæ in hanc regionem, quæ eis Iordanem, sibiq; vicina & proxima iacebat, nihil vel belli vel damni intulerũt, non modo vrbibus maximis ac regijs petendis & impugnandis, quod maioris periculi esse potuisse fortasse quis diceret, sed nec viculis, apertisq; oppidis ac pagis diripiendis, quod nullo discrimine atq; adeò labore nullo confici posset. Amplificatur autem argumentatio per enumerationem & varietatem rerum, & opportunitatum cùm temporũ tum locorum. In Hesebon & viculis eius, in Aroër & villis illius, quæ prima ac præcipuæ vrbes erant, quibus captis, cætera omnia facillimè caperentur, Atq; magnorum & frequentissimorum oppidorum expugnatio, bellicarum artium peritis multo quàm credi possit, leuior ac facilior est, occupandis, exspoliandis, atq; diruendis oppidis, & pagis, & vicis, vnde illa aluntur, & agrorum impedito cultu, rusticorũ profugatione, qui in magnas vrbes profugientes, & metum & famem augent, & pestis periculũ creant, vel ideo ipsi deditionis necessitatem ciuitati accelerant. Vna autem huiusmodi interiorum ciuitatum expugnationem capessentibus prior atq; durior cura esse debet, accessus atq; recessus prospiciendi, ne intercluſis atq; minùs promptis & instructis, labor aliquis vel à tergo, vel à latere comparatus, vel salutis propriæ cogitationem, vel inceptæ rei desperationem injiciat. Quamobrem consultissimum ducitur, bellum à finitimis ac postremis vrbibus inchoare, atq; his expugnatis & pacatis ad interiora terrarum, atq; ad cor ipsum, hoc est, ad regiam, vel opulentia & mercatura præstantem vrbem promouere, finibus, vti diximus, iam prolatis, & via vndique quàm latissimè aperta. Vtrum autem horum Moabitis vmquam antea actum manifestam confessionem optimi iuris & possessionis legitimæ Israelitis arrogauit. priorẽ partem duabus illis vrbibus Hesebon & Aroër indicabat Iephte: posteriorẽ verò illa adiunctione expressit, Et in cunctis ciuitatibus iuxta Arnon. Trecentorum annorum contracta à Iephte summa, quamquam ex sacro apparatu cum cæteris temporibus cognosci possit, ne tamen his in commentarijs omnino requiratur, ita breuiter subduci potest. Ex mundi annalibus sacra lingua conscriptis accepimus, Iosuam terras iam expugnatas atq; subactas annis octo & viginti ab ingressu primo præfuisse. Ghathnieli quadraginta adscribit sacra historia, Chusan Risgathaim tyrannide adnumerata. Adhuc octoginta tribuuntur anni, decem & octo Gheglonicæ seruitutis computatis. Hinc Iabini tyrãnis, quæ ad quadraginta refertur Deboræ. A Madianitis Israelem septennio afflictum legimus, atq; ab illorum debellatore Gideone annis quadraginta gubernatum. his accedunt Abimelechi tres, totidem ac viginti Tholaghi, Iairi viginti duo, ita tamen vt vnus his duobus diuidatur. quibus Ammoniticarũ inuasionum ac direptionũ octoderim additi trecentum vno plus conficiunt. sed vnus hic, quo Ammonitæ belli instruendi causa in sua se receperant, & Galaaditæ de reuocando Iephte egerant, non refertur ad summam, vel libenter ab oratore condonatur, cui abundè trecentorum suppetierat summa. Iam verò comprobato vndequaque Israelitarum iure, ex illegitimo actore primùm, ex legitimi possessoris documento, ex diuina authoritate, ex diuturnissima possessione: ad euincendam Regis improbitatem & importunitatem, eam causæ suæ partem rursus repetit, quam in Rhetoricis nostris Firmamentũ vocabamus, Pœtus Quæstionem summã dictitatam. Ea autem in hoc loco est, negatio omnis iuris repetendæ atq; asserendæ terræ, non solùm Ammonitis, quibus nullum vmquam fuerat, sed Moabitis etiam, quibus aduersus Israelitas nullum prorsus post victos Amorrhæos. Nam antea vt exspoliatis adhuc constiterat, quod tamen vel dissimulatione & conniuentia minuerant, vel diffidentia desperauerãt, vel omnino abiecerant. Nam prætexere posset rebellis atq; contumax petitor, fratrũ sui illam fuisse terram, hoc est, Moabitarum Regis, quod ex Iephte narratione confectum est, atq; ita illius recuperandæ curam à sẽ nõ esse alienam fratris partes adiuturo, & si opus fuerit, soli acturo. hanc improbitatem anthypophora excipit Iephte: defendit enim illam nec petentis vnquam nec iam ab Israele captam & possessam Moabitæ fuisse, verùm si illi sibi ab Amorrhæis contendant sublatam, ab iisdem bello ac virtute & labore receptam oportuisse, atque hoc pacto ius conseruasse proprium, superato atq; pulso hoste, à quo fuissent læsi.

Lib. Daniel.

Quare tanto tempore nihil super hac repetitione tentasti?

TEMPVS hoc loco illud significatur, quo regio illa in Amorrhæi potestate fuerat, cùm Moabitis, & horum etiam, si placeret, adiutoribus Ammonitis, & causa ad repetendum supererat, & facultas non prorsus deerat, & occasio sese aliquãdo obtulerat, quæ vel eo ipsõ in tempore arripi potuit, cùm Amorrhæorum & Rex & populus omnis, vt bello Israelem opprimeret, ad vltimum vsq; regni sui progressi finem, regionem defensore vacuam reliquerant, qua opportunitate nulla ipsis commodior potuit optari: tunc enim & ipsorum consilium probare fortasse, & minorem Israelitis iniuriã facere viderentur. Hanc explicationẽ exemplaris lectio nobis donat: Et quare non eripuistis in opportunitate illa. GHET maturum opportunumque cuiusque rei tempus in sacra lingua significat, in qua ZEMAN, pro quocumque vel longo vel breui temporis vsurpatur spatio; sed GHET ad naturæ rerum terminos & modos, & ad idoneas humanarum actionum occasiones refertur. Atq; de huiusmodi opportunitate & commoditate Psalmi multa commemorant. vt: Fructum suum dabit in tempore suo. &, Adiutor in opportunitatibus in tribulatione. &, Tu das illis escas in tempore. Ecclesiastes quoque sapientia plurima distincte disseruit: Omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt vniuersa sub cælo. tali aliqua occasione vel neglecta, vel prætermissa, omne ius non Ammonitis modò, quibus nullum cõstiterat, sed Moabitis quodcumque fuerat, sublatum exstinctumq; ait Iephte: Non

Psal. 99.

Eccles. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eripuistis, *vel tu, vel Moabitæ, vel ambo.* HITSALTHEM *verbum à pastorum & custodum cura atq. celeritate translatum, qui raptam per insidias pecudem, vt à lupi vel leonis violentia eripiant, sese periculo obijcere solēt.*
1 Reg. 17. *quo vsus aliquādo Dauid, aiebat: Veniebat leo vel vrsus, & tollebat aritem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamq. de ore eorum. Huiusmodi operam à vobis positam oportuit, ad regionem vestram ex hoste violento & iniurioso eripiendam. Quam ab alio illius interfectore honestè repetere nec tunc quidem potuistis, cùm primùm vsucapi vidēbatis. Atq. hæc de translatione iuris causa grauissima, & oratio honestissima in omni consilio atq. exemplo haberi solet. Sic enim quidā apud Poëtam:*

Ouid. Met. Præmia magna petis; quæ si tibi magna videntur,
Ex illis scopulis, vbi erant affixa, petisses.

Constitutam verò totius causæ suæ propositionem, & confirmationem omnibus numeris absolutam, breui sermone perorat, in quo aduersarium vehementer vrget, & manifestæ coarguit contumeliæ.

Igitur non ego pecco in te, sed tu contra me malè agis, indicens mihi bella non iusta.

Ex *exemplari sic*: Et ego non peccaui tibi, & tu fecisti ad me malum ad præliandum in me. *Totius orationis conclusio & peroratio est, qua intentionem aduersarij Iephte refellit, suámque firmat. Fuerat enim Iephte rogatio & querela,* Quid mihi & tibi? *qua se nulla in culpa esse affirmabat, quāobrem bello aduersarius vexaret.* Quia venisti contra me vt præliareris in terra mea? *Ammonita nihil sibi aduersus Iephte causa obiiciebat, nec esse profabatur, sed aduersus Israelem. Hanc nullam exstare aut exstitisse vmquam defensor affirmauit & euicit: reliquum itaq. erat, ipsum tantùm ab aduersario ad lædendum peti, idq. iniustissimè: quippe qui vel ipsius aduersarij confessione, aut saltem silentio innocens probetur.* Et ego non peccaui tibi. *Israelem non peccasse docui efficacissimè, me etiam minimè antiquis peccasse manifestum est. sed nec tibi: nam neq. consciui mihi, nec tibi sum accusatus. Consequitur igitur te, iniusto odio in me vnum commotum, malū hoc moliri & parare. Nam neq. maiores tui, nec tu etiam Israeli quicquam nocuistis, antequam ipse nomine aliquo celebris esse cupiens vrges ac prosequeris, atque ita iniquam causam non corrigere, sed vi & potentia promouere & obtinere paras: quam quia ratione & veritate componi non pateris, ego etiam virtute defendendam suscipiam, & iudicandam permitto mortalium omnium communi iudici æquissimo, & iniuriarum priuatarum ac publicarum supremo vltori, fraudisque omnis vindici, Deo.*

Iudicet

Iudicet Deus arbiter huius diei inter Israel & filios Ammon.

Ex *exemplari verbo sic*: Iudicabit Dominus [*ille*] iudex hodie inter, &c. *Principibus supremis, qui nullum quempiam principem aut dominum vel legibus constitutum, vel vltro susceptum arbitrum, cuius iudicio parere debeant, agnoscunt, nisi ipsa rerum ratio atq. æquitas, & communis hominum omnium regina iustitia veritatis luce prætensa imperet, nisi humanitas etiam persuadeat, solum belli arbitrium reliquum esse putatur, quod finire litem possit in quo iudicio, quámquam vtrique parti grauissimo, ac maximè importuno & incommodo, propter populorum calamitates & ærumnas, tamen durior plerumque ratio exspectari apparereq. solet eius qui vim iniuriamq. infert, quàm alterius, qui illatam sustinet: maximè vbi is qui vexatur, & iustitiam præfatus obtestatusq. suam, pacem præfert & offert, & necessitatis testem atq. iudicem appellat Deum. Hanc verò rationem cum adiuncta protestatione Iephte init, quam sibi ac populo suo condixit opportunissimam fore, causamq. suam omnem, & Ammonitarū etiam illi permittit, præsenti atq. aperto instantis belli exitu declarandam. Deus, qui mundi omnis imperium, & iuris dicendi atq. præstandi arbitrium tenet, quamquam idem etiam patrocinium Israelis perpetuum susceperit, hodie tamen à me non tam patroni, quàm iudicis nomine appellandus venit, qui, quod ratione & æquitate examinatum inter Israelitas & Ammonitas, à se tamen non est admissum, ipse vt iudex definiat, & veri trutina expensum, euentus bellici exemplo præsenti declaret & exsequatur. Namq. inter cætera quæ de Deo cognoscuntur, hoc etiam præclarum iudicij exemplū constat. S.S.E. Et ipse iudicabit orbem in iustitia, iudicabit populos in æquitate.* Psal. 10. *Nec verò vt iudicium Dei manifestum appareat, diutius proferri postulas Iephte, sed quàm citissimè edi optat, idq. præscriptione ac definitione tēporis indicat:* Hodie. *Quo die causam perorauit suam, eodē professus est nihil præterea sibi cunctandum aut nouæ orationis curandum, sed exspectandum iam ex illo esse Dei iudicium. quod interpres noster intellexisse videtur, ac illa oratione,* Huius diei arbiter, *expressisse.*

Noluitque acquiescere Rex filiorum Ammon verbis Iephte, quæ per nuncios mandauerat.

NAM *cuius illa superbia, inuidia, & auaritia animum atq. sensum occupauerant, omnis honestæ rationis atq. iustæ defensionis, omnisq. conditionis æquæ impatientem reddiderant, maximè sibi iniquæ suæ causæ cōscium, & iura nata sibi negantem, atq. armis arrogantem prorsus omnia.* Verbis Iephte, quæ per nuncios mandauerat. *Nec enim vel adorationem & causam animum adiecit, neque nunciorum, personæ, atq. authoritatis rationem habuit, neq. alia etiam admisit aut auscultare voluit, quæ ex more nunciis mandata fuerant, pro rerum atq. incidentium sermonumq. ratione &*

Universidad de Deusto
Biblioteca

vsu agenda. Quæ per nuncios mandauerat. *sua in lingua:* Qui & quæ miserat ad eum. *hinc omnia honestè, recto more, ac cum decoro acta, illinc omnia indignè atq; inciuiliter excepta narrantur; vt actionũ etiam collatio Ammonitarũ partes premat & improbet. Iephte bis cũ honestis mandatis, & cũ dignitate misit, ille alter nec semel misit, nec missos liberaliter, aut sicut Regẽ decebat, excepit, imò nec proloqui iussos audire voluit. Quæ res vel patientissimo cuiq; bilẽ & stomachũ facere potuit, nec tamen bono ac pio viro fecit, qui nihil ex ira ac perturbatione, sed ex magno ac forti animo, atque adeò ex voluntate & consilio Dei peragenda sibi proposuerat. id quod à iuuenta ipsa vsque commonstrauerat, dissimulatione ac patientia iniuriæ sibi à fratribus atque cognatis illatæ.*

Factus est ergo super Iephte Spiritus Domini: & circuiens Galaad & Manasse, Maspha quoque Galaad, & inde transiens ad filios Ammon.

VIRVM *fortem, eundémque probum, ad gerendam rem apprimè strenuum, tamen non proprio aut priuato sensui indulgentem, sed omnia ex Dei voluntate agere curantem, accepimus à Deo auctum & informatum Spiritu diuino, cuius virtute & efficacitate omnia, quæ ad bellum & pacem foris ac domi agenda essent, & instituere, & agere tractareq; valeret, cuius Spiritus consilio non exspectandum Ammonitarum impetum, nec hostem intra regionem suam admittendum, sed vltro petendum sibi esse decreuit, idq; quàm primùm suscepit, itineribus per ea loca institutis, quæ copiis suis commoda magis, & incolis ac regioni minùs essent damni paritura, atque ad hostium regionem peruia opportunaq; magis. ille enim tunc erat in Mizpa siue Maspa, celeberrimo illo Israelitarum ad Iudæ tribus & Beniamin fines conuentu, vnde Galada primùm, deinde Menassei agros pertransit, vnde etiam, quòd militaris via illac melius duceret, ad Galaadu Maspam deuentum est, ex qua proximus in Ammonitarum fines transitus erat. vt verò omnia, quæ sibi agẽda essent, à vero & felicissimo auspicaretur initio, vir pius, & iustam causam, & seipsum Deo commendare, & nuncupatis votis obligare constituit, idq; conceptis verbis primùm expressit.*

Votum vouit Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in manu mea, quodcumque primùm fuerit egressum de foribus domus meæ, mihiq; occurrerit, reuertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino.

IN *exemplari hæc postrema voti pars ita habet:* Et erit Domino, & adscendere faciam illud holocaustum [*siue*] adscensionem. *De votorum nuncupatione & materia ac formulis, deq; huiusmodi obligationum varia differentia, alias, Deo propitio, disseremus, ad eorum vsum, qui sacra scripta non ex diuinatione aut sententia priuata, sed ex re ac veritate cognoscere studient. Nunc verò illud indicasse operæpretium fuerit, huius voti conditionem*

tionem primùm, deinde sponsionis verba omnia, & partes, atque partium notationes teneri oportere. Conditiones duæ sunt: victoriæ impetratio, felix in domum reditus. desponsio rem vnam simplicem indicat, animantem videlicet quamcumque reuertenti primùm è domus foribus occursuram. forma obligationis duplex: consecratio siue dedicatio, & destinatio atque sanctificatio, cum definitione adscensionis siue holocausti.

Transiuitque Iephte ad filios Ammon, vt pugnaret contra eos: quos tradidit Dominus in manu eius.

VOTO *iam concepto & nuncupato; quod an domi adhuc manens, an in expeditionem egressus fecerit, non indicatur; deliberato animo, atq; firmato pugnandi proposito, Galaaditarum agro omni relicto, in ipsam Ammonitarum regionem inuasit: quo pacto & suorum commodis consuluit, & principatus sibi adscripti conditionem præstitit. ea autem fuerat à populo expressa: Qui primus ex nobis cœperit dimicare cõtra filios Ammon, erit dux* Supra 10. *populi Galaad. Magna verò felicitate atq; celeritate cõfectam rem eam Dei beneficio & efficientiæ acceptam, atque ex animi sententia & voti conditione contingentem historia explicat.* Quos tradidit Dominus in manu eius. *Namque iisdem verbis, quibus fuerat pronuncIata condtio, præstita etiam affirmatur.* Si tradideris *tu Domine* in manu mea. *&,* Tradidit Dominus in manu eius. *quemadmodum autem & qua ratione, quantaq; celeritate id actum fuerit, locorum & spatiorum descriptione declaratur.*

Percussitque ab Aroër vsque dum venias in Mennith, viginti ciuitates, & vsque ad Abel, quæ est vineis consita, plaga magna nimis: humiliatique sunt filij Ammon à filiis Israel.

SVPERIVS *legimus Iephten spatiosa ambage, & longis itineribus vsum, in Ammonitarum agros peruenisse, prudenti consilio occupandi hostes ea parte, qua minùs sibi cauentes intelligeret. Namque Misphа siue Maspha in Beniamin agro Iudæ proxima, longè dissita, Ammonitis ad occiduũ meridionalémque tractum vergebat. petituro autem rectà Idumæos, Galaaditis regio, transmisso Iordane, proxima erat, & Ammonitas ad Occasum claudebat. Manasse verò agri Septemtrionales erant Ammonitis, quos tamen, vel vt copias opportunas interim cogeret, vel vt amnem opportunè trayceret, prudenter petiit, interq; agendum iter hostes latuit, viam tenens tutissimam inter maioris lacus ripas, & montes qui lacui imminent; deinde verò in Manassensis dimidiæ tribus campos euadens, Ammonitas quos ad ortum & meridiem reliquerat, conuerso in Austrum itinere, atq; superato monte qui Manassen à Galaad diuidit, in Misпa Galaaditarum descendit, vnde planus & opportunus ad Ammonitas erat accessus: quos vbi inuaserat, sibi à Deo traditos fide cognoscens, magna ac perpetua affecit clade, tanta felicitate ac prosperitate, vt continuatis vnica expeditione pugnis, decem vrbes interiora terrarum tenentes, ad quas sese hostium fuga pertendebat,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

debat, victoriam persecutus pertransierit ad vsque magnam planiciem, vinetis in illa regione laudatissimis celebrem, vbi & hostis interficiendi modum esse voluit, & victoriæ collocauit monumentum. Abel, *campum significat latum & vndique patentem, atq. ita Chaldæus interpretatur* MEISAR. Plaga magna nimis, *clade ingenti allata, quæ diuinum testabatur apertè iudicium, in superbam, contumeliosam, & violentam gentem editum.* Humiliati, *vt Chaldæus explicat, fracti, debilitati, ac propè dissipati à filiis Israel: vt facilè intelligeretur eandem partem causa & virtute ab iis superatam, qui oppressi nuper & de iure suo respondentes, tamen auditi cùm non fuerint, ad Deum prouocauerint illa formula: Iudicet Dominus hodie inter filios Israel & filios Ammon. Huiusmodi autem esse in rebus ex pia atque iusta causa susceptis, atque piorum virorum successum, apertè Spiritus sanctus docuit, qui hoc exemplum ad fidei efficientiam inter multa alia re-*

Hebr. 11. *ferendum Paulo ad Hebræos scribenti dictauit: Deficiet me tempus nar-*
„ *rantem de Gedeon, Barach, Sampsõn, & Iephte, Dauid, Samuel, & Prophe-*
„ *tis, qui per fidem vicerunt regna, &c. Nec enim ad aliam quàm ad diuinam virtutem tanta victoria, tam longo vrbium & agrorum tractu, tam breui tempore constare potuit. quod nec ipsos victos latuit, cùm filios Ammon à filiis Israel fractos ac debilitatos audirent: ita enim & fama publicabat, & res habuerat. in nominibus autem huiusmodi patronymicam rationem referentibus, communis ac publica includitur causa, cuius præcipua pars religionis maiestas habetur.*

Reuertenti autem Iephte in Maspha domum suam, occurrit ei vnigenita filia sua cum tympanis & choris: non enim habebat alios liberos.

PRVDENTIAM *in omnes vitæ partes apprimè esse vtilem atque opportunam, multis huiusmodi docemur exemplis. adeò vt cordati quoq. inter gentes viri, Fortunam, quam vulgus humanis rebus imperare existimabat, non ex alia matre quàm ex hominum imprudentia ortam & consecratam affirmarẽt. fabrũ vnumquemq. esse suæ fortunæ, aiebat ille. & alter etiam:*

Iuuenal. Sat. 10.
Nullum numen habes si sit prudentia: sed te,
Nos facimus, fortuna, deam, cœloque locamus.

Horat. lib. Carm. 2. Ode 13.
Quid quisque vitet, numquam homini satis Cautum est.

Mirabilem verò ex victoria lætitiam, quam Iephte redeunte publicè atque priuatè capi oportuit, domestico familiæ mœrore interturbatam legimus: verùm nihilominus quocumq. pacto, quacũque iactura, voti sanctimoniam à pio viro obseruatam animaduertimus. Nam quod ille indistinctè nuncuparat, præstare omnino cum dolore incommodoq. suo, quàm interpretari maluit. Oportuerat siquidem vel vouentem id excipere, quod seruatum exceptumq. voluisset, vel redeuntem domus suæ incolumitati cauere nuncio præmisso, qui id, quod actum nollet, agi vetaret. Hippocrates medicus è longa peregri-

peregrinatione reuertens, matri suæ, quam ex insperata filij conspectu lætitia repentè exstingui posse intellexerat, aduentãtem se quidem, sed facto crudele habentem denunciari curauisse fertur. tanti refert subiti casus non esse improuidum. Atqui necesse erat, nisi prouisum antea fuisset, virginem vnicam filiam, eandemq. dulcissimam, charissimo patri, cum triumpho domum redeunti, primam ex familia omni occurrere tympanis instructã, quæ feminarum musica organa quondam fuere, & puellarum choreis comitatam, qui in antiquis huiusmodi lætitiis mos fuit. S.S.E. Ne annuncietis in 2. Sam. 1. *Gath, nec annuncietis in compitis Ascalonis, ne fortè lætentur filiæ Philisthiim, nec exsultent filiæ incircumcisorum. Et cùm reuerteretur percusso* 1. Sam. 18. *Philisthæo Dauid, & ferret caput eius in Ierusalem; egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israel, cantantes, chorosq. ducentes, in occursum Saul Regi, in tympanis lætitiæ, & in sistris. & apud exteros:*

Vnico gaudens mulier marito
Prodeat iustis operata diuis:
Et soror clari ducis, & decoræ
Supplice vitta.
Virginum matres, iuuenumque nuper
Sospitum, vos, ô pueri & puellæ, &c.

Hor. Carm. lib. 3. Od. 14

Superiùs Iephte, cùm primùm principem optauissent Gilghaditæ, domicilio in Mispha fausto incepto collocasse adnotauimus: vnde egressa filia vnica, vniceq. dilecta, vtpote cui nullus alius ex vxore legitimus contigisset hæres quod indicandum sacer historicus duxit, ad commendandam viri pietatem animiq. fortitudinem, Abrahamum studio imitati. Hebraica lectio diligentem explicatorem posceit, quam nos relinquimus nunc, nostra versione satis Latinis verbis, abundeq. rem explicante: quibus cùm operam demus, aliarum linguarũ subsidio tantùm cùm opus est, non præterea aliàs, vtimur.

Qua visa, scidit vestimenta sua, & ait: Heu me filia mi, decepisti me, & ipsa decepta es: aperui enim os meũ ad Dominum, & aliud facere non potero.

GRAVISSIMOS *animi dolores, quos cum primis necessariorum obitu, quicumq. humanitatem non exuerunt, subire solent, vestium diruptio siue scissio olim primùm declarabat, quam luctus lamentaq. sequebantur. de quo genere in sacro agebamus Apparatu. Id igitur quod nunc Iephte primum egit, sublatam iam sibi gnatam significabat, quòd huiusmodi actio non nisi in simili durissimo euentu spectaretur, vel numinis diuini profano dicto vel facto offensi, vel naturalis consuetudinis charissimo pignore è medio sublato. diruptioni suspiria geminata; his verò doloris causa adiuncta est:* Decepisti me. *Sua in lingua:* HECREAGH HICRAGHTHINI VEATH BEGHOCHRI. *Chaldæus paraphrastes translationem est dolere imitatus, qui ita exponebat:* Curuare facere curuare feci me, & tu fuisti. Lib. Iereem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuisti in cõturbatoribus meis. *mirabili atq; ex tempore concepta allegoria vsurpatione, se filia & posteritate orbatum declarauit. Namq; ad plantarum arborumq; præcipuè imagines animum adiecit: quæ si vel vẽto, vel alia quapiam vi eò compellantur vt inclinatæ terræ solum tangant, discrimen quidem subeunt interitus; verùm qui non ita proximè accidat, vel vitari possit & corrigi, radicibus adhuc terræ hærentibus. eas verò si quis euellat, & ex imo in altum eruat, arborem omnino corruere necesse est, & fructus in posterum spem omnem fallere. Nomen* Ben, *pro quo Latinè filium dicere solemus, ex translatione ædificiorum sumitur,* Bath *verò filia Latinis dicta, ex plãtarum natura atq; cultura sumitur, quòd ea planta vel arbor sit, ex cuius fructu & cultori vsus percipiatur, & generis propagetur soboles. Cùm primùm igitur Iephte votum indistincta nec indicata materia nuncupauit, verborum vi atq; obligatione familiam suam impulisse aut inclinasse visus est, non qui arborem omnem euulserit, sed qui ita verterit & inclinauerit, vt, nisi prospiceretur, periculum fecerit: poterat enim vel pecus, vel taurus, vel iumentum, vel seruus, vel quodcumq; aliud, quod ad familiam familiaremq; rem pertineret, domo primùm prodire, quod tamen vel domũ, vel rem non penitus turbaret. denique, vna filia excepta, quidquid occurreret, quamquam integritatem minueret rerum nõ tamen tolleret. prodeunte verò primùm è domo vnica nata, id actum est, quasi ipsa arboris prima & viua radix à terra, in qua altè adhuc hæserat, protinus euulsa atque eruta, arborem omnem voto damnatam sacramq; constituisset. Ego, inquit, me ipsum voto in terram impellendum curaui; sed non tantum effeci atq; tu, quæ fuisti mihi in causa vt prorsus te speratoq; ex te fructu sit carendum.* In conturbatoribus meis. *tu vna instar habuisti omnium, qui me funditus è terræ solo eruere possent. interpretis nostri Latini verba, quamquam translationem hanc non expressere, tamen exhibuere sententiam, explicandaq; sunt ad eam rationem qua polyonyma explicantur, vt decipere, idem quod fraudare significet: fraudari autem aliquem dicimus, cui id quod propriũ, quod vtile, quod opportunum est, subducitur: vt, fraudare stipendium equitum, & Cæciliam à Pub. Vario magna pecunia fraudatum Cicero dixit: se ipsum genium q. suum defraudare quispiam dicitur. est itaq; sensus: Heu meipsum qui fraudare cœperam, tu filia omnino fraudatũ reddidisti.* Aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non potero. *Multa in hunc locum disputari possunt, atque ab interpretibus disputata videmus, quæ in proprium petitiùs reponenda tempus ducimus, cùm de omni sacrorum antiquorum materia, vsu & abusu agendum sit. hic verò ex lectionis aperta simplicitate, votum à Iephte factum iure solui debere ostendemus, verbis ipsis, quibus nuncupatum est, relatis.* Quicumque fuerit primus egressus de foribus domus meæ, mihiq; occurrerit reuertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino. *Cuius versionis sensus ex verborum exemplarium numero ac pondere distinctior euadet:* Et erit exiens quod

quod exierit è foribus domus meæ in occursum meum in meo reditu in pace à filiis Ammon, & erit Domino vel adscendere fecero illud holocaustum. *Quidquid sub voto cadebat, sanctum habebatur, neque sui alteriús sue iuris censeri poterat, quàm superni, atque iuridica formula* vocari solet, DABAR GEBVHAH, *siue* MAMONGEBVHAH, *id est, res alta vel diuina, à terrenis & profanis semota vsibus. eius duplex erat materies: pars enim sacrificiis & victimis apta commodaq; esse poterat, vt pecudum armentorumq; genus omne, cui nullũ tamen inesset vitium, ad quam rationem & frumenta, & vinum, & oleum, & sal pertinebat, & lignorum etiam copia, & fructuum variæ formæ ex arboribus decerptæ, quæ vel igne incensa arderent partim, vel ad sacrorum ministrorum alimenta seruarentur. Altera autem pars, quam exuri aut incendi nefas fuerat, duplici etiam modo dinidebatur. Quædam enim ad thesauros referebantur, ex quibus, quidquid in sacra facienda vel reficienda, ædificia instauranda, atq; ministrorum exsoluendam mercedem insumi opus esset, depromeretur, vt aurum, argẽtum, metallaq; omnia tum rudia, tum cusa vel elaborata: vestes præterea ac telæ, & huiusmodi complura. Alia verò quamquam ad sacrificium non admitterentur, vel quòd impura essent, vt equi, muli, aselli, armentaq; & pecora vitiosa; vendi tamen poterãt, & pretio sui vsum præbere sacris, in quo censu & serui numerabantur, qui, quòd homines essent, vel vendebantur, sed ad certa seruitutis genera addicebantur. Liberorum tamen capita nec sacrificari, nec vendi sinebat lex, sed perpetuo seruitio detinari, si vsui essent; vt viri quibus nulla maculæ vitiositas inesset: sin verò fœminæ omnino secerni atq; ab hominum vulgiq; consuetudine semoueri debebant. In postremum hunc censum virgo illa Iephte filia vnica incidit, quæ cùm nõdum nupsisset, in patris tenebatur potestate ac iure. Pater autem eorum, quæ vouerat atque quocũque modo sacrari per leges licuit, summam omnem duabus voti partibus complexus est.* Et erit Domino, *quidquid ad hostiam ineptum fuerit; quidquid verò aptum,* ascendere fecero illud in holocaustum. *Iam verò lex illud cauerat, vt qui liber prorsam suiq; iuris esset, vbi semel vouisset votum, non posset rescindere: qui verò alterius spectaret potestatem, certo tempore infirmioris teneretur voti reus, quo tempore obligationis arbitrium ei demandabatur, cuius in potestate erat is qui vouisset, cuiusmodi vxoris apud virum, filiæ innuptæ apud patrem, & serui apud herum causa erat. igitur si filia vouisset, à patre poterat votũ rescindi: verùm si filiam deuouisset pater, extemplo filia ad* MAMONGABVAH, *hoc est, ad potestatem & vsum sacrorum pertinens, sancta sacraq; decernebatur. Hoc est quod pater confessus reddendum sibi esse ait, nulloq; pacto redimi, nulla exceptione liberari posse affirmabat.* Aperui os meũ ad Dominum, & non potero aliud facere. *In exemplari,* Non potero reuerti. *Nullum mihi ius, nullum arbitriũ supereſt, quod dixi indictum vt sit; iam verò dictum mihi à Deo exceptum & ratum habitum, ipse victoriæ mihi*

Universidad de Deusto
Biblioteca

collatæ demonſtrauit exitus. Huius quoque formulæ fuit votum illud ab
1.Sam.1. Hanna Samuelis matre ſuſceptum. Si reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisq; ſeruæ tuæ ſexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non adſcendet ſuper caput eius.

Cui illa reſpondit: Pater mi, ſi aperuiſti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es, conceſſa tibi vltione atque victoria de hoſtibus tuis.

FILIÆ *virginis pietas clariſsimè ſpectata compertaq; laudatur: quæ cùm vnica tanto patri eſſet, quo diutiſsimè frui felicitatis haberet loco, & cuius in Iſraele nomen & genus ac poſteritatem ſuis nuptiis propagare in votis habere poſſet, huiuſmodi tamen commodorum cogitationem omnē vni Dei voluntati & gloriæ poſthabendam cenſuit, & patrem ipſum viriliter conſolata exhortataq; eſt, vt tantæ victoriæ beneficium Deo auctori eo munere gratularetur, quod ipſi conſtabat charisſimum, quodq; numini probatum euentus ille palàm declaraſſet.* Conceſſa tibi vltione. *Sua in lingua,* Poſtquam fecit tibi Dominus vltiones de inimicis tuis de filiis Ammon. *ita Chaldaicè, ita Græcè legimus. Æquum, inquit, eſt, te animæ tuæ partem, hoc eſt, me vnicam tibi charam filiam Deo dicare, qui & hoſtes tuos animæ ac vitæ tuæ infenſiſsimos, tam multos, tam fortes, obſtinatosq; vltus eſt. nominatim verò indicat filios Ammon, quorū vis, proteruitas, & malitia, atque inimicitia maximè iam fuerat perſpecta, habetq; expoſitio hæc adnotationem magnitudinis beneficij diuini, & obſeruationem euentus ad votum relati: quamquam enim fuerint alij Iephte inimici, de quibus poſtea agendum eſt, ſed hi in aliam notam tranſlati fuerant.* Vltiones *verò multitudinis numero dixit, quòd non vnico, ſed complaribus præliis per totos decem Vrbium agros ſuperior, ſemper pugnas continuatas vicerit, idq; Dei dono ac beneficio, ſingulariq; prouidentiæ piisima puella acceptum retulit.*

Dixitq; ad patrem, Hoc ſolum mihi præſta, quod deprecor, Dimitte me vt duobus menſibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum ſodalibus meis. Cui ille reſpondit: Vade. & dimiſit eam duobus menſibus. Cumq; abiiſſet cū ſocijs ac ſodalibus ſuis, flebat virginitatem ſuam in montibus.

ISRAELITARVM *genti ſobolem ſuam propagare, feliciſsimum decebatur: vnicuiq; enim cupiditas inerat adiuuandi pro ſua parte promiſſi illius Abrahamo facti, Sic erit ſemen tuū ſicut ſtellæ cæli. quod cùm illi etiam ſecundùm carnem intelligerent, animarum & capitum augendo numero, & poſteritatis Iſraeli ſufficiendæ cauſa interpretabantur, beatumq; putabant, vnum aut plures Dei cultores ex ſeſe procreatos præſtare. Qui verò interiùs ſenſu & cogitatione penetrauerant, ad arcanum etiam promiſſionis*

hanc propagandi generis rationem referebant. Et quamquam hoc ſiue mandatum, vti ipſis credebatur; ſiue conceſſum, vti potiùs dici poſſe videtur; feminas non propriè ſpectabat, ſed viros (quod alias pleniùs, Deo propitio, referemus) tamen vbi viri copia, quæ familiæ ac domus nomen tueretur, deeſſet, ſufficiendæ ſobolis ius ad feminas deferebatur legitimè. S.S.E. Ad filios Num.27.
Iſrael loquēris hæc: Homo cùm mortuus fuerit abſque filio, ad filiam eius »
tranſibit hæreditas. Ita effectum eſt, vt quæ vnica Iephte ſobolis propagādæ »
ſpem conceperat filia, nunc illam amiſſam ſibi deplorandi copiam fieri poſtulet, idq; duorum menſium ſpatio, certisq; locis & monitibus peragrandis & luſtrandis, vt vel huius longi fletus memoria vixiſſe illam teſtari poſſet, & rei hiſtoriam ad poſteritatem tranſmittere, pietatisq; narrare ſtudium tum parentis, tum gnatæ etiam, & Iſraelitarū gentem tanti erga rem publicam officij ac beneficij perpetuam recordationem conſeruare. Atqui montium peragrationem duabus cauſis poſtulatam intelligimus: altera, vt clamor & lamentatio in ſublimi loco edita, longiùs ac latiùs ad circumvicinorum au- Iecrem.31.
res pertineret. namq; hæc eſt vocis natura & vis. S.S.E. Vox in Rama auditа eſt, ploratus & vlulatus multus. atque etiam vt longus montium pro- »
ſpectus monumentum rei tam incolis, quam hoſpitibus & viatoribus, frequentius repræſentaret. Altera verò cauſa fuerat, vt ipſa, quando intra clauſtri cuiuſpiam parietes incluſa, vitam ſolitariam peractura erat, locum ſibi ex iis, quæ pererraſſet, probatum optaret. Nam planctus in vnico factus monte, ibidemq; diutius productus, ſatis monumento relinquendo fuerat: verùm plurium montium peragratio, ea quam indicabamus mente poſtulata videtur, vtq; interim animus coæuarum puellarum ac virginum, quibus perpetuò valedicendum erat, colloquio ſattaretur. Vt fleam virginitatem meam cum ſodalibus meis. *Ex exemplari lingua:* Et flebo ſuper Bethulai ego & ſociæ meæ. *Latinæ linguæ inopia ſingularium verborum defectum communibus & affinibus ſolatur. Feminarum ætas in ſacris libris & chartis huiuſmodi partibus ac nominibus diſtinguitur propriè: primum infans puella ad tertium vſque annum* IONEKETH *dicitur: inde ad duodecimū* NAGHARAH: *poſt hæc verò ſex menſibus integris vocatur* BOGERETH: *hinc vſque ad primarum nuptiarum deſponſationem* BETHVLAH *vocatur: cùm autem legitimè deſponſata eſt,* MEVRETSETH; *demum ducta viro* ESSETHIS *perpetuò appellatur ad viduitatem vſque vel repudium. Lamentationis ergo argumentum fuit, ſe ad ipſam nuptiarum maturitatem feliciter educatam & proiectam, tamen paternæ domus, cui nulla alia ſpes ſupererat propagandæ, felicitate &* Claud'an. de Rap. 1. Iſ
gaudio abdicatam, ita interpretamur, Super virginitatem meam, *ſu-* vicina toro
per ætatem meam nuptiis opportunam, tamen ſterilitate damnatam. eſt pleuis adole-
autem illius ætatis nomen in illa lingua plurale BETHVLIM, *vt Lati-* uerat annus
nis NVPTIÆ. *ac de huiuſmodi antiquarum rerum & rationum atque* Virginitas.
dictionum copia, vtilem (vti ſperamus) editurі ſumus aliquando com-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mentationem, sacrarum lectionum studiosis pretium operæ facturam. adspiret conatibus Deus.

Expletisq. duobus mensibus, reuersa est ad patrẽ suum, & fecit ei sicut vouerat, quę ignorabat virũ. Exinde mos increuit in Israel.

IAM *significabamus superiùs virginem illam non fuisse à patre aræ sanctisq. ignibus destinatam, vt de Iphigenia sua Gentiũ fabulantur Poëtæ. Neque enim eiusmodi sacrorum victimas diuina lex admittebat, quarum vel simulachrum & periculi expertem speciem damnabat. Nec patri, vti distinximus, nuncupando voto ea fuit mens, sed illa tantùm in hanc partem pronunciata verba,* Et erit Domino. *idipsum votum quemadmodum redditum præstitumq. fuerit, hoc loco historia indicat.* Quæ ignorabat virum. *In propria lingua & formula apertiùs:* Et illa non nouit virum. *Vocem,* Et, *illationis siue expositionis vsu interpretamur, Itaque non nouit virum. Curante patre eam ab omni hominum conspectu & consuetudine sequestratam, viuere vni Deo, cogitando, & precibus atq. obsecrationibus, totiusq. vitæ exercitatione sibi conciliando, atq., quod ad humanarũ rerum curam attineret, sese tamquam vita iam defunctam perpetua mortis meditatione sepeliendo, ita vt neque vllius mortalis, nec feminarum etiam consuetudine vel allocutione vteretur. Verumenimuero vt huius admirabilis facinoris, ex publicæ salutis studio profecti, fama cum significatione grati animi ad posteritatis memoriam perpetuò manaret, celebris monumenti nomine quatuordiales lamentationum feriæ quotannis peragendæ Israelitis puellis imperatæ sunt. Hæc illius conclusionis,* Exinde mos increuit in Israel, *explicatio nobis probatur, quam sacer sermo ita indicat:* Et erit HHOK in Israel. *Singulare ius, quod alicuius vel ordinis vel personæ vel conditionis causa aut gratia decernitur, in illa lingua* HHOK *dicitur. Hispanè* Fuero *dicitur, Latinè aliàs priuatum decretum siue statutum, aliàs verò priuilegium, siue prærogatiua iuris appellatur. Nonnulli quidem expositores decreti huiusmodi sententiam diuinantes cõmentantur: Statutum, inquiunt, fuit, Ne quis in posterum liberos voueret. sed vnde huiusmodi descripserint statutum, non planè est nobis compertum: illud verò constat, Hannã piam, sanctam, & cordatam feminam, primum sibi à Deo donandum filiũ, etiam ante conceptionem, templo destinasse; quod minimè contra publicum edictum fecisset. Verùm eadem hæc historia statuti in Iephte gratiam editi exemplum cuestigio subiecit.*

Et consuetudo seruata est, vt per anni circulum conueniant in vnum filiæ Israel, & plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor.

IPSA *verborum expressa constructio, si ex propria lingua petatur, decreti formam planè refert. vbi enim superior versus ita finiretur,* Et erit HHOK in Israel, *continuò subiungitur:* A diebus in dies ibunt filiæ Israel

Israel ad lamentandum filiæ Iephte Ghilgaditæ quatuor diebus in anno. *Latini antiqui huiusmodi decretum, siue senatusconsultum, in hanc formulam edidissent opinor:* ISRAELITICÆ PVELLÆ QVATVORDIALES FERIAS IN HONOREM FILIÆ IEPHTE GHILGHADITÆ QVOTANNIS HABENTO. EIVS REI ERGO CONVENIVNTO FILIÆ, AC PATRIS MEMORIAM LAMENTIS CELEBRANTO. *Huiusmodi denicales feriας, à nece appellatas, quia resident mortui, apud Romanos etiam factas legere meminimus. Has autem lamentationes, compositis elegis & lugubri carmine, non modò ipsi viuenti virgini ad consolationem, sed etiam post defunctæ ad laudis monumentum, statis anni diebus, fieri solitas intelligimus; quibus faciendis ac toto quatriduo celebrandis, magnam & prolixam virtutis filiæ, & rerum à patre gestarum commemorationem admixtam, res ratioq. indicat.*

CAPVT DVODECIMVM.

ECCE autem in Ephraim orta est seditio. Nam transeuntes contra Aquilonem, dixerunt ad Iephte: Quare vadens ad pugnam contra filios Ammon, vocare nos noluisti, vt pergeremus tecum? igitur incendemus domum tuam.

RES *magnas atq. fortiter gestas, & quamcumque præstantis viri virtutem, æmulatorum inuidentia, & eorum qui probare deberent obtrectatione ac maledictis, nonnumquam etiam contumelia & iniuria lacerari, humanarum rerum historias legentibus, atq. sui etiam temporis mores & exempla obseruantibus, compertissimum est. Huiusmodi offensionẽ Iephte illatam historia narrat, & forti animo pro temporum atq. rerum ratione superatam exponit. Salutem illam ad Israelitas omnes pertinentẽ, Ephraitæ non solùm sibi communem gratulati non fuerunt, vt par dignúmque fuerat; sed ingrata inuidia atq. contumelia exceperunt.* Nam transeuntes contra Aquilonem. *Geographiæ atq. Chorographiæ peritis negotium facturа fuerat lectio hæc, nisi scripturarum fontes inuiserentur. Namque Maspa, vbi Iephte domicilium locauerat, in Beniamini tribu non longè à Iuda distans, vti iam monstrauimus, erat. Ephraitæ ab Aquilone Beniaminitis adiacebant. Quamobrem si Latini nominis communiori significatione locus hic explicandus esset, potiùs videretur legendũ, Ephraitas Iephtem incusaturos ad Austrum, quàm ad Aquilonem transisse. Verùm sacram Chorographiam diligenter legentibus, nostrasq. de illa disciplinæ partes tum descriptiones, tum etiam tabulas inspicientibus, vrbs inuenietur in Galaaditarum regione non longè à Iordane fluuio, eodem dicta nomine quo ventus ille appellatur, quem Latini Aquilonem siue Boream dicunt. est autem nomen* TSAPHON, *quod interpres noster in consuetam sibi aliàs*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Latinam vocem Aquilonem vertit. Cur verò tribus illa se magis quàm cæteras contemptam & reiectam conquesta fuerit, occasio ex eo sumpta videtur, quòd à Misphaa Biniaminitide ad Gilghad iter agenti Iephte, si recta insistueretur via, per mediam ferè Ephraitidem regionem transitus erat. Id quod aliter actum indicata superiùs itinera significabant, ex ambage quadam per extremos Ephraitarum fines Iordane transmisso, illis nec vocatis nec monitis etiam, Galaad primum omni ad ortum relicta, deinde Manasse deuentum in agros, ex quibus rursum per montium anfractus in Masphan Gilghaditarum, atq; illinc demum in Ammonitas fuisse peruentum. ita cùm cæteræ omnes citra Iordanem tribus, quæ Chananæorum terram incolebant, vel citeriores Misphæ essent, vel ad dexteram læuamq; iacerent, sola Ephraitarum regio media inter Biniamin & Galaad, recta viam ad Ammonitas profecturo Iephte præbebat, quam ille, vti dicebamus, sine vllo strepitu confecit, vt qui Dei præsidio vnicè fideret, nec hominum subsidio vsq; adeò crederet. Ecce autem in Ephraim orta est seditio. *ita Latinus interpres explicuit tres voces,* Et appellatus est vir Ephraim: *quibus indicatur magnus tumultus, virorum omnium consensu excitatus, cum inuidiæ commotione & accusatione prætensa contumeliæ, ita vt nullo alio examine propriæ causæ, sed communi clamore, quisquis virum se professus fuerat, quasi coniuratione quadam aduersus Iephten obstrictus raperetur. Neque verò quisquam eius consilij fuit, vt, antequam vis denunciaretur, causa & querela, si qua esse videbatur, vel ageretur per nuncios, vel scripto obijceretur, sed magna insolētia* transeūtes contra Aquilonem. *ex primæua lingua:* Et transierunt Saphonam. *Iordane transmisso, Saphonam vsq; peruenerunt, vt ipsa fluuij transmissio certam ac deliberatam nocendi voluntatem argueret, atq; tumultus & coniurationis crimē exaggeraret. Saphonam vrbem Galaaditarum esse diximus, Ephraitis præteruadantibus vltra Iordanem sitam, in quam tum Iephte statim post Ammonitarum cladem, dum victor reuertebatur, venerat. Namq; hanc rem antè gestam, quàm in Masphan peruentum esset, historia videtur indicare, quam filiæ destinatio & dedicatio postea consecuta fuerit, sed antea narrata propter connexionem consecuti euentus cum antecedente voto. Quod & ex filiæ oratione etiam docere potest, patrem videlicet suum hortatæ, ad reportatæ victoriæ gratulationem voti sui exsolutione perficiendam.* Postquam fecit tibi Dominus vltionem de inimicis tuis, de filiis Ammon. *Namq; distinctio atq; distinctio duplicem vltionem subindicat de inimicis factam: sed votū ad eam tantùm referendum quæ de filiis Ammon facta fuerat, cùm altera nō modò præter votum, sed præter consilium & voluntatem, atq; adeò ex necessitate adiuncta fuisset: Redeunti autem ex bello non omnis, qui, quum in expeditionem antea exiisset, ducebatur exercitus, sed Galaaditarum & Manassensium pars maxima suas in domos redire permissa fuisse videtur, vt pote nihil, iam deuictis hostibus, metuenti, nihilve minùs cogitanti quàm domes-*

ticas insidias. Maxima verò, non temeritatis modò, sed insolentiæ, superbiæ, audaciæ, atq; inimicitiarum culpa fuit, publico clamore Ephraæos omnes cogi, Iordanem transmittere, securitatem ac lætitiam redeuntis occursu turbare exercitus armati, sed omne crimen excessit ipsa iniustæ superbæq; querelæ ac minarum plena oratio: Quare vadens ad pugnam contra filios Ammon vocare nos noluisti, vt pergeremus tecum. *Prima lectio sic ex verbo:* Quare transisti ad præliandū in filiis Ammon, & nos non vocasti ad eundum tecum? *Ipsa verborum existimatio causam indicat, quamobrem hanc ignominiam sibi præcipuè solisq; acceptam prætexant Ephraæi, quòd non oportuerit per suam ipsorum regionem ad expeditionem transire, ipsis in partem laboris atque laudis minimè vocatis. quòd nullo alio loco fuerit iter factum, nisi per ipsorum agros, quòd cæteri, per quos etiam cum circuitione via facta fuerit, vocati fuerint, vt Gilghaditæ & Manassenses, quòd ipsi cæterarum omnium cis-Iordanensium tribuum Ammonitis proximi ac vicinissimi fuerint, & propter vicinitatem simultatem infensissimi. Hanc siue accusationem siue culpam vni Iephte impingunt, quam ex ambitione admissam, obijcere moliuntur, atq; adeò in inuidiam rapiunt, vt grauissimo exemplo vlciscendam non minitētur modò, sed apertè denuncient.* Igitur incendemus domum tuam. *Longè verò insolentior atq; immanior illorum fuisse videtur audaciæ plenissima oratio, summoq; iure vindicanda* BEITHE CHANISRAPH GHALECHA BAES. Domum tuam incendemus super te in igne [*certo*] *Nihil profectò pro temporis, personarum, atq; rerum gestarum dignitate, & impudentius, audacius, indignius, nihil criminosum magis excogitari ac dici potuit, nedum committendum suscipi facinus. In te, inquiunt, vnum nostram communem iram & causam vlciscemur, quem gloriæ cupiditate tibi vni arrogandæ, & familiæ domusq; hoc victoriæ nomine amplificandæ actum, laudis huius partem nobis inuidisse intelleximus. idq; non minore pœna quàm tui ipsius primùm, domus deinde tuæ incendio, non casu, sed consultò adparatis & admotis facibus excitato, castigandum constituimus.*

Quibus ille respondit: Disceptatio erat mihi & populo meo contra filios Ammon vehemens, vocauiq́ue vos vt præberetis mihi auxilium, & facere noluistis.

ORATIONIS *imprudentiam & insolentiam responso duriore excipi, & facinoris audaciam seuero exemplo reprimi & puniri oportere intellexit Iephte, quamobrem non ea facilitate & vrbanitate cum istis actum fuit, qua pridem Gedeon cum iis egit, qui ciuiliorem & boni studij, atq; adeò officiosam querelam mouerant. Est autem responsi scopus, istorum inuidiæ & ingrati animi, atq; etiam proditionis & infidelitatis in patriam publicamq; salutem, notatio & redargutio. Argumentatio verò ex comparatione & inductione constat, & causa in coniecturali versatur ordine. hoc modo:*

Vos

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vos voluntatem, & studium, atq; animum vobis fuisse mecum in hanc expeditionem proficiscendi venditare conamini, eámque operam à vobis aliàs dandam mihi neglectam obijcitis, cuius negligentiæ pœnas vnius mei nece & clade sumendas profitemini: itaq; apertam in me declaratis inimicitiam; quæ vna excepta, cætera quæcũque prætexuistis omnia vana & conficta esse conuincam. Atque illud demum statuam, vobis nullam vel Ammonitas lædendi, vel mei meosq; iuuandi voluntatem fuisse; mihi verò non defuisse cupiditatem, imò necessitatem auxilij à vobis vel subsidij petendi, atq; hoc non vna tantùm, sed compluribus fuisse occasionibus demonstratum; illud verò à vobis numquam declaratum, sed nec significatum quidẽ, imò verò & negatum sæpius petenti. vtrumque autem ita confirmabo. Non noua & recens hæc nostra atq; Ammonitarum causa fuit; sed antiqua iam & vetus inter nos tot annorum intercesserat simultas, in quibus contribules mei sæpius vexati, exspoliati, atq; direpti, vestram, tamquam vicinam, atq; ideo opportunam magis ac debitam, imploratam opem atq; fidem non modò non fuêre experti, verùm penitus desperauere. hæc illius responsionis partus sententia est, Disceptatio erat. RIB *in sacra lingua rixam simultatemq; significat longiore exercitam tempore, tam diuq; durantẽ, quoad vel iudicio, vel partium concordia, vel, si aliter fieri non possit, pugna demum sopiri & exstingui contingat. Huiusmodi inter Abrahami & Loti pastores de pastu exstitisse narratur. Att igitur Iephte:* Vir rixæ fui ego & populus meus, & filij Ammon valde. *Cùm, inquit, ego & populus meus (nam vt princeps iam atq; etiam contribulis publicam calamitatem suam ducit) diu atq; multum vexaremur ab Ammonitis, nosq; vteumque defenderemus, verum infelici semper periculo ac malo nostro, vestram voluntatem, vestramq; exspectanimus operam & opem, quæ in ipsis calamitatum initijs, atq; toto etiam tempore nostris æmulis timorem & abstinentiam, nobis autem salutem & securitatem afferre, minoriq; à vobis negotio & sumptu præstari poterat.* Vocauiq́ue vos vt præberetis mihi auxilium, & facere noluistis. *Ex propriis verbis ita:* Et clamaui ad vos, & non liberastis me de manu illorum. *Aptissima translatio, ab iis sumpta, qui priuata cuiuspiam iniuria oppressi & vexati, à vicinis & proximis opem petunt, facilè, si libeat, ferendam, vtpote à multis: ideoq; se & populum suum singularis personæ pronomine, illos autem pluraliter exprimit. amplificat autem indignitatem & inhumanitatem hæc personarum, temporum, atq; rerum comparatio, & opportunitatis notatio etiam. Non enim, inquit, vocaui vos cùm illis malũ afferre, vel damnum dare studerem, atq; priuatam ipse vltro rem facere cuperem; nam huiusmodi fortassis auxilium honestè negare possetis: verùm cùm ipse valde atq; diutius premerer, cùm diriperer, exspoliarer, & iniuria incommoduq; officerer, clamaui, nec tamen auxiliares, nec salutares expertus fui; nullo enim tempore nec loco vel mihi subsidio, vel Ammonitis impedimento fuistis. Ipsa autẽ huius rei affirmatio veritate facti nititur, quam,*

vt manifestam, Iephte longiore oratione non est persecutus. Fieri enim non potuit quin primis illis excursionum temporibus Galaaditæ vicinorũ quorumq; auxilium non exspectarent. atq; hos non sõlùm nõ protulisse, verùm neq; Ammonitis negotium vllum fecisse ex eo arguimus, quòd illorum excursiones ad Iudæam vsque regionem pertinuisse legebamus, quos & per horum agros transiisse necesse est. Siue igitur Ephraitæ initio noluerint, Galaaditarumq; calamitatem non publicam, sibiq; communem, sed priuatam duxerint, (quod Iephte oratio indicat ipsa: Vir rixæ fui ego, & populus meus) *siue demum Ammonitarum animis & opibus auctis Ephratæi obsistere non sunt ausi, vtcumq; interpretari velis, nulla tandem fuit Galaaditis ab Ephratæis non allata modò, sed nec sperata quidem salus. hoc est quod ait:* Et noluistis, *siue* Non seruastis me de manu illorum.

Quod cernens, posui animam meam in manibus meis, transiuiq́ue ad filios Ammon.

QVOD cernens. *Id refert quod antè narrauit; atq; iudicium ex eadem re deductum confirmat, sed id sua in lingua facit apertiùs:* Et vidi quòd non tu seruator. *Vidi, inquam, nullam mihi salutis aut libertatis esse spem posse in te. Nam quem ab initio longo tempore, minore cum periculo, maiore facultate, honesta causa, vna atq; altera calamitate, ac pluribus etiam appellatos vos vel mei negligentes, vel vobis indulgentes, vel priuatam meam rem existimantes, ideoq; despicientes & inutiles compluribus exemplis cognoueram, quales mihi fingere aut censere futuros poteram, vbi rei omnis meæ summa discrimine obeundo ageretur? Nullum aliud cõsilium opportunius visum est, quàm non exspectato humano auxilio, vno meo, populiq; mei periculo experiri, atq; Deum rixæ illius veteris arbitrum appellare, eundem mei ipsius mearumq; rerum deuotione placare.* Posui animam meam in manu mea. *Antiquus ac vetus, vsitatissimusq; in sacro sermone modus, siue, vt Grammatici vocant,* τρόπος *est, quo quisque in summo vitæ capitisq; discrimine esse versariq; significatur, nullo sperato humano subsidio, sed tantùm diuina ope quasi per miraculum exspectata. huius significationis & illud est: Anima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus. ipse, inquit, cum sociis gẽtilibusq; meis hanc longam simultatem, quam diu multumq; cum magno meo incommodo sustinueram, cum rerum ac periculorum summa finiendã suscepi, atq; deliberato consilio Ammonitas vltro sum aggressus, idq; feliciter, Deoq; probante, cuius vnius præsidio fultus, prouinciam hanc subij.*

Et tradidit illos Deus in manus meas.

ACCVSATIONEM *siue obiurgationem Ephraitarum non sõlùm improbam, sed etiam impiam & sacrilegam arguit, argumentis ex euentu extitq; rerum accumulatis. Ego, inquit, sõlus hanc rem suscepi, nec vocare vos*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad bellum debui, quos sciebam in minora pericula frustra à me fuisse vocatos. Vocaui verò solum Deum, cùm ipse solus, aut cum his tantùm quos habebam, nihil aliud mihi parare possem quàm periculum, vtpote qui tantum regnum, tantumq; populum tam diu mihi superiorem bello impeterem. Itaq; mea ex parte, summa discriminis fuit; ex parte verò Dei, summa erat auxilij, quod certum atque præsens ipsa victoria ostendit. Nam, tradidit illos Deus in manu mea: *quos à me aliàs vinci non potuisse manifestum est. ex qua re manifestè tua vel summa inuidia & malignitas, vel maxima conuincitur impietas.*

Quid commerui, vt aduersus me consurgatis in prælium?

Ex *verbo sic:* Et ad quid adscendistis ad me die hoc ad præliandum in me? *Est autem argumentum duplex. vtrumque verò ad facinoris indignitatem arguendam vrgentissimum, quod aliis etiã exaggeratur nominibus ac partibus. Duo, inquit, à me acta esse ipse sum confessus, & res etiam ostendit apertè. Alterum quidem fuit, manifestum & rerum mearum & capitis obire discrimen: quod si vos accusatis, non studium, & voluntatem vestram probatis, quam in leuioribus occasionibus longo tempore alienã declarastis; sed planè odium inuidiamq; proditis. Alterum verò, Deo vni fidere, eiq; hanc committere curam, cui ipse prorsus impar fueram. hoc si vos à me factũ damnatis, ipsius Dei iudicio atq; rei exitu condemnamini, quod verò vos eam gloriam Deo inuideatis, & vobis arrogatam volueritis, atq; inuidiam hanc in me, vt authore inuocationis illius, bello inferendo explere molimini. alterum inhumanũ, crudele, atq; publicæ saluti aduersum; alterum verò prophanũ, impium, planeq; sacrilegũ est; vtrumq; verò nefarium facinus, tanto grauiore dignum supplicio, quanto maiore à liberatione, consensu, studio atque adeò maiore conatu, & apparatu, & tumultu est admissum.* Adscendistis. *etiã cum labore itineris, & viarũ difficultate. ad meum vnicum & singularem virũ, de vobis ac republica omni bene merentem, nihilq; minùs timentem, quàm insidias & inuidiã, aut periculum, & malam gratiam: deinde multi ad vnũ, vt nulla vestra gloria, sed maxima infamia actum demum constaret, si res vobis ex sententia caderet.* Die hoc, cùm ego à labore quietẽ petere, cùm Israel omnis gaudere deberet, cùm vos præcipuè gratulatione atq; lætitia publica mihi, per regionem vestram reuertenti, occurrere oportuerat. *tanta verò celeritate, vt neq; exspectaueritis quoad hoc cõmunis lætitiæ perageretur tẽpus, sed* hodie. *& quid acturi* adscendistis *nimirum* ad præliandum in me *Egregiam verò laudem, egregio consilio atq; facto, egregiamq; ob causam. Demum hoc vnum ex omni ista actione compertũ exploratumq; apparet, vos neq; commune, neq; singulare bonum mihi vnquam consuluisse, aut prospexisse etiã egenti ac postulanti diuitias: contrà verò maximum malum importunissimo tempore, communi consilio & conatu fuisse molitos, nec voluntatem cuiquam vestrum, nec manum ad-*

uersus Ammonitas constitisse; aduersum me vnum vestram omnium inuidiam & malitiam apertè nunc esse declaratam.

Vocatis igitur cunctis viris de Galaad, pugnabat contra Ephraim, percusseruntque viri Galaad Ephraim.

DIVINI *iudicij fide cum primus animatus, & innocentiæ causæq; suæ bonitate fisus Iephte, atq; etiam temporis & periculi compulsus angustiis, gentiles suos tantùm, quorum illa præcipuè communis offensio erat, quam celerrimè coëgit, quorum opera, inimicorum insolentem impetũ dexterrimè perfregit, exercitumq; omnem cecidit ac fudit, reliquias verò non idem Iephte (cuius, vt viri fortis, ira post peractam primam pugnam resederat) sed Galaaditarum, qui offensam publicam ad extremum vlciscendam popularter censuerunt. Namq; hutusmodi populorum odia simultatesq; vbi semel radices egerint, perpetua acerbitate permiscẽtur. Duas huius cladis partes vno hemistichio coniunctas, ita diducimus:* Pugnabat cõtra Ephraim. *ad ipsum refertur prælium, in quo Ephraim cæsus, victus, & fusus fuit: ad euasorum verò internecionem illud alterum pertinet membrum,* Percusseruntque viri Galaad Ephraim. *Atque totius quidem belli summam, & Ephraiticæ insolentiæ exitus in breue coëgit author; sed posterioris membri rationem & partes longiore explicuit narratione.*

Quia dixerat: Fugitiuus est Galaad de Ephraim, & habitat in medio Ephraim & Manasse.

SACRARVM *historiarum enarratorem in illarum partitionibus, numeris, atq; temporibus dignoscendis diligentem exercitatumq; esse oportet, & sermonis etiam historici minimè ignarum; aliàs enim non rarò perplexum & impeditum fore prædicimus. Id quod non paucis exemplis & in hoc & in Iosue ostendimus commentariis, & in Elucidationibus etiam, quibus Euangelia & cætera Apostolorum scripta edidimus. Atq; in hoc loco interpretes cum Græcos & Latinos, tum verò explicatores etiam Hebraicos & Chaldæos variè conjectasse deprehendimus, quorum sensus quòd longũ esset referre, & nobis etiam minimè institutum, integros lectoribus relinquimus suis in ipsorum scriptis inspiciendos. Nostram verò explicationem adiecturi, locum totum dignum duximus, quem ex verbo, suis intermissis distinctionibus, Latino si non sermone, at sono tamen, vtcumq; redderemus:* Expercussserunt viri Gilghad Ephraim; quòd dixerunt: Euasi Ephraim vos: Gilghad in medio Ephraim & in medio Manasse. *Primam, vti dicebamus, pugnam, Iephte duce commissam & superatam, primo versus huius initio indicauimus; extremam verò Ephraitis cladem, non à Iephte, vel ab illius integro exercitu, sed à diuisis Galaaditarum turmis confectam, indicabamus. Cuius demum conficiendi opportunitas, ratio, & forma, atque euentus, Galaaditarumq; ad eam rem solertia, hic exponuntur. in hunc*

Universidad de Deusto
Biblioteca

modum confecto prælio, Gilghaditisq; victoriæ compotibus, Ephraitarum reliquiæ fusæ, dispersæq; errare coactæ, quia intra Gilghad consistere nõ poterant, nec vltrà etiam Ortum versus profugere ob metũ Menassensium, quibus Gilghad regio munita ab Ortu erat. Vnicum ad salutem perfugium patria propria erat, studiosè atq; anxiè repetenda; ea verò communes cũ Galaaditis habebat fines, nisi quantum Iordanis alueus intersecaret, quẽ à Gilghad in Ephraim transituris transmittere necesse erat. Porrò Iordanis ea parte, qua Galaad ab Occasu terminat, cõtinuis ferè vallatus montibus, certa tantummodo, eaq; rara, ideoq; Gilghaditis & vicinis omnibus notissima, vada præbet: cùm aliàs vel altior sit quàm vt pedibus aut equis transiri possit, vel præceps rapidusq; fluat. Quamobrem quod alteris ad fugã consilium restabat, idem alteris ad fugæ interceptionẽ, ad vltionem internecionémque Ephraitarum, captũ est, fluminis videlicet vada illis petenda, illis antè capienda & occupanda visa sunt. Fuit autem hoc Gilghaditis cõmodius expeditúq; facilius. Nam prælio ad Saphonam cõmisso, quicũque effugere potuerant, variè dispersi fuere: quos ita dissipatos Gilgaditæ non duxere insectandos, sed cõpositis turmis, & apud quamprimum petita vada latentibus exspectandos, atque agnitos quosq; trucidandos: agnitos inquã, hoc est, deprehensos, ex fugitiuis Ephraim esse. Hactenus consilij à Gilghaditis capti occasio, cõmoditas, & ratio explicata, expeditum lectionis sacræ contextum, vti arbitramur, præstabit. Percusserunt viri Gilghad Ephraim, *hoc nomine, quòd eusos siue fugitiuos esse arguerẽt ex illo bello, impiè, iniuriosè, atq; ignominiosè ab ipsis Ephraitis in illorum regionem, gentẽ ac ducem allato. opportunitas verò cladis huius ex locorum situ atq; habitu petita fuit. Namq;* Gilghad in medio Ephraim, & in medio Menasse, *ita vt nullus ad effugiendum locus Ephraitis relinqueretur, præter propriam regionem, quæ Gilghaditidi Occidentalis erat. Iam verò qua diligentia cũ portæ montium, tum fluminis vada occupata, tum verò Ephraitarum fugitiui intercepti deprehensiq; fuerint, dilucida oratione subiicitur.*

Occupaueruntque Galaaditæ vada Iordanis, per quæ Ephraim reuersurus erat. Cumque venisset ad ea de Ephraim numero fugiens, atque dixisset, Obsecro te vt me transire permittas: dicebant ei Galaaditæ, Numquid Ephratæus es?

IDEM *vocabulum Hebraicum* PELITEI EPHRAIM *in superiore versu ita redditum est,* Fugitiuus est Galaad de Ephraim: *in hoc vero ita,* De Ephraim numero fugiens. *vtrumque verò significatio eadem est, nempe notatio Ephraitarum qui ex pugna effugerant.* Obsecro te vt me transire permittas. *in propria lingua vnum dũtaxat verbum ab omnibus vsurpatum refertur,* EGHEBORAH, *quod hic suis partibus expressum, rationem explicandam tenendamq; totã non leuiter iuuat. verti potest Ea-* tinè Transibóne? *siue,* Transibo vsque? *Namque adiecta adspirato H. ad*

vel motum ad locum, vel interrogationem, vel vtrumq; etiam in hoc exemplo indicat quo in vocabulo nihil erat, cuius obseruatione Ephraitæ à Galaaditis deprehendi possent. Nam quæ voces in gutture, quæq; in labiis formantur, & faciliores natura sua sunt, & Oriẽtalibus omnibus, Syris, inquam, & Assyriis, Ismaelitis & Israelitis, ferè communes & consonæ. de quare, vt scitu cognituq; digna, nos in ea, quam tam inchoauimus, communi linguarum omnium arte, plenius, Deo fauente, agimus. Itaq; GHAIM, BETH, & RES, *literarum quæ vocatur potestas mollior & facilior cùm sit, in variarum linguarum gẽtibus & ore cõmunior esse obseruatur: ad quam etiam facilitatem & lentitatem* LAMED, *siue Græcorum λάμβδα, siue Latinorum* L, *referenda est. Galaaditæ igitur, qui plures vadum antè ceperant, Ephraitarum vnumquemq; qui ad fluuium deuenisset, se de transitus copia rogantẽ, ita examinasse dicuntur:* Numquid Ephratæus es? Quo dicente, Non sum. *Sua in lingua ita legimus,* VAIOMERLO, *id est,* Et dixit. LO, *est autem negationis vox vno constans elemento pronunciationis lenissimæ* L, *& vocali graui rotundoq; ore pronunciando* O. *itaque hactenus nihil à communi potestate & consuetudine diuersum in istorum vocibus notari poterat.*

Interrogabant eum: Dic ergo Sebolet; quod interpretatur spica. Qui respondebat, Ceboleth: eadem litera spicam exprimere non valens. Statimque apprehensum iugulabant in ipso Iordanis transitu: & ceciderunt in illo tempore de Ephraim quadraginta duo millia.

NEMINI *legentium non manifestum putamus, hac Gilghaditarum solertia non in significatione verbi, sed in pronunciatione tãtùm, atque expressione fuisse factum periculum. quam ob rem in Latina atque Græca interpretatione, nomina spica &* σάχυς σύνθημα, *nullum nobis, aut lectori cuipiam, facessere negotium debent: sed illud nobis iam sæpè obseruatum adnotandum est, magnam esse variandæ prolationis opportunitatem in iis vocum elementis, quæ humanæ linguæ officio, aëre ad inferiores dentes illiso, formantur: ex qua origine vnica, multarum literarum potestates deductæ sunt, vt* D.Θ.T.Z.S. *in Latina & Græca linguis, vt alias interim omittentes suũ in locum reseruemus. Harum autẽ tanta est affinitas, vt vel leuissimo oris vitio, vel negligentiori parum cura, prona omnino promptaq; deprehendatur permutatio; eaq; paulatim in vsum conuersa, linguæ siue potiùs dialecti, vt Græci vocant, diuersitatem efficiat: quod interea dum publicè & communiter non admittit vsus, vitio & Barbarismo verti solet, & apud germanæ pronunciationis compotes risum interdum mouere & cõtemptum pronunciantis, & nonnumquam (vt in hoc & in Petri Galilæi exemplo) creare periculum. At verò hoc potiùs, quàm alio vocabulo, Ephraitarũ pronunciationem examinandi Galaaditis opportunitatem à vicino fluuio ad-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

iunctam existimare licet. Nam nomen SIBOLETH, *in agriculturũ sermone spicam significat, idemq; per imaginem transfertur ad medium profluentis amnis alueum, quo aquæ impetus directius, frumenti in spicis ordines imitari videtur, & certam velut semitam, quam sequatur, tenere. quam ob rem eodem vocabulo angustior via, quam Latini semitam dicunt, appellatur. huius significationis exempla sunt apud Ieremiam: Impingentes in*
Ierem. 18. *vtis suis, in semitis sæculi. & apud Psalten: In mari via tua, & semitæ tuæ*
Psalm. 76. *in aquis multis. Illius verò illa: Et tempestas demersit me. &, Non me de-*
Psalm. 68. *mergat tempestas aquæ. & in Isaia: Et in illa die percutiet Dominus ab al-*
Ibidem. Isaiæ 17. *ueo fluminis vsque ad torrentem Ægypti. his omnibus in locis* SIBOLETH *legimus, quam vocem Latinus pro sententiæ commoditate variè nunc semita, nunc tempestas, nunc verò alueus interpretatus est. Atque hac ipsa voce Iordanis fluminis alueum apud Israelitas communi vsurpatione indicari, Isaiæ carmen apertè docet, Ab alueo fluminis vsque ad torrentem Ægypti; quod de Iordane flumine intelligit, extremo quondam Chananæorum ad ortum termino habito, ad extremum vsque meridionalem finem, hoc est, Ægypti Torrentem, siue Rhinocuram dictum. Hanc siue viam, siue semitam, siue spicam decurrentis aquæ, Hispanus sermo* Raodal, *siue* Raudal *vocat. Itaque obiecti ante oculos fluminis alueum siue fluentum proprio nomine* SIBOLETH *exprimere iussi Ephratæi, non per primum germanum elementum, sed per affine aliquo modo, verùm durius & pressius, pronunciabãt. germanæ prolationi initium à sibilo fit* SIBOLETH, *barbaræ verò & corruptæ à voce quã cicadæ edunt* ZZIBOLETH. *quod verò vna in vniuersum natio huiusmodi pronunciationes variet, quamquam sunt qui ad cæli aëremq; naturam referant; ipsa tamen rei ratio, & experientia etiam diligenter obseruata, ad gentis vitium, & corruptæ semel imitationis vsum referre nos docuit. Nam persæpè accidit, vt cuiusdam vel viri vel fœminæ mollior elementorum prolatio, quæ illi fortassis vel naturæ vitio, vel patrio vsu iam diu hæserit, ab aliis, ac pleriũque feminis, imitatione expressa, paulatim imitando vsurpetur, atque mollitudinis æmulatione in vulgus omnè permanet, ac demum priuatus siue morbus, siue error linguæ commune ac publicum vitium fiat. ita Græculorum quorũdam consuetudine & imitatione* C & G *Latinarum literarum æquabilem lenitatem & grauitatem, certis cum vocalibus* E & I *in stridulum sonum coactam, graues authores notarunt, & Satyricus Stoicus sui temporis ciuium culpæ adscribit.*

Pers. Sat. 1.

Hos pueris monitus patres infundere lippos
Cùm videas, quæris unde hæc sartago loquendi
Venerit in linguas? vnde istud dedecus, in quo
Trossulus exsultat tibi per subsellia læuis?

Gallicæ mulieres, præcipuè quæ aulæ delicias admirantur, recepta mollitudinis opinione, R *in* S *commutant, ac pro* Mon pere, ma mere, Mon pese & ma mese *pronunciant. Nobis pueris Bethicorum in Hispania, atq; Hispalensium*

lensium maximè eadem cum Carpetanis & cum superioribus Castellanis pronunciatio, similisq; omnino sonus erat, quorum intra vigesimum deinde annum tanta exstitit diuersitas, vt, nisi verborum fortasse quorũdam discrimen intersit, Hispalensem à Valetino planè non discernas, cum vtrisq; pro S, ZZ; *& contrà pro* ZZ, *siue pro Castellanorum* Ç, S *vsurpetur; ita vt, si à Bethico verbum* SIBOLETH *exigatur, nullum aliud quam Ephraitarum* Zziboleth. *siue* çiboleth *audiatur. verùm hoc non natura Bethici aëris, qui & purus & salubris est, sed gentis vel negligentia & incuria, vel vitio & matrum indulgentia natum, ex eo facilè arguitur, quod antiquæ & communis pronũciatio à grauiorum senum bona parte adhuc retinetur, & à nonnullis ex iuniorum numero meliùs monitis facilè atque aptè repetita instauratur. Atq; hoc Ephraitarum exemplo admonemur, quanti referat, ita linguam temperare & exercere, vt singularis in sua quisq; prouincia vel vitij, vel notationis proditricem metuat minimè: id verò fiet, cùm nihil mollius, nihil aspertius, nihil priuatæ similitudinis affectetur, sed ea tantùm vsurpentur, quæ quam plurimis eiusdem linguæ compotibus constant. Nullius enim qui impeditioribus membris non laboret, lingua adeò inepta est, quin vt vitium quorundam, sic & aliorum virtutem studio atq; diligentia sequi imitarig, non possit. Futmus varias apud gentes non pro peregrinis pronunciando habiti. Vidimus in Belgio præcipuè Belgas feminas & viros variarum linguarum sermonem felici imitatione exprimere. sed de his satis. Optarent autem Ephraitæ discrimen inter* SIN & ZZAMAHH *meliùs tenuisse, vt non affectatæ atque retentæ dissonantiæ postea tam multos magno malo pigeret, nimirum plus quàm quinq; mille, cùm in toto illo bello breui tempore ad quadraginta duo millia virorum perierint.*

Iudicauitque Iephte Galaadites Israel sex annis, & mortuus est, & sepultus in ciuitate sua Galaad.

HVNC *ad patriæ atque Israeliticarum regionum salutem & liberationem excitatum, rebus compositis & securitate parta, breui etiam vita perfungi Deus voluit, numquam tamen, dum vti licuit, otiosum aut segnem, sed vt magistratus initio rebus gerendis celebrem excepere, ita reliquum totius sexennij tempus in republica studiosè ac feliciter curanda & administranda, ad extremum vsque diem occupatum tenuit. Sic explicamus,* Iudicauitque Iephte Galaadites Israel sex annis. *Patriæ autẽ cognomentum ad nominis distinctionem adiungitur, & ad monumentum dignitatis & authoritatis à Galaaditis primùm decretæ, & deinde ex Ammonitica victoria confirmatæ, atque omnium Israelitarum consensu receptæ. Docemur autem ex sermonis formula, non nomen solùm, sed cognomen etiam in omnibus publicis edictis, decretis, ac mandatis fuisse vsurpatum.* Ac sepultus est in ciuitate sua Galaad. *Latinus interpres Græcam lectionem hoc in loco secutus est. fortassis vtrorumq; mens fuit ambiguitatem vitandi, quam*

exemplar

Universidad de Deusto
Biblioteca

exemplar ipsum præferre videtur: Et sepultus est in vrbibus Gilghad. *Gilghad prouinciæ siue regionis, complures vrbes continentis, nomen est, quod nulli singulari vrbi aliàs inditum legere meminimus. Atq; ita in vna ex vrbibus Gilghad illum sepultum fuisse intelligunt expositores ij, qui totum pro parte vsurpatũ censent. cuiusmodi complura exempla sermonis in sacra vsurpãtur lingua, vt illud: In duabus rebus gener meus eris hodie.* & *Sedens super pullum filium asinarum. Homiliarum prisci authores more suo commentantur, virũ illum elephantiasi percussum, per omnes Gilghad vrbes delatum, in singulis singula membra, quæ ex morbo decidebant, amisisse & humasse, idq; in deuotæ filiæ pœnam fuisse perpessum. verùm huiusmodi explicationes cùm simpliciter accipiuntur, legentium fidem excedunt; cùm verò ad allegoriam referuntur, mentes exiguo cum fructu magno exercent labore. Nobis autem lectionis huius facilis atq; ex vsu explicatio est, nempe virum illum Galaaditem genere atq; contribulibus suis decus & ornamentum habitum, in Mispa quidem vita defunctum, nec tamẽ sepultum; sed omnium Galaaditarum vrbium consensu, studio atq; opera, & communi ac publico sumptu, ex loco vbi mortuus fuerat, in suam ipsorum regionem delatum, & magnifico funere atq; insigni sepulchro honestatum, non intra vrbem aliquam, quippe non is mos Israelitis fuit ante tempora Regũ Iudæ, vt aliàs ostendemus: sed in loco pluribus vrbibus confini, quo tanti viri monumentum regionem totam celebriorem redderet.*

1. Reg. 18. Zachar. 9.

Post hunc iudicauit Israel Abesan de Bethlehem.

INTERIM *dum certus, & perpetuæ successionis iure cõstitutus Princeps Israelitis non contingeret, iudicẽ, siue consulem, atque vindicem, non ex vna tantùm tribu præfuisse legimus, sed ex alia atque alia vel manifesto Dei consilio datum, atq; notæ præsentis q. salutis exemplo amplificatum; aut populi suffragio, propter manifestam virtutis præstantiam, vel familiarũ rei amplitudinem & opum copiam, optatum. ex quo censu Absanus fuit* IBTSAN *exstitit, Iudæus vir, in exigua, sed clara, & propter frumenti copiam laudata vrbe Bethlehem natus, qui egregia felicitate Israelitis mirabilis, & virtute ac probitate commendatissimus fuit. Oportuit enim eum sortem, sapientem atq; beatum, & publico ac principe magistratu dignum duci, cui, singulari atque obseruanda prouidentia benignitateq; Dei, tam numerosa proles domi nata esset, eademq; honestis disciplinis instituta, & liberali prorsus atque ingenuo more educata, demumq; sapienter & apte constituta. Nempe,*

Qui habebat triginta filios, & totidem filias: quas emittens foras, maritis dedit: & eiusdem numeri filiis suis accepit vxores, introducens in domum suam.

NVMERVS *cùm primus par, & sibi in vtroque sexu constans, manifestam Dei prouidentiam benignitatemq; probat. Quippe sobolis procreatio*

non tam ad humanam operam, quàm ad diuinam opem & efficientiam referenda est. S. S. E. Cernens autem Rachel quòd in fœcunda esset, inuidit sorori suæ, & ait Iacob marito suo: Da mihi liberos, alioquin moriar. Cui iratus respondit Iacob; Numquid pro Deo ego sum, qui priuaui te fructu vẽtris tui? itaq; liberorum copia diuinum creditur beneficium, eoq; maius, quo numerosior illa contigerit. S. S. E. Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum. in Israelitica autem felicitatis ratione, si quisquam susceptum filium, vel puerum, vel iuuenem sepelisset, tamen tam diuini beneficij ac promissi compos ducebatur, cùm vel vnam animam Israelitico populo adiunxisset. Sed beatior is habitus, qui vel filiæ nuptias, vel filij videret coniugium. Hic verò triginta filias domi natas adeò prudenter, adeò honestè eduxit, vt omnes, nulla prorsus excepta, vtris locarit petentibus, iisdemq; dignis. Nihil enim accidit quam ob rem vllam domi retineret, vel repudiatam vel viduam ad se reuertentem exciperet, sed Emittens foras, maritis dedit, *cum idonea dote. Sacri sermonis verba,* TALAHHHAHHVTSAH. *illas non vulgariter, sed liberaliter locatas indicant, à variis variarumq; familiarum filiis expetitas, non intra vnam tantùm aut pauciores cognationes coactas, sed* Foras, *hoc est, in varia loca distributas; ex qua re affinitatum & opum copiam illi accreuisse magnam intelligimus. eandem verò non minùs etiam ex liberorum coniugiis auctam, subiunctæ expositionis pars indicat,* Introducens in domum suam. *Sua in lingua,* Et triginta filias adduxit filiis suis è foris. *ex variis domibus ac familiis ipse delectas vxores liberis propriis tradidit, singulas singulis; quod ad modestiam & tranquillitatem atque pacem domesticam non parum conferret: nulli, inquam binas, quamquam id moribus liceret, sed triginta filiis triginta vxores, quas præter affinitatis coniunctionem, & tot parentum contractam necessitudinem, ita liberaliter tractauit, vt non nurus tantùm, quod ex lege efficiebatur, sed filias & obsequio sui, ac filiorum amori & cultui comparauerit. Præterea in tanta familia atque domo nihil vmquam nisi pudicum, nisi ex optimo more & sanctissima disciplina visum, hæc eadem oratio demonstrat, dum neminem ex filiis sibi vxorem quæsisse, sed à patre optatam duxisse commemorat, atque omnes maxima in concordia & charitate vixisse significat. Hutusmodi itaq; tum virtutis, tum beatitatis exẽplo spectatus vir, Israelitis toto septennio præfuisse, iúsque dixisse narratur. Quem oportet iam seniorem id suscepisse munus, rebus omnibus domesticis compositus, vitamq; in illo gubernationis honore consummasse. Sunt ex antiquis authoribus qui hunc Absanum eundem fuisse dicant cum Boghazo illo Ruthæ marito, Dauidisq; progenitore, qui ex historiæ obseruatione primas in Israele tenuisse videtur: vtcumque sit, certè Absanus & Iephte humanarum rerum discrimina, variamq; sortem aperte commonstrant, hic vnica tantùm filia auctus, quam nec loeare potuit; ille verò sexaginta liberorum*

Genes 30.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum non solùm numero instructus, sed nuptiis & cõiugiis insignis & beatus, tamen vterque Deo charus, quæ vera felicitatis ac summa ratio est.

Post hunc iudicauit Israel Abdon, filius Hilel, Pharathonites.

HVNC *etiam spectata virtus, & insignis quoq; opum fama ex Ephraitarum tribu euocatum, publico suffragio rebus Israeliticis præfecere.*

Qui habuit quadraginta filios, & triginta ex eis nepotes, adscendentes supra septuaginta pullos asinarum : & iudicauit Israel octo annis.

AD *Absani iam demortui exemplum hic etiam vir ex numerosa sobolis copia dignus existimatus fuit, cui rerum gubernanda summa publicè traderetur, cùm præcipuè nihil esset quod nõ ad id munus suffragaretur. Nam liberorum frequẽtia, maximè verò eorum qui honestè educati fuerint, cum primis commendatur, nisi fortassis rei familiaris angustia prematur, quæ vel ad auaritiam patrem ipsum, vel ad viliores artes turbam domesticam impellat. verũ in hoc viro nihil tale verendũ fuit, cuius familiæ adeò abundans suppetebat res, vt non filiis modò singulis, verùm & nepotibus triginta, tam ad virilem ætatem prouectis, singula superarent iumenta, hoc est, muli regij (vt Iosephus antiquus auctor hoc vocabulũ explicat) quibus vehi solerẽt, nec ipse pedibus viam facere, nec terram agros ue colere, nec propria armenta aut pecora sequi pascereq; cogerentur, tantum abest vt sordidis artibus operam darent, imò patrem loca opportuna muneris causa obeuntem insigni & admirabili comitatu stiparent, nec cuiquã hominum graues aut sumptuosi, nec vrbibus damnosi essent; atque ita moderatis omnes moribus agerent, vt nihil in se admitterent quod iniusta & legitima atque innocẽtis patris gubernatione excipi posset. quo in officio atq; splendore cùm iam senex admodum, hoc est, tot nepotibus iam viris instructus, clauum reipublicæ septem tenuisset annis, amplissimo honore extremum clauserit diem, nomenq; & familiæ & honestum patriæ monumentum reliquerit.*

Mortuusque est, ac sepultus in Pharathon terræ Ephraim, in monte Amalech.

IN *germana lingua proprium viri, atq; patris etiam nomen & patrium repetitur:* Et mortuus est Ghabdon, filius Hilel ille Pirghathonites, & sepultus est in Pirghathon, *&c. Quam repetitionem ad commemorandum viri elogium, paternæq; familiæ decus, & patriæ ornamentum indectam, interpretamur, cum significatione laudum, ex ipsis nominibus ad posteritatis memoriam transfundendarum.* Ghabdon *enim ministrum magnum;* Hilel *commendatum laudatumq; Latinè dicere possumus : ita vt vel ipsa viri & patris nomina, Dei ac reipublicæ verum laudatumq; ministrum prædicarent. Atque epitaphij, siue inscriptionis monumento insculptæ formulam, postremus huius narrationis versus repræsentat.*

CAPVT

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

RVrsusque filij Israel fecerunt malum in conspectu Domini: qui tradidit eos in manus Philisthinorum quadraginta annis.

VT *res hominum sunt, quos internæ ac natiuæ mala nequitiæ, perpetuæ pacis fastidio afficiunt, similitudinis temporum tenet satietas. Iam trium etatibus, quamquam breuibus, eiusdem religionis & constantis reipublicæ, maximè verò sacrorum formæ pigebat ac tædebat. Igitur non priuatè modò, sed publicè etiam curatum est, vt quædam adderentur & mutarentur, nouaq; adsciscerentur, qualia vulgus & cupit, & libenter agit. non quidem quòd illis mala omnino crederentur, sed pro temporum, vt dici solet, ratione atque vsu probari ac defendi posse visa essent : verumenimuero diuino iudicio atque decreto damnata improbataq; prorsus erant. Namq; omnis mutandi facultas & legibus olim adempta fuerat, & mutationis audacia grauibus antè ac seueris vindicata exemplis. S.S.E. Quod præcipio tibi, hoc tantùm* Deut. 12.
facies Domino Deo. & tamen filij Israel, quibus à Dei voluntate & do »
ctrina nec tantillum quidem discedere fas fuerat, Fecerunt malum : *non in oculis suis, vti videre videbantur; verùm* In conspectu Domini. *Sua in lingua:* In oculis Domini. *apertè, publicè, & communiter, palàm vidente & improbãte Deo, cuius iudicio vicinorum Palæsthinorum inuidiæ, & insolentiæ, atq; sæuitiæ permissi sunt* quadraginta annis *exercendi & castigandi. Atque hæc explicandæ narrationis breuis periocha argumentiq; summa est, quam deinceps ordine author persequitur. Primùm autem illud in hac historia propositum est, ostendere magnam hanc quadraginta annorum calamitatem Israelitis iudicio Dei allatam, ob pietatis religionisq; violatæ scelus: eam verò ita temperatam, vt vtraq; pars, tam oppressa quàm oppressores, diuinæ prouidentiæ planè adscribendam agnoscerent, cuius nutu Israelitæ punirẽtur, & hostes non pro animi sententia permitterentur sæuire. Hæc autem ratio, ne planè quemquam cordatum hominem fugeret, ita à Deo instituta narratur.*

Erat autem quidam vir de Saraa, & de stirpe Dan, nomine Manuë, habens vxorem sterilem.

PROVIDENTIA *ratioq; diuina ex omni narrationis parte obseruanda commendatur, vt ex loci ac patriæ nomine* TSIRGHAH, *quod Latinè vespam interpretari, & ad futuræ in Palæstinos vexationis omen obseruarelicet. ita vt proditurum ex illa vrbe virum vespæ aculeum infestissimum coniectare possimus.* Vnus, *singularem significat, & singulari causa delectum præter cæteros eiusdem vrbis, cùm ob nomen* MANVAHH, *quod quietem siue intermissionem afferentem significat, atque in illo longo Israelitarum labore respirationem quandam exspectandam portendit. his duabus*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rebus tertia & quarta adiunctæ singulari consilio initam compositamq; rationem probant. tertia verò illa fuit, Ex tribu Dan. ex qua iudicem præsente nota obseruandum exstiturum aliquando, in oraculis & paternis prædictionibus erat. Dan iudicabit populum suum, sicut & alia tribus Israel.

Genes. 49. » Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat adscensor eius retrò. Salutare tuum exspectabo Domine. Huius vaticinij in illa vmbra Israeliticarum rerum præstandi tempus & opportunitatem apparari, & instare, omnis descriptio indicare iam videtur. Nam de sublimiore & ad publicam salutem pertinente ratione nunc ex professo non agimus, nisi quantum identidem non desistimus lectorem certiorem facere, omnia hæc in figura illis contigisse, ac nostri causa literarum monumentis ad posteritatis memoriam & vsum fuisse mandata, vt per consolationem scripturarum, vt Paulus docet, spem habeamus. Quarta autem huius parascenes pars est, Habens vxorem sterilem. Cuius postea partus cùm ad singularem Dei efficientiam sit necessariò referendus, magnam sui exspectationem apud affines, atq; adeò apud omnes quibus notus esset, concitaturus erat. In propria lingua pars hæc ita enunciatur: Et vxor eius sterilis, & non pepererat. quam orationis formam ad heterosin poëticam, vel oratoriam repetitionem Hebræi expositores referunt; nos autem ita connectam consertamq; accipimus, vt posteriore membro prioris indicium contineri intelligamus. Nam vt partus fœcunditatem à natura concessam probat, ita rursus exspectata diu soboles, nec definito contingens tempore, feminæ sterilitatem arguit. Tempus autem quod in antiqua lectione, atque adeò in scribarum disputationibus de repudio, omnium consensu, præscriptum adnotauimus, viginti annorum est à celebrato coniugio, ad quem vsq; finem vxor sterilitatis causa dimitti non poterat; poterat autem illorum moribus post exactum vigesimum annum; vel, si id viro non placeret, alteram ducere licebat, ex qua soboles propagaretur posteritas. Itaque interpretamur exspectandæ fœcunditatis tempus omne feminæ illi peractum, sterilitatis opinionem, imò censuram verius adscripsisse, nec tamen eam fuisse à viro expulsam, quod nec lex necessario id imperaret agendum, nec bonæ ac pias aliàs feminæ virtus & modestia digna esset, quæ mariti viri optimi gratia & consuetudine priuaretur. Notanter autem perfecto tempore, ac plus quàm perfecto potiùs verbum hoc pronunciatum est: Et non pepererat, siue, Et non peperit. Nam perfectum ad res absolutas & peractas illa lingua vsurpatur. Chaldæus paraphrastes desperatam sobolem intellexit, atque ita expressit: Et genitus non [erat] illi. alludq; ad antecedentem significationem, De stirpe Dan. oportet autem MANVAHHVM illum rectè, vt dicitur, stemmate ex Dan prognatum, interpretari, eíque iam post hac ex illa vxore non fuisse sperandam progeniem, quod non ipsi tantùm, sed vxori etiam erat molestissimum.

Cui

Cui apparuit Angelus Domini, & dixit ad eam: Sterilis es & absque liberis; sed concipies, & paries filium.

DIVINA virtus, ac singularis prouidentia tum maximè & apertissimè cognoscitur, cùm nulla ingenio iudicioq; hominum ad communem & obseruatum naturæ exemplum superest prouocatio. Atq; in huiusmodi argumentis præcipuè piorũ animorum exploratur fides, & fidei ipsius præstantia & vis cognoscitur, ita vt nec maxima miracula, nisi vbi fides magnitudo & firmitudo constiterit, Deus facere soleat, nec magna fides vmquã suo præmio, ac singulari Dei beneficio naturæq; modum superante, frustretur. de qua re multa, & copiosissimè D. Paulus cõpluribus agit in locis. Verùm Angelum nunciumq; Domini ex spirituum natura hunc fuisse credimus, humana verò specie illi sanctæ feminæ visum. Sterilis es. Naturæ vitium illi certũ certius etiam confirmat, ad promissi beneficij faciendam & confirmandam fidẽ. Et absque liberis. propria in lingua. Et non peperisti. Videres iam te ex desiderati tam diu partus defectu sterilitatis damnatã, atque rectè vereq; de hac re sentis. sed quod natura assequi non potuisti, nũc iam diuino promisso & munere obtinebis. Namq; ista naturæ sterili constitutione, & negata parendi facultate, diuini tamen promissi virtute & efficientia concipies, & paries filium marem, qui patris domũ familiamq; augebit. Hæc significatio est nominis BEN, pro quo sæpè filium Latinè dicimus. Atque prior hæc nunciationis & promissi pars ad rem ipsam definiendam, atque efficientiæ rationem indicandam refertur; cætera verò deinde oratio causam rei indicat, & quemadmodum Deus ad felicem euentum rem deducendam constituerit, præscribit & præcipit.

Caue ergo ne bibas vinum ac siceram, nec immundum quicquam comedas.

FILIVM non ex vulgato & consueto naturæ, sed ex singulari ac rarissimo diuinæ efficientiæ ac prouidentiæ exemplo edendum, in maiores præstantioresq; vsus comparatũ iri, res ipsa ratioq; indicabat, hoc est, singulare beneficium hominibus, authore Deo, constituendum. Eum igitur non vulgari etiam modo ac more enutriendum educandumq;, verùm ad magni muneris exspectationem, singulari cura & sedulitate, à vitiorum & voluptatũ materia & consuetudine alienum, ad temperantiæ, frugalitatis, & virilitatis, denique sanctitudinis disciplinam non modo à primis annis imbuendũ, sed ipsa etiam matris aluo informandum, commendat Angelus. Et quia multa in vino mala, pueritiæ atq; adolescentiæ perniciosa, subesse aliàs persæpe sacra docet philosophia, omni vini & siceræ potu, omniq; immundorum ciborum esu mulieri per Angelum interdicitur. Namq; cùm maximã ac præcipuam concepto, & in vtero crescenti fœtui materiam suppeditet maternus sanguis, & ille ex cibo ac potu genitus vel temperetur, vel vitietur, pro sumptarum rerum ratione ac natura; plerũq; efficitur vt matrum appetitiones,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& natiuas vel inhærentes animæ affectiones, nati iam infantes imitentur & sequantur, atq; deinde adulti, vsu consuetudineq; promoueant:

Iuu. Sat. 14.

——— Serpente ciconia pullos
Nutrit, & inuenta per deuia rura lacerta.
Illi eadem sumptis quærunt animalia pennis.
Vultur iumento, & canibus, crucibusque relictis,
Ad fœtus properat, partemque cadaueris affert.
Hic est ergo cibus magni quoque vulturis, & se
Pascentis, propria cùm iam facit arbore nidos.
Sed leporem aut capream famulæ Iquis, & generosæ
In saltu venantur aues: tunc præda cubili
Ponitur: inde autem, cùm se matura leuabit
Progenies, stimulante fame, festinat ad illam
Quam primùm rupto prædam gustauerit ouo.

Futurum itaque fortem ac strenuum virum, atq; à voluptatũ vsu & studio semotum, ad virtutis & fortitudinis præstantiam efficturn, ab ipso matris vtero vini osorem ac deliciarum contemptorem prodire curat Angelus, deinde verò ipsum diuinũ athletam continentia, laborum patientia, & omni ad virtutem & sanctitatem disciplina & exercitatione instrui iubet. Siceram. Quidquid immodico haustu temulentiã ebrietatemq; facere bibenti potest, SECHAR *in sacra lingua dicitur, vnde Latinis interpretibus siceræ nomen traductum. Vidimus complures à mellis, vel caseis, vel lacticiis esu abhorrentes, quorum matres, dum vterum gestarent, easdem escas omnino respuerant.*

Quia concipies, & paries filium, cuius non tanget caput nouacula; erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris vtero, & ipse incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum.

EXSTITVRI *ex diuino miraculo ac beneficio causam, & causæ antecedentia atque opportuna hoc versu explicat Angelus, filium mulieri concipiendum & edendum, ad Israeliticæ salutis initium faciendum comparari docens, ideoq; ab ipso vtero deuotũ & sacrum dicatumq; Deo, per omnemq; vitã à communi & vulgari consuetudine & vsu semotum postulari. Erat autem in legitimorũ votorum genere sanctitatis ratio ac disciplina quædam religioso nomine dicta* NAZIR, *quod separationẽ significat, cuius voti rei, toto damnationis siue professionis tempore, cùm voluptatibus cæteris, tum vino prorsus abstinebant, irrasoq; peragebant capite. de cuius voti forma & significatione, diuina præcepit lex, & nos, duce Deo, in Magno differemus opere. Perpetuum autem sibi Nazaræum huiusmodi, ab ipsa matris aluo & consecrari, & initiari, atq; conseruari Deus præcipit, vt vel ex eodem tempore, vt in publicum beneficiũ natum, populo exspectandum proponat. Atq; ad hoc deuotionis & sanctitudinis atq; vsurpationis genus Hieremiæ vatis & Iohannis Baptistæ natiuitas referenda est, & aliorum, quos singulares humano*

humano generi suorũ beneficiorum ministros, variis diuini Spiritus instructos donis, & auctos virtutibus, certis nationibus atque seculis altissima prouidentia creauit. Ipse incipiet liberare Israel. *Ipse, idẽ filius solus, his modis imbutus & instructus, ac diuina virtute singulariter auctus, non salutem ac libertatem absolutam; quòd nondum maturum tempus postulare aut impetrare videatur, sed respirationem, atq; futuræ demum liberationis argumentum & initium præstabit, & Israelitis obseruare ac resipiscere volentibus, fidem & spem conciliabit, diuinæ misericordiæ & virtutis, quam pœnitentiæ & pietatis cura & studio certam, & præsentem, efficacémque poscere, & opportunè experiri concedatur. Interea verò & populus hic non ita opprimetur, quin salutem sibi paratam sperare & quærere possit, nec ea Palæstinis hostibus permittetur licentia & impunitas, vt, metu sublato, omni Dei cura Israelitas relictos atq; desertos prorsus persuaderi possit, sed illud constet, eosdem sibi propter peccata ad correptionem traditos, quæ plus iusto prolata, ipsis correptionis ministris ac satellitibus iustissimas pœnas & grauissimas molitura sit. Igitur iubetur mater ita filium excipere, vt ab ipsa infantia alienissimum à Palæstinorum moribus, vsu, & consuetudine educaret, vtq; ipse sese non ad suum ipsius commodũ, sed ad Dei obsequium & ministerium intelligeret editum, vtq; comam nutriens, Deo dicatũ sese profiteretur, & perpetuum luctum indicaret publicæ Israeliticarum rerum calamitatis, quam vel vindicandam, vel minuendam meditaretur. Namq; capilli, barbæ, & vnguium prolixitas, & huiusmodi studiosa aliquorum habitũ negligentia, tale quid significare & admonere solet, vt multis exẽplis in sacro docebamus Apparatu. Hæc itaq; omnia futura mulieri prædicebantur, & sua pro parte curanda commendabantur.* Lib. Ierem.

Quæ cùm venisset ad maritum suum, dixit ei: Vir Dei venit ad me habens vultum Angelicum, terribilis nimis: quem cùm interrogassem quis esset, aut vnde venisset, & quo nomine vocaretur; noluit mihi dicere.

DIVINA *authoritate firmatum responsum mulier vti animo & cogitatione conceperat, ita viro suo narrare & commendare studet: primùm à ministri siue denunciatoris repræsentatione, quem, quia locutum audierat, & futura prædicentem, vatem esse crediderat; quia verò præstantissima & humanis exemplis venerabiliore specie conspexerat, homine maiorem existimabat, saltem diuina virtute interiùs plenum, & maiestate exteriùs venerabilem.* Vir Dei. *Chaldæus paraphrastes, Propheta Domini interpretatur. Namque ita seculis illis vates appellatos, diuinæ historiæ tradunt. vt:* Ecce vir Dei est in ciuitate hac, vir nobilis. omne quod loquitur, sine ambiguitate venit. Habens vultum Angeli. *Namq; huiusmodi speciem humanã vultus hominum affingere solebat Angelis, quos ita aliquando conspectos audierant.* Terribilis nimis. *Nõ qui terreret, hororemq; inferret; quippe decorem* 1 Reg. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

corem dignitatemq; præferebat maximam; sed qui obseruantiam cultumq; intuentium postularet propter insolitam vultus maiestatem, adeò vt sese præ reuerentia & verecundia nihil ausam fuisse vel interrogare vltro, vel alloquutum sponte quæ cuperet percontari. Quem cùm interrogassem. *Ex Græca versione oratio hæc inducta est. Nam nihil illa interrogasse superiùs narratur. Primæua lectio, cui Chaldaica etiam interpretatio conuenit, ita habet:* Et non interrogauit eum vnde ipse, & nomen suum non indicauit mihi. *Neq; ego propter muliebrem verecundiam, atq; etiam propter tantæ dignitatis reuerentiam quicquam rogaui, neq; ille quicquam, quod ad se cognoscendum faceret, explicuit; sed mihi tantùm ea, quæ ad me attinerent, enunciauit, quorum exemplum hoc est, videlicet:*

Sed hoc respondit: Ecce concipies, & paries filium. caue ne vinum bibas & siceram, nec aliquando vescaris immundo: erit enim puer Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex vtero matris suæ, vsque ad diem mortis suæ.

PRVDENS *femina omnem mariti interrogationem præuertit, & se curiositatis liberauit suspicione, & ea tantùm retulit quæ marito grata, atq; ex viri usque voto atq; vtilitate erant: ea verò, quæ hoc tempore nec opportunum, neq; commodum erat euulgari, silentio prætermisit. Cùm se propter verecundiam, & viri Dei reuerentiã, nihil interrogasse ait, vltro respondentis vaticinij fidem arrogat. Neq; enim ille, nisi Propheta esset, voti desideriique mei rationem cognouisset, & vltro prior indicatam exposuisset, mihi omnino silenti & admiranti tanta explicuisset serie, & religione præcepisset. ne verò excipi posset, illum fortasse quempiam ex vicinis aut finitimis esse, qui illam tam longo tempore & nuptam nosset, & sterilẽ intellexisset; formam viri priùs indicauit non vulgarem, nec nostris, imò nec cæteris hominibus similem, sed lõgè præstantem.* Vt species Angeli Dei. *quæ illũ nostris nobisq; notis hominibus maiorem probabat.* Vsque ad diem mortis suæ. *Hoc ab Angelo non expressum, cogitando, secumq; animo reputando ex eo intulit, quòd ab vtero Nazaræum futurum, & illa in sanctitate salutis initia populo suo facturum audierat, atq; ita sibi ab immundi esu cauendũ intellexerat & constituerat, ne mortis discrimen fœtui afferret, si quicquam vel impurum ederet, vel vetitum biberet. Cur verò nihil præterea adiunxerit de promissa Israelitis per filij operam salute, in causa esse credimus prudentem metum, ne vulgata semel ratio, vel tumultum apud Israelitas, vel cõsilium apud Palæstinos ederet in pueri perniciem, & domus suæ ruinam.*

Orauitque Manue ad Dominum, & ait: Obsecro Domine, vt vir Dei, quem misisti, veniat iterum, & doceat nos quid debeamus facere de puero, qui nasciturus est.

NVNCII *lætitia in spem erectus, & veri pernoscendi cupidus, beneficium, quod sibi & vxori commune fore intelligebat, sibi etiam aperiri; quid à se*

à se, ad eam rem fouendam, agendum curandumq; sit, præcipi postulat. Obsecro Domine. *In propria lingua:* In me Domine. *quam sermonis figuram Latini interpretes vnico verbo, Obsecrare, solent reddere, in quo postulantis personæ significatio latet. Græci ex verbo vertunt,* ἐν ἐμοὶ κύριε. *Ea, inquit, quæ in vxore exposuisti, in me etiam explicato, ac rationem præscribito, quemadmodum vtrique nostrum agendum sit, atq; in suscepto filio curandum, cùm infante, tum etiam adultiore.* Quid facere debeamus, *vltra communem curam quam parentes adhibere solent natis.* Qui nascitur est. *sua in lingua,* Illi nato? *illi, qui & miro modo natus, singulariter educandus videtur, vt qui Nazaræus ac sanctus nasciturus dicitur.*

Exaudiuitque Deus deprecantem Manue, & apparuit rursus Angelus Dei vxori eius sedenti in agro. Manue autem maritus eius non erat cum ea.

FIDELIS *viri votum, Dei prouidenti gratum, felici euentu comprobatum narratur. Namque oratio ipsa fidem obseruantiamq; indicabat, credentis læto nuncio ac promisso, & sese vltro ad suas curandas partes instruendum præbentis. Visus autem fuit iterũ vxori, vtpote ex priore exemplo, ad huiusmodi consuetudinem & ipsum eundem, quem antea audierat & viderat, facilè agnituræ, rem ab eodem sibi nunc denuo confirmatam, promptiùs atque diligentiùs excepturæ, atque eodem tempore solitariè considenti, & in illa quiete de promisso diuino, vt ipsa rei ratio existimandum docet, cogitanti.*

Quæ cùm vidisset Angelum, festinauit, & cucurrit ad virum suum: nunciauitque ei, dicens: Ecce apparuit mihi vir, quem antè videram.

OBSERVANDA *cum primis est diligentia curaq; Dei, qui ex propria misericordia & benignitate, Israelitarum quamquam moribus offensus, rebus tamen publicis ita prospiciebat, vt, quæ de salute instituerat publica, repetitis actionibus prædicenda adornandaq; curaret; deinde verò singulari cum mulieris tum viri fidei consuleret. adhæc etiam prudentis ac piæ feminæ officiosa sedulitas cognoscenda, quæ mariti desiderio & voto sua etiam opera respondere satageret.* Quem antè videram. *in propria lingua, Chaldaica, paraphrasi, & Græca versione, eadem dies fuisse indicatur, qua Angelum à muliere bis visus est:* Qui venit in die hac ad me.

Qui surrexit, & secutus est vxorem suam: venienſq; ad virum, dixit ei, Tu es qui locutus es mulieri? Et ille respondit, Ego sum.

DILIGENTIAM, *industriam, & prudentiam à viro adhibitam, commendat narratio, cuius votũ hæc non minuebant, sed confirmabant magis, atq; adornabant. Namq; is, vt locum obseruaret, rationemq; attentiùs caperet actionum eius, quibus eadem die vxorem adiisset suã, præire iussam*

Universidad de Deusto
Biblioteca

paulo citeriùs, consequutus, demum verò perueniens rogat, num idem ipse mulierem antea conuenerit, cupiens videlicet ex virisque declaratione & confessione cognitam rem, collatis rationibus, & veram, & obseruantia dignam pernoscere, & sibi proponere ac suscipere obseruandam. dum verò rogat, num ille sit qui antea venerat, rem omnem de prole obtinenda sibi iam narratam subindicat, & illius responso non repetit, sed affirmari postulat. responsi verò veritatem prudenti consilio, opportunóque examine, explorat hoc pacto.

Cui Manuë, Quando, inquit, sermo tuus fuerit expletus, quid vis vt faciat puer, aut à quo se obseruare debet?

VERITATIS *affirmatæ signum non aliud optauit, quàm certam rei rogatæ expositionẽ, incertæ & inexplicatæ interrogationi præstandam: quæ si cum vxoris narratione constaret, manifestum constituti & constantis consilij argumentum præberet. Namq. alias si alius quispiam mulierẽ antea fuisset allocutus, nihil ab hoc nunc responderetur, quod à rei simplicitate & ratione non discreparet. Rogatus enim alius, quid de puero nato faciendum esset, nisi ipse idem eiusdem compos rei fuisset, diuinare omnino, vel dissentanea respondere cogeretur, vel tacere.* Quando sermo tuus. *in exemplari lingua sic*: Nunc veniet verbum tuum. *Græca versio ita habet*, νῦν ἥξει τοῦτος τοῦ ῥήματος τοῦ. *Chaldaica autem*: Nunc firmentur verba tua. *Sententiæ verò illa simplex fuerit explicatio: Nunc mihi præsenti rei, quam effatus iam es, repetitionem expositionemq. factam cupio & postulo. puerum natum ea ratione qua nasciturum prædixisti, quid seruare oporteat, quid etiam facere decet. Alterum de pueri iam adulti disciplina & obseruatione, quod proprios mores atq. educationem spectat; alterum de officio, quod ad communis hominum societatis rationem pertinet. Hebraicè*: Quæ erit regula pueri, & factum illius? *Puer* NAGHAR *eo tempore vocatur, quod ab infantia ad iuuentã vsq. peragitur. Nam quod ad cunabula infantiamq. facit, parentum curam tantùm & operã exigere videtur: vlterius his temporibus iam doctrinam disciplinamq. postulat; quam à Deo profectam, & ipsis acceptam, diuinæ authoritatis religione & metu inculcandam puero parentes curaturi erant. Verum, inquit, constantémque sermonem tuum mihi probato præceptione eorum, quæ puero ferenda, quæq. fuerint facienda.*

Dixitque Angelus Domini ad Manuë: Ab omnibus, quæ locutus sum vxori tuæ, abstineat se.

DIXITQVE Angelus Domini. *Responsi ipsius constantia & cohærentia Angelum Domini, hoc est, nuncium certum probauit, eundemq. esse docuit qui antea mulierem fuerat allocutus. Non enim aliàs tanta tamq. inquax rerum ac sermonum construi connectiq. posset ratio, præcipuè cùm exposito hæc posterior viro ipsi Manuë fuerit repetita, muliere vel semota, vel prorsus silente, perinde ac si nulla interesset. ideo notanter scriptum,* Ad Manuë: *vt non ad vtrumque, sed ad virum tantummodo sermo factus intelligatur.* Vxori tuæ. *Hebraicè* Mulieri, *sic & Græcè & Chaldaicè etiã, quod etiam vxorem interpretari solemus, cum adiuncto tamen nomine, vel nominis vicem obtinente vocabulo. subindicat autem ea omnia quæ mulieri obseruanda, & per illam filio commendanda erant: quæ cùm eueſtigio repetit, se eundem esse euincit, qui mulierem antea de eadem re præmonuerat.*

Quidquid ex vinea nascitur, non comedat: vinum & siceram non bibat, nullo vescatur immundo; & quod ei præcepi, impleat atque custodiat.

DVO *sibi declarari postulauerat Manuahh, rationem videlicet educandi nati, & munus atq. partes, siue personam ab illo sustinendam. alterum Angelus repetens reddit, & vxori commodiùs prædictum fuisse indicat, vtpote cuius cura & opera puer ad continentiam & temperantiam comparandus assuefaciendusq. erat. id verò nunc roganti refertur, vt omnis de nuncij ac prædictionis veritate dubitatio auferatur. Alterum verò celatur prorsus, quod & à prudente femina fuerat silentio inuolutum: indicatur autem viro percontanti satis esse ea declarari, quæ ipsis ad filium in virtute & morum sanctitate instituendum cognosci expediebat; vsum autem ipsum, & officium futuri viri, curiosè exquirendum non esse, sed Dei consilio & authoritati permittendum. estq. huius responsi summa: Vestrarum partium fuerit, curare diligenter, quemadmodum natus vester ad Dei obsequium & cultum ex præscripto sanctè instituatur: Dei verò posthea erit, illo sibi dicato ac delecto ad publica vti commoda: nec futura, quæ non vltro indicauerit Deus, cognoscere tibi nunc fas est.*

Dixitque Manuë ad Angelum Domini: Obsecro te vt acquiescas precibus meis, & faciamus tibi hœdum de capris.

INSOLITO *cùm speciei, tum colloquij & nuncij exemplo, lætus & admiratus vir, quàm diutissimè posset, frui cupiebat; quamobrem Domini Angelum, quem vatem quendam rebatur, detinere studet, & voluntate atq. officio experitur: rogat igitur vt apud ipsos hæreat, munere aliquo honestoq. conuiuio illi gratulaturos. vtitur verò verbo* Faciemus, *quod ad vtramque officij pietatis partem aptè vsurpatur. significat enim & cibos epulasq. condire, & sacra operari, atq. hostiam cædere & incendere: quo verbo experiri parabat, quisnã is, num Deus, num homo esset.* Obsecro te vt acquiescas. *sua in lingua:* NAGHTSERAH NAOTHCHA, Detinebis obsecro te. *Nolumus, inquit, te à nobis discedere nullo munusculo dimissum, sed aliqua grati animi significatione affectam, quam tibi probari cupimus, non doni magnitudine, sed sedulitate curantium.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cui respondit Angelus: Si me cogis, non comedam panem tuum: si autem vis holocaustum facere, offer illud Domino. Et nesciebat Manuë quòd Angelus Domini esset.

SI me cogis. *Idem verbum retulit quod fuerat à Manuahh vsurpatum.* IMTHAGHATSERENI, Si me detinebis. *Cùm autem ille duplicis significationis vocabulo,* Faciemus, *vel illi ponendum hædum, vel sacrificandum significasset; vtrumque sensum sibi cognitum, & consilium dicentis exploratum, indicauit Angelus. Nam vel tu mihi conuiuium paras, vel sacrificium: si conuiuium, etiamsi moram fueris molitus, non comedam panem tuum. Panis autem nomen, cùm pro* LEHHEM *vsurpatur, omne cibi genus, quo humana vita nutriri aliq; potest, cõplectitur. Significauit autem hoc responso Angelus, se non iis cibis viuere, quibus homines vescuntur, nec fame vlla affici, quamquã longissimè detentum, atq; ideo humana sorte longè superiorem indicauit. quod si Manue cognosceret, tamen nec altero officio prosequi deberet, sacrificandi videlicet, cùm sacrificia iure ac legitimè instituta, nemini, præterquam vni Deo, debita referri oporteret. S. S. E.*

Exod. 11. *Qui immolat Diis, occidetur, præterquam Domino soli. Atq; ita sese homine præstantiorem, non tamen Deum esse, insinuabat, simulque probabat propositum & consilium sacrificandi Manuahh, quod tamen ritè & piè atque legitimè expediri monebat, vt quocumque nomine id curaretur officium, siue voti ob postulatum, siue gratulationis ob acceptum beneficium, siue expiationis & placationis, vni tamen Deo exhibendum esset; non vt illa ætate ac tempestate superstitiosè atq; impiè agebatur, corrupta & immutata omni veri cultus ratione & norma, sanctitateq; sacrorum variis inuentis ac vitiis contaminata. Atq; his quidem omnibus tum rationibus, tum verbis ac significationibus ad veri cognitionem incitatus & prouocatus, tamen* nesciebat Manue quòd Angelus Domini esset. *in germana lingua* CHILOIADAGH. Atqui non nouit. *nihilominus ille non aliter de illo intelligebat aut sentiebat, quàm de viro aliquo Propheta. Namque ita longè ab hominum mente abesse solet, ac differri diuinarũ cognitio rerum, vbi cum humanis opinionibus ac sententiis miscetur.*

Dixitque ad eum: Quod est tibi nomen? vt, si sermo tuus fuerit completus, honoremus te.

CVM *neq; conuiuium nec sacrificium admitteret Angelus, tamen non aliqua ratione officium illud gratulari indignum bono & pio animo arbitrabatur Manuahh; quamobrẽ nomen rogat: quo vocabulo non naturæ tantùm, sed dignitatis, authoritatis, & ordinis notationem contineri, iam alias pluries admonuimus. Differe igitur, quo in rerum loco & ordine, quo in munere sis, vt pro meriti erga nos tui, vbi sese opportunitas obtulerit, pro dignitatis ratione, agnoscentes profiteamur, siue id verbis, siue muneribus, seu obsequio & reuerentia præstari oporteat; nam deberi fatemur.* Cui

Cui ille respondit: Quid quæris nomẽ meum, quod est mirabile?

NOMEN *à Manuahh rogatum tametsi non declarauit Angelus, indicauit tamen eatenus, vt se homine maiorem significaret; eo tamen vsus est verbo, quod celatum, occultum, arcanumq; & mirandum Latinè interpretari licet. Continet autẽ duplicem sensum responsio hæc. Alter est: cùm tibi vxoriq; tuæ meum ab initio celatum fuerit nomen, nec antea quidẽ, nec nũc etiam editum; id consultò factum censere debes, nec est cur curiosè quæras. Nam si editum oporteret, eadẽ ratione, qua cætera tibi explicata sunt, etiam non roganti tibi aperiretur. Quod si me tibi ignotum, ex nomine formáque agnoscendum existimas, vt magnorum virorum nomina etiam longè remotis celebria esse solent, nec hoc quidem modo me cognoscere possis, ex nomine, quod non vulgare, nec cuilibet obuium, sed planè mirandum & sanctum, & à communi exemplo longissimè distans est. vtrouis modo responsum acceperit Manuahh, intellexit sibi non esse in ea inquisitione insistendum, sed id tantùm agẽdum quod fuerat imperatum, tum de prole suscipienda & educanda, tum etiam de gratulationis sacrificio in Dei cultum procurando.*

Tulitque Manuë hœdum de capris, & libamenta, & posuit super petram, offerens Domino qui facit mirabilia: ipse autem & vxor eius intuebantur.

QVAMQVAM *illo tempore, manente adhuc sacro tabernaculo apud Silo, nullo alio in loco sacris operam dare fas fuerat; nihil hic à Manuẽ peccatum est, Angeli consiliis & monitis ad horam obtemperanti. Exstitere enim, etiam illis ætatibus, tempora, in quibus edendi signi, aut aliàs magni momenti rei confirmandæ causa, altaria in priuatis locis poni, & semel sacrificio imbui expedierit. Cuiusmodi in Eliæ historia insigne obseruatur exemplum. Hoc autem in loco inuitatus Angelus ad hædi esum, non repudiauit, neque reprehendit prorsus officium; sed rationem indicauit quẽadmodum id rectè fieret, non vt sibi apponeretur, sed vt Domino dicatum saeraretur. id quod à Manuë diligenter curatum fuit, eodem inuocato nomine quod fuerat à nuncio illo nuncupatum. Atque tunc, siue arcana siue aperta oratione, visus est Angelus legationis mandatiq; sui signum præscribere. Namq; hactenus, præter sermonem & colloquia, & sibi cohærentes dictorum ad vxorem & virum sententias, nihil præterea intercesserat, quo facta fides firmaretur in re tanta, tam noua, ac tanti momenti & vsus. quare huiusmodi pronunciatæ per Angelum exceptionis sententia fuit. Mihi quidem nihil à te appositum volo: si verò facere velis, Deo facito; id enim probo. id est, gratulatio quidem à te iure debetur, verùm illa non mihi, sed Domino, quam curandam moneo. id quod Manuë narratur fecisse.* Domino qui facit mirabilia. *Hæc lectio superiori partì adiuncta, significat Manuam, de sterilis vxoris fœtura cogitantem, Deo mirabilium authori munus in vina petra, velut in ara vel in mensa, appositisse: sed in exẽplari lingua pro Lati-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

no relatiuo qui, *coniunctio est in oratione copulata, significatum atque rem distinguens, & hemistichij dispunctione alterum ab altero seiungens, in hunc modum*: Et accepit Manuahh [illum] hœdum caprarum, & [illud] munus. & imposuit super rupem Dominq: & mirificans ad faciendum: & Manuahh & vxor eius videntes. *Hactenus, vti dicebamus, Angelus ille, qui Manuë & vxori vir aliquis vel propheta esse censebatur, orationem tantùm suam probauerat, repetita sententia Manuë interrogationi satisfaciens; sed nullum præterea opus, nullum exterius ediderat ostenderátve signum, quo prædictionem firmaret suam, & tamen nomen rogatus, mirabile esse dixerat; mirabile quidem, non elementis & pronunciandi modo, sed virtute & efficacitate (quam vocabuli Hebraici* SEM *sæpè admonuimus esse significationem.) Nomen autem illius linguæ, pro quo arcanum siue mirabile Romanè reddidimus, est* PALE, *à verbo* PALA *deductum, quod occultare, arcanum esse, & admirari interpretabimur. Hanc verò vocem superiùs ab Angelo pronunciatam, nunc reapse declaratam narrat lectio,* VMAPHLE; *quod vertere possumus,* Et facit miraculum. *ille quod sibi mirabile nomen esse indicauerat, manifesto miraculo ante illorum oculos edito probauit.* Intuebantur. *præsentibus ipsis & spectantibus, & finem exitumq; rei sibi imperatæ obseruantibus; obseruantibus, inquam, edicrétne, an tolleret, an quid aliud ageret.*

Cumque adscendisset flamma altaris in cælum, Angelus Domini pariter in flamma adscendit. Quod cùm vidisset Manuë & vxor eius, prociderunt in terram: & vltrà non apparuit eis Angelus Domini. statimque intellexit Manuë Angelum Dñi esse.

MIRACVLI *series ita habuit. Ignis flamma, primùm in rupe sponte accensa, appositum corripuit munus, vbi ei flammæ accrescẽti & adscendenti sese Angelus insinuauit, & simul conscendere cœpit: deinde in altum sublatus, humanam, qua visus fuerat, formam exuit, atq; ita illis cõspicabilis desiit. id cùm ita factum vidissent illi, intellexerunt planè, non hominem, sed Angelum Domini sibi fuisse visum & conuentum.* Cumque adscendisset flamma. *Subiuncti ua oratio indicatiuã arguit præteriti temporis. quam primæua lingua suo idiotismo explicat,* VAIHI BEGHALOTH, Et fuit in adscendere flammã. *Fuit vt flamma vltro adscenderet; qua adscendente ex altari in cælum, &c. Singulæ partes adnotandæ sunt. tempus, modus, locus vnde & ad quem ignis repẽtina flamma ex lapide, natura sua frigido ac duro, accensa, ac in merem sacrificiorum impositum absumens mirnue, petra imaginem altaris iam repræsentante, rectaq; cælum versus tendens, Angelum sibi adiunctum ita tollens, & deinde humanæ formæ spectaculum adimens, & fidem & metum religionemq; hominibus auxerit, & ad confessionem etiam pauentes adegere.* Et vltrà eis non apparuit. *Hebraicè,* Et nõ addidit vltrà Angelus Domini videri illis. *Quod Latinus*

nus interpres in Euangelij historia scripsit verbum, Euanuit ex oculis eorum, *in hunc quadrat locum. sublatus cum flamma cælum versus, illis sesé conspiciendum præbere desiit, ac tunc demum Manuë non hominem, sed spiritum esse intellexit.*

Et dixit ad vxorem suam: Morte moriemur, quia vidimus Deum.

NATVRAM *omnem homine præstantiorem, vt Angelos atque supremum ipsum Angelorum ac mundi rectorem, nomine* ELOHIM *vocari sæpiùs obseruauimus. hanc à se visam confitetur admiraturq; Manuahh, & vitæ suæ ex eo metuit, quòd huiusmodi spectra nec vulgata, nec frequentia, humani sensus facultatem vincere credebat antiquitas; atq; ideo eos, qui talia viderent, vel morti proximos esse, vel in letalem morbum casuros existimabat, cùm ad hoc etiam genus pertinere arbitrarentur illud Dei dictum,* Non poteris videre faciem meam: *non enim videbit me homo & viuet.* Exod. 33. *Nam quamquam Domini Angelum esse cognouerat, eo nomine quo* ELOHIM *vocabat, sibi letiferam visionem futuram argumentabatur.* Morte moriemur. *certè moriemur, ne de cætero cum hominibus versemur, postquam tanta specie oculos ac sensum pauimus.*

Cui respondit mulier: Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocausta & libamenta non suscepisset, nec ostendisset nobis hæc omnia, neque ea, quæ sunt ventura, dixisset.

DVPLICI *conspectu & alloquio Angeli, mulier, cùm nihil sibi pauoris, nihil horroris incussum sensisset, imò animum fide firmasset, sapiente argumentatione marito metum adimere studet, & potiùs faustam felicemq; visionem ipsis foretaticinatur: idq; tribus argumentis, ab ipsa visionis & allocutionis obseruata ratione ac serte petitis, agit. Nam mortem quam maritus metuebat ex visione proximam, vel ipsorum peccata & scelera mereri dici possent, vel audacia videndi curioseq; adeundi & rogandi atque compellandi* ELOHIM. *neutrum tamen vt vererentur, triplex efficiebat ratio: prima quidem, quòd eorum, quibus pœnæ sententia decreta iam fuerit, sacrificiis non reuocetur, maximè impietate adhuc perseuerante: quando* Prou. 15. *impiorum victimæ abominatio sunt apud Deum. Cùm verò munus ab ipsis positũ non modò nõ repulsum, sed vltro acceptum ratumq; fuerit, ita vt libare planè visum fuerit; id ipsorum incommodo euenisse, minimè oportuit interpretari.* De manibus nostris holocausta & libamenta non accepisset. Itaq; vtraque muneris pars cælesti igne absumpta, bonam certamq; diuinæ voluntatis fecit spem. Alterum vero argumentum fuerat, tot ac tam mirabilium rerum spectaculum, cuius testes & narratores illi constituti fuerant. Nam si supernorum spirituum visio sola mortem allatura erat; quorsum pertinebat iteratio? quorsum commendatio & institutio muneris Deo sacrandi? quorsum etiam ignis cælo delapsi vel è rupe erumpentis subita illa vis, atque adeò Angeli in cælum euolantis conspectio? Nam prior ipsa

visio

Universidad de Deusto
Biblioteca

visio si letifera fuit, animum turbare atque membra omnia corporis tremefacere ac debilitare debuit. huiusmodi cùm nihil prorsus passi fuerint, sed sani, integri, videre & audire loquentem & interrogare & rogantes doceri potuerint, & simul illa miranda circa munus facta intuiti fuerint, salutaria & sospitalia omnia sibi existimanda potiùs esse quàm letalia. Namque sol cùm integro sensu conspici non possit, attendentiũ oculos quàm primùm præstringit: idem verò si conspectus sese planè videri atq; considerari sinat, perficere potiùs sensum, quàm corrumpere censendus esset. Nec ostendisset nobis hæc omnia. *nobis duobus tamquàm testibus spectanda exhibuisset. Namque in ore duorum vel trium stabit omne verbum. Tertium autem argumentum longè est efficacissimum: continet enim summam tum prædictorum, tum etiam præceptorum, quæ ab Angelo fuerant enunciata de conceptu, de partu, de educatione nasciturí ipsis ex diuina voluntate filij (ut interim, quæ per illum gerenda fuerint, taciturnitate celentur.) Namq; omnia hæc manifestè pugnant cũ proximè instantis mortis metu. Eadem verò non vana fore, aut fallere posse, præcipuè credentes & obtemperantes ipsos, diuinorum dictorum & conuentorum veritas constantiaq; euincit. Vera igitur cùm credere atq; suscipere oporteat, consequens est, nobis non pauciores vitæ annos diuino beneficio suppetendos iis, qui ad prædictam rem explicandam satis atque superesse possint.* Neque ea, quæ sunt ventura, dixisset. *Ea verò vt præsentur, tempus postulant idoneũ. In primæua lingua breuibus, sed appositis verbis hæc indicatur sententia:* V CHA GHETH LO HISMIGHANV CHAZOTH, & iuxta GHETH nõ audire fecisset nos huiusmodi. GHETH *idoneũ, maturũ, & opportunũ cuiq; rei tempus in illo sermone significat; estq; Philosophis & agrorũ cultoribus familiare nomen,*

Virg. Geor. 1 *vt Latinis Poëtis tempus, ac dies:* Messisque diem, tempusque serendi, *ait ille. Atque ita in fructuum atque plantationum ratione ac tractatione*

Psal. 1. Eccles. 3. *sæpè vsurpatur. vt, Quod fructum suum dabit in tẽpore suo. & illud: Tempus plantandi, & tempus metendi, &c. Tempestiuus* as Latinè dici posset, *ex imitatione Poëtæ:* Et tempestiuam siluis euerte pinum. *Græci medici atque philosophi καιρὸν dicunt, atque ita Græci hunc locum interpretantur:* ἡ καθὼς ὁ καιρὸς ἡμῖν ὄυκ ἂν ἀκουσὰ ἐποίησεν ἡμῖν ταῦτα. *id est,* Et iuxta tempestiuitatem non audita fecisset nobis ipsa hæc. *Namq; & cõceptus & partus & lactationis atque educationis certa secundùm naturã exspectanda erant tempora; quæ cùm non denunciata modò, sed mandata & imperata illis fuissent, vtrique vitæ idoneæ & opportunæ ad eãdem præstãdã fides atque spes fiebat. nãque aliàs quæ prædicta erant, quónam pacto euenirent? Huiusmodi itaque oratione prudens femina timore turbatum virum ad sidei reuocauit constantiam, quam rei euentus est secutus.*

Peperit itaque filium, & vocauit nomen eius Samson: creuitque puer, & benedixit ei Dominus.

NOMINIS *impositionem matri adscribit historia. illa enim ab Angelo de nati*

de nati munere atque officio edocta, nomen opportunum inuenit, quo conceptæ exspectationi responderet. SAMAS *ministrare in illa lingua significat: vnde sol* SEMES *dictus, qui in visibilium ordinibus rerũ præcipuus naturæ minister ducitur. Est etiam aliud huic affine vocabulum* SAS, *siue* SASAS, *quod in Latinum lætari plerumq; interpretes vertunt; ex quo verbale nomen* SASON *lætitiam significat, præsertim publicam. Ex vtroque fonte commixtum est nomen* SIMSON *(namque ita suis illic pronunciatur vocalibus) quod ad ministrationem atq; ad lætitiam etiam referendum est. illius enim mirandus ortus lætitiam parentibus atque propinquis allaturus erat: educatio verò ac cætera vitæ ratio cùm publico populi, tum Dei ministerio sacranda erat à puero: pueri autem felicem indolem ingentemq; adultæ ætatis exspectationem illa postrema oratio indicat:* Et benedixit ei Dominus. *Prospera enim ac fausta omnia,* Benedicere, *verbum sacrum significat. Est etiam alia nominis* SIMSON *significatio, quam præcipuè intendisse mater censeri potest, noluisse tamẽ explicare, sed inter alias etiam rationes arcanam atq; diuinandam relinquere.* SAMAN *eruere, diruere, popularíq; nostra lingua dicere possumus;* SEMES *verò solis nomen est, vti diximus: atq; ex vtraq; voce constatum vocabulum* SIMSON, *populabundum solem interpretari licebit, siue solem vastantem dicere malimus.*

Cœpitque Spiritus Domini cum eo esse in castris Dan inter Saraa & Esthaol.

HISTORIAM *hanc (vt & cætera sacra scripta) non fuisse ab initio in capita diuisam, & Hebraicorum fontium species ostendit, & varia etiam Latina exemplaria indicant; quam ob rem non semper capitum principia narrationis exordium inchoant, nec fines etiam argumentum perpetuò absoluunt. Atque vnum ex compluribus exemplis hunc proferre licet versum: quem si subiuncto mox capiti præfixerimus, lectionis contextum sequacioremexperiemur. Continet autem versus hic summam periocham primi experimenti virium ac fortitudinis viri huius, quod certo atq; notato in loco factum est, videlicet* in castris Dan, *quo loco in bellum proditura tribus Danitis bellatores suos cogere atque conscribere consueuit.* Inter Saraa & Esthaol *vrbes, quarum posterior hæc alio nomine* Kiriath-Iegharim *dicta est. Quod vero legimus,* Cœpit eum eo esse, *initium tum tẽporis tum actionum significat. Namq; aliàs iam inde ab aluo matris, atque ab infantia vsque ipsa, diuini Spiritus virtutem & efficacitatem superior proximus versus arrogabat. Prima igitur maximæ ac diuinæ virtutis viro concessæ documenta illo in loco edita constitere, quibus deinde varia alia per occasionem exempla addita sunt. In exemplari lingua hæc propositio satis aperta est. ita ex verbo:* Et cœpit Spiritus Domini impellere eum. *Cùm esset, inquit, in eo loco vbi Dan castra metari consueuerat, felicium temporum fortasse memor, & præsentiũ pertæsus, animo diuinitus excitato, de Israelitarum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

liticarum rerum correctione & restitutione, degq; hostium damno & labefactatione cogitare cœpit. PAGHAM *motum, gressum, passum, vicem, atque ancipitem cogitationem significat. Ex qua voce* PAGHAMON *deducitur, quod apud nos cymbalum, siue campanum æs dicitur; quo in diuersa agitato, sonus redditur: itaque primam spiritus illum agentis ostensionem hoc loco editam interpretamur.*

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

DEscendit ergo Samson in Thamnatha: videnſque ibi mulierem de filiabus Philisthiim, adscendit, & nunciauit patri suo & matri suæ, dicens: Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philisthinorum, quam quæso vt mihi accipiatis vxorem.

DIVINAM *prouidentiam hominum studiis, affectionibus, & cõsiliis ad propositi sui expeditionem aliquãdo vti, hoc, & permultis aliis docemur exemplis. Atq; hanc vnam esse ex admirandis arcanisq; viis, quibus humanæ res, quamquam in speciem turbatæ atq; incertæ videantur, tamen cursu ad institutum Deo consilium tenuisse directos demum cognoscantur. Tantus hic, de quo nunc agimus, vir Samson animi sui affectibus tantum indulgere permissus est, quantum ad causas opportunitatesq; Palæstinorum castigandorum inueniendas facere posset. Ac primùm amore correptus dicitur, quæ perturbatio cùm blandè animos oppugnat & vehementer domat & possidet, quàm diutissimè ac pertinacissimè, & perpetua cupiditate exercet, quoad optatæ amatæq; rei compotes esse contingat. Nihil fortasis sibi non licere existimabat Samson, præter ea quæ ex materno ac paterno monitu ab Angelo sibi prohibita intellexerat: quam ob rem conspectæ apud Thamnatha oppidum puellæ tum forma ac vultu, tum etiam decore captus, nuptias quamprimum auidissimè cœpit appetere. Est autẽ duplex exterior species, quibus præcipuè incautæ hominum mentes illectæ, in amoris sese dedunt laqueos. Altera forma dicitur non solùm faciei, sed totius corporis ac membrorum concinnitas, siue vera ac natiua, siue arte atq; industria comparata. Altera verò in gestu atq; habitu & motu spectatur, quæ magis à disciplina, exemplo, studio, atq; meditatione, quàm à natura paritur; quamquam & suæ in hoc genere partes naturæ etiam concedantur. ad hoc autẽ genus virborum ac sermonum, cum primis elegantia canendi ac saltandi, deambulandiq; facultas & dexteritas, risus & lachrymæ etiam atq; intuitus, & omnes ij, quos irarum & rixæ motus referunt, quæ omnia atq; illis adiuncta venustatis ac decoris nominibus Latinus sermo indicat, & Poëtæ tam Latini quàm Græci diligenter ac minutim persecuti celebrant, & ad salis symbolum referunt. Vestium verò atque cultus ratio hanc spectat partem. & cùm variarum nationum varij quoq; in omni vitæ parte spectentur mores, seminarum tamen in hoc formæ atque decoris studio maxima luxum vsque apud Gentes varietas est, quæ nulla comprehendi summa possit. vnde verò, aut qui fiat, vt incautiores ac minùs sibi prospicientes animi peregrinis tum formis, tum actionibus ac moribus magis quàm domesticis & patriis admirati delectentur, & in amorem pelliciantur, longum esset nunc disputando explicare. certè verò assiduis omnium ætatum ac sæculi nostri exemplis compertum exploratumq; est. quam ob rem & patriæ ac familiares feminæ, vt vulgatæ apud suos consuetudinis fastidia vincant, alienos cultus, habitus, atque etiam mores vel singulariter imitantur, vel cum patriis miscent.*

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo: & fingitur artibus
Iam nunc, & incestos amores
De tenero meditatur vngui. *Et quod ille notabat:*
Ite quibus grata est picta lupa barbara mitra.

Horat. lib. 3. Carm. Od. 6

Iuuenal. Sat. 3.

Vtraque eius quæ vulgo pulchritudo dicitur, pars in narratione significatur. Nam quod legimus, Et videns ibi mulierem, *ad formam; quod verò adiungitur,* De filiabus Philisthiim, *ad vultum, gestum, atque habitum referimus, & ad mores motusq; etiam, quos omnes Italicè eleganti vocabulo Gliatti appellantur. Namq; filij & filiæ nomina apud Hebræos,* BEN BANIM, BAT & BENOTH, *non sanguinem & successionem tantùm, sed educationem, necessitudinem, & consuetudinem quoque cõplectuntur, qua significatione filios Prophetarum legimus, & filios Dei, cuiusmodi consuetudinis odio Abrahamus filio suo Isaaco ex gentilitia potiùs suorum familia vxorem prospiciens optabat. Nam accipies, inquit, filio meo vxorem de filiabus Chananæorum, in quorum terra habito. idem etiam Iacobo filio ad se vocato præcipiebat Isaac: Noli accipere tibi coniugem de genere Chanaan. cuius consilij etiam Rebeccam matrem fuisse prælegimus: Tædet me vitæ meæ propter filias Heth. si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ, nolo viuere. illud autem perpetuo nobis ad probandorum exemplorum obseruandum est, optimos quosque laudatæq; indolis liberos, cuiusmodi Isaac Iacobusq; fuerunt, nuptias nullas præter parentum suorum sententiam & mentem expetisse, contrà verò qui secus fecerint, grauem parentibus attulisse offensionem, vt Esau, qui quadragenarius duxit vxores duas, Iudith filiam Beeri Hethæi, & Basamath filiã Elon eiusdem loci, quæ ambæ (sub initio hist oria) offenderunt animum Isaac & Rebeccæ. Proborum verò filiorum rationem inire cœpit Samson, sed ob amoris impotentiam non est ad amussim persequutus. Nam principio parentibus vtriusque animum aperuit, atque iisdem authoribus Palæstinæ feminæ nuptias comparari sibi cupiuit: verùm cùm matrem dissuadentem ægrè ferret, clàm per patrem solum voti compos fieri studuit, demumq; euasit.*

Genes. 24.

Gen. 27. 28.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cui dixerunt pater & mater ſua: Numquid non eſt mulier in filiabus fratrum tuorum,& in omni populo tuo,quia vis accipere vxorem de Philiſthiim, qui incircumciſi ſunt?

CONSVLTOS *& rogatos ſimul patrem & matrem diſſuadere cœpiſſe legimus,idq; honeſtis argumentis egiſſe,tum ex æquo,facili,tum etiam ex pietatis ac religionis ratione petitis,ex quibus abſurdum indecensq; conſilium ſily redarguebatur. Primùm quòd iniuria contemptioq; exiſtimaretur propriæ ipſorum genti facta, ſi nulla in omni populo, atque in familiis neceſſariorum (quas natura ipſa,præcipuè lex conſuetudoq; commendabat) reperiretur virgo quam ille coniugio ſuo dignam duceret,quacumq; ex parte eligenda optandaq; cenſeretur, ſiue ex forma, ſiue ex educatione ac decore.* Non eſt mulier *cuius forma tibi* in filiabus fratrum tuorum, *cuius venuſtas & elegantia probetur. ita neque illæ pulchræ, nec ad gratiam eductæ exiſtimantur. quòd ſi cætera minùs placerent, illud tamen primo in loco ſi-*
gendum eſſe, optandam eſſe vxorem,vitæq; ſociam, quæ virum diligat,& obſeruet,atq; vnà iugum æqualiter ferre poſſit, cuiuſmodi nulla vel aptior, vel notior eſſe poterit,quàm quæ in eodem populo, ex eodem ſanguine nata, in communi atque certa & conſtituta diſciplina fuerit enutrita: qua in re quamquam non omnes pares euaſerint,non tamen fieri poſſit, vt in magno populo nulla non præſtet, expetituq; ſit digniſſima. In filiabus fratrũ tuorum,& in omni populo tuo. *Hebraicè:* In omni populo meo. *Vt iniuriam repudiationis publicæ ad ſe etiam pertinere parentes conquerantur.* Quia vis accipere. *Sua in lingua,* Quia tu is acceptum vxorem, *quod verbum ad facilitatem ac difficultatem vſurpatum eſt. Namque nullo negotio, nullo ſuſcepto itinere, intra propriũ oppidum, vel intra proprium genius quæri,comparari,obtineri,atq; conficipoterat. eam ex alieno loco maiore nuptiarum deductionis & conuiuiorum apparatu & ſumptu, minore cum futuræ conſuetudinis notitia petere, ſtultum pariter atque damnoſum cenſendum fuerit. Iam verò illa maximè diſſonant,maximeq; ſuſpecta apparent,atq; adeò maximè ſunt vitãda,quæ, quòd omnino imparia pugnantiaq; ſint,concordiæ ſpem adimunt,contrà verò perpetuæ diſcordiæ opinionem atque metum afferũt. ea ſunt apertæ inimicitiæ ſemina & fundamenta,quæ cùm in diſcrimine ſtatus publicarum rerum,tum verò in religionis differentia & contentione reperiuntur. Nam cùm gentes duæ non æquo vnum iure, ſed altera victricem dominamq; agit,altera verò victa & oppreſſa ſeruit; coniugiorum fides ita iniquis conditionibus laborat, vt potentior pars plerumque in inferiorem ſuperba ſit,tyrannidemq; exerceat,atque in hoc genere feminæ eſſe ſolent inſolentiores.*

Iuuenal. Sat. 6.

Sit formoſa,decens,diues,fœcunda,vetuſtos
Porticibus diſponat auos, intactior omni
Crinibus effuſis bellum dirimente Sabina,
Rara auis in terris, nigroque ſimillima cygno:

Quis

Quis ferat vxorem cui conſtant omnia? malo,
Malo Venuſinam, quàm te Cornelia mater
Gracchorum, ſi cum magnis virtutibus affers
Grande ſupercilium,& numeras cum dote triumphos.

Huiuſmodi exceptionem primam notauerunt parentes in ea, cuius nuptias Samſon filius expetebat, De Philiſthiim, *qui nobis inimici infenſiq; ſunt, atq; hac tempeſtate imperant. cui alteram etiam adiunxerunt longè indigniorem, videlicet cultus diſparis; vt non conditionis modò, ſed religionis diuerſitate inimicam vxorẽ ſibi optare,monitus à propoſito deſiſteret. Nam ſi maximè ea martti religionem ſequi, atq; legis Moſaicæ ritu initiari vellet, tamen à paternæ diſciplinæ moribus, materniſq; exemplis difficillimè abalienaretur, præſertim quæ non vt capta bello, aut ſeruituti addicta, ſed vt libera,atq; ex imperante populo petita ducta ei eſſet. Nulla verò maiores vulgo non ciuiles modò, ſed domeſticas etiam diſcordias, & aſſiduas rixas mouere cauſa ſolet, quàm religionis contentio atq; diſſidium, nulla ex coniugio procreatos liberos magis corrumpit & perdit. Hoc itaq; in primis cauendum vitandumq; indicabant parentes illo epitheto:* Qui incircumciſi ſunt, *atque à Dei (cui tu ex materna aluo dicatus es) cultu alieniſſimi & abhorrentes. itaq; relicta tua tribu,atq; omni etiam Iſraelitarum, quorum plures tribus ſunt,gente, externum coniugium optas mulieris, & ex potentiore inimico genere, & ex alieno à legibus moribusq; noſtris populo, cum multo ſumptu, & tuorum dedecore, ducendæ. vtrumque durum quidẽ eſt, ſed poſterius hoc duriſſimũ. His parentes piè quidem,prudenter, & amanter filium ab imparis feminæ amore abſtrahere ſtudebant;qua in re matrem præcipuè pertinacem fuiſſe oportet; namque mulierum de nurubus deligendis maxima eſſe ſolet cura. Quippe nullibi maiores quàm inter ſocrus & nurus, vbi moribus non conuenitur, ſimultates æmulationésque oriri vigereque ſolent. Hanc verò pertinaciam metuens, eluderéque cupiens,*

Dixit Samſon ad patrem ſuum: Hanc mihi accipe; quia placuit in oculis meis.

SIVE *tam amore captus ac domitus ita fuiſſet Samſon, vt nullum neque conſilio, neque parentum imperio in animo ſuo reliquiſſet locum, quali morbo qui laborant, illud obſtinatè cantare ſolent:*

Et vos qui ſerò lapſum reuocatis amici,
Quærite non ſani pectoris auxilia.
Fortiter & ferrum, fœuos patiemur & ignes,
Sit modò libertas quæ velit ira loqui.
Ferte per extremas gentes, & ferte per vndas,
Quà non vlla meum femina norit iter.

Propert. lib. 1. Eleg. 1.

Siue etiam ille interno monitu Dei iam conſilium cognouiſſet, qui arcanis modis, interdum humanarum affectionum impulſibus, iuxta prouidentiæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

suæ rationem, locum ad nouandarum causas rerum apprimè opportunum permittit? quippe cùm Dominus omnium, idemq; sit sapientissimus, quid cuique in humanis rebus tempori conueniat, prospicit & consulit. Certè Samson, matre iam ex consilio semota, deliberato animo patri author est, vt de vxore illa sibi comparanda serio agat, quam, præter omnem iam explicatam exceptionem, sibi probatam atq; dilectam, idoneamq; visam asseuerat, Quia placuit in oculis meis. *proprium idiotismum ita interpretamur:* Illam eandem accipe mihi, namque illa recta in oculis meis. *Non dixit amatam aut cupitam, sed rectam suis in oculis esse, vt non tam ex amore & studio, quàm ex iudicio sibi delectam significaret, atq; ita persuaderet patri, existimanti fortasse illam, re & ratione diligenter subducta, idoneam visam fuisse filio, cuius vitam omnem Deo dicatam sciret, cuius iudicium in Israelitico gubernando populo omni integrum, æquum, atq; certum constitisset. & fortasse tam ex colloquio & diligente examine compertũ illi esse, nihil à femina vitij aut suspicionis metuendum, satisq; spectatam esse oportere, quæ in oculis tanti viri recta visa esset.*

Parentes autem eius nesciebant quòd res à Domino fieret, & quæreret occasionem contra Philisthiim: eo enim tempore Philisthiim dominabantur Israeli.

PRIMAM *huius rei authoritatem diuinæ prouidentiæ tribuendam docet historia, quam ex consequenti euentu cognoscere postea potuit humana mens. namque hæc, præter communia exempla, nihil indagare aut indicare potest. Quamobrem ea à parentibus agebantur, quæ agenda ipsis curandaq; viderentur. atq; ita primùm dissuadebant ambo coniugium: deinde verò alter facilè persuasus, nurum illam non sibi inutilem fore, vtpote à filio satis probatam, curauit comparandam, non quidem qui id futurũ præsciret, quod postea euenit: namq; res non hominum, sed Dei agebatur consilio, qui animum Samsonis aduersus Palæstinos commouerat, & ita informauerat, vt ipse solus inimicitias & rixas exercendas susciperet, sine vllo Israelitici populi detrimento aut tumultu, quandoquidem tempus illud exordium tãtum atq; indicium salutis ex Deo profecturæ, non autem integram salutem afferebat Israelitis.* Quod à Domino fieret. *Ex verbo sic,* Quod à Domino illud. *quòd illa permissio petendæ ex inimicorum gente vxoris à Domino constaret, idq; amore illo Samsonis ageretur, vt propter eum offensæ exorirentur, ex offensis autem ad rixas & vltiones caperentur ansæ; ea verò eiusmodi forent, vt nihil præiudicij aut causæ Palæstinis aduersus Israelitas arripi posset, vel vsurpari publicè, cùm de priuatis offensionẽ inter Samsonem atq; inter ipsos ageretur.* Et quæreret occasionem. *Samson ipse iam antea in Palæstinorum damna & incommoda animatus à Deo, opportunitatem quærebat, qua ipse iustè nocere inciperet; nec verò antea nactus fuerat: verùm cùm ille ad eam gentem sæpius descenderet, rerum Israeliticarum causa quas ipse susceperat, quibusq; Palæstini imperabant, accidit vt mulieris amore captus, nuptias expetiuerit. Nihil autem opportunius*

pro personarum ac temporum conditionibus offerri potuit ad offensionum materiam, quàm coniunctio & affinitas inter tam dispares mores atq; animos conflata: vnde vel domestica dissidia, ac singulares rixas, vel publicas contentiones, æmulationes, & inimicitias exspectari consonum fuerat. ita vero multa fiunt in terrarum orbe, atq; in humanarum rerum mutationibus, quæ arcano huiusmodi iudicio Dei instituuntur, quamquam ea hominibus adusque euentum ipsum celata fuerint. de quibus scriptum est: Qui facit mirabilia magna solus. *hoc est, ipse ita secretò & clàm res instruit, vt cùm ediderit, ad exitumq; perduxerit, authoritatem sibi solus vendicet omnem: atq; ita quæ hominibus fieri non posse videntur, temperatis clàm rationibus ac modis demum facta, spectandaq; exhibet. Atq; ad hanc rationẽ cùm aliæ multæ, tum Hesteræ tota refertur historia. Quod verò adiungitur,* Eo tempore Philisthiim dominabantur Israeli, *expositionem præfert opportunitatis & occasionis, tum consuetudinis ac negotiorum, propter quæ Samson, cùm Israelem tamquam iudex regeret, sæpiùs Palæstinos adituros conuenturusq; erat, vtpote potentia & dominatione in populum suum vtentes, & ideo ipsorum mores, vrbes, res, exitus, ingressus, consilia, & vires pleniùs cognituros; deinde verò simultatis & offensionum causas ipse tantùm suscepturus, vt qui non tam vt Israelita, quàm vt ipsis affinitate coniunctus, priuatas ipsi à suis affinibus factas iniurias vlciscì, non Israelitarum calamitates & damna sarciri, videri posset. Nam nulla in ius quæ sequuntur narrationibus publica aduersus Israelem querela vel causa agitur, sed tantùm singularis ipsorum cum Samsone contentio & simultas.*

Descendit itaque Samson cum patre suo & matre in Thamnatha: cumque venissent ad vineas, apparuit catulus leonis fæuus & rugiens, & occurrit ei. Irruit autem Spiritus Domini in Samson, & lacerauit leonem, quasi hœdum in frusta decerperet, nihil omnino habens in manu; & hoc patri & matri noluit indicare.

OMNEM *narrationem hanc ab hoc loco ad peccatum vsq; Samsonis, Dei consilio atq; institutioni, & arcano impulsui arbitramur adscriptam. Præcessisse autem intelligimus conuenta, & pacta, & sponsalia, inter Samsonis patrem & puellæ parentes celebrata, quæ paulo post, Samsonis matre iam persuasa, hæc prima visitatio est consequta, ad nuptiarum conuiuia, & ritus, atq; lætitiæ, & affinitatis communionem. Hoc autem tempore ex obiecti exempli obseruatione rerum à se singulariter gerendarum, Samsonem monitum edoctumq; Deus voluit.* Cumque venissent ad vineas. *Ex narrationis filo, Samson præeuntes parentes aliquanto interuallo posse subsequutus fuisse videtur, aut per vinearum & septorum calles, qui frequentes circa oppida esse solent, nonnihil diuertisse, & in hoc diuerticulo in irruen-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ruentem incidisse feram, cuius insolentem sæuitiã ætas ipsa indicat. Namq; hoc genus animantis variis pro ætatis ac ferociæ ratione nominibus lingua sacra appellat: lactantem adhuc & tenerum, GVR; *hoc grandiorem, & ob ætatis imprudentiam audacem & insolentem valde,* CHEPHIR; *quem æuo superat* LEBI, *hunc verò* ARIEH. *Atq; horum omnium præstantissimus habetur* LAIS, *vnde leonis nomen Græcis pariter ac Latinis acceptum est. Fuit autem hic qui Samsoni occurrit,* CHEPHIR, *propter ætatem insolentissimus, & iuuentutis feruore rabidus & implacabilis, cuiusmodi difficillimam curationem esse accepimus. atq; ita Florentiæ duos visimus; alterum hoc æui, alterum iam* ARIÆ, *hoc est, adultum & maturum, eodem anno ex Libya in Principis illius caulas delatos; terribili ferritate illum perpetuò frementem, hũc verò mirabili mansuetudine caput extra cancellos promentem, seq; spectantibus tractandum, scalpendum, & fouendum vltrò præbentem.* Irruit autem Spiritus Domini. *Verbum sacrum* TSALAHH, *prosperitatem & felicitatem adsignificat. vt in illo versu* Psal. 44. *Intende, prospere procede, & regna. Imbutum itaq; Samsonem intelligimus efficaci atq; felici fortitudinis spiritu, qui omne humanæ dexteritatis atque roboris exemplum vinceret. huiusmodi autem diuina & superna dona, cuiuscumque ea generis fuerint, felicitatis nomine apud Latinos adnotantur. vt apud Poëtas:* Exempla nouorum

Fatorum transi felix, & pulcher, & acer,
Felix, formosus, & nobilis & generosus.

Animaduertendum verò est, puritatem & separationem, atque Nazaræi vim & religionem, Samsoni ab vtero adhærentem, simul etiam dici posse adnatam. Admirandam verò & rarissimam, vel potiùs numquam aliàs visam, fortitudinis felicitatẽ nec natiuam fuisse, nec perpetuam, sed ex Dei voluntate pro tempore contigisse, & , vt inferiùs obseruabimus, abscessisse abdicatam; & rursus, cùm commodum fuit, instauratam. Quasi hœdum in frusta decerperet, nihil omnino habens in manu. *Quippe non fortitudinem modò animi, sed corporis membrorumq; robur, & firmitudinem induit maximam, ita vt quod vix ferro & plagis à robustissimo aliàs viro effici posset, hic manuum viribus atq; actionis dexteritate confecerit.* Dilacerauit. *diductis cruribus medium toto pectore ac ventre aperuit, ea forma qua hœdi, intestinorum exserendorum causa, disrumpi solent. Verùm totum cadauer ita ex ventre ac pectore disruptum, superiori parte, hoc est, à dorso & capite atq; collo integrum iacuit. Atq; hoc illi signum esse Deus voluit virtutis ab ipso solo, atq; inermi, aduersus communem & ferum hostem Palæstinum populum exercendæ, nullis aliis adscitis aut euocatis laborũ sociis, sicut nec hoc loco ac tempore, vel parentibus ipsis rei huius non solùm efficiendæ societas, verùm nec notitia quidem communicata fuit.* Et hoc patri & matri noluit indicare. *Rogantibus fortasse vel miratis morem cauisam, tamen vel siluit, vel aliud potiùs narrauit, quàm rem à se factam. ita*

in sua lingua: Non indicauit quod fecerat. *Namque ab eodem spiritu & quid effecturus, & quemadmodum factum celaturus esset, fuerat edoctus, & fortissimorum virorum exemplum statuit, quibus maxima inuadendi, & difficillima quæq; superandi cura & voluntas, suarum autem rerum vendicandi ac iactandi nulla esse debet.*

Descenditque, & locutus est mulieri, quæ placuerat in oculis eius.

SPONSALIA *inter parentes antea celebrata nunc ipse, colloquio feminæ allectus, & animo & facto confirmauit. Nam præterquam quòd formam & venustatem probauerat priùs, elocutionis elegantiam & illecebras postea admiratus est, cùm ea pars potissimum ad consuetudinem expetatur, diligenterque obseruetur in feminis.*

Quo sermone mecum, quoque iras, gaudia, cutam,
Quo cuncta effundant animi secreta. *Cætera omnia, quamquam probatissima aliàs, tamen vel tempore minuuntur, vel morbo turbantur, vel nimia consuetudine frigescunt & fastidiuntur. Sermonis verò maior ac diuturnior est vsus, & ad vitæ necessitudinem præcipuè idoneus habetur. Quamobrem Socrates iuuenem rarissimo specie exemplo laudatum, vt sibi visum fateri posset, eloqui iubebat:* φράζε ὡς σε εἰδῶ. *Magna igitur matrum filias ad virorum & amatorum conciliationem in sermonis & colloquiorum peritiam instituendi cura est.*

Illa docet missis à corruptore tabellis
Nil rude, nil simplex referibere. *Hinc illa apud Gallas & Belgicas feminas frequens disciplina,* Des propos & des diuises; *apud Italicas,* De i bei discorsi; *& apud Hispanicas,* De conuersacion discreta. *Huiusmodi itaque colloquiis optata antea Samsoni femina Palæstina denuo perplacuisse dicitur, vtpote cuius sermo vulgari & communi illi Israelitarum puellarum simplicitati longè dissimilis, & ad insidias viris tendendas multo esset aptior. Germana lectio ita ex verbo habet:* Et descendit, & locutus est mulieri, & recta fuit in oculis Samsonis. *Tunc quoque in illo colloquio recta fuit & probata in oculis Samsonis, non tamen in oculis parentum fortasse. hoc enim nominis singularis adnotatio subindicat.*

Et post aliquot dies reuertens vt acciperet eam, declinauit vt videret cadauer leonis, & ecce examen apum in ore leonis, & fauus mellis.

PRIMA *actio sponsaliorum, parentum conuentione ac pacto fuerat inchoata. Secunda, Israelitico more ac ritu, fuit ipsa iuuenum collocutio, quæ, pignore dato, firmabatur. ea ipsorum lingua* ARIZZVTH *dicitur. Tertia, hæc nuptiarum festum & solenne conuiuium, atque communem affinium lætitiam spectabat, cum libera potestate familiæ iam atq; domus communicandæ constituendæ.* Casamiento *Hispanicè; Latinè verò* Vxoris ductio

Universidad de Deusto
Biblioteca

vocatur. Post aliquot dies. *Hebraicus idiotismus annum integrum significat, qui post sponsalia, ex gentium more illarum, permittebatur liber puella ad sui ipsarum curationem, vt ex hoc loco, & ex Abrahami historia adnotauimus.* Declinauit vt videret. *Exempli illius antea sibi diuinitus oblati quis euentus fuisset, non tam curiosè, quàm studiosè visere decreuit.* Et ecce examen apum in ore. *Exemplar habet:* BIGVIATH, in cadauere, *siue* corporis cauo. *Nec nobis alienum à naturæ ratione videtur, examen illud intra cadauer ipsum natum existimare, cùm. huiusmodi bestiolarum varia genera ex aliis atq; aliis animalium corporibus corruptis exoriri legerimus, & experimento cognouerimus, vt ex canibus muscas, ex asinis crabrones. certè ex vitulorum visceribus apum sobolem suffice posse,*
Georg. 4. *in absoluto illo opere luculentissimè docuit Maro.* Et fauus mellis. *Hebraicè*, Et mel. *non exiguum fauum, sed magnum, & melle refertum interpretamur.*

Quod cùm sumpsisset in manibus, comedebat in via: veniensque ad patrem suum & matrem, dedit eis partem: qui & ipsi comederunt; nec tamen ipsis voluit indicare, quòd mel de corpore leonis assumpsisset.

HOC *loco Latinus interpres pro eodem nomine* GEVIATH *corpus reddidit. Victoriæ diuinitus concessæ dulcem tandem fructũ exspectandum esse, & pluribus salutarem, non ipsi tantùm victori vtilem, exemplum hoc portendit ac docuit: maximeq; esse opportunum & felicem quemcumque laborem pro religione, pro pietate ac patria susceptum, quamquam euentum rei temporis interualla distulerint.*

Descendit itaque pater eius ad mulierem, & fecit filio suo Samson conuiuium. sic enim iuuenes facere consueuerant.

ANTE *conuiuium paratum, viris sponsarum domum frequentari non erat mos. Parentum autẽ sponsi partes erant, conuiuia instruere, nurumq; opera ad eam rem vti: quamobrem Samsonis pater interim hæc apud nurum agebat, dum filius ea, quæ ad se pertinerent, curabat.*

Cùm ergo ciues loci illius vidissent eum, dederunt ei sodales triginta qui essent cum eo.

HOC *etiam moris apud veteres fuit, sponso ac nouo marito sodales adhibere, communis lætitiæ consortes, & ministros ad nuptias opportunos comites, quorum in posterum amicitia atque consuetudo confirmata coleretur. Hi apud Israelitas sponsi filij vocabantur, & ab omni publico munere, atque etiam ab indicto iciunio immunes erant toto nuptiarum tempore, vt aliàs plenius ostendemus.*

Quibus

Quibus locutus est Samson: Proponam vobis problema: quod si solueritis mihi intra septem dies conuiuij, dabo vobis triginta sindones, & totidem tunicas: sin autem non potueritis soluere, vos dabitis mihi triginta sindones, & eiusdem numeri tunicas. Qui responderunt ei: Propone problema, vt audiamus. Dixitq; eis: De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo.

TOTVM *illud conuiuiorum tempus quod celebrandis nuptiis impenditur, cantibus, lusibus, atq; iocis, & lætis sermonibus, confabulationibusq; vacare solet, in quibus varia atq; iucunda tractantur argumenta, dicteriæ iactantur salsa, atq; grata & acuta: ambigua etiam pronunciantur verba, prolinguarum ratione, atq; ingeniorum dexteritate; quo in genere Gallos facetissimos, Belgas autem lepidissimos obseruauimus; post hos verò Teuthones & Germanicit tractus incolas, qui humanitatẽ cum grauitate in sermonibus coniunxère. in his autem sermonibus ij etiam misceri solent, quos Graci ænigmata, Latini scrupos vocant, quorum obscuritas & perplexitas non in verbo tantùm, sed in oratione, id est, verborum continuatione est. Hispanis modus hic, Que es cos' y cosa dicitur. ita autem inter miscẽdos sermones ad hoc genus etiam ventum est, in quo fortasse quisquam prius aliquod quippiam obiecerat, quod facilem exceperit interpretationem, cum depositione præmij, vt fieri sæpe solet. Actum quidem opportunum Samsoni tempus visum fuit, suum componendi ænigma, & non vni cuipiam ex iuuenibus, sed omnibus pariter proponendi, præmio omnibus promisso, per vnum proponentẽ exsoluendo, aut ab omnibus simul eodem modo euincendo.* Dabitis mihi triginta. *Cùm ipse vnus triginta redditurum se recepisset, æquissimam conditionem posuit, quæ maiori sibi victo damno foret, quam illis qui singulas tantùm vestes dare damnabantur. Atq; ij & præmij spe illecti, & varietate etiam ingeniorum fisi, conditionem accipere non recusauere. quid enim poterat ab vno viro tam arduum, difficile, atq; implicitum tradi, quod à triginta ex elegantiori, vt par erat, censu virorum, ingeniis curis, & studijs, & collatis pensitatis vltro citroq; rationibus, non perfectum exsolueretur, præsertim cum verbis pronũciatum esset communibus, & rerũ naturæ significationẽ seruãtibus. quamobrẽ hac lege conditionẽ admittũt, vt nõ obscuris, sed communibus & vulgatis verbis oratio efferatur, hoc est significat illa exceptio* Et audiemus. *Ita, inquiũt, eloquere ænigmata tuũ, vt nostris vsitatis q; vocibus percipiamus, auditũq;, qui primus verborũ arbiter est, cõsulamus. Nãq; alienis & nouis vel ignotis vocabulis & cõstructionibus pronunciatã orationẽ perinde est vel audiri, vel non audiri, & in linguis quas nõ intelligimus surdos nos esse doctiviri dixerũt; & Paulus:* Cic. Tusc. 1 Cor. 14. *Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus; & qui loquitur mihi barbarus.* De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo. *Hoc orationis genus Chananæorũ lingua* HHIDAH *dicitur, à verbo*

Universidad de Deusto
Biblioteca

HHVD, *cuius in hac tantùm significatione obseruantur exempla, habet verò magnam affinitatem cum* IAHHAD, *quod vnitatem siue singularitatem significat. quamobrem ita definiri potest* HHIDAH, *vt sit oratio quæ singularem sententiam contineat, in natura rerum ex ipsis verbis considerandam, differt vero à parabola, siue allegoria & metaphora, vt aliàs opportunè docebimus: in Hhidah autem non quid verba significent, sed quemadmodum cũ natura rationeq; rerũ aptissimè conueniant, dispiciendum est. Nodus verò siue trux in verborum, vti superiùs dicebamus, contimatione statuitur: quæ si alio modo concinnata essent, vel nullum, vel longè minus negotium darent. Si enim ita pronunciauisset Samson, De fortissimo comedente exiuit dulcissimus cibus, leuiorem inuenienti faceſſeret laborem.*

Non potuerunt per tres dies propositionem soluere.

IDEM *nomen superiùs problema, nunc propositionem, aliquando ænigma Latinus interpretatur. id autem, totis tribus diebus à proposition in excogitando & conferendo positus, ingenium tamen & conatum certãtium superauit.* Per tres dies. *perpetuam operam communi studio positam, indicat sermonis huius formula in exemplari.*

Cumque adesset dies septimus, dixerunt ad vxorem Samson: Blandire viro tuo, & suade ei vt indicet tibi quid significet problema: quod si facere nolueris, incendemus te & domum patris tui. An idcirco inuitastis nos ad nuptias, vt spoliaretis?

SEPTEM *illi dies à Samsone antea præfixi, pridie quàm nuptialia conuiuia fierent, finiebantur. Nam sic interpretamur illam superiorũ versuum partem,* Intra septem dies conuiuij; *ex quibus tres in studio positi sunt, cuius desperata ope, quatuor sequentibus ratione inuenire curauere, quemadmodum, quod virtute consequi non poterant, arte atq; dolo assequerentur. nullum demum pottiùs commentum, nullum maius placuit compendium, quàm vt ipsum fallaciarum peteretur caput, hoc est, vt noua nupta vel persuasione, vel minis corrumperetur, quòd sexus ille ad blanditias, & adfectiones & simulationes singulariter effictus videatur, siue id naturæ bis affectionum artibus compensarit, quod viribus & robori negauit; siue humanæ labis venenum hoc in illa hominis parte inhæserit. Certè in præuaricatione primorum parentum mulierem primùm seductam annotauit Paulus, atq; illius operâ virum quoque in scelus & culpam coniectum constat. Rationem verò conficiendæ rei primùm docetur mulier*: Blandire. *Nulla enim re magis capitur imprudens amantis animus. Verùm blandiendi modus, mulieris ingenio pro temporum opportunitate adhibendus, mutandus atque vertendus permittitur.*

Tibul. lib. 1. Blanditiis vult esse locum Venus ipsa, querelis
Supplicibus, miseris flentibus illa fauet.

At cùm nulla re magis femina quàm metu turbetur & commoueatur, relictis aliis vel pollicitationibus vel precibus, hoc singulariter tentatur, quo & viri amorem & reuerentiam vinceret, & deprehensa atque conuicta, facinus tamen tanti pauoris pondere excusare posset. Quis enim vel robustio animo, nisi & idem religionis obseruantissimus vir esset, non permoueretur illa sententia triginta insolentium iuuenum, de liberatione decreta & pronunciata; Te, & domum patris tui incendemus? *Huius verò iudicij vel veram, vel vero similem causam sibi repertam asserunt, defendendamq; profitentur, fraudis videlicet ipsis in illa domo & familia creatæ, & compilationis exstructæ, quam iniuriam non leuiore quam incendij pœna vindicandã censeant.* An idcirco vocastis nos ad nuptias, vt spoliaretis? *Mali dolo in ipsos comparati authoritatem & communicationem non minus puellæ patri, & puellæ ipsi adscriptum iri aiunt. Quod crimen vel diluendum illis esse ænigmatis declaratione, vel sustinendum ac luendum incendio. Nam vel ipsi ænigmatis & consilij conscij fuerũt, vel non: si fuerũt, direptionis spem & studium vindicari oportere aiunt, maximè quæ contra mores gentiumq; iura, & contra amicitiæ officium per proditionẽ & fraudem inita esset: cùm scelestissimum sit, conuiuij & nuptialis honoris nomine quemquam exspoliare, hoc est, magnæ amicitiæ & necessitudinis simulatione iniuriam facere grauissimam. hanc verò cupiditatem facilè argui ex copia & numero; quippe cùm non vnum tantùm vestimentum, aut vnicum aliud ab omnibus præmium deponendum decretum fuerit, sed à singulis singulæ & vestes & linteæ sindones; ita vt non solùm præda, sed contumeliâ etiam intentata significetur.* Vocastis nos vt spoliaretis. *Non vnũ quempiam, sed* Nos. *nec enim æquam nobis & vobis propositam conditionem excusare potestis, vtpote cùm ænigma proposueritis insolubile, atque omnino inextricabile, nullo vestro prorsus vel ancipiti, sed aperto nostro incommodo: quod ne vobis ex animi sententia succedat, magno vestro efficiemus malo. tantæ igitur pœnæ ab insolentibus iuuenibus prædictæ metu primùm, deinde etiam popularibus suis blandiendi consilio suas mulier exercere atque persequi artes cæpit, nec nisi voti compos effecta destitit.*

Quæ fundebat apud Samson lachrymas, & querebatur, dicens: Odis me & non diligis: idcirco problema, quod proposuisti filiis populi mei, non vis mihi exponere. At ille respondit, Patri meo & matri nolui dicere, & tibi indicare potero?

FEMINEÆ *persuasionis vel potiùs victoriæ præcipua & grauissima arma sunt affectionum indices cùm gestus, tum voces & sermones. siue illa ex vero siue ficto petita animo, tamen in promptu semper sunt, & nũquam non officiunt imprudentibus viris.* Apud Samson. *Sua in lingua ita,* Et plorabat vxor Samson super illum. *quo tropo instans perpetuò bellum illi amanti & nuptiarum tempore, vt fit, vxori blandienti & obsequenti*

Universidad de Deusto
Biblioteca

illatum significatur. Nam ille modestiores, illa verò superbiores & graviores agebat semper partes: ille obsequium risu, illa imperium querelis & accusationibus imitabatur, atque leniter cedentem gravi asperitate angebat vrgens. Sic ille:

Iuuenal. Sat. 6.

Tunc grauis illa viro, tunc orba tigride peior,
Cùm simulat gemitus occulti conscia facti,
Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat
Vberibus semper lachrymis, semperque paratis
In statione sua, atque exspectantibus illam
Quo iubeat manare modo: tu credis amorem,
Tu tibi tunc eruca places, fletumque labellis
Exsorbes. *Lacrymis autem amantis viri animo irrigato ac tincto, si sermonum instructa machina atq; instrumẽta adhibeãtur etiam, vel repentinus ruinæ impetus, vel assiduitate feriendi & exedendi magna plerumque diruptio ad expugnãtis victoriam accidit. Hæc itaque vehementer alternatis plagis à muliere adhibebantur: primus autem & importunissimus expugnationis aries fuit,* Odis me, *quem alter consecutus adiuuabat,* Et non diligis. *Namque ody affirmatio amanti grauior multo quàm ameris inficiatio est. Tu me tibi charam simulas, ego manifestum mei odiũ planè perspicio & accuso.* Odisti, *inquam,* me, *tantum abest vt me ames. hac accusationis & querelæ propositio argumentis corroboratur ex antecedentis contrario siue opposito productis. Namque amantium vt eundem animum esse constat, ita idem consilium, aut commune saltem esse debere consequitur. atqui illa non modò sese pari atque digno amore dilectam, sed etiam odio & iniuria affectam ex eo cõfirmat, quòd minori etiã loco apud illum sit, quàm populares sui. namque, vti videtur, cùm à Samsone proponeretur ænigma sodalibus, illa non intererat: fingit autem sese nũc propositum ænigma primùm resciuisse, cùm & primam scire & solutionem doceri oporuerit, si verum esset ab ipso amari. Vsa autem fuit verbo* HIGAD, *quod & indicare, & explicare significat. Aliis, inquit, si non explicuisti, proposuisti & indicasti tamen, & ad elegantiam cogitandi & inueniendi præbuisti materiam: mihi verò nõ tãtùm non explicare, sed nec indicare aut recitare saltem voluisti, atque hoc pacto te illis familiarem & æquum magis, mihi verò iniquum & alienum ostẽdisti. ita vafra & fallax femina non tam dere & facto, quàm de voluntate & affectu agere sese simulat, cuius proditione nullum magis graue inter amantes exstare crimen potest, dum alter amat, alter verò amoris specie ac simulatione, spernit & odit. quam grauissimam accusationem efficaci & probabili admodum responso à se depellere molitur Samson, & faceret, si vera ac simplex mulieris querela atque suspicio, & non potiùs callidissima fraudis dissimulatio fuisset. Quòd non tibi indicauerim, inquit, non nego, sed non ideo rectè atque iustè odij crimen à te mihi est conflatum: non enim ex illo hoc necessario consequitur, Non indicauit, igitur*

igitur non amat; Nõ indicauit, odit igitur. Nam quod ex consilio agitur, minùs violens eo est, quod ex necessitate debetur. Te ex cõsilio atque ex deliberatione amo quidem, sed parentes mihi à natura datos, ex naturæ vi & necessitate, atque ex diuinæ legis authoritate non amare solùm, sed venerari, colere, amplificareq; debeo. quòd si celatum tibi ænigma odium interpretaris tui, idem etiam in me, sed longè grauius odij scelus & natura debiti amoris proditionem censeas oportet, cùm nec parentibus ipsis meis verbum de eadem, quam tu indicas, re fecerim. quam ob rem vel me huius maioris impietatis accusato, qui populi tui filios gratia & consuetudine parentibus propriis prætulerim: vel accusati erga te odij & amoris proditi absoluito, cùm te iniqua argumentatione intelligas fefellisse: nisi me & impium & præposterum omnino moribus hominem statuere ista pacto studes, qui omnia & minora amicitiæ & maiora pietatis officia peruerterim & corruperim.

Septem igitur diebus conuiuij flebat ante eum: tandemque die
septimo, cùm ei esset molesta, expoluit. Quæ statim indicauit
ciuibus suis.

FLEBAT ante eum. *In exemplari,* Flebat super eum, *vt exponebamus antea: atque ita importunitate & pertinacia flendi, verborumq; exquisitato & assiduo pondere, iis præsertim diebus quibus lætitiæ & hilaritati debebantur, incautus amantis animus expugnatus, ipsum se prodidit inimicis demum tradẽdum.* Ciuibus suis.] Filiis populi sui, *Hebraicè. qua oratione mulieris infidele & iniquum indicatur ingenium, quæ maiorem eorum quibus cùm educata fuerat, quàm viri, cui diuinis & humanis legibus addicta erat, rationem sibi habendam duxit. Quamquam verò ex more & ritu antiquo ac legitimo Israeliticæ religionis & sacra lectione initiata fuisset (neque enim aliàs Israelitæ viro summo atque iudici nubere potuit) tamen ad mores natura recurrit. Damnatos, fixa & mutari nescia, vulgaremq; hominum, ac mulierum præsertim opinionem secuta, mariti proprij & rem & honorem propter metum, & propter popularium suorum gratiam, prodendum censuit. Durauit autem illa contentissima pertinacia tot septem conuiuij dies, quod spatium temporis fuerat à Samsone ad solutionem ænigmatis prorogatum.*

Et illi dixerunt ei die septimo ante solis occubitum.

DIVRNVM tẽpus antiqui ab occasu metiri incipiũt, illud secuti quod scriptum est: Et factum est vespere & manè dies vnus, dies secundus, dies tertius, &c. Callidè verò illi cùm antea quatuor aut etiam pluribus horis à muliere edocti essent interpretationem ad extremum vsque tempus distulere, vt nec termino peracto victi iudicarentur, nec ante terminum festinantes fallaciæ suspicionem darent; magisq; viderentur ex studio & cura maturum, quàm ex arte ac fraude festinum cuestigio protulisse responsum.

Quid

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quid dulcius melle, & quid fortius leone?

PROPOSITI *ænigmatis materia duplex fuerat, bipartitamq; indicauerat rationem: namq; & communem naturæ rerum contemplationem genericiq; argumenti cognitionem pars altera, altera verò singularis historiæ explicationem requirebat. Prius genus ad studiũ, ingenium, & philosophiæ compotem sensum pertinebat. Posterius verò vel enarratorem ac testem, vel authorem ipsum, vel alium quempiam rei factæ arbitrum, vel omnino diuinatorem vatemq; exspectabat. neq; verò in hoc ænigmatis solutio erat, quod singulare, & ex priuato & obscuro, rarissimo, neminiq; certo exẽplo profectum, nec ad scientiam, neque ad prudentiam humanam, sed omnino vel ad authoris confessionem, vel ad oraculum & vaticinium referebatur: quod si illi indicassent qui minimè prophetæ habebantur, furtum & fraudem, quæ ad victoriam celata prorsus esse oportuerat, manifestè detegerent. Hanc itaque partem, vt minimè sibi necessariam, nec in ænigmatis lege numeratam, prætermittentes, nec scire nec curare simulantes, alteram illam sibi cogitando, agitando, & conferendo tandem perceptam explicant, idq; certis atque communem rerum naturam significantibus & ex philosophia petitis verbis pronunciant, orationisq; constructione vtũtur, quæ diligentẽ, attentam, & exactam rerum inter se comparationem, compositionem, & differẽtiam declararet. Nam duo præcipua verba, quæ huiusmodi industriam & solertiam poscerẽt in ænigmate, erant,* Fortis & Dulcedo: *duo verò altera, quæ ænigma quidem & conficiebant & adornabant, nec tamen solutioni difficultatem, nec singularitatem rei cuipiam afferebant,* Comedens & cibus. *Nam duo hæc seorsum ad quodcũque animal referri possent, quod & cibo pascitur, & ad cibũ & escas petitur; vt ad hædum, aprum, taurũ, caprum, turturem, columbam, pisciumq; innumeras formas. Illa verò præcipuam rationem & definitionem suis certis naturis adscribendam exigebant;* Fortitudo *videlicet ac* Dulcedo: *quarum rationem ita sibi indagatam, inuestigatam, & compertã significare voluerunt, vt, cùm audissent, fortitudinem ad comedentem, dulcedinem ad cibum referri intellexerint; in comedentium, hoc est, animalium genere fortitudinem, dulcedinem verò in genere ciborum sibi esse quærendam: tandem verò, animalium omnium naturis ac viribus pensitatis, nullum leone fortius esse inuentum; ciborum verò nulli parem atq; melli constare dulcedinẽ. Porrò vt magis hæc ex rerũ studio & inquirendi labore præmium solutionis meruisse putarentur, explicationis ponderа potiùs, quàm seriem & ordinem, sibi obseruata confingunt. Atque ita vocabulum* Dulce, *quod posterius propositione fuerat, priùs ad solutionem arripiunt; cui alterum euestigio adiungunt,* Quid fortius leone? *Porrò cætera omnia tamquam illis, vt diximus, minimè curata, minimúmque ad rem facientia, relinquunt, atque sese & rerum peritia magnos, & proposito præmio dignos prædicant.*

Qui

Qui dixit ad eos: Si non arasſetis in vitula mea, non inuenissetis propositionem meam.

DISTICHO *carmine repente composito, sese illis vxoris fallacia & fraude proditum significauit. acerbitatem autem animi sui & indignitatem actionis illorum pro loco atque tempore dissimulauit prudentissimè. ita tamen & orationem temperauit & mentem, vt, si quid in posterum durioris experirentur exempli atque iudicij, præiudicium sibi iam factum recordarentur. Est autem carmen Choriambicum, ex illius linguæ modis & pedibus concinnatum; simile ferè illis militaribus Latinorum versibus, quos in historiis relatos interdum reperimus:*

Cæsar Galliam subegit, Nicomedes Cæsarem.
Vrbani seruate vxores, Mœchum caluum adducimus.

LVLE HHARASTEM BE GHEGLATHI
LO MATSATEM HHIDATHI.

Ac præter sententiæ & verborum elegantiam, structuram continet artificiosam: membris quoque constat paribus atque æqualibus ferè, iisdemq; pariter cadentibus & pariter etiam desinentibus, quod genus Isocolon Homœoptoton & Homœoteleuton artifices vocãt. Hispanè ita vtcũque imitari possemus,

Si con mi nouilla non labraras,
Mi cosicosilla non fallaras.

Sententiæ autem aculeus in verbo HHARAS *latet, quod meditari, excogitare, velligare, rimari atq; etiam arare Latinis verbis vix plenè exprimitur. vnde ingeniosissimi artifices & artium inuentores atq; amplificatores* HHORSIM *dicuntur, cutusmodi ingenij & studij opus & labor in similibus ænigmatibus enodandis poni solet, & ita à se positum coniectores isti Samsoni venditare curabant, qui verbi* HHARAS *amplitudinem ad aliam allegoriam vsurpauit, arandi videlicet, & ex consequenti rimandi & eruendi ænigmatis sensum; ideoq; pro puella siue sponsa vitulam dixit: nec verò vaccæ nomen nuncupauit, quòd cum ætate minimè conueniret; deinde quòd vitula ob imperitiam insolentioris atque proteruioris mentis imaginem præfert, vt apud Hoseam vatem fusiùs disputabamus. quam ob rem & pro toto armento apud Gentes mactabatur:* Tibul. 1. Eleg. 1.

Tum vitula innumeros lustrabat cæsa iuuencos.

Irruit itaque in eum Spiritus Domini, descenditque in Ascalonem, & percussit ibi triginta viros: quorum ablatas vestes dedit iis qui problema soluerant. Iratusque nimis adscendit in domum patris sui.

ACCIDIT *nonnumquam vt iudicium non ex veri ratione, quòd ea manifesta nõ sit, sed ex euentu, quãquam aliunde profecto, exerceatur. Præmium ænigmatis solutoribus fuerat propositum, vnde solutio petenda esset nihil fuerat exceptum; quod si maximè excideretur, tamẽ proditio in suspi-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cionem venire potuit, non autem in iudicio conuinci: atque ita illis de solutionis præmio publica & constans actio erat; illi verò de malo dolo nulla restabat exceptio, nisi coniecturalis quædam querela. Quam ob rem compendium visum fuit maius, & publicè illis iudicio satisfacere, & non nisi gentis suæ iam diu inimicæ incomodo & malo id agere, ansamq; ad opportunam vltionem integram sibi reseruare. Spiritus autem, hoc est, vis & fortitudo, ad illius iustæ iræ erga hostium genus vltionem illi à Domino addita affirmantur, quæ ipso rei gestæ signo & exemplo demonstrata sunt; quippe cùm vnus solus & inermis triginta ex celeberrimæ vrbis Ascalonis ciuibus viros illæsus ipse interfecerit, & vestibus exspoliarit, quæ vel ipsæ pondere suo robustissimum quemque lassare possent: tamen & allatæ & distributæ fuerunt iis qui ænigma soluerant, hoc tantùm nomine quòd ænigma soluissent, cùm aliàs illi nec iustè petere, nec accipere debuissent. Verùm in Hebraica lectione tunicas tantùm siue mutatorias redditas legimus, sindones autem non legimus. res autem ipsa indicare videtur, illos primis ante conuiuium septem peractis diebus & prorogationem temporis impetrasse, & de minori præmio, hoc est, tunicis tantùm conuenisse. Hinc verò iram Samsoni conceptam fuisse legimus, non solùm in æmulatores illos, verùm & in puellam ipsam vxorem sibi addictam, quam magis illorum gratiæ, quàm amori suo indulsisse cognouerat; & aduersum se pariter, qui ita demum se ab illa vinci fuisset perpessus, & fictis fallacibus concessisset insolentioris puellæ muliebribus artibus. Quam ob rem conuiuio quidem celebrato, verùm thalamo nondum petito, secessit.

Vxor autem eius accepit maritum vnũ de amicis eius & pronubis.

INIVRIAM *vel temeritate & insolentia, vel mala mente malóque animo Samsoni cumulatam, maioris iræ causam fuisse, & ansam ad vltiones dedisse, ex hac lectione notauimus; idq; omne ad prouidentiæ rationes remittimus. Nam satis superq; ab obsequio officioq; coniugali alienã se ostenderat mulier, cùm virum de ænigmatis præmio iniustè, quàm populares suos iustè damnatos euasisse mallet, nisi & hoc etiam indignissima proditionis crimen addidisset; vt irati viri secessionem nõ solùm nõ doleret, pœnitentia corrigeret, & modestia atque deprecatione reconciliationem expeteret & exspectaret, sed inuidiam intolerabilem factura viro, alium sibi maritum optaret, eúmque non remotum quempiam, sed omnium Samsoni in nuptialibus conuiuiis, atque adeò in ipsa celebritate & ceremonia nuptiarum, familiarissimum, nempe pronubum ipsum, quem Gentium etiam iure coniugalis fidei assertorem & vindicem esse oportuit: & tamen ipse primus & præsens proditor exstitit, non sine suspicione malæ antea initæ consuetudinis.*

CAPVT

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

POst aliquantulum autem temporis, cùm dies triticeę messis instarent, venit Samson inuisere volens vxorem suam, & attulit ei hœdum de capris. Cumque cubiculum eius solitò vellet intrare, prohibuit illum pater illius, dicens, Putaui quòd odisses eam, & ideo tradidi illam amico tuo: sed habet sororem, quæ iunior & pulchrior illa est: sit tibi pro ea vxor.

INIVRIARVM *vlciscendarum opportunitatem diuino iudicio aduersus improbos afferri, multis & frequentibus constat exemplis, atque iis qui læsi aliquando contumeliam vel toleraverunt, vel patientia dissimularunt, non diutiùs desiderari posse iudicatæ diuinitus causæ suæ diem, tota huius capitis narratione docemur. Videmus etiam fortissimorum magnique animi virorũ nõ tõgas esse iras, aduersus ea præcipuè capita, quæ carissima aliàs habuerint. Nam Samson, quamquam sponsam tratus grauiterq; offensu reliquisset, tamen amore victus, rursus inuisit, atque, conuiuiali munere vltro delato, ad reconciliationem adducere studuit.* Hœdum de capris. *tenerrimum, & pastus omnino expertem, herbæq; insciũ, qui plus lactis quàm sanguinis haberet.* Cumque cubiculum eius solitò vellet intrare. *Sua in lingua non ruisse improuisus, sed vxoris adeundæ atq; salutãdæ copiã petisse significatur,* (*sic ex verbo*: Et dixit, Veniam ad vxorẽ meam in cubiculum) *idq; cum illius patre egisse, quem domũ ingressu primum offenderat; patrem verò id curasse, videlicet, vt contractam à muliere culpam ipse in se transferens, & causa dicta eleuaret, & meliore proposita conditione corrigeret.* Putaui. *Sua in lingua,* Dixi quòd odio oderas *existimaui atq; adeò intellexi, mihiq; persuasi, illam à te ex grauissimo odio relictam, numquam esse deinceps repetendam: & ne desertam prorsus mœre, atq; populi fabulam fieri viderẽ, marito honoris causa tradidi amico tuo: quod & tibi rescisceti non ingratum fore credidi, & ipsi honestum puellæ; vtpote quæ ei, cui propter te nota erat, duceretur, illa tibi ex ira, non ex inimo & occulto vitio relicta fuisse putaretur. id quod nec tu nimiù succensere debeas, qui eo tempore deseruieris, quo nemo nisi ex ingenti desertam odio interpretari posset, hoc est, ipsa nuptiarum suprema nocte. deinde quòd nihil de animo erga nos tuo cuiquam indicaueris, vnde te ad nos redituru exspectaremus. Quod si tibi vel domus necessitudoq; nostra probatur, vel puella ipsa propter formã atq; ætatẽ placuerit; adest tibi copia puellæ, duobus nominibus huic, quã amisisti, anteponẽdæ, hoc est, forma præstãtioris, & ætate tutioris, cæteris autẽ partibus nihil etiã huic priori cedẽtis, vtpote,* Sororis illius, *ex eadẽ familia, eiusdẽ educationis atq; disciplinæ, simillimisq; moribus.*

Cui Samson respondit, Ab hac die non erit culpa in me contra Philisthæos: faciam enim vobis mala.

OCCASIONEM *sibi aduersus gẽtem illam Israelitis infensissimam,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam diu cupierat Samson: iam nunc nactus, tenere diligenter instituit; & ansam sibi ab illis datam arripuit, atq; res omnes aduersum se admissas, priuatarum in se inimicitiarum argumenta fuisse affirmauit, cùm non solùm se ab vna vxore bis proditum, & à sociis suis dolo atq; fraude exspoliatum, sed à socero etiam desertum ac repulsum, atque adeò ab eo iniuria adulterij affectum, quem coniugij sui studiosum patronum & assertorem esse oportuerat ex quibus rebus omni Palæstinorum genti sese inuisum esse intellexisse ait, atque multarum in se iniuriarum vltorem deinceps futurum profitetur & palàm prædicit, vt nihil à se postea dissimulanter aut per fraudem factum accusari possit, cùm fortium & apertè inimicorum modo ac more sese declarauerit acturum.

Perrexitque, & cepit trecentas vulpes, caudasque earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio: quas igne succẽdens, dimisit, vt huc illucque discurrerent. Quę statim perrexerunt in segetes Philisthinorũ. Quibus succensis, & comportatæ iam fruges, & adhuc stantes in stipula, concrematæ sunt, in tantum vt vineas quoque & oliueta flamma consumeret.

INGENIOSISSIMO *inuento fraudulentorum inimicorum dolos & maleficia vindicauit, nempe fraudulentissimarum bestiarum comparata copia, quorum operâ tamquam gregariorum & insolentium militum manu agros publicè atque hostiliter incendit; ita tamen, vt vno authore ipso videlicet se indicato, Israelitæ omnes culpa vacare censerentur, & tamen maius atque citius & minus etiam reparabile damnum inferretur, quàm si per plurium hominum excursiones acta fuisset res. Facilè verò fuit in tam fertili regione, maxima ex parte nemoribus ac saltibus frequenti illa tempestate messis, tantam vulpium copiam ingenio atq; arte venatoria capere. Binas verò colligatas fuisse, exẽplaris lectio declarat, easq; nõ simul coniũctas, sed vtriusq; caudæ fortiter adnexo & longiùs etiã tracto funi medium titionem alligasse ex materia quæ conceptum ignem fouere & diutiùs posset conseruare; qualia pinea, cupressina, cedrina atque oleagina ligna sunt. ea vbi incensa essent, vulpiumq; fuga traherentur, cursu ventilari necesse erat; binis verò vulpibus alligatæ lampades fortiùs trahi, minusq; obiecti is stipulis aut impedimento*

retineri; sicubi verò implicarentur, acuto animalculorum ac versuto ingenio facilius expedirentur. Porrò euentus ipse consilium probauit, cùm non modò sata læta, boúmque labores, verùm vineta & oliueta incendio conflagrauerint.

Dixeruntque Philisthiim, Quis fecit rem hanc? Quibus dictum est, Samson gener Thamnathæi, quia tulit vxorem eius, & alteri tradidit, hæc operatus est.

PVBLICVM *& commune damnum, publica animaduersione puniendum duxerunt Palæstini: ideoq; de facinoris authore, & animi impulsu, & facti causa diligenter inquirunt.* Philisthiim. *quibus publicæ Palæsthinorum rei cura erat, vt magistratus & satrapæ. nam cùm non priuatũ fuisset damnum, nullo etiã accusante, publici magistratus intererat rem cognoscere & factum punire, atque ita in authores animaduertere.* Quis fecit rem hanc? *Consulto atque data opera factum verbum,* GHASSAH *significat, in quo etiam consilij causa cognoscenda fuit. quæritur itaq; de authore, ac de consilio authoris. Author indicatur* Samson. *Animi verò impulsus, hoc est, consilij causa, non ex coniectura arguitur, sed ex manifesta offensione atq; iniuria accepta à socero. Cuius filia, cùm Samsoni publicè nupsisset, tamen alteri ducta a viro fuit, nempe amico & pronubo, idq; admissum indigno exemplo, & ab omni gentium iure, & à fide publica alieno.* Et alteri tradidit. *in exemplari,* Et dedit eam socio illius.

Adscenderuntque Philisthiim, & combusserunt tam mulierem quàm patrem eius.

INQVISITIONEM *factam, iudicium consequutum fuit, quamquam & importunum & nimis serum. quondam enim apud Gẽtes, præcipuè vero apud Chananæos & Palæstinos, adulterij pœna ignis fuerat, vt ex Iudæ aduersus Thamaram nurum iudicio obseruauimus. hoc igitur adulterium à Samsonis coniuge, ex patris consensu & authoritate, vt apparebat, commissum, vt rari exempli, & tãtæ calamitatis occasionem, incendio vlciscendum & placandum duxere Palæstini itidem, quibus de re & causa omni fuerat suscepta cognitio.*

Quibus ait Samson: Licet hoc feceritis, tamen adhuc ex vobis petam vltionem, & tunc quiescam.

INTEMPESTIVVM, *& sibi magis iniurioſum atq; odioſum, quàm opportunum, illorum fuisse iudicium, & sumptum de vxore supplicium, accusat Samson, & sibi vlciscendum denunciat. Nam si illis & crimen illud odio, & Samsonis offensio curæ fuisset, nuptias illas puellæ secundas, ac publicè initas, prohibitas primùm oportuit, atq; antea impeditas, vel, vt primùm factas iam constitisset, iudicio constituto vindicatas, & digna punitas animaduersione. nulla huius rei cognitio, nulla ratio habita fuit, quoad is*

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui singulariter offensus fuerat, certior factus iniuriæ, & ira commotus, vltorem sese ipse præbuit, incensis eorum agris, qui sceleris conscij, arbitri, & dissimulatores, atq; adiutores fuerant. Nunc verò quamquam illi vxoris & soceri incendium ex iudicio à se decretum probare Samsoni vellent, tamen vt intempestiuum & post damni accepti dies factum, ad sui ipsius offensam factum interpretatur Samson: quippe quod tam superuacaneum esset, eo tempore quo ipse iam stomachum suum incensis sedauisset messibus, qui si vxoris & soceri incendio placandus esset, non illorum tarda & lenta exspectasset iudicia, cùm idem ipse potuisset conficere; pepercisse autem illorum corporibus, propter antiquum puellæ amorem; rebus verò damnum intulisse, propter vltionem, quæ satis sibi illo pacto fuerat: nunc verò illam incensam, vehementer se dolere, & non posse non vindicare ait, atq; ita animum iterum à Palæstinis irritatum & commotum explere; maximè cùm fortissimus quisque ignauum & ignominiosum putet, offensiones irásque suas alterius manu & iudicum opera vindicare. Licet hoc feceritis, quod facere vestri muneris fuisse dicetis; tamen cùm non antè feceritis, quàm ego rescirem & punirem, nihil à vobis mea causa factũ intelligo, sed magis inuidia & odio mei, quia istam vltionem ego non appetiuerã, propter amorem puellæ; nec, si appetissem, à vobis postulassem, sed mihi ipse sumpsissem, atq; ita quieuissem; more generosorum hominum, qui contumeliã suam non aliena, sed propria manu vlciscendo vel vindicando propulsant. Nunc verò istud vestrum factum intempestiuè in meum magis dolorem & cruciatum, quàm in legitimum aduersus supplices iudicium, ipse rursus grauissimè commotus, ita grauiter atq; iniquo animo ferre cogor, vt non antè quiescam onusq; deponam, quàm pœnas ipse de vobis sumpserim. Atque hæc præfatus, sese ad vltionem parat publicam. eam verò non alio quàm belli atq; pugnæ pacto & more init: quòd hæc ratio & fortiviro aduersus multitudinem & populum magis expedire videatur, & ad homicidij iudicium reuocari non possit; quippe cùm apertè indicta sit offensæ nomine, atque iure belli, neq; Nazaræe professionis viro vitium aut impuritatẽ afferat. namque & Sacerdotibus & Nazaræis mortui corporis contactu, & homicidio priuato, interdictum omnino erat; publico autem prælio, & cæde hostium publicorum, aut reipublicæ causa perdendorum, non fuisse interdictum, Phineæ Sacerdotis à Deo probatum exemplum apertè declarauerat. Neque verò huiusmodi homicidia in Angeli præceptionibus ac prædictionibus fuerant excepta.

Percussitq́ue eos ingenti plaga, ita vt stupentes suram fœmori imponerent. Et descendens habitauit in spelunca petræ Ethan.

PALÆSTINORVM *turbam illam omnem tam iudicum & magistratuum, quàm ministrorum atq; satellitum, & aliorum ex vulgo, qui ad iudicium illud & supplicium vxoris & soceri Sampsonis confluxerant, pugna*

pugna lacessitos, turbatos, fusos, & grauiter cæsos repentino & vnico impetu intelligimus: idq; nullo ipsius periculo, sed cum magna illorum clade expeditum fuisse, illa metonymica oratione indicauit historia: Ita vt stupentes suram fœmori imponerent. *quæ cùm sua in lingua non adeò impedita sit, interpretando impeditior atq; obscurior euasit. ex verbo autem sic:* Et percussit eos suram super fœmur. *Primum idiotismus ille,* Suram super fœmur, *idem in lingua sancta valet quod in Romana Pariter, vel Tam quàm. vt: Non capies matrem super pullos eadem die. id est, pullis è nido direptis non capies pariter & matrem. atq; ita idem nobis erit* Suram super fœmur, *quod Latinè dici posset, Tam sura quàm fœmore, suram pariter ac fœmur. indicatq; lectio ex metonymiæ ratione, eorum qui à Samsone cæsi sunt quosdam pedites, alios verò fuisse equites, omnesq; pariter à viro inuictissimo turbatos, confusos, in fugam versos, & cæsos. Namq; reperto casu, aut à primo quouis hostium abrepto gladio, tanta dexteritate atq; celeritate rem agebat ille, vt perturbatorum atq; in fugam versorum cùm suras tum fœmora petens cæderet. Suras quidem equitũ, quas sublata manu percutiebat; fœmora verò peditum, quas conuersa affligebat plaga. Hispanicè sic imitari idiotismum possemus:* Daua en ellos quando arriba, quando abaxo, quando en pierna, quando en anca. *in quo celeritas, dexteritas certum semper vulnus, atq; vulneratorum fugientium & procumbentium velut picta, immo viua exponitur imago; neminem enim in pectore vel ventre percussum intelligimus; atq; ita omnes in fugam versos describimus, pedites cruribus, equites verò fœmore currunt. Chaldaica paraphrasis habet:* Et percussit eos equites cum peditibus. *Libet verò & interpretis nostri sensum indicare, qui cùm verteret,* Ita vt stupentes suram fœmori imponerent, *habitum & imaginem expressit eius, qui, dum fugiens & à tergo vulneratus in terram procumbit, ipso casus impetu crus plicare, & sura fœmur tangere cogitur.* Et habitauit in spelunca. *Cùm posthac deinceps Palæstinos sibi infestos fore intelligeret, in locum sese recepit natura munitum, vnde non nisi volentem extrahi se posse existimabat; atq; ita ab insidiis tutus, cætera securus agebat; quippe qui virtute diuina, ad rem palàm in bello agendam, præditus erat. Noluit autem se in patria, vel alia in vrbe abdere, ne vllam hostibus suspicionẽ faceret communis consilij cum Israelitis initi; sed sese vnicum Palæstinis inimicum professus, suorum incolumitati prospiceret.* Petræ Ethan. *à firmitudine & inaccessibilitate nomen locus ille sortitus fuerat.*

Igitur adscendentes Philisthiim in terram Iuda, castrametati sunt in loco qui postea vocatus est Lechi, id est, maxilla: vbi eorum fusus est exercitus.

IGNOMINIOSVM *atq; turpe admodum sibi fore ducentes, vt tam multi ab vno cæderentur, nec id ad diuinæ virtutis rationem reuocantes,*

sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſed hominum more, inuidia atq; odio cæci, de vltione ſeriò agunt, vel vnius hominis ſupplicio, vel illato genti ſuæ bello facienda. quamobrem communicato conſilio, copioſoq; coacto exercitu, certum locũ occupant, vnde vel Samſonem ad ſupplicium poſtulatum & traditum referre, vel Iudæis negantibus, nocere poſſent: cui loco nomen poſtea ex euentu factum fuit Lehhi. Hiſtoriæ ſcriptor, non ex prolepſi ſiue anticipatione, ſed ex nota iam ac celebri ſuo tẽpore fama indicauit, In loco qui nunc dicitur Lehhi, id eſt, maxilla. *cuius nominis ratio mox explicabitur.* Fuſus eſt exercitus. *in varia loca diſtenſus ac diffuſus, vt in obſidionibus diuidi atq; conſtitui ſolet: vt & populo in agros prodituro exitus, & Samſoni euaſio præcluderetur.*

Dixeruntq; ad eos de tribu Iuda: Cur adſcendiſtis aduerſum nos?

NOVÆ *atq; indignæ iniuſtæq; obſidionis & iniuriæ querelã Iudæ tribus per nuncios & curatores ſuos aduerſus Palæſtinos habere ſe ſignificãt; quòd, cùm ipſi oppreſi ſatis atq; quieti ſileant, tamen nunc allato bello infeſtentur, & obſidionibus vexentur, nulla ſua culpa. Nam ſi quæ eſſet, vel antea obiici declarariq; debuerat, vel nunc demum vti declararetur, ius rationeq; poſtulabat. Nemo enim vmquam fuit, niſi planè tyrannus & prædator, qui huiuſmodi expeditionum vel cauſam non indicet, vel ſaltem non prætexat. Antehac itaq; nihil nobis prædictum fuit, nihil nos vobis damni aut mali intulimus: quamobrem nec prodire vos oportuit, nec nobis, nunc ratione non indicata, nocere.*

Qui reſponderunt: Vt ligemus Samſonem venimus, & reddamus ei quæ in nos operatus eſt.

NVLLAM *ſibi aduerſus Iſraelitas cauſam hactenus incidiſſe aiunt; poſſe tamen deinceps incidere non leuem, niſi id quod expetitur, contingat ipſis, vel intercedentibus, vel non adiuuantibus Iſraelitis: eſſe tamen manifeſtam adſcenſus cauſam & legitimã, hoc eſt, contumeliam publicè à Samſone acceptam, quam publicè vindicare decretum fuerit; quippe quem vnà cum pluribus Palæſtinus, ac toti ferè genti illorũ ignominiam attuliſſe conſtet: oporteat quoque eum qui multos vexauerit, à multis ignominioſè vexari, ac ludibrio ſupplicioq; exponi. nec vos bello petere, nec illum hic apud vos occidere, ſed tantùm ligare volumus, vt apud nos in eadem regione, in qua nobis illuſerit, ludibrij pœnas ferat.* Et reddamus ei quæ in nos operatus eſt. *ſua in lingua,* Sicut fecit nobis. *nihil excipiunt, nec locum, nec modum, nec genus vltionis. Deinde illo verbo,* Ad ligandum, *ſeſe non pugnatorum more aut animo adſcendiſſe, ſed legitimo iure Magiſtratus, & reipublicæ ſuperioris atq; dominæ vti, atq; iudicij ſatellitium, non Ducũ aut Imperatorum exercitũ ducere. neminem autem in regione imperij ſui impediri poſſe iure, nec prohiberi à captura ſcelerati, vel criminoſi, vel aliàs iudicium effugientis viri, immo deberi eiuſmodi iudicium & imperiũ ſubditorum*

ditorum omnium ope, manu, & ſtudio tuuari: contrà verò, ſi quid mali vel incommodi impedientibus vel obſiſtentibus illatum fuerit, ipſis culpæ fraudiq; futurum. ideoq; actio iudicialis indicatur; captura, & ligatio, & iudicij cauſa declaratur: Sicut fecit nobis, *veſtri atque illius dominis ac ſupremis iudicibus, in capitali cauſa præcipuè.*

Deſcenderunt ergo tria millia virorum Iuda ad ſpecum ſilicis Ethan, dixeruntq; ad Samſon: Neſcis quòd Philiſthiim imperent nobis? quare hoc facere voluiſti? Quibus ille ait: Sicut fecerunt mihi, ſic feci eis.

IVDICII *nomen, munus, & officium prætextũ cùm audiſſent Iudæi, nec quicquã ea in cauſa excipere poſſent, præſertim tãta dominantiũ coactis manu: ipſi, vt ſibi, reipublicæq; ſuæ caueant, de Samſone vinciendo & cõſtringendo paciſcuntur, quod ſine ſtrepitu, tumultu, atque vtriuſuis partis periculo conficiendum in ſe recipiunt: vtq; magis etiam Palæſtinis perſuadeãt, non pauci aliquot, ſed tria millia ad curæ ſuſcipiunt, cuius manus effugere Samſon, ſine tantæ multitudinis diſcrimine, non poſſet, vtpote fideiuſſorum & ſpondentium pro omni Iſraelitarum republica. Deinde etiam quòd per magnam atq; frequentem manum capiuntur ij, qui vinciendi petuntur, minori vtriuſque partis labore atq; periculo. Hi igitur virum conuenientes, neceſſitatem primùm allegant; deinde culpam à ſe omnem remouent, & in ipſum, quem alloquuntur, deruant.* Neſcis quòd Philiſthiim imperent nobis? *& eorum imperio debemus obtemperare, in iis maximè cauſis & rebus, quæ ad ius magiſtratumq; pertinent, aliàs pœnas daturi interturbatorum aut impeditorum iudiciorum. illi cauſam aduerſum te habere aiunt, noſ iudicij ſui adiutores & ſequaces volunt & poſtulant, ad eam rem, quam acturi venimus: quod nec culpæ, nec voluntati noſtræ adſcribi debet, ſed tuæ potiùs, qui nos in hanc compuliſti neceſſitatem, vt vel te tradamus, vel ipſi damnum malumq; feramus, atq; vt imperij & iudiciorum rei plectamur.* Quare hoc facere voluiſti? *in propria ipſorum lingua,* Et quid hoc feciſti nobis? *Cùm tu illis nocueris, nos in anceps diſcrimen contecieſti, vel te tradendi, vel illorum vltionem ferendi, vltra offenſionem perpetuam, quam illi, vti domini, aduerſus nos, ex generis odio, ſemper perſequentur. Incuſationem ita Samſon excepit, vt nullam gentis ſuæ ad inuidiam, atq; dãnum, malumve, publicè anſam ſibi quæſitam aut datam fateatur; ſed priuata & ſingulari, eademq; grauiſſima iniuria affectum, neceſſitate magis quàm voluntate, quam iure non acceperat vltionem, manu propria ſibi ipſum quæſiſſe & feciſſe ait. non, inquit, iſta cauſa vlla ex parte vobis cum illis communis eſt, ſed mihi cum illis interceſſit ſingulariter. illi me vnum indignis modis præter ius & importuno tempore exceperant, primiq; læſerant, idq; non ſemel tantùm, ſed iterum atq; iterum: ego, cùm neminem opitulatorem inter homines haberem, nimirum vnicũ ac ſingulare caput, multis, & pub-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

lico nomine, atq; adeò à iudicibus & vindicibus ipsis læsum, vicem meam, quibus potui modis, vltus fui; id quod ex naturæ & Gentium iure facere potui. Sicut fecerunt mihi, *non vobis, sed mihi singulariter; ita feci etiam ego vnicus ac singularis non vobis, nec vestra, sed illis, mea causa. & illi primi contumeliã fecerunt: ego, qua ratione potui, propulsaui, & mihi cõsulai.*

Ligare, inquiunt, te venimus, & tradere in manus Philisthinorum.

CVM *quæstio illa de facto non esset, quippe quod aperte constaret, nec alterutra ex partibus insectaretur; definitiua atq; legitima ratio in his actionibus miscebantur, quæ non apud Israelitas tractandæ erant, sed eo in loco & iudicio vbi facinus fuisset admissum, atq; à Palæstinis ipsis, vt potentioribus, & suæ ipsorum causæ supremis vindicibus. Quam quidem ob rem Israelitæ, ad opem ferendam, vt ministri, atq; imperio subiecti, appellati fuerant & demandati, non qui iudicium facerent, sed qui hominẽ apud se agentem, & iudicij reum, in iudicio sistendum, vinctum & constrictum, citra tumultum turbamq; traderent. Non sunt, inquiunt, istæ nunc nostræ partes, vt causæ tuæ nos cognitores præbeamus, sed vt te vinctum Palæstinis tradamus, quorum iuri & foro vel te ex isto facto obligatum, vel nos, nisi tradiderimus, obligandos nouimus; quod vitare posse cupiissemus certe: sed cùm non sine nostro periculo possimus, minori saltem incommodo, hoc est, nihil præterea tibi nocentes, agi optamus. ideo venimus multi, vt publicã causam communi consilio initam cùm videas, nõ ex priuata cuiusquã nostrum malenolentia aut voluntate, sed ex Reipub. vsu & incolumitate actum intelligas; atq; etiam vt multitudinis tantæ conspectu, de publica magis totius populi, quàm de tua vnius salute cogites, & quod ex pietate subiturũ te credimus, id non inuitus subeas; quod etiam per vim recusare non adeò possis, cùm necesse sit, si dimicare velis, vel te, vel nos, vel vtrosq; læsum iri, nec tamen euadere tibi facile sit, tanto vallatum numero.*

Quibus Samson, Iurate, ait, & spondete mihi quòd non occidatis me. Dixeruntque, Non te occidemus, sed vinctum trademus. Ligaueruntque eum duobus nouis funibus, & tulerunt eum de petra Ethan.

NON *minorem in Rempub. pietatem, imò maiorem quàm iidem ipsi erga se ipsos curã, & erga illum clemẽtiam, se illis probaturum, Samson polliceretur, vt qui omniũ aliorũ periculum, nulli præterea communicandũ, sibi cè ac singulariter subire velit, dummodo ab ijsdem gentilibus suis, quos colit de obseruat, quamquam vinctus, tutius tamen ire possit. cæterùm ipsos suo munere & demandato officio sẽ facilè passurũ, æquoq; animo laturum ait.* Quòd non occidatis me. *vos, quos ego minimè à me, aut mei causa offensos volo, & nihil præterea excipio præter mortem, quã non vestra, sed diligo & obseruo, manu mihi, vt non meritus fui, ita illatam nolim, sed*

vitam tam diu conseruatam, quoad Deus produci voluerit. Me, qui vobis numquam nocui, inseruiui autẽ seriò atq; sedulò, vt index ac minister publicus. Non occidatis. *Cætera omnia, quamuis grauia, in me si exercueritis, vt Palæstinis dominis satisfactatis, non recuso; tantùm illud prædicens caueo, vt non occidatis.*

Et dixerunt, Non te occidemus, sed vinctum trademus.

FIDEM *quam ab illis de vitæ securitate postulabat, ampliori etiam officio obstringunt, polliciti non modò se viuum seruaturos, verùm nihil omnino læsuros, vinculis ac traditione exceptis, quòd nec ipse illis quicquam commeritus fuisset quamobrem vexandus esset; nec integrum illis esset eum non tradere, quem iudicij nomine, à se potentiores domini postulassent. neq; verò aiunt se illum in mortem tradituros, quamquam audissent,* Et reddemus ei quę in nos operatus est. *tantùm se illum reum postulatum potentioribus magistratibus tradituros declarant, nihil præterea omnino læsuros. in primæua lingua negatio hoc modo geminatur:* Et dixerunt ei, dicentes. *amplius etiam responderunt, quàm rogati fuerant.* Non, sed ligare ligabimus te, & dabimus te in manu eorum, & morte non morti faciemus te. *prior negatio* Non, *cætera omnia excipit, etiam quæ ab illo non fuerant excepta, & plus etiam, quàm ille poposcerat, promittit; nec illius defensioni cauet. vbi iam ipsi suo officio defuncti fuerint, hoc est, vinciendi atq; tradendi. nihil, inquiunt, nos tibi omnino timeas nocituros. nihil tu nec nobis nec illis noceas, quoad iam traditus fueris in manu eorum, quòd verò de morte caues & adiuras, nec nunc te nos occidemus, nec, vbi traditus fueris, illos aduersum te iuuabimus, aut tuam mortem vllo modo pacto vel curabimus,* Tu vide quid, *postquam traditus fueris, agendum tibi sit; à nobis verò nihil prorsus metuendum pollicemur. verùm hoc tãtùm patiere, vt te quàm validissimè vinciamus, vinctumque tradamus; ne illi nos vel negligentiæ, vel rebellionis insimulare possint, ac lædendi causas ansasque inuenire.*

Ligaueruntque eum duobus nouis funibus, & tulerunt eum de petra Ethan.

SATELLITVM *munus diligenter atq; accuratè, atq; adeò satis superq; sibi abundè præstitum & auctum, Palæstinis probare studuerunt Iudæi, qui non vno tantùm fune, vel tauris vinciendis ac trahendis idoneo, sed duobus, iisdemq; recentibus, atq; ideo fortissimis, postulatum sibi hominem ligantes, de loco etiam inaccesso & tutissimo deductum, atq; ita captũ, itaq; habitum, integris vinculis in manus tradidere eorum, à quibus id agere iussi fuerant. Quòd si vel ex pacto, vel aliàs non vinctum deduxissent, tamen vbi in postulantium potestatem, atque in medium illorum cœtum manu tantùm captum redegissent, non malè officio suo functi fuisse dici possent, qui vnum hominem inermem, multis armatis & non imparatis commisissent.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Qui cùm veniſſet ad locum maxillæ, & Philiſthiim vociferantes occurriſſent ei, irruit Spiritus Domini in eum: & ſicut ſolent ad odorem ignis lina conſumi, ita vincula, quibus ligatus erat, diſſipata ſunt ac ſoluta.

SAMSONIS *vim illam admirandam, non ex naturæ ſingulari aliqua parte, nec ex aſtrorum aut artis cuiuſpiam efficientia inſitam, neque ex Nazaræi habitus virtute innatam, aut inhærentem, ſed ex diuina voluntate & affluentia pro loco ac tempore contigiſſe, apertè declarat illa eadem repetita animaduerſio:* Irruit Spiritus Domini. *Qui nunc eò loci irruiſſe indicatur, in quo Iſraelitis, quid amplius ageretur, nihil reliquum erat, & Palæſtinis hominis ad vltionem expetiti facta erat copia, quam ipſi gratulatione magna, & lætitia, atque adeò irriſionis indice vociferatione exceperant. etiuſmodi enim clamor compotes illos factos declarabat. Quod ſi quippiam contrà molitus aut conatus fuiſſet Samſon, vt quidem euenit; id nihil ad eos attinebat, per quos vinctus, deductus, ac traditus fuerat: ab his enim non vt occideretur, ſed vt vinciretur, fuerat poſtulatum. Namque nec Palæſtini illum à gente propria, ſed ab ipſis occiſum, ignominioſè, atque crudeliter, petulanterq; habitum cupierant. Vt reddamus, inquiunt, ei quæ in nobis operatus eſt. Quamobrem vltionis huiuſmodi ſua manu atque ex libidine ſumendæ, iam ſibi compotes viſi, obuiam vincto, deducto, ac tradito facti, gratulabundi atque alacres vociferantur. eodem verò loco ac tempore quid conſilium, quid robur humanum poſſit, quid diuina virtus efficiat, ſuo magno periculo atque malo ſentiunt.* Ad locum maxillæ. *qui poſtea id nominis obtinuit. Namque indicatio hæc ex perſona ſcribentis excipienda eſt, vt apud Poëtam:* Altaque Pangæa, & Rheſi Mauortia tellus, Georg. 4.
quæ longè poſt Ariſtei paſtoris ætatem, Rheſi fuit. Spiritus Domini. *Vis ac virtus præſtantiſſima, ac planè diuina efficaciſſimaq; fortitudo, cuinem naturæ mortalis aleam ſuperans agilitate ac dexteritate maxima, qualis fulminis eſſe ſolet, cui fortiſſima quæque diſſipantur celerrimè. Namque huc illa ſimilitudo brachiorum & funium, igni atque lino comparata, ſpectat. in exemplari ſic:* Et fuerunt illi funes craſſi, qui ſuper brachia illius, ſicut lina quæ exuſta fuere igne; & diſſecta ſunt vincula illius deſuper manibus illius. *non enim brachiis tantùm ligatus fuerat, ſed reuinctus poſt terga manibus, plures fuerant atque difficillimi nodi conſti, quibus diſſoluendis, aut gladio, aut igneavi, qualis illi contigit, opus foret. O quàm verè, quàm aptè, quàm expreſsè immortalem Chriſti virtutem & efficacitatem immortalibus atque redituuis membris, hac imagine expreſſam intuemur, ſi myſteria reuelare iam tempus eſſet! Adſit clauis Dauid, & aperiat quod præterea nec aperire, nec claudere quiſquam poteſt alius.*

Inuen-

Inuentamque maxillam, id eſt, mandibulam aſini, quæ iacebat, arripiens, interfecit mille viros.

HI *in curribus, hi in equis, nos autem in nomine Domini ſperauimus, canebat Vates: cuius viuum admirandumq; exemplum Samſon præbuit, qui ſolus & inermis, oblata tantùm aſelli mãdibula, magnã & paratiſſimam atq; inſtructiſſimam armatorum hominum manum ſuperauit, & fuſam in fugamq; verſam tamen bona ex parte cecidit, atq; incolumis ipſe, vbi voluit, cædendi finem fecit, tanta dexteritate, vt breuiſſimo tẽpore, exiguóque ſpatio campi, mille hominum neci dederit; tanta etiam animi integritate atque præſentia, vt iudicem magis, quàm vltorem egiſſe viſus fuerit; & victoriæ compos factus, ipſe Deo virtutis ſuæ authori carmen condiderit, monumentumq; ſtatuerit, quod in huiuſmodi magnis euentibus, quicumq; ſuperiores euadunt, propter lætitiæ inſolentiam & arrogãtiam rariſſimè præſtare poſſunt. Vix enim recta eloqui ſolent in illo victoriæ feruore, nedum carmina valeant condere.* Inuentamque maxillam, id eſt, mandibulam aſini. *Ipſa res oblatæ imago viro prudenti atq; cælitus afflato rei gerendæ ſignificationem modumq; præbuiſſe viſa eſt, quæ Latinis verbis minùs exprimi poſſit, quàm ipſa genuinæ linguæ ſimplicitate:* Maxillam humẽtem hhamor. *ita ex verbo vtcumq;. Cùm nihil illic ex omni aſelli cadauere præter maxillam fuerit inuentum, eaq; non ſicca, ſed humeſciens, atque pelle carneq; exuta reperiretur, aliunde à cane, leone, vel ab alia fera allata, ibidemq; relicta, arguipotuit; id verò Samſon non ad caſum, verùm ad prouidẽtiam retulit: cuius cogitationis nobis id ſignũ argumentumq; eſt, illud ipſum armorum genus, vt diuinitus oblatum, ad confectæ vſque rei finem non illi fuiſſe relictum, nec aliud vel firmius vel commodius, vel ex hoſtiũ cadentium manibus vſurpatum. tam verò quod humidũ os illud lectio deſcribat, & ad vim durationemq; pertinet; quod eiuſmodi oſſa, vbi valde ſicca ſunt, ad frequentiorum plagarum tẽtus minùs, quàm humentiora, reperiuntur idonea. Eſt autem* THERIAH *Latinis humidum, non quouis humore, ſed lento atq; craſſo, qualis ex vulneribus & vlceribus manat; vnde Iſaias Pla-* Iſaiæ 1.
gam THERIA *dixit. intellexit ergo vir prudentiſſimus, mandibulã illam ſibi ad plagarum letiferarum vſum fuiſſe oblatam; nec tamen victoriã forte omnino perſequendam, ſed vltionem tantùm parandam, qualem in magni populi crimine ac ſcelere parare leges ac principes conſueuere, nimirum certis quibuſdam capitibus cæſis, quorum exemplo cætera turba caſtigata reprimatur. adeò magis putaretur, animalis, cuius maxilla fuerat nomen, adiuuit.* HHAMOR *grauitatis ac ponderis, deinde etiam cumuli ſignificationem obtinet, ex quo etymo nomen etiam ei tumento factum, quod Latini aſinum dicunt. Grauiter igitur puniendos ſibi intellexit, ita tamen vt ex* HHAMOR *ſignificatione & ratione non excederet: quod ipſum diligẽter & accuratè obſeruatum, exitus indicauit; quippe cùm vbi millenario cæſorum perfecto numero & ſtragi modum poſuit, & maxillam abiecit, inſtar*

Universidad de Deusto
Biblioteca

eius qui tumultuantem populum nihil metuens, nihilq. ipse sibi cauens, oblata fuste compescit; quam vbi satis exercuisse visus fuerit, è manu abiecit. Atq. animi præsentia, fortitudo & integritas, vel ipsa numerãdi atiẽtione perspicitur, cui ab vno ad mille vsque quasi per lusum petiti & occisi sunt.

Et ait: In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum deleui eos, & percussi mille viros.

RERVM *præclarè gestarum euentus versibus, quos pæanas Græci vocant, celebrare consueuit antiquitas. Atq. hic Poëtarũ vnus inter præcipuos labor fuit:*

Horat. Art.

Post hos insignis Homerus
Tyrtæusque mares animos in Martia bella
Versibus exacuit. *Et illud:*

Theocr. eid. 16.

Ἀτὰρ τοῦτο Διὸς κούρας μέλει, ἀιὲν ἀοιδοῖς,
Τιμῆν ἀθανάτοις, ὑμνῆν ἀγαθῶν ΚΑΕΑ ἀνδρῶν.

Huius generis breue quidẽ, sed elegans carmen trophæi sui gratulatorium authori spiritusq. sui amplificatori Deo, ex tempore Samson edidit, cuius exemplum totius rei gestæ summam rationem complexum, historiæ scriptor ad perpetuum monimentum posuit. Et ait. *verbum* AMAR, *animi sensum primùm, deinde elocutionem ipsam cum certa sententia significat, quam obrem sæpissimè à Latinis vertitur in* dicere, *atqui vocabulum hoc Oratoribus atq. Poëtis sua in arte vtrisque familiare & graue est. Nam illis idem significat dicere, quod disertè, ornatè, & aptè loqui, atque demum perorare: his verò idem quod rectè, sapienter, & concinnè canere. vt:*

Dicite, quandoquidem in molli consedimus herba.

Et, Dicere res grandes nostro dat musa Poëtæ.

ita hoc loco verbum, Ait, *siue* dixit, *idem valet quod aptè, commodè, & poëticè cantauit.* In maxilla asini. *Carmen dicolon idémque districhon est, in primæua lingua eleganti tum numerorum atq. accentuum, tum etiam figurarum, schematum, ac troporum structura constat artificiosa, quæ rei gestæ non solùm sententiam breui oratione cohibet, sed modũ, etiam gestum, & habitum gerentis ipsa numerorum atq. modorũ æstimatione oculis quasi subiicit, atque auribus repræsentat. Nec verò idem nos aut Græca aut Latina, aut alia, quam nouerimus, lingua totidem partibus atq. ornamentis reddere possumus: explicare vel indicare conabimur verborum sonum Latinis notis vtcumque imitati:* BILHHI HAHHAMOR HHAMORATHAIM, BILHHI HAHHAMOR HICHETHI ELEPHIS. *Latinè sic ex verbo reddemus duobus vocabulis suo in sono relictis:* In maxilla HHAMOR HHAMOR HHAMORATHAIM, in maxilla HHAMOR percussi mille virum. *Prior versus tredecim, posterior duodecim constat syllabis, quos Græcorum & Latinorum elegi imparitate numerorũ æmulari videntur. Iam verò sensum explicemus, cuius illud summum argumentum est, Samsonẽ videlicet animo præsenti, viribus integris, nihil*

nihil trepidantem, ac veluti in ludo & arena sese exercentem, non vt dimicantem, vnica asini mala mille strauisse viros, ex quibus bini acerui conflari possent, qui quingentena continerent corpora. id verò animo primùm constituisse suo, monitum nimirum ipso percutiendi instrumento & nomine. Namq. HHAMOR *in illa lingua idẽ significat, quod Asinus Latinè; acerus etiam grauium rerum eodẽ aut affinissimo vocabulo dicitur* HHAMOR & HHOMER. *id verò quod animo institutum fuerat, euentu ipso fuisse præfinitum, videlicet, vnius* HHAMOR *vnica mala, duo* HHAMORATHAIM, *duos, inquã, aceruos fuisse confectos mille virũ numeratis & occisis à se vnico viro. Namq. nomẽ* IS, *pro quo Latinè reddimus* VIR, *& virũ & singularẽ significat, & hoc loco integram significationem obtinet, hoc sensu, Ego vnicus vir mille singillatim numeratos occidi viros vnica asini mala. Interpres noster partem illam carminis* HHAMOR HHAMORATHAIM *vertit,* In mandibula pulli asinarum, *quod etiam* HHAMORATHAIM *duas asinas significet, & duas etiam pistrinorum superiores molas, quæ Græcè ὄνοι dicuntur, id est, asini.*

Cùm hæc verba canens complexet, proiecit mandibulam de manu, & vocauit nomen loci illius Ramath-lechi, quod interpretatur eleuatio maxillæ.

CASTIGANDI *vicemq. illam suam vlciscendi finem factum sibi illo habitu ac gestu significauit, atq. loco, in quo gesta sibi res fuerat, nomẽ dedit, quod æternum esse voluit diuinæ virtutis sibi collatæ monumentum.* Ramath-lehhi. *verbum* RAMATH *Chaldaicus sermo pro* SALAHH, *Chananæo vsurpat: significat verò Latinè mittere, iacere, abiicere, in altum iactare. id autem more eorum factum videtur, qui bello ac victoria defuncti, arma ex voto in templorum postibus vel in tholis suspendunt, Deoq. tutori ac propitio dedicãt. proiecerat autem Samson maxillam in sublime; quæ deinde reuersa decidens, locum plagæ in imo signauit solo, vt ferè ex ponderoso aut graui durioris corporis casu fieri solet. Namque vel lapides ipsi huiusmodi plagis feriti signum accipiunt, vt ille aiebat:*

Quotties rimosa & curua fenestris
Vasa cadunt, quanto percussum pondere signent
Et lædant silicem. Quod interpretatur. *Siue ab interprete explicationis causa, vt fit, hæc adiũcta fuerint, siue aliàs ex aliquo marginis scholio in contextum irrepserint, aptè quidem & percommodè cecidit res.*

Sitiensque valdè, clamauit ad Dominum, & ait: Tu dedisti in manu serui tui salutem hanc maximam atque victoriam; & en siti morior, & incidam in manus incircumcisorum.

EX *via qua vinctus deductus fuerat labore, excursus agilitate, plagarum imponendarum frequentia, diei atq. solis æstu calorem, ex calore verò sitim*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sitim incendi necesse fuerat, qua nulla importunior humano corpori, nulla impotentior affectio est; adeò vt ægrotantibus ex febri tolerabilior periculi metus, quàm sitis videatur sensus. loco igitur arido, & siti & aquæ inopia laboranti Samsoni fides præstò fuit, orationemq; dictauit ad singularis prouidentiæ Dei exemplum efficacissimã, quæ & firmo rationis argumento, & opportuno querimoniæ affectu non modò perorata est, sed quàm celerrimum impetrauit laboris subsidium, cum æterno monumento diuinæ virtutis atque voluntatis in eos, qui pro vera pietate in temporum vel locorum angustias quocumq; modo inciderint. Tu dedisti. *Rem omnem, quæ à se gesta confectaq; fuerat, non suæ, sed Dei virtuti acceptam referens, argumentum capit, quo se ab illo maximo sitis labore liberandum credit & sperat. Cùm, inquit, tu me ab hostium impetu, inuidia, & odio non modò eripueris, verùm victorem maxima cum vltione statueris; quî fieri potest vt nunc siti peream, atque hoc pacto vel semiuiuus vel mortuus incircumcisorum potestati permittar, atq; ita, qui tuum nomen numenq; veneror, colo, atque adoro, eorum, qui à tua religione alieni sunt, ludibrio atque derisioni expenar, dicarq; à te ereptus, illis tamen à siti, quã tu non mihi expleueris, fuisse proditus, atque ita tua maxima & in omnem partem efficacissima virtus in dubiũ reuocetur, & prouidentia in seruos cultoresq; tuos apud homines laboret. Quare non tantùm de me saluteq; mea hoc in periculo, quàm de nominis tui maiestate & authoritate agitur; quã vt tu apud hostes asseras, mihi voluntatis tuæ, atq; salutis huius ministro consulendũ statues. idq; cùm credam & opto, & anxius etiam postulo; hanc fide plenam, & querelæ teneritate blandam precationem felicissimus, & ad pietatis exemplum piorumq; spem commodissimus, consequutus est euentus.*

Aperuit itaque Deus molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt ex eo aquæ. Quibus haustis refocillauit spiritum, & vires recepit. Idcirco appellatum est nomen loci illius, Fons inuocantis de maxilla, vsque in præsentem diem.

CVM *huiusmodi exempla omnia quæcumq; quondam edita sunt, ad præsentium & posterorum hominum eruditionem, pietatem, fidem, atque spem promouendam constare Deus voluerit, iis modis rationibusq; comparanda curauerat, quæ manifestam veritatem indicare ac diutissimè conseruatam referre possent. Potuit ille aridam illam Samsoni sitim, vel temperata ventriculi, præcordiorum, atque membrorum cæterorum refrigeratione & humectatione, vel humidiore immisso spiritu, vel altis plurimis modis restinguere aut sedare: sed nulla ad prouidentiæ manifestum exemplum atque firmum augmentum res potior fuit, quàm naturalis aquæ suppeditata copia, cuius vis magna cum suauitate sitim leuare potuit; & perpetuitas conseruati fontis, memoriam beneficij in posterum propagauit. Verùm quemadmodum miraculum hoc editũ, qua materia, quo loco atque vsu factum fuerit, ex*

ex lectionis Latinæ simplici contextu declaratu difficilius fuerit, ni ex alius etiam versionibus, atq; adeò ex primæuæ linguæ obseruatione suppetant auxilia. Aperuit itaque Deus molarem dentem in maxilla asini. *Simplex Hebraica lectio ita habet:* Et fidit ELOHIM illud MICTHAS quod in LEHHI. *Chaldæus paraphrastes exponit:* Rupit Deus rupem quæ in maxilla. *Græci verò interpretes sic*, Et aperuit Deus τὸ τραῦμα τῆς σιαγόνος. *i.* vulnus *siue* percussionem maxillæ. *itaq; omnis huius aperiendi loci cardo duobus illis verbis inuertitur,* MICTHAS & LEHHI. *Nomen autem* LEHHI *malam siue maxillam Latinè dicere licet, & illud os partemq; illam capitis significat, qua dentes continentur inferiores, alio Latino vocabulo mandibulam dictam ab iis qui de animalium partibus disputant. Sed in hoc ipso historiæ capite animaduertendum fuerit, locum, in quo Samson hostium stragi modũ imposuerat, mandibulæ tactu percussum, nomen quoq;* Ramath-Lehhi, *siue* LEHHI *absolutè, deinceps in posterum obtinuisse, & superiùs ita legi: Cumq; venisset ad locum qui vocatus est Lehhi. Atque locum illum, in quem proiecta maxilla deciderat, rupem siue silicem fuisse intelligebamus, duri ossis plaga læsum & signatũ, vti fieri solet, atque vt in huiusmodi exemplis visitur sepissimè. nam cùm vehementi aliquo ictu vel lapis, vel murus, vel tignũ quodpiam, vel aliud corpus exterioribus petitur, & plagam accipit, & plerumque vel partis alicuius elisione mordetur, damnumq; fert, vel contusione abscedit, & cõuexam vasculi formam, vel aliquam aliam excipit ac retinet notam. Atqui robustissima Samsonis vt proiecta in altum maxilla, auctis etiã vehementi descensu viribus, locum, vbi decidit, non modò notatũ, sed altiùs etiam percussum ac læsum euasisse oportet. id signũ, siue id cauum quod visendũ manserat,* MICTHAS *dictitatum interpretamur. vocatur autem* MICTHAS, *quidquid in mortarij formam cauum vel subcauum spectatur, cuius descriptio χρῖλο Græca littera figura indicari potest, siue ea laxior, siue angustior sit, hoc modo* ∪. *Igitur ex eiusmodi loco, quem proiectæ ac magno impetu decidentis mandibulæ signauerat plaga, Deo miraculis miracula addente, & rei memoriam atq; voluntatem suam testante, diffissa rupes aquã effudit copiosam & perennẽ. cùm verò locũ* ETHHAMICTHAS ASSER BALEHHI, *scriptor appellauit, Latinè vtcumq;*, Illum mortarium qui in LEHHI (*sic postea dicto loco*) erat, fidit, & egressæ sunt ex eo aquæ, *ex eodem loco percusso antea, nũc verò diuinitus tacto, quæ ab imo terræ sinu eruperũt magna copia.* Et refocillauit spiritum. *Ex propria lingua:* Et rediit spiritus suus, *qui præ æstu & sitis vi atq; ardore penè efflatus fuerat. ex qua descriptione sitis causa & effecta etiam cognoscũtur.* Et vires recepit. *rectè explicatum est verbũ* LEHHI, *quod viuere, & sanari, valereq; significat.* Ideo appellatum est nomen eius. *Nomen loco ex re atq; efficientia authoritateq; fa-*

ctum, monimenti perpetui vicem tenuit, atq; id ipsum non ad maxillam os-

seam, sed ad illam rupem LEHHI *vocitatam totius huius historiæ rationem referendam docuit.* Fons inuocantis de maxilla. *Sententiæ ac dictionis germana vis in primæua lingua cõstat, quæ in alias nõ pari numero æqualive lance transfundi potest.* GHAIN, *oculum significat in illo sermone primùm simpliciter, deinde etiam viui fontis scaturiginem non alio verbo vel frequẽtiùs vel aptiùs exprimi notauimus. Quam ob rem ab interprete nostro idem vocabulum interdũ oculi, sæpè etiam fontis nominibus redditur, vt Græcorum glossa interdum lingua, nonnumquam adnotatio & commentatio nobis dicitur: quod cùm contingit, ad vtriusque significationem veram & tertam sensum tenere volentibus est respiciendũ. hoc vocabulo per Samsonem vsurpato, diuina prouidentia singulariter sibi declarata, & manifesto exemplo cognita, laudatur. Namque oculus in arcano sermone, tutelæ & prouidentiæ imaginem exhibet. vt, Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Idem itaq. significat* GHEN, *quod oculus primario, & secundò fontem: quare idem valet,* Fons inuocantis, *quod fons inuocanti suppeditatus ex diuinæ prouidentiæ oculo atq. singulari beneficio.* De maxilla. *de loco illo cui* LEHHI *nomen factum fuit. In germana lingua,* Qui in LEHHI vsque in diem hanc. *Perennem ac perpetuũ vsque ad sua tempora fontem eò loci visum fuisse, historiæ scriptor narrat, eumq. prætereuntibus tantarum memoriam rerum conseruasse. Hunc locum Græci interpretes ita verterunt:* Ideo vocatum est nomen illius, Fons inuocanti, qui est in Maxilla vsque ad diem hanc. *Chaldæus autem sic,* Vocatum est nomen eius, Fons qui datus est in oratione Simson. ecce ipse constans in LEHHI vsque ad diem hanc.

Iudicauitque Israel in diebus Philisthiim viginti annis.

QVAMQVAM *antea propter virtutem in honore ac dignitate habitus, & rerum in republica agendarum arbiter nonnumquam datus aut statutus fuisset; ex hoc tamen tempore, propter tantæ salutis atque diuinæ erga illum gratiæ spectatum exemplum, Israeli omni præfectus fuit, eaq. præfectura per totos viginti annos producta est, rebus tamen Israeliticis sub Palæstinorum potentia manentibus; ita vt hi viginti anni in maiori quadraginta annorum numero sint inscribendi, cùm ille Palæstinorum iugum non fregerit, sed aliqua ex parte quassauerit. Hæc illius exceptionis sententia est,* In diebus Philisthiim.

CAPVT

ABiit quoque in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingressusque est ad eam. Quod cùm audissent Philisthiim, & percrebuisset inter eos intrâsse vrbem Samson, circumdederunt eum, positis in porta ciuitatis custodibus, & ibi tota nocte cum silentio præstolantes, vt facto mane exeuntem occiderent.

ALIVD *diuinæ ac singularis prouidentiæ admirandum testimonium huius capitis narratur initio; quod manifestè indicat, nihil periculi ab hominibus metuendum ei, quem Dei sibi vindicauerit tutela, siue populo omni, siue singulari cuipiam capiti; & contrà humanam vim industriamq. omnem vanam omnino euadere, quæcumq., quocumq. tempore & modo, cælesti vi aduersari aut repugnare contenderit. Quam ob rem in illam vrbem, quæ inter Palæstinorum primas numerabatur, venerit Samson, cùm scripta historia apertè non enarret, certam indicare non possumus: sed ex illius tamen studio ac mente conijcere, non prorsus ducimus alienum. Erat autem mens, quam superiùs iam historiæ author patefecerat: Parentes autem eius nescie-* „
bant quod res à Domino fieret, & quæreret occasionem contra Philisthiim. „
Et vidit ibi mulierem meretricem. *Quamquam Græcus interpres vocabulum* ZONAH, *in πόρνην plerumq. transferat; tamen perpetua & constans Chaldaicæ versionis consensio, cui doctorum antiquorum schola semper subscribit, ad munus magis quàm ad vitium refert, idemq. ipsa nominis etymologia adstruit. Namq. ex* ZANAH, *quod victum quærere significat, nomen* ZONAH *fit, commune ius quæ operam domumq. suam, & merces viliores omnium publico vsui prostituunt, cuius generis cauponæ, meritoriæ tabernæ, tonstrinæ, & iumentorum locatores, & plura alia sunt, in quibus etiam eæ interim ponuntur, quæ corpore suo quæstum faciunt. in Latino sermone etiam à verbo mereri, meritoria, & meretrix, & multa alia deducuntur: & meretricis honestius quàm lupæ, aut scorti, aut procacis vocabulũ esse obseruauimus. certè Chaldæus paraphrastes* PVNDAKITHA *semper vertit, id est, mulierem quæstum facientem ex* PVNDAK. *est autem* PVNDAK *domus omnis, quæ vel ad diuertendum, vel ad mercatum constituta est. Italicus sermo nomen idem hodieq. frequentat* Fondaco. *Si quis verò hanc atque illam alteram in Iosue historia Rahab celebrem, atque duas illas quæ ad Salomonem iudicij causa venerunt, meretrices, hoc est, lupas fuisse contendat, idq. ex Græco vocabulo apud Iacobum πόρνη vrgere studeat, remittemus profectò contentionem vnica adnotatione tantùm adhibita, videlicet, suspicionem huic nomini non ex persona semper, sed ex munere, & muneris periculo atque occasione nasci, vt in commentariis in Iosue insinuabamus. Hoc verò loco libẽter illis adhæremus, qui Samsonem virum optimum, Israelitarum iudicem integrum, Nazaræum professione &*

Universidad de Deusto
Biblioteca

electione atq; præcepto, fortem, & strenuum, & multis aliis partibus mirabilem, hospitij potiùs, quàm libidinis causa ad mulierem illam diuertisse; quam etsi scortum esse nosset, non modò sine infamia, sed nec sine nefario aduersus Israelitarum sanctas leges crimine ac scelere adire posset. Quod verò dicitur, Et vidit ibi mulierem : *simulatq; vrbem ingressus est, mulierem tabernariam, sese ad hospitium inuitantem, vidit, & rectà petiit. Namq; huiusmodi hospitia meritoria prima vrbem ingressis visuntur secundùm mœnia, quo situ etiã illa Rahhabæ apud Ierichũ ita erat.* Et ingressus est ad eam. *Sua in lingua simplici oratione,* Et adiit eam. *diuertit ad illius domum. oportet autem illius vrbis vel vnicam tãtùm fuisse publicam portam, vel nullam Samsoni ex sua regione venienti opportuniorem fuisse, nullam redituro posse commodiorem indicari, cui ad vnicam tantùm portam excubiæ atq; insidiæ sunt positæ.* Quod cùm audissẽt Philisthiim, & percrebuisset inter eos. *In exemplari lectio concisa ac breuis, secretum rumorem non sòlùm indicat, sed imitatur & exprimit etiam hoc tropo,* Gazathensibus dicendo, Venit Simson huc. *Vt in antecedentibus enarrationibus Palæstinorum nomine magistratum ipsum præcipuè significari adnotabamus; ita hoc loco etiam non ad omnes Gazæ ciues, sed ad populi primores & præfectos occultè ex eadẽ domo siue taberna fortasse delatũ est Samsonem eò venisse: siquidem huiusmodi proditionem illa singularis loci notatio subindicat,* HENAH, *Latinis* Huc. *id quod Gazathensibus auditu gratissimum fuit, & occasionem afferre visum ad perdẽdum inimicum publicum, in gratiam & gratulationem ciuitatum cæterarum, atq; adeò totius regionis. verùm quod ad rem conficiendam faceret, consultum visum est. nihil noctu aut in tenebris mouere, nihil tentare, cùm vni ac singulari capiti, vel ad effugiendum, vel ad lædendũ eos qui se aggrederentur, illud tempus nocturnum magis quàm ipsis ad illum perdendum iudicaretur idoneum. Igitur per insidias imparatum, nihilq; sibi prospicientem, interficiendũ sibi esse statuerunt, silentio interim per totam noctem indicto & seruato, omnibus cõscijs vallare quidẽ domũ & obseruare, verùm quiescere atq; silere prorsus iussis, nequid sibi parari vel præsentiret vel metueret Samson.* Vt facto mane exeuntem occiderent. *Exemplar ita habet :* Dicentes, Vsque ad lucem matutinam, & occidemus eum. *Consilij atq; decreti summa fuit, nocte tota singulis suo insidiantibus loco, quietè agendum atque silendum prorsus: prima autem post aurorem luce, omnium studium non in capiendo, sed in occidendo communiter ponendum esse, cùm certior de occiso atq; facilior minusq; periculosus videretur peti posse triumphus, quàm de capto. & illud aliud antè consilium de vincendo viro, infeliciter Palæstinorum reipublicæ cessisset.*

Dor-

Dormiuitq; Samson vsque ad medium noctis: & inde consurgens, apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis, & sera; impositasq; humeris suis, portauit ad verticem montis qui respicit Hebron.

SAMSONEM *paratarum insidiarum vel suspicionem ex animi sapientia & prudentia sibi ipsi mouisse, vel indicium ab ipso, quo agebatur, fortitudinis spiritu accepisse credimus, atq; ideo securum ad eam vsque horam cubuisse, qua obseruatores atq; custodes somno sopitos intelligeret : id quod facilè incidit, cùm illi omnino quietem & silentium sibi imperatum curauissent, atq; ab excubijs ad soporem traducti essent, existimantes numquam illum ad lucem vsq; proditurum, quem somno saturi valentiùs quàm*

vigilia debilitati impetere atq; perdere possent. Mediæ itaq; conticinio noctis euigilans, atq; domo prodiens, & proximam vrbis portam petens, maxima pariter celeritate & fortitudine non solùm patefecisse sibi ad exeundũ, sed exspoliasse, atq; in hostium ignominiam, Dei verò salutaris gratulationem & laudem, vtrasque fores ad montis vsq; editissimi cacumen humeris sublatas, & procul vndique tam hostibus quàm Israelitis conspiciendas statuisse

Universidad de Deusto
Biblioteca

tuisse narratur. quo trophæo nullum post hominum memoriam singulari cuipiam viro admirabilius positum constat. Cum postibus suis. *Ex Hebraicorum nominum significatione, & architecturæ ratione, geminum limen interpretamur, superius & inferius; non ea quidem quibus porta ipsa murorum nectitur, quæ supercilium & limen vocantur, ex eademq; materia in rectè constitutis ædificiis sunt, quo postes siue parastatæ. Hi verò quos interpres noster postes dicit, lignei, vt fores ipsæ, fuerunt, foraminibus excauati, quibus cardines volui possent, atq; à poste in postem pertinentes, atq; cuneis vtrimque & paxillis obfirmati, ita vt hærerent firmissimè, & cùm fores reficere opus foret, possent citra murorum atq; portæ rupturam fabrorum industria mutari. Verùm omnia hæc inter se coniuncta & cohærentia, atq; transuersi vectis & seræ firmitudine connexa, vno nixu conuelli nulla humana arte, nulla nisi Samsonis vi, hoc est, à diuino Spiritu communicata, conuelli simul potuere, ne dicam & in editum montem asportari: cùm vel expeditissimo cuique & agillimo vel vnicus adscendendi motus & labor lassitudinem pareret. quemadmodum verò vtraque fores humeris impositas asportauerit, adiuncta nobis depicta imago repræsentauit.*

Post hæc amauit mulierem quæ habitabat in valle Sorech, & vocabatur Dalila. Veneruntque ad eam principes Philisthinorum, atque dixerunt.

QVANTVM *sapientiæ ac prudentiæ immoderata humani amoris vis turbare, quantum rerum perdere, quantum etiam seminarum ars, fallacia, & importunitas cõficere possit, hoc Samsonis ac Dalilæ exemplo docemur.* Post hæc adamauit. *in exemplari,* Et fuit post hæc. *Singularis historiæ exordium in sacris scriptis huiusmodi esse solet. ita enim & Iosuæ liber inchoatur, Et fuit post mortem Mosis. Ex amore Samsonis consuetudinem, ex consuetudine familiaritatem natam intelligimus; idq; demum Palæstinorum principibus perpetuo viri odio laborantibus fuisse compertum; atq; iis modis tentatum, quibus perinci posse sperabatur, nimirum amore, & fœminæ ingenio muneribus corrumpendo.*

Decipe eum, & disce ab illo in quo habeat fortitudinem, & quo modo eum superare valeamus, & vinctum affligere. quod si feceris, dabimus tibi singuli mille centum argenteos.

PVBLICAM *ignominiam & inuidiam communi omnium principum consilio & publico impendio vleisci oportere, decretum fuerat: cuius adornandæ & efficiendæ rei cura, nullis legatis, nullis priuatis nuncijs credita est, sed ipsis maximarum vrbium satrapis pariter suscepta: id quod maius apud mulierem authoritatis, taciturnitatis, atq; fidei pondus ac momentum habere potuit. Quid enim illius moris & consuetudinis fœmina, quinquemaximorum virorum, atq; suæ gentis principum (qui sua lingua* ZZARNIM,

NIM, *id est, satrapæ appellabantur) præsenti amplitudini negaret? cùm is sexus gratiæ & gloriolæ atque celebritatis quocumque pacto comparandæ auidissimus esse, iam inde à principio humani generis notatus sit. S. S. E. Eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Itaq; primùm authoritas rogantium, & gratiam pollicetur, & securitatem promittit, atq; omnem amoris excusationem præoccupat, omnem etiam proditionis atq; doli culpam obscurat: quippe cui priuata res publicæ vtilitati ac dignitati posthabenda insinuabatur, minusq; esse indicabatur damni & incommodi, si valde noxiũ & iniurium caput perderetur, quàm si tot millia quotidie magno cum dedecore perirent. Huiusmodi itaq; ratio personarum in hac actione fuerit habenda. Oratio verò ad persuadendum callida, & aptè composita, & suis partibus instructa refertur. Constat enim huiusmodi petitiones honestate primùm vel manifesta, vel adumbrata & colorata causæ ipsius de qua agitur; deinde facultate eius qui rogatur; tertiò autem descriptione modi ad agendã rem; quartò verò depulsione obiectionum atq; hæsitationum, siue exceptionum, vt iurisconsultorum vocabulo vtamur; postremò præmij insignis promissio, quod pro eius, qui rogatur, ingenio deligendum fuerit. Honestas ipsa ex personarum notatione præponitur, videlicet satraparum præsentia, quos non priuatum, sed publicum Palæstinorum studium eò loci deduxerat omnes pariter ad mulierem rogandã, quosq; illa vel singulares obseruare ac reuereri debuisset altàs. Facultas verò, atq; cõficiendæ rei modus, illo verbo comprehenditur,* Decipe. *exemplare vocabulum est* PATHI; *pro quo Latina plura suffici possunt, blandire, allice, pellice, persuade, &, quod interpres noster posuit,* decipe. *Est autem huiusmodi actio per figmenta, prætextus, simulationes, dissimulationes, atque importunas contentiones, mulieribus vel absque studio vllo promptissima. S. S. E. Vt eruaris à muliere aliena, ab extranea, quæ mollit sermones suos. quibus modis, quibus artibus, quibúsque verbis possis, id effice, quod nec tibi incommodum aut graue fuerit efficere, & omni Reipub. accidet vtilissimum. Nec verò quicquam à te in illum, si amas, crudeliter factum volumus, sed tantùm id curatum, vt seriò perui-* Prou. 2.
deas & cognoscas in quo habeat fortitudinem. *sua in lingua,* BAMEH CHOHHO GADOL, *in quo vis eius magna. Non enim de ea virtute agimus, quæ aliis etiam in hominibus inueniri possit, cordis inquam magnitudine, & membrorum robore. namq; nihil eiusmodi ita magnum est, vt ab aliis etiam hominibus non possit obseruari, & vel arte superari vel numero. Verùm illam istius inauditi exempli vim vel fato, vel natura, vel industria & solertia constare oportet: quidquid verò huiusmodi fuerit, nulli magis quàm eidem ipsi notum exstiterit. Nulla verò tam efficax, insuperabilis, atq; necessaria res in homine mortali esse potest, quæ modum nõ habeat, atq; contrariarum quippiam metuere possit; à quo si non perdi prorsus, minuitamen labefactariq; accidat. Quare vtrumque à te inquisitum, obseruatum, atq; adeò exploratum cupimus:* Et disce; *sua in lingua,* Et vide. *Nec*

dicenti

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicenti aut fasso credas temere, sed periculo facto ad sensum & ad tactum, omnino pernosce & virtutis originem atq; sedem, & illius domandæ modum exemplumq; verissimum. Namque alterum sine altero cognoscere non sat erat ad illorum efficiendum propositum. Vt ne verò crudelitatis metu illa deterreretur, callidè ab ipsis docetur, non eam mentem esse vt pereat vir, sed vt arte atq; viribus perdomitus, feroctam illam, quam in ipsos hactenus exercuit, deponat, siue id ex pacto & promisso, siue ex imperio conficiendum fuerit. hoc est quod adiungitur, Et quomodo eum superare valeamus, & vinctum affligere. *in exemplari*, Et in quo compotes erimus illius, & vincemus eum ad humiliandum eum. *Præter cicurationem illius, nostramq; omnium securitatem, nihil præterea aut cupimus, aut quærimus. nec verò tua vnius operâ assequi, obtinereq; poterimus, nec tu verò illo priuaberis omnino; vipote quem non peremptum, verùm domitum, ac nobis tibiq; magis vsui habilem, minusq; timendum cupimus: id quod tibi acceptum referemus; & non modò honestum, atq; è Reipub. vsu factum prædicabimus, verùm vtile tibi atq; glorioſum, & generi tuo decorum efficiemus, præmio ex singulis nostris præfecturis certo, singulari, atq; nobis collato, à nobisq; numerato, ex nostra publicaq; pecunia, quod perpetuum tui in Rempub. omnem Palæstinorum meriti testimonium atq; monumẽtum futurum sit. id quidem erit*, Dabimus tibi, *doni honorariiq; præmij nomine nos ipsi, non ministrorum nostrorum, sed nostra manu* ΑΝΑΙΗΗΝΥ, *nos ipsi, singuli mille centum argenteos. quo munere cõmuniter te de quinque præfecturis nostris, atq; pariter æquè de omnibus benemerentem testabimur: ita vt à singulis ciuitatibus millenis; à nobis verò, qui præfecturarum capita duces q; sumus, centenis argenti siclis donata, laudem publicam, gratulationemq; reportes. nemo verò se tibi non debuisse profiteri iure posit, cùm & nos ipsi appensum pro populo assem denario à nobis numerato auctum velimus. Quanti verò quondam huiusmodi ex publica pecunia collata præmia atq; dona æstimarentur, qui in antiquitatum examinandis rationibus operam posuere, satis norunt. in hoc autem præmio millenarius numerus libræ, siue assis integri; centenarius verò denarij siue assis minoris nomen vsurpabant. Quinquies verò multiplicatus argenteorum numerus (nam-*

Sup. cap. 3. *que tot Palæstinorum satrapias fuisse obseruauimus) siclorũ argenteorum sesquimillesimam conficiebat summam, vnciarum verò argenti bis mille septingenta & quinquaginta; quæ per duodenarium distributa, libras argenti conficiunt ducentas viginti septem cum dimidia. satis vtile munus mulieri nec adeò ingenuæ, nec aliàs diuiti, aut à cupiditate alienæ: quippe nescio quid non auderet his moribus femina, cui regales nummi ex nostri ad duo & viginti millia proponerentur, vltra donationis splendorem & authoritatem, atq; famam, & gloriæ opinionem; cùm aliàs Romanas matronas non maritos modò ob auaritiam prodidisse, sed proprios etiam filios perdidisse legamus.*

Oderunt

Iud. 5. ar. 6.

Oderunt natos de pellice, nemo repugnet,
Nemo vetet, iam iam priuignum occidere fas est.
Vos ego pupilli moneo, quibus amplior est res,
Custodite animas, & nulli credite mensæ.
Liuida materno feruent adipata veneno.
Mordeat antè aliquis, quidquid porrexerit illa,
Quæ peperit, timidus præguſtet pocula pappas. *Et paulo pòſt:*
Nos vtinam vani, sed clamat Pontia, feci,
Confiteor, pueris q; meis aconita paraui,
Quæ deprehensa patent, facinus tamen ipsa peregi.
Túne duos vna sæuissima vipera cena?
Túne duos? septem, si septem fortè fuissent.

Quod ad amatores & viros attinet, subiungit:

——Spectant subeuntem fata mariti
Alcestim, & similis si permutatio detur,
Morte viri cupiant animam seruare catellæ.
Occurrent multæ tibi Belides atque Eriphylæ.
Mane Clytemnestram nullus non vicus habebit.

Vt non videatur mirandum, in illo sexu, in illa superstitionis impuritate, ignobili mulieri, à tantis viris, tali in causa, publicæ salutis colore, tali oratione & spe, tam vtili atq; honorabili in spectem præmio, cum capitalis periculi exceptione fuisse persuasum.

Locuta est ergo Dalila ad Samson: Dic mihi, obsecro, in quo sit tua maxima fortitudo, & quid sit, quo ligatus erũpere nequeas.

MAGNI *in se amoris, quem ille profitebatur, argumentum nullum aliud sibi fore præstantius, fidemq; factum certissimam simulat, quàm magnæ illius, qua ipse pollebat, virtutis certam indicationem, sibi vni tamen credendam, neminiq; præterea communicandam. Oportere namq; eum, qui suum animum illius amore vinciri passus fuerat, & corporis etiam ligationem eidem fidere, cui cor traditum prædicaret. hoc pacto ipsam mutuo atq; pari prorsus amore obligaturum.* Dic mihi. *Ex verbo*, Indica mihi. *mihi vni, atq; tibi, vt existimo, vnicè caræ, ideoq; à te nihil animo & beneuolentia abalienatæ: quippe coniunctissimorum vt idem animus, sic vnum idemque oportet esse consilium & arcanum: atque ita mihi amorem probaueris tuum.*

Cui respondit Samson: Si septem neruiceis funibus necdum siccis, & adhuc humentibus ligatus fuero, infirmus ero vt cæteri homines.

CVI respondit. *Vt illa sibi vni credendum postulabat arcanum, ita etiam Samson ipsi vni sese aperire simulat; cautus nimirum prioris fœminæ exemplo, cuius fuerat antea delusus indicio; nec tamen, vti videtur, quicquã mali suspicatus ex hac muliere, cùm nihil illi in mentem veniret de depositione*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tione aut contentione, qualis in illa historia inciderat. Hoc verò responsum ad humanæ philosophiæ rationes relatum est, cuius opinionibus ætates nationesq; illæ imbutæ fuere. iis enim quidquam vltra communem & publicum naturæ vsum, consuetumq; exemplum exstitisset, vel ad certas ac singulares rerum sympathias & antipathias, vel ad incantamentorum occultam vim & efficacitatem referebatur. in priori genere, cùm materia, tum etiam forma atq; modus, habitus & situs, locorúmque & positionum adspectuumq; notabantur & cõponebantur rationes: in posteriori, & eadem ipsamet, ac præterea numerorum, maximè imparium, postremò verborum, pronunciationum, vocum & accentuum, murmuris, susurri, & huiusmodi nugarum congerebatur disciplina, non sine acuta impostorum persuasione. Vtriusque generis partes Samson simulans, ad naturam primùm, deinde ad septenarium numerum retulit rem, quòd propter paris atque imparis
Eccle.4. *complexũ haberetur efficacissimus. Nam si funiculus triplex difficilè rumpitur, septemplicem impossibile fuerit perfringere, qui & geminam triplicitatem, & huius perfectum nodum, nempe quadruplicitatem, cohibet.*
Neruiceis funibus. *Hoc priorem spectat partem, qua significabat, membra artusq; suos nulla alia quàm ex animalibus sumpta materia vinciri posse: materiam verò esse neruos vel taurinos, vel huiusmodi iumentorum quàm crassissimos; nam hoc indicat vocabulum* IITHARIM: *eos verò humentes adhuc, & ex humoris lentore tenaces, atq; minùs rupturæ cedentes, atq; adeò natiui succi vi vinctorum membrorum robur emollientes.* Vt cæteri homines. *ex exemplari,* Vt vnus Adam. *Peculiare ac singulare sibi aliquid esse aiebat, quo sublato vel impedito, quamquam fortis robustusq; maneret, nihil tamen vltra vnius singularem hominis vicẽ retineret, quam vel vnus alius quispiam æquè fortis, vel fortior, vel plures vnà perstringere valerent* vnus Adam.

Attuleruntq; ad eam satrapæ Philisthinorum septem funes, vt dixerat: quibus vinxit eum.

OBSERVATIONIS *atq; opinionis causa funes in hoc versu ijsdem quibus in superiori verbis descripti & allati atq; traditi commemorantur, idq; per ipsos satrapas curatum & confectum fuit, quorum præcipuè agebatur & salus, & res: & silentium grauius & certius erat. Nec enim dubium est, illos ab illis Samsonis veluti præludiis actionum atq; pugnarum, sibi, ciuitatibus ac præfecturis suis vehementer metuisse, & communi consilio atq; cura consuluisse, de hoc vno capite ad multorum salutem sufficiendo: (Mysterium indicamus, qui legit intelligat) atqui Samsonem non somno correptum, nec inuitum, sed vigilantem, atq;, vti censemus, subridentem, ab illa etiam ridente, & velut periculum iocosè ad amoris experimentum faciente, fuisse deuinctum, dictantem etiam vinciendi, & nexus atque nodos coniungendi formam.*

Laten-

Latentibus apud se insidiis, & in cubiculo finẽ rei exspectantibus.

VNVM *quempiam ex illis, vti arbitramur, satrapis intra cubiculum abditum atq; secretum latuisse, lectio indicat, singulari nomine singulariter etiam adnotato.* HAOREB, *obseruatorem interpretari possumus, qui, quid & quemadmodum ageretur, attentè atq; studiosè obseruabat, & seminea diligentiæ arbiter certissimus erat, illumq; satis superq; vinctum & perplexum testari poterat. Verùm quid demum præstitum fuerit vbi ad rem esset deuentum, operæprecium fuerit cognoscere.*

Clamauitque ad eum: Philisthiim super te Samson. Qui rupit vincula, quomodo si quis rumpat filum de stupa tortum sputamine, cùm odorem ignis acceperit: & non est cognitum in quo esset fortitudo eius.

CONSTITVTVM (*vti res ipsa docet*) *inter eos fuerat, vt & ipsa perquam accuratissimè neruos iniyceret, nodosq; necteret, & ipse etiã, vbi ad experimentum deuentum esset, quantum posset quoque conaretur & contenderet, vt hoc pacto, nũ ille verè indicasset, amoremq; probasset, pernoscereturque. Et tocari ipse videar, nisi suspicer illam propria arte, hoc est, muliebri simulatione vsam, verba ad eam rem idonea, siue carmina pronũciasse, qualia ab iis decantari solent, qui huiusmodi experimentis vel per sertas & compositas actiones, vel per incantationes operam dant. cuius exemplum Romanus poëta expressit elegantissimum:*

Terna tibi hæc primum triplici diuersa colore — Virg. Eccl. 8.
Licia circumdo: terque hæc altaria circum
Effigiem duco, numero Deus impare gaudet.
Ducite ab vrbe domum mea carmina, ducite Daphnin.
Necte tribus nodis ternos Amarylli colores:
Necte Amarylli nodos, & Veneris die vincula necto.

Quare huiusmodi à Dalila inter vinciendum decantatum, aut pronunciatum versum existimare licet.

Nodus vt hic artusque tuos septemplice neruo
Vincit, ita experiat quàm sis mihi vinctus amore.

Et non est cognitum in quo esset fortitudo eius.

EX *verbo sic*: Et non fuit cognita vis eius. *significat verò adnotatio, tanta celeritate neruos illos fuisse dissipatos, vt nihil potuerit ab obseruatore notari, ad cognoscẽdam tantæ virtutis vel sedem, vel rationem, vel circumstantiam aliquam; quandoquidem nihil ille conari vel eniti visus fuerit. hoc enim significabat similitudo illa,* Cùm odorẽ ignis acceperit. *Namq; hoc plerumque accidit, vt stupa nondum admoto igne incensa, ardere conspiciatur, ex* odore *videlicet, hoc est, ex ambientis aëris calefacto spiritu, atque ita virtus quidem ignis arguatur efficacissima, efficientia autem non*

Universidad de Deusto
Biblioteca

conſpiciatur eius qui obiectam materiam nondum contigerat. Atque ita efficacitas quidem manifeſta fuit; vis autem an eiuſdem, an alterius cuiuſpiam rei eſſet, minimè dignoſci potuit ex præſenti exemplo. Hoc eſt quod dicitur, Fortitudo eius, *ſiue eius, ſiue alterius eſſet.*

Dixitque ad eum Dalila: Ecce illuſiſti mihi, & falſum locutus es: ſaltem nunc indica mihi in quo ligari debeas.

DISSIMVLATO *vultu ac geſtu hæc à muliere dicebantur, non tantum, vt videri cupiebat, de re ipſa, quantum de animo ac voluntate & diffidentia ſibi laboratum fingente: quippe nihil aliud ab illo poſtularet, quàm fidem & conſtantiam, atq; eiuſdem amoris parem communionem; cuius argumentum id vnum optauerat, ſingularis videlicet illius virtutis declarationem, taciturnitate perpetua ſibi conſeruandam. hoc verò fruſtra ſe expetiiſſe & rogaſſe ait, cùm res præter imò contra votum ſucceſſerit. Namque hactenus ipſi amorem erga ſe ſuum profitenti aſſentiri vtcumque illa poterat, ſi non certa fide, at opinione tamen aliqua de viro forti atq; iudice apud ſuos, eoq; qui non rogatus, ſed rogans ſeſe vltro amantis nomine petierit; cuius amoris cùm illa vnum certiſſimum poſtularit argumentũ ac pignus ſibi fideliter ſeruandum, tamen nunc iam vanum experta omnino intelligere ſibi omnibus modis, dictis, atq; factis fuiſſe hactenus impoſitum. Ecce illuſiſti mihi. Præſenti exemplo, quod nec inficiatione mutari, neq; interpretatione colorari poteſt, comperi te mihi impoſuiſſe, quando re, in qua nihil periculi erat, nemo conſcius aut arbiter, inter me ac te ſolos oſtendenda, tamen apertè mihi imponere voluiſti. quod autem re ipſa docetur, verborum interpretatione atq; exceptione minimè indiget. Ego rem vnam ex te optaueram, tuorum mihi dictorum indicem certiſſimam: hanc cùm experta fuerim, fallacem prorſus, & te omnino mendacem aduerſum me intellexi. quidquid enim de amore, de cõſuetudine, deq; aliis animi erga me tui actionibus affectionibusq; hactenus dixeras, mera mendacia, à te in me immeritò conficta, reapſe comperio.* Et falſum locutus es. *ex verbo,* Et loqui ſoles ad me mendacia. *Hoc enim ex iis arguo, quæ modò loquutus me parare atq; exſpectare iubebas: quæ cùm vana deprehenderim, te etiam leuem mihi eſſe apertè video, niſi aliquo pacto denuo emendare, & te mihi veracem præbere cures, atq; amori deſiderioq; meo ſatis facere, par pariq; referre ſtudeas: quæ ſi te non tantum amarem, tui erga me amoris fidem non tam anxiè expeterem; quam non totidem, vt antea, argumẽtis, ſed vel vnico mihi cognitam velim. Antea quidem & arcanorum tuorum me conſciam eſſe poſſe ſperabam, mentemq; tuam meæ comparem cognoſcere auebam; quod quam valde familiare videretur, tamen amore meo non erat indignum: nunc verò vno tantùm contenta ero ſigno, nimirum, vt indices mihi, cuius te amore vinctum profiteris, quo modo, quo iugo, quo paxillo, quibus rebus verè ligari poſſis, ita vt vinctus hæreas. nam neruis te non poſſe ligari, nec*

brachia tibi eſſe, quæ vllo cohibeantur vinculo, iam peruidi. In quo. *qua re & qua corporis tui parte.*

Cui ille reſpondit: Si ligatus fuero nouis funibus, qui numquam fuerunt in opere, infirmus ero, & aliorum hominum ſimilis.

CVM *robur virtutemq; viri ad ſingulares cauſas, & propriam quandam vim vel naturam membrorum illa referret, exiſtimaretq; oppoſitæ ac pugnantis virtutis rebus vinci vinciriq; poſſe, quæ vel occulta, vt dici ſolet, efficacitate hoc aut illud certis comparatæ modis conficerent; commodè eludit diſſimulatione circumſtantiæ in præcedenti indicatione prætermiſſæ.* Nouis funibus. *Simulat ſe ſuperiùs conditionis ac modi oblitum, alias rerum docuiſſe & indicaſſe. namq; non modò neruis, verùm funibus craſſiuſculis vincti ſe poſſe ait, iis verò non qualibuſcumq;, ſed nouis ac recẽtibus, & quorum primus vſus in ſe vinciendo ponatur, atque adeò prima ac firma artificis mens in illis conficiendis ad vincula tantùm intenta fuerit. Namque & hoc nonnihil poſſe ac valere, & ij credunt, qui huiuſmodi ſuperſtitionibus operam dant; vnde & certos quoque dies ac temporum diſcrimina obſeruant. itaque hoc pacto ille feminã differendam, illudendam, ac demum laſſandam putabat, nihil prorſus de proditione ac dolo ſuſpicatus, ſed meram curioſitatem femineamq; cupiditatem ratus.*

Quibus rurſum Dalila vinxit eum, & clamauit, Philiſthiim ſuper te Samſon; in cubiculo inſidiis præparatis. Qui ita rupit vincula, quaſi fila telarum.

VINCVLA *hæc Samſonis brachiis eodem quo ſuperiora modo iniecta fuere, nec maiori verò conatu rupta.* Quaſi fila telarum. *In propria lingua ſingularem legimus numerum,* quaſi filum. *vnicum ex filis, quod nulla virium aut conatus comparatione rumpitur.*

Dixitque Dalila rurſus ad eum: Vſquequo decipis me, & falſum loqueris? oſtende quo vinciri debeas.

MVLIEBRIA *ſiue meretricia prorſus acumina, importunamq; pertinaciam, quis in hac femina non intelligat? Fingit autem hic nihil iam de re, nihil de illius fortitudine laborare ſe, de fide tantùm tam conqueri, quam nullam eſſe fuerit hactenus experta: quam ob rem ſe non hoc tantùm nomine, ſed omnibus aliis ſermonibus ſecum habitis deceptam, irriſam, ac deſpectui habitam lamentatur, ſiue de amore, ſiue de quocumque alio argumento fuerit actum.* Vſquequo. *Ex verbo* GHAD HENAH, *explicare licet* hactenus. Et falſum loqueris? *plurali numero,* Mendacia, *in exemplari legimus. Duplici etiam periculo ac manifeſto exemplo comperi, te mihi omnibus in rebus hactenus fuiſſe mentitum; mihi, inquam, nemini fortaſſis præterea; quod grauiſſimæ ignominiæ loco duco, ducamq; perpetuò, & nihil*

Universidad de Deusto
Biblioteca

vsque tibi iam amplius credam, nisi hãc vnam, quæ postrema erit, rem mihi verè edisseras & probes: Quo vinciri debeas. *Hoc vnum responsum, quod tibi expeditu leue est, tu meo præfers vsque amori: ego nullũ aliud præteres volo tuæ in me voluntatis argumentum, præter hoc, quod mihi credere recusas; ego verò, quo tibi credã, nihil reperire possum singulare, nisi hoc vnum, quod in te singulare est.*

Cui Respondit Samson: Si, inquit, septem crines capitis mei cum licio plexueris, & clauum his circumligatum terræ affixeris, infirmus ero.

SIBI *vni tantùm creditum superiori versu postulabat Dalila, nihil prorsus alij cuipiam indicaturæ. Namque ita ex verbo rogauerat,* Indica mihi in quo vinciaris? *quasi affirmãs tam se nihil illi credituram, nisi experimento vero atque euidente sibi vni sua manu curando & obseruando. Cuius importunitate penè victus Samson, rei partem prodit, partem verò turbat & confundit, vt quoquo modo feminam, quam amabat, interim retineat, ac demum ad aliud agendum diuertat: quippe in his actionibus & experimentis temporum intercapedines positas intelligimus. Iam verò quis respõso ad assentiendũ color, quisve fucus fuerit factus, audire est operæpretium. Hactenus quidem sese toto corpore atq. corporis artubus inuincibilem insuperabilemq. ostenderat Samson; nequidquam differre docuerat, quibus rebus quáve parte ligaretur; nec fidem iam faceret, si se cruribus, collo, aut medio corporis cinctorio, aut vno aut pluribus simul artubus, vinciri posse diceret: cùm vis illa siue ex singulari naturæ efficientia, siue vltra naturam esset, omnibus corporis partibus videretur esse diffusa, ac sibi simul constare ad instar animæ, quæ, quibus sentire corpus potest, partibus omnibus inesse dicitur. Vnicus restabat capillus, qui nec inter corporis mẽbra nec inter partes censetur; & cùm sensus expers omnino sit, nec resistere nec agere quicquam nec pati existimatur: cùm verò capiti innatus tenaciter hæreat, impedire magis quàm iuuare, retinere atque ligare magis quàm reluctari posse putatur; quam ob rem à nautis, à luctatoribus, ab omni exercitatorum sue athletarum grege, dãnatur prorsus ac reijcitur prolixioris capilli vsus. Qui & propter flectẽdi & innectendi facilitatem, & propter summi loci quem occupat, hoc est, capitis extremum finem, totũ corpus secum inclinatum adeò facilè flectit, vt vel imbelli mulierculæ ab subijciendum sibi robustiorem virũ commoditatẽ ansamq. præbeat. sic enim ille de leuissima amica fatebatur:*

Tibul. lib. 1. Eleg. 8.

Et si quid peccasse putat, ducórque capillis
Immetitò, proprias proripiórque vias.

Huiusmodi infirmitudinem sibi, vti cæteris mortalibus, natiuam simulabat Samson: ita tamen ad credendũ adornabat, vt maiorem, quàm aliis, ad vinciendum & vincendum vim adhiberi oportere doceret; non tam pro capilli ratione, qui sensu & motu, pulsu & impulsu vt cæterorum pili, careret; sed propter

propter capitis, cui innatus erat, pondus & vim, quam certo modo certis & nexibus impeditam, robusto ligno alligari opus esset. Si septem crines. *Numerus ad impedimẽtum facit. Nam cùm nitentis vis vno loco iuncta simul non firmatur, diuisa minus potest, quòd resistentium singulorum minor sit virtus: quippe dum vnum ex iis quæ resistunt laxatur, aliud contrà tenditur, atque ita interturbata impugnantis efficientia, lassatur demum. Capitis autem rotundi partes non æquè simul reniti possunt, propter variam distantiam & habitudinem ortus crinium, quos occiput, & sinciput, & vertex, atq. gemina temporum confinia nutriunt. Itaq. hac ratione sese ligari posse aiebat, adiuncto etiam septenario numero, nonnihil ad efficiẽtiam, vt Gentium opinio ferebat, iuuante.* Cum licio plexueris. *Ex verbo:* Si texueris septem tricas capitis mei cum liciatorio. *Mirabilis & exquisita ligandi forma, quam nemo, nisi pertinacissimo animo & contento propositi consciendi studio, tentaret: sed nihil à cupidæ mulieris audacia alienum vel remotum est.* Et clauum circumligatum terræ affixeris. *sic Latinus interpres. Græci verò,* καὶ ἐγκρούσῃς ἐν τῷ πασσάλῳ εἰς τὸν τοῖχον: Et affixeris paxillo in parietem. *Chaldaicus ita,* Si texueris septem crines capitis mei cum iugo telæ. *Oportet mulierem illam telæ ac texendi peritã fuisse, quod olim in vsu & laude fuit etiam magni nominis ac diuitibus feminis, vt Penelopes, Helenæ, atq. Chryseidis exemplis apud Homerum confirmãt. Quam ob rem illa tandem, sopito apud se Samsone, non segniter hoc opus*

quoque

Universidad de Deusto
Biblioteca

quoque fuit experta. Namque & licio crines implicitos contexuit, & iugo aduoluit opus, ac iugum palo siue clauo, textorum more, firmauit.

Quod cùm fecisset Dalila, dixit ad eum: Philisthiim super te Samson. Qui consurgens è somno extraxit clauum cum crinibus & licio.

CONSVRGENS è somno. *Simul atque excitatus expergefactúsq; fuit, leui capitis momento & palum, quo iugum figebatur, euulsit, & iugum ipsum, cui crines alligati fuerant, è carceribus suis detraxit, mirabili pariter ac iocoso spectaculo. O qualis facies, & quali digna tabella! In hoc etiam experimento nihil illum nixum intelligimus.*

Dixitque ad eum Dalila, Quomodo dicis quòd amas me, cùm animus tuus non sit mecum? per tres vices mentitus es mihi, & noluisti dicere in quo sit maxima fortitudo tua.

CONSTANTISSIMA *peruicacis feminæ de simulato & falso amore querela & contentio, numquam suæ oblitæ artis, ad victoriam vsque describitur. Neque enim se de aliare tantum agere, quàm de veritate amantis prætexuit vmquam, idcoq; rogat,* Quomodo dicis quòd amas me? *quasi nihil à se optatum, expetitum, & actum affirmet, præter veri amoris certum indicium & argumentum: quod cum triplici periculo iam fallax, imò vanum experta fuerit, tantum abest vt sui credat amantem, vt etiam inimicum & osorem planè intelligat, omninoq; à se existimet alienum.* Cùm animus tuus non sit mecum. *Ex verbo,* Et cor tuum non apud me. *Manifestò deprehendi te à me abalienatum, omninoq; auersum, imò neque de me quicquam boni cogitare vmquam: atque hanc tanti mei erga te amoris mercedem qui putare aut existimare possem vmquam, nisi iam tribus apertis mendaciis docta atque certa euasissem? Amantis enim cor alio certe de abalienato falli indignissimum est, & vel opinione, nedum sensu miserrimum & infelicissimum. Meum quidem cor apud te semper fuit: quòd nisi te tantum amarem, numquam vel hanc rem adeò anxiè quæsiissem, vel semel decepta repetiissem; nũquam tibi quicquam ipsa negassem hoc meo animo, tui, vti iam planè ostendisti, dissimillimo. Non sumus ergo in amore pares. vt ego tibi virtute & membrorum firmitudine ista impar sum; ita tu mihi amore comparari non potes. quid comparari dicam? quod alienum omnino atque remotum est, comparationem non admittit. Nam cõparatio eadem rem siue rationem atque naturam spectat: hic diuersa ratio.* Animus tuus non est mecum. *meus tecum fuit; quem constantem in te examinando iam perspexisti.*

Cumque molesta esset ei, & per multos dies iugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens; defecit anima eius, & ad mortem vsque lassata est.

IMPORTVNITATIS, *insolentiæ, atque molestiæ artes omnes, quascumque*

cumque prompta atq; volubili mulierum lingua adhiberi possunt, à Dalila, maxima cum pertinacia, continua iurgiorum serie adhibitas, duo Hebraica verba ostendunt, HEZZIKALO & THEALATSEHV. *incipit autem versus à verbo* VAIHI, Et fuit, Et factum est. *cuius in memorandarum rerum initiis & consequẽtiis est vsurpatio. Demum, inquit, euenit vt mulier verbis suis (namque ita in exemplari adnotatur) hoc est, inuentionum, argumentationum, elocutionis, querelarum, repulsarum, lamentorum, & maledictorum vberrima, assidua, atque perpetua copia & vi adeò virum aliàs amantẽ premeret & affligeret, idq; tam diu, noctibus, inquã, atq; lucibus omnibus vrgeret, vt ad extremum vexatũ, & in angustias redactum & compressum penè tam animã efflare cogeret. tanta in illo sexu aduersus deditos vocum, acclamationum, exclamationum efficacitas & improbitas est, de quo tn minori causa & studio illa adnotata sunt:*

Cedunt Grammatici, vincuntur Rhetores, omnis
Turba tacet, nec causidicus, nec præco loquatur,
Altera nec mulier, verborum tanta cadit vis.
Tot pariter pelues & tintinabula dicas
Pulsari. iam nemo tubas atque æra fatiget,
Vna laboranti poterit succurrere lunæ.

Iuuenal. Sat. 6.

Defecit anima eius. *In breue contracta fuit illius vita in maximas angustias redactum, exemplaria verba significant, eoq; deductum importunitatis, vt vel mortem subire potiùs, quàm pugnam illam contentissimam perferre, optasse dicere posset. Tandem ex hoc iam ad vitæ finem properantem describere historiæ author videtur.*

Tunc aperiens veritatem, dixit ad eam: Ferrum numquam transiit super caput meum, quia Nazaræus, id est, consecratus Deo sum de vtero matris meæ: si ratum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eroque sicut cæteri homines.

APERIENS veritatem. *Ex exemplari:* Et indicauit illi omne cor suum. *Amorem integrum & maximum illi, totius cordis intimo arcano atq; consilio indicando, probauit. Namque illud ferre non potuit, quod ab improba femina obiectũ sibi audiuerat:* Cùm animus tuus non sit mecum, *siue,* Et cor tuũ non apud me. *declarauitq; cum primis virtutem illam nec natura, nec arte, nec humana vlla sorte sibi constare, sed planè adhærere ex singulari prouidentia Dei, cui ipsè ad eam rem, antequam genitus esset, delectus, aptatus, ac insigniter dedicatus fuerat; idq; prolixo semper capillo in seruitutis perpetuæ professionem ostenderat. Narrationis autem expositio ac series cum rebus ipsis comparata & perpensa, veri iam explicati & arcani aperti mulieri fidem fecit. Namq; hactenus nihil de fundamento illius virtutis maximæ dictum fuerat, & videri poterat illa facultas singulari aliquo & rarò naturæ ac membrorum ingenio constare, atq; aliqua in parte*

Universidad de Deusto
Biblioteca

corporis potissimùm residere: nunc verò cùm illud non naturalis efficiẽtiæ vi, sed diuini tantùm doni virtute seruo ad eam rem comparato concessum, nomenq; Dei, quod iuramenti etiam religionem continebat, appellatum audiuit, & professionem seruitutis intellexit, atq; adeò modum edocta est, quo illa seruitus prodi posset, nimirum detracto signo atque deleta nota professionis, hoc est, capillo semel abraso; rem ita habere persuasa, & aggredi & conficere minimè dubitauit. bis antea dixerat ille, Et infirmus ero: *nunc verò illud prædixit*, Recedet à me fortitudo mea. *Ita non innatam, sed inditam, atque, volente Deo, separabilem sibi virtutem ac fortitudinem adesse confessus est; quã quoad ex Dei voluntate retineret, inuictus vndequaq; perseueraturus erat. Voluntatem autem Dei conditione pacta, & ab ipso obseruata, certam sibi esse ex illo declarauit*: Quia Nazaræus sum de vtero matris meæ. *id est, consecratus siue addictus ministeriis diuinis, hoc fortitudinis genere exercendis: eam verò seruitutis addictionem vbi contaminandam permisero*, Recedet à me fortitudo illa mea, *mihi vnicè diuinitus adiuncta*: Eroque sicut cæteri homines. *Atqui exceptio hæc, sua lingua diuersis pronunciata verbis, diuersam hoc loco significationẽ indicauit. Namq; duobus in antecedentibus periculis, quamquam varia Latina verba formulam expresserit, Chananæo tamen sermone iisdem verbis dixerat ille*, VEHAIITHICHE EHHAD HA ADAM, *quod magnã emphasin continet, duabus vocibus singularitatem indicantibus*: Ero sicut vnus quidam certus homo. *quæ quidem oratio, quamuis non plus illi videatur tribuere, quàm vni cuipiam singulari homini, tamen non obscurè indicat singularitatem illam exemplo aut comparatione carere: tantumq; apud me, atq; vt arbitror, apud illius linguæ peritos omnes valere potest, atque illa*, Ero sicut similis mei ipsius. *nam singularitas illa, duabus vocibus pronunciata*, EHHAD & HA, *non tam vnum quẽpiam, vel vnũ quemq;, vel quẽlibet, quàm vnum quendam viribus insignem hominem, singulariq; fortitudine celebrem significat, qualis ipse erat, qualisq; nemo præterea reperiri aut indicari poterat. Quamquam enim dixisset*, Et infirmus ero, *tamen adiuncta expositione, quali infirmitudine futurus esset, indicabat. manifestum enim est, eum ligatum infirmiorem esse quàm solutum: solutus enim quidpiam, nihil conari, nihil agere cogitur, vt sui compos omnino sit; ligatus verò sisti exsoluendi atq; expediendi causa nonnihil agit, siue id magno vt plerisque, siue exiguo, vt fortissimo cuique, conatu fiat; tamen experiũdum omnino est ad solutionem, antea quã quicquam aliud præterea agatur. saltem huic antea tantum agendum fuerat, quantum vel alij in telarum rumpendis filis, vel igni in stupeo funiculo incendendo; quæ cùm naturæ modum sequantur, tarmen in agendo, vt philosophi nostri loqui solent, pro ratione virium & resistentiæ patiuntur etiam. Nunc verò nihil Samson de sua vel exigua vel magna infirmitudine subindicauit, nihilq; de singulari virium suarum exemplo ambiguum pronunciauit, vt antea; sed planè prædixit, suam illam singularem*

larem fortitudinem sibi detractum iri, seq; non sicut vnum quendam hominem, verùm sicut omnem hominem euasurũ: appellatione autem omnis hominis, vel infirmissimus quisque continetur, tantumq; sese mutatum iri significauit, vt qui antea vni cuidam certo, hoc est, sui similis euasisset, detracto sacræ seruitutis signo cuilibet homini sine vlla exceptione comparandus esset. ita prima responsa ambiguè, postremum hoc apertissimè datum mulier intellexit: quam ob rem nihil hæsitans, nihilq; cunctata, mentem suam explendam, remq; prorsus conficiendam suscepit.

Videnſque illa quòd confeſſus eſſet ei omnem animum ſuum, miſit ad principes Philiſthinorum, ac mandauit, Aſcendite adhuc ſemel, quia nunc mihi aperuit cor ſuum.

COR *non amoris modò & affectuum curarumq;, sed cogitationũ consiliorumq; omnium officinam & sedem esse, ex sacra doctrina intelleximus. vt, De corde exeunt cogitationes, furta, homicidia, blasphemiæ, &c. Et, Non quod intrat per os, coinquinat hominem; sed quod exit de corde, illud coinquinat, &c. de cuius membri ratione plura in sacro Apparatu dicebamus. Sua autem lingua*, Cor omne ſuum *sibi Samsonem patefecisse asseuerat mulier*. Omne cor ſuum. *qua oratione & amorem erga se illius plane constare, & nihil veri aut certi de tãdiu quæsito, exspectato, atq; solicitato responso relictum, quin omnia prorsus aperta, exposita, & explicata esse, affirmare minimè dubitauit; iamq; & rei sibi agendæ & exitus certa, Palæstinorum principes ad pactum exsoluendum audens confidensq; euocauit, missio nuncio atq; mandato composito*, Quia nunc mihi aperuit omne cor ſuum. *Ex illius lingua mandatum hoc tertia persõna enunciatur. In contexta scriptum in Mazzoret prima enunciatur persona, quam interpres reddidit noster, vtpote planiorẽ: vtraq; verò lectio simul & mandãtis & mandati vires præstat. quod sibi suum omne cor esset manifestatum, idq; in confutatione tertia dicitur, quæ non asseuerationem modò, sed etiam testimonium ex alterius opera continet, hac significatione, Iussit cor suum se ipsum mihi indicare. quod vt Latinè & simpliciter noster interpres redderet, vsus est verbo*, Aperuit. adhuc ſemel, HAPAGHAM, nunc hac vice. *certam & exploratam rationem ac rem formula hac in sacro sermone indicat: & cum cætera experimenta non successissent, hoc iam nihil dubitationis habet defenditur. Hoc tropo primus omniũ pater homo ille vxorem sibi adiunctam apprimè vniceq; conuenire aiebat*: ZOTH HAPAGAM, *Hoc nũc os exoßibus meis, & caro de carne mea. Latinus verò sermo verba, Iam nunc, & Iam, in huiusmodi enunciando sensu vsurpat. vt,*

——Iam nunc in balnea salua Fronte licet vadas.

Et, Iam secura potes totis tussire diebus. Nil istinc quod agat tertia tussis habet. & Cicero: Hermæ tui Pãtelicti cũ capitibus æneis, de quibus ad me scripsisti,

Lib ofeph. & lit. lerem.

Matth. 15.

Gen. 2.

Iuuenal. Sat. Articul. Martialis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

iam nunc admodum me delectant. Iam nunc venite, inquit illa, nihil omnino cunctabundi, quando res mihi omnis comperta & integra constat.

Qui adscenderunt, assumpta pecunia quam promiserant.

HACTENVS *non satrapas, sed obseruatorem ab illis instructum & missum & venisse & latuisse, & quot quibusq. modis illa eluſa esset, adnotasse intelleximus: nunc verò, constituta iam atq. certa superataq. cõtentione, principes ipsos euocatos, & proditionis ac doli mercedem delatã legimus.* Pecunia quam promiserant. *Ex verbo,* Et adscendere fecerunt argentum in manibus suis. *Ingens, constans, contentumq. studium, & commune consilium adnotat oratio hæc. tanta enim illos cura, tanta auiditas conficiendæ rei vrgebat, vt graue alias argentum, nimirum quingẽtas & quinquaginta vncias, singulos tollere, & asperiore via asportare non piguerit: quæ res humanarum inimicitiarum cùm omnium, tum earũ præcipuè quæ inter principes exercentur, viuum nobis repræsentat exemplum.*

At illa dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput.

IMPVRÆ *feminæ artes, hoc est, blanditias & fraudes, amoris nomine ac specie fucatas, hæc nobis imago ante oculos ponit, potentiores illas quidem quam virorum robur & virtutem, quamq. magicarum artium incantamenta atque deuotiones, vt ille alter expertus aiebat:*

Non facit hoc verbis, facie tenetisque lacertis
Deuouet & flaua nostra puella coma.

In proprio autem sinu hac vice hominem iacentem deliniſſe, & adsoporem vsq. mulcendo ac blandiendo fefellisse dicitur, quod antea nusquã fecerat, vt nunc securiorem redderet, non cogitantem aut veritum ab illa quicquã posse lædi, vtpote sedente atque interim hærente, quoad ipse excitaretur; neque enim posset, tametsi vellet, ab illo sinus premente ac tenente, non excitato delabi, minusq. timebantur insidiæ ab ea quæ habitum gestumq. amantis complexu ac sinu gremioq. exprimebat. Sinum eleganter vertit interpres noster, qui idem ferè cum gremio est, & partem vestium significat laxiorem, vt illud, Nuda genu nodoque sinus collecta fluentes.

Atqui non in gremio tantùm, verùm super mulieris genua illum allectum collocatum, iacentem ac sopitum fuisse, ex natiuæ linguæ verbis accepimus: Et sopiuit eum super genua sua. *Non solùm locus & situs, verùm etiam ars dissimulationisq. propositi, amorisq. tenerrimi simulatio ab improba hac Sirene comparata & adhibita fuisse intelliguntur. Namque demulcendo capiti, digitisq. scalpendo ac tractando, vocem cantumq. additum, & catera præter vinum quæ somnum adducere & conciliare solent.* Sopiuit. *Expressiuo verbo,* Dormire fecit. *Genua antiquis amoris, gratiæ, benevolentiæ & beneficij significatione tractabantur aut tangebantur, vt in sacro Apparatu declarauimus: cuiusmodi ratio apud Homerum frequentissima est.* Vocauitque tonsorem, & rasit septem crines eius, & cœpit abigere eum, & à se repellere: statim enim ab eo fortitudo discessit.

Lib. Ioseph. & Ieremiæ.

CÆTERA *omnia, quæ hactenus narrata sunt, experientis mulieris manu tentata ac parata audiuimus, vtpote non omnino amantis verbo credẽtis, verùm ambiguè adhuc agentis: nũc verò omni sibi iam hominis aperto, vti exposuimus, corde, ipsa nihil agere omnino constituit, nihilq. ad rem conficiendam parare, præter somni conciliationem, tãq. apud se in proprijs genubus, quo securior dormiret vir, existimans, detectum iam illi arcanum, feminæ amorem prorsus confirmasse, nihil aliud poscentis, quàm illius magnæ virtutis rationem sibi credere, in signum veri, solidi, atque suo paris amoris testimonium. Quamobrem nunc illa alienâ iam operâ vsa dicitur, nimirum tonsoris periti, qui magna celeritate ac dexteritate, hoc est, septies tantùm septem capitis regionibus ducta nouacula capillum diligenter ita abraſit, vt nihil omnino reliquerit, quod inhærentis fortitudinis dubitationem faceret. In iis capitibus virorum ac feminarum, quibus prolixior crinis, atq. compositus magis crescit, septem areas siue regiones, à vertice ad ambitum discretas, obseruare est, quas tonsoriæ artis experti ac docti facilè indicare, & vbi opus est, percurrere tondendo possunt. hoc verò ministerium à tonsore exhibitum, feminæ ipsi, vt author, historia adscribit.* Et cœpit abigere. *Ipsa iam securior, tam certior, &, vt verè erat, iam rei compos reddita, antequam quemquam extrinsecus adhiberet, sua manu periculum facere voluit, atque hominem iam abrasum an eadem, an minor, an nulla prorsus instrueret virtus, tentare, duriùs nimirum tractans, atq. à genubus demittens propriis. Ex propria scriptoris lingua sic verba reddi possunt:* Et cœpit humiliare illum. *quod interpres noster significatiore actione declarauit,* Abigere, & à se repellere. *id quod cum leuius ac facilius, quàm antea, sibi factu experta esset, quòd illius capitis pondus grauius, atque colli membrorúmque vim languidam ac lentam, ægrotantium instar, comperisset; intellexit profectò, atque apud se confirmatum accepit,* Fortitudinem ab eo discessisse. *Namque orationem hãc, siue versus posteriorem partem, prioris expositionem esse ducimus. Atque voluptatis vitij, & cupidinis, diuina humanaq. omnia prodẽtis, qualis exitus, qualisq. sit merces, abunde satis huius viri siue heroïs verissimum, atq. omni tragædia maius, ostendit exemplum.*

Dixitq., Philisthim super te Samson. Qui de somno consurgens, dixit in animo suo, Egrediar sicut ante feci, & me excutiam; nesciens quòd recessisset ab eo Dominus.

VEL *ille primùm expergefactus crines sibi deficere nondum animaduerte-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

uerterat, cùm huiusmodi responsum apud se daret, vel quamuis capillo carere sese cognosceret, vim tamen illam diuinam, singularísque prouidentiæ efficacitatem præsentem adhuc sibi adesse existimabat, vtpote qui planè intelligens confessus fuerat mirabilem illam fortitudinem nullo pacto nattuam sibi esse, sed gratia voluntatéq; Dei constare; velle verò Deum ipsius manu Palæstinorum potentiam superbiamq; retundere, atq; ita in responso
Cap. 13. ac promisso fuisse declaratum: Et ipse incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum. quos cùm sibi nunc imminere audiret, non secùs nunc quàm antea sese excipere valiturum putabat, præsente ac propitio Deo; cùm nihil adhuc, vti sibi videbatur, egisset, quam ob culpam alienatum à se numen existimaret. Nesciens quòd recessisset ab eo Dominus. *Exemplaris linguæ verbo*, Et ipse non nouerat quòd Dominus recessit desuper: quo tropo singularis prouidentiæ abalienatio significatur. Quamquam enim ipse nihil, vti videri sibi potuit, fecisset, aut commisisset, quod sanctitudinem illam suam contaminaret; apertè tamen contaminandam temerario & insano mulierculæ amori prodiderat, & præceptum illud matri prædictum contempserat: Cuius non tanget caput nouacula; erit enim Nazaræus Dei, separatum, sanctum, vniq; Dei ministerio & seruituti addictum perpetuò fore, ac tam diu in Palæstinos valiturum, declarauerat Angelus. Qui tamen hac tempestate amori magis indulgere, quàm sanctitudinis suæ arcanum celare, maluit; atque ita, quod commisisse negaret, tamen admissile inficiari non poterat.

Quem cùm apprehendissent Philisthiim, statim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt.

MAXIMORVM ac fortissimorum virorum animus nullo magis cruciatur supplicio, quàm cum probro, dedecore, & ignominia ab inimicis afficitur: quam calamitatem, quod morte ipsa longè grauiorem ducerent, vti declinarent nonnulli, tam in nostris, quàm in externis historiis, manus sibipsis iniecisse dicuntur, vt Saul, Abimelech, & Cato, ac Thraseas. Atque ita hostes ipsi, quo sæuiores efferatioresq; sunt, eo grauiora ac turpiora in viros illustres & honestos, à se captos, huiusmodi insultationum & dedecorum genera excogitant. Atq; hoc ipsum consilium Palæstini secuti, Samsonem, à se comprehensum, iis modis afficere gaudent, quibus ignominiosissimè tractari, atq; animo cruciari posse intelligebant, oculis primùm exemptis, quod securitatis ipsorum causa curatum est, atque etiam diuturnioris miseriæ & ærumnæ comparandæ studio, simul etiam stultitiæ probrũ conijciendi, quòd nimirũ, quamuis ille fortissimum sese præbuisset, corporisq; robur ostendisset maximum, tamen stultissimum, animiq; consilijs minimum declarasset, sese ipsum mulierculæ prodens atq; tradens, ita verò euenisse, vt ob mentis inopiam, nullum alium exitũ, quàm corporis etiam imbecillitatem haberet:

dignum verò supplicium illi oculis eruendis decerni, qui corde adeò cæcus fuisset, vt sese aperiret. Cuius ergo dexteritas & solertia propter imprudentiam cordis minùs timenda exstiterat, iam nunc quoque corporis vires & robur, propter oculorũ defectum, nihil esset cur timeretur, sed iste in perpetuam cõseruaretur ignominiã, cum aliquo vsu publico, quo ipse sibi victum pararet seruilem, vt neq; malum vllũ, sed neq; damnum aut sumptum ipsis illis, quoad viueret, posset inferre, nimirũ qui suo labore victurus erat, non lautius quàm mancipium pistrino addictum. Et duxerunt Gazam vinctum catenis. *Gaza, vna ex Palæstinis vrbibus celeberrimis fuit, atq; in medio regionis posita; quò quicumque ex cæteris locis cõuenirent, communis inimici supplicium spectare & irridere, atq; aliis referre narrareq; possent. Videtur autem quondam in nonnullis locis moris fuisse, vt serui capti bello, & qui in publico vincti essent carcere inferioris notæ homines, molendo frumento operam dare imperarentur, atq; eius laboris mercede sese vtcũque alerent; cuius etiam mercedis pars alij cuipiam vsui publico addici potuit, vt catenis & compedibus emendis ac reficiendis. Atque huiusce modi morem attingere videntur lectiones illæ: Morietur omne primogenitum in* Exod. 11.
terra Ægyptiorum, à primogenito Pharaonis, qui sedet in solio eius, vsq; ad ,,
primogenitum ancillæ quæ est in mola, de eodemq; dicitur, Vsq; ad primoge- ,,
nitum ancillæ quæ erat in carcere. & apud Isaiam: Tolle molam, & mole fa- Isaiæ 47.
rinam, denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, reuela crura. ad ,,
hoc verò consilium ac iudicium ignominiæ quoque accessit ratio & causa, vt durissimo & vilissimo seruitutis genere illius vires dignæ esse publicæ dicerentur, quod non solùm inferioris notæ seruis, & quibus nulla melior opera imperanda videatur, verùm ignobilioribus, ac minùs ad cursum idoneis equis imponitur, vt ille aiebat: Segnipedes, dignique molam versare nepotes. Iuu. Sat. 8.
Hispanico prouerbio huiusmodi ignobilium vires appellari solent, fuerças de gana pan.

Iamque capilli eius renasci cœperant.

VT *in sententiæ rationem penetremus, totum carmen ex verbo considerandum est*, Et cœpit capillus capitis eius pullulare vt detonsus. *Nazaræi hoc est, serui Deo addicti, capillis detonsis fuerat, idq; ipsius detonsi hominis vitio ac temeritate, qui creditæ & commendatæ sibi sanctitudinis* *aperuerat mysterium, & contaminandum prodiderat. Nazaræi rursus capillus pullulare cœpit. quo tropo interiectam pœnitentiam intelligimus, atq; cum amissi boni dolore studium mutatum, & diuinam clementiam implo-* *ratam, veniamq; postulatam, animo ac mẽte simplice, ac priorẽ culpã detestante. quamobrem rursus in Nazaræi ordinem & gratiam vir ille restitutus est*, eaq; res confirmata & offensa, capillo eodem pacto crescente, eademq; corporis habitudine & membrorum vi redeunte, quomodo ante abrasum capillum habere ille sese senserat. itaq; non dicitur modò, Et crescere

cœpit

Universidad de Deusto
Biblioteca

cæpit capillus. Natq; id nec mirum, nec nouum esset, naturæ vi agente, qua sua sponte pilos citra vllum sensum corporis procreat; citiùs autem, densiùs, & prolixiùs in his qui vel macie contabescunt, vel animi mœrore laborant. sed dicitur, Vt detonsus. *Iam, inquit, capillus Nazaræi restitui cœperat, cùm ea, quæ subïcientur, euenere. Atq; ita viri pœnitudinem toto illo caeteris tempore subsecutam intelligimus. Nec vero fortitudinis spiritum vnà cum crinibus redditum, scripta indicant, sed mentem religionemq; eandem, & Nazaræi vota illi in illa calamitate seruata, atque ita sibi renatum capillum, qualem ante tonsuram esse contigerat.*

Et principes Palæstinorum conuenerunt in vnum, vt immolarent hostias magnificas Dagon deo suo, & epularentur, dicentes: Tradidit Deus noster inimicũ nostrũ Samson in manus nostras.

METVS *atque calamitatis præteritæ finem, & securitatis iam perpetuò sibi promissæ initium patrio ac tutelari credito deo publica gratulatione & supplicatione celebrandum Palæstinorum principes ac proceres decreuere: neq; id hostiis modò mactandis, sed epulo etiam dando, agere, festo ad hanc rem dicto, & statuto die, ludisq; destinato, in laudẽ Dagonis, quod præcipuum apud Palæstinos numen fuisse, multis ex locis obseruauimus, cuius celeberrimum fanum Gazæ frequentabatur. erat autem ille ex marinorum numinum grege præcipuus quispiam, quales Neptunos, siue Posidones Tritonesq; suos Græci & Latini consecrauere. certè piscibus præpositum fuisse, nomen ipsum Dagon indicat, cùm piscium genere omni commune vocabulum sit* DAG. *Qui principes nunc appellantur, quinque illi primi ac maximi fuere, quibus omnis Palæstinorũ distributa regio parebat. hos & Græci, & versio nostra Satrapas dicere aliàs solet: exemplaris lectio perpetuò* ZZARNIM, *Chaldæa versio* TVRNAIA *nominat: ex quo vocabulo* TYRANNI *nomen est deriuatum. Magnam autem fuisse oportet celebritatem illam, quæ omnium principum atq; primorũ populi conuentu ageretur: quamobrem hostias magnificas decretas noster interpres rectè vertit. Magna sacrificia, qualia Hecatombas fuisse legimus, nempe quæ & regiã magnificentiam sacrificantum, ac totius gentis, decerent, & tanto numini tutelari ac liberatori, tam magni, publici atq; communis in omnem regionem beneficij authori gratæ probarentur, & perpetuã deinceps impetrarent populo atq; principibus securitatem.* Tradidit Deus noster inimicum nostrum in manus nostras. *quamobrem & nos illi deditos gratulari ac prositeri oportet. Ita stultissima gens, non sine numine beneficiũ illud sibi contigisse persuaserat: atq; hoc quidem illi rectè cogitauerant; verùm illud vastigium, & manifestam culpam, cùm ille sic fuisset confessus:* Nazarꝰus sum Dei, ab vtero matris meę. *Verùm illi cæca opinione ducti, & nullum sibi*

sibi magis propitium numen, quàm Dagonem suum, & nullũ communem quem timerent inimicum, præter Samsonem, exstare arbitrabantur. Tradidit deus noster inimicum nostrum Samsonem. *Gratulationis & supplicationis à principibus decretæ elogium & carmen huiusmodi fuit à Poëta aliquo ex illorum ordine conditum.*

Quod etiam populus videns, laudabat deum suum, eademque dicebat: Tradidit deus noster aduersarium nostrum in manus nostras, qui deleuit terram nostram, & occidit plurimos.

HOC *genus carminis pæana antiqui Poëtæ vocabant, cuius frequens apud Homerum ac celebris mentio est. nihil autem aut certius aut frequentius in hominum moribus obseruamus, quàm vulgi ac populi animũ ac rumorem ad ea, quæ principibus probari videantur, secundissimum & obsequentissimum, in iis præcipuè rebus, quæ vel religionem vel superstitionem spectant, in quibus popellus omnis & sibi placet, & maioribus mirificè applaudit. S. S. E. In malitia sua lætificauerunt Regem, & in mendaciis suis principes. Omnes adulterãtes, quasi clibanus succensus à coquente: quieuit paululum ciuitas à commixtione fermenti, donec fermentaretur totum. Dies Regis nostri, cœperũt principes furere à vino: extendit manum suam cum illusoribus. quem locum in Comentariis nostris explicabamus, & quotidiana etiam nunc exempla patefaciunt, idq; nobis huius historiæ Scriptor apertè indicat:* Quod etiam populus videns, laudabat deum suum, eademque dicebat. *Populus Samsonem, in vinculis molentem, principum iussu spectatum admissus, gratulationem quoque, pluribus nominibus adiunctis, prolixioreque elogio referebat.*

Hostem quem nuper cuncti duruméque ferumque,
Vastantemque agros, & multa cæde madentem
Horruimus, Deus, ille Deus, cui læta dicamus
Festa hodie, manibus nostris en tradidit vnus.

Tribus maximæ in bellica re laudis epithetis & nominibus viri virtus vlpro ab hostibus celebrata fuit. Hostis communis, qui vnus ac singularis aduersus omnem regionis gentem, tam principes quàm populares, contentionem susceperat, idq; tanta dexteritate & felicitate egerat, vt & vastatoris, & homicidæ nomen sibi peperisset. Quæ nec Herculi suo Gentium antiquitas adscribere potuit, ea omnia vel ipsa inimicorum carmina vni ex Israelitarum gente viro canendo confessa tribuebat. Hectorem Homerus ἀνδρόφονον laudis causa vocare solet, quem imitatus Horatius homicidam dicit: sed nihil ad veram Samsonis fortitudinem, qui & viribus, & dexteritate armatos complures inermis strauit; & excogitato consilio, & inuento nouo, agrorum messes, vineta & oliueta depopulatus est. cuius domiti ac sibi traditi gratiam & laudem, vnico deo suo Palæstini mendosè arrogabant.

Ose. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lætantesque per conuiuia, sumptis iam epulis, præceperunt vt vocaretur Samson, & ante eos luderet.

NON satis illis fuerat magna illa publicæ gratulationis lætitia, solenni epulo celebranda, nisi capti hostis insultatio atq; irrisio accederet, ac miserabilis aliàs, ebriis tamen & saturis iucundus, spectaretur ludus; tanta nocendi & illudendi rabie ignobile vulgus insanire solet: cui vt gratificentur principes, varia ac plerumque humanitati dissentanea vel edunt ipsi, vel edenda permittunt spectacula. Hinc olim theatra cædibus ac sanguine plena; hinc nostro tempore, nostrisq; moribus impura, & ab omni arte semota, scenarum & comœdiarum licentia, & gladiatorum cæde funestiora crudeliorâque taurorum ac belluarum munera, quæ vel renuentibus ac detestatis superorum animis dicata consecrataq; visuntur. Atqui omnia hæc tunc spectantur iucundissimè, cùm ventri atq; gulæ abundè satis fuerit indultum.

Exod 32. S.S. E. Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Lætantesque per conuiuia. *Ex germanis historici verbis*: Et fuit, cùm bonum cor illorum, & dixerunt: Vocate Simson, & ludet nobis. Cùm bonum cor illorum. *cùm cibo ac vino pleni essent, curaq; omni deposita, nihil nisi lætitiam & risus cogitarent; nullos ludos gratiores sibi fore putauerunt, quàm robustissimi antea viri, nùc verò miserandi atq; oculis capti, viribusq; destituti hominis, iners & incerta saltatio. Ita quem indigno labori addixerant, ludibrio nunc & despectui esse volunt.* Et ante eos luderet. *ex verbo*, Et risum faciat nobis. *Qui nobis aliquando curam doloremque peperit, nunc vice versa lætitiâ risumq; turpiter saltando moueat. Manifesta vulgaris ingenij imago, quod, præsentis tantùm lætitiæ voluptate captum, consequentia nihil omnino cernit, ideoq; timet minimùm.*

Qui adductus de carcere, ludebat ante eos, feceruntque eum stare inter duas columnas.

CALAMITATIS *& iniuriæ indignitatem auget locorum & actionis opposita adnotatio, cum expressione nominis in ipso primæuo contexti appellati, sic*: Et vocari fecerunt Simsonem ex domo vinctorum. *Samson ille fortissimus, quem Palæstina omnis nuper vel nominando pauebat, quem vel visum fugiebat, nunc euocatus adest, atq; seruilibus modis tractatus obedit; nec aliunde euocatus, quàm ex carcere; nec ad digniorem & honestiorem agendam rem, quàm ad ridiculum atq; turpe de se spectaculũ saltando præbendum inimicis, principibus, ac populo. Huiusmodi euanidi salis exitum & vsum esse, sapientia diuina dictauit. Qui legit, intellegat. Publicè saltantes, & huiusmodi spectaculorum personas, turpitudinis atq; infamiæ notæ inustas, & ratio ipsa, & antiqua iura ferè omnia volunt, diuina verò lex minimè admittenda censuit, in vulgaribus etiam ac vilibus cauitatibus, nedum in honestioris ordinis atq; census viris. neq; verò tantùm actiua non quærenda & optanda, sed nec, si inuitis fuerint illata, ferenda esse censet.*

vnde illa in Machabæorum historiis Gentium violenta potentia, ac quorundam Israelitarum facilis acerbè accusatur, qui inducta festa atque sacra aliena, quàm mortem, pati maluerant. Certè qui de virtute vera, deq; corruptis hominum moribus prudenter locuti sunt, huius generis actiones ingenuo homine indignissimas duxerunt. vt ille de Nerone:

——In scena numquam cantauit Orestes,
Hæc opera, atque hæ sunt generosi principis artes,
Gaudentis patrio peregrina ad pulpita saltu
Prostitui, Graiæque apium meruisse coronæ?

Inter duas columnas. *In exemplari Hebraico, Chaldaicaq; interpretatione, plurali numero* Columnas *hoc loco legimus: subiuncto verò versu,* Columnas *super quas stabilitur domus. versu autẽ vigesimonono duarum columnarum singularis adnotatio est. vt verò res ipsa quemadmodum*



effici potuerit, cognoscatur, ædis illius forma breuiter perstringenda nobis censetur. Fuere olim ædium siue templorum varia genera, inter quæ principem elegantiam illa obtinebant, quæ columnis ornabantur & construebantur. ex his duo summa capita ἐνδόσυλα καὶ ἐξόσυλα, id est, quæ vel interius columnis fulciebantur, vel muniebantur exterius. vtriusque verò

Universidad de Deusto
Biblioteca

variæ fuere formæ. locus verò hic, in quo & epulum & spectaculum celebratum fuit, prioris generis fuisse obseruatur, cuius imaginem nos ex Ichnographia tantùm describemus. Igitur murus erat siue quadrus, siue quadratus, qui totum ambiebat spacium a, b, c, d. *intra hunc certis locis ac modis distinctæ columnæ complures ex arte confectæ, quarum loca,* e, *littera indicat. medium tenebant locum duæ maiores columnæ* F. F. *supra columnas epistylia posita, quæ,* g, *nota indicantur. A columnis ad murum epistylia alta, siue ex lapide, siue melius ex ære, aut cedro, aut ligno quouis idoneo. in medijs duabus columnis abacus erat,* H. *à quo ad ambientes columnas lignei vectes, vel ferrei potius, aut ænei, aut etiam marmorei, velut radij tendebantur. inter columnas & murum, tabulatum, siue contignatio asseribus instructa, ad adstantium & spectantium commoditatem & vsum, ita vt tota templi area sacrificantibus, epulantibus, & ludentibus vacaret, ac principibus primariisq; viris præberet subsellia. Huiusmodi verò formam ædis animo comprehensa, lectionis huius integra constabit explicatio.*

Fecerunt eum stare inter columnas. Qui dixit puero regenti gressus suos: Dimitte me, vt tangam columnas quibus omnis imminet domus, & recliner super eas, & paululum requiescam.

CVM *ipse oculis captus, nec ludendi, nec intermittendi & quiescendi locum nosse posset, vt à puero comite ac duce in media columnarũ area sisteretur opus fuit; vbi imperata saltatione, & iis qui ex æquo spectabant loco, lusum risumq; præberet; qui demum risus magnã cladem attulit. Nam cùm insultationem non sibi modò, sed religioni suæ, atque adeò contemptionem veri Dei, quem ille colebat, quémque Palæstini suo comparatum minorem iactabant, tantus vir perferre minimè tam posset, sacrilegæ atq; detestandæ iniuriæ vltionẽ, diuino iudicio probante sibi quærendam, & iam nunc opportunissimè parandam, meditatus animo, spe, atq; fide concepit; spem verò exitus ipse demum firmauit: itaq; deliberato ac certo consilio, saltationis comitem atq; ductorem puerum respirandi simulatione monet, vt sese secundùm mediàs geminas columnas, quibus omnis illa ædis moles tamquam centro nitebatur, sistat.*

Domus autem erat plena virorum ac mulierum, & erant ibi omnes principes Palæstinorum, ac de tecto & solario circiter tria millia vtriusque sexus spectantes ludentem Samson.

QVANTA *esset hominum frequentia, quamuis cæcum virum fallere non potuit, cui principum maiestatem cum omni aulica pompa, sacrificulorumq; grege, interesse diei celebritas, ac festi indictio, declarauerat. his verò innumerabilem promiscui vulgi multitudinem accedere, nemo dubitare potuit, cùm hoc nusquam non constet, rumorq; ipse ac strepitus ridentium & conuitiatorum clamor arguebat. quam rem ita interpretatus fuit Samson, vt*

vt diem sibi iam paratum duceret, quo illa salus matri suæ ab Angelo promissa inchoaretur, vno, vt ita dicam, prælio cõmisso, in quo ipse à magno hostium exercitu oppressus, vitæ iam deinceps futuræ sibi miserabilis, patriæ salutem, religionis veræ decus & sanctitudinem, Dei Israelis gloriam anteponeret; vtq; strenuus vir, cui tandem atrocior atq; crudelior, & pro inimicorum odio longior fortassis ad necem parabatur cruciatus, in ipsos sese vallãtium, & irrisione, probris, atq; insultatione vndiq; petẽtium, cuneos, quos aliàs pro animi sententia effugere non poterat, sese cõijciens, Dei suiq; vicem vlciscereturin eorum Imperatorum morem, qui aliquando sese ipsos etiam dijs immortalibus, capite velato, certis verbis pro repub. deuouisse memorantur; quorum vt neque causa par, ita euentus longè minor, minúsque efficax vtilisq; fuit. Namque hic non pro repub. solùm, sed pro aris ac focis, vti dici solet, hoc est, pro sacrosanctæ religionis, Israeliticæq; fidei authoritate. De spectantium autem numero & ordine sic ex germana lectione ac dispunctione æstimamus, principes primoresq; viros ac mulieres in illorum trium millium summa non esse ponendos, quorum sine vllo graduum ordine multitudo superiorem occupabat & implebat locum, hoc est, cõtignationem ipsam, quam versio nostra tectum ac solarium, duobus nominibus explicat: sacra verò lingua vnico verbo GAG, *omnem superiorem locum significat, eumq; præcipuè, qui conscensus, & sedendi, standi, & ingrediendi commoditatem præbet. Architecti veteres contignationes hoc genus vocant, quas ordine describere solent primas, secundas, tertias, quartas etiam. siue autem locus ille templum ipsum Dagonis, siue principum aula, siue publica iudiciorum domus basilica dicta fuerit, certè ædes amplissima erat, & magni populi capax, quippe quæ in superiori contignatione tria spectatorum millia contineret. Namq; indicato numero eos tantùm haberi, qui superiora occupabant, exemplaris lectio, & Chaldaica versio, Græcaq; dispunctio manifestè declarant. Exemplar sic:* Et ędes plena [nobilium] virorum ac [nobilium] mulierum, & ibidem omnes ZZARNEI Palæstinorum. *Hactenus hemistichium prius, cui posterius adiungitur sic:* Et super ipsum GAG circiter tria millia vir & mulier spectantium Samsonem, dum ille luderet. *Antiqui moris obseruatione receptum est, vt in huiusmodi spectaculis ac ludis inferior locus nobiliorũ ordinibus tribuatur: Romæ enim, quantum ex varia lectione didicimus, ad quartumdecimum vsque gradum à primo, & scenæ siue areæ proximo, maiorum subsellia constabant: his altiora spatia Quirites ac promiscuum vulgus, vt quisque primus prævenisset, occupabant. itaque hanc Samsonis ridiculam saltationem frequentissimus optimatum cùm feminarum, tum virorum consessus in primis ex inferiore; populi verò reliqui magnus concursus nempe trium millium vtriusq; sexus, superiore ex loco spectabat. Vt verò hanc & locorum & ordinũ distinctionem agnoscamus, expressis notationibus ducimur. In priori hemistichio* RAANASSIM & HANASSIM, *id est, certorum ac nobiliũ virorum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

& certarum mulierum: in posteriore verò sine vlla adnotatione aut singularitate, Vir & mulier. *Huius generis ichnographiam & ortographiam etiam prioris contignationis tenus, exceptis columnis mediis, Romæ D. Laurentij in Damasō templum exhibet, quod hæc legentibus, quàm primum in mentem venit; nisi quòd hîc columnas internè ambientes habemus; illic verò columnarum vicem quadrāgulæ pilæ præbent, quibus fornicum sulciuntur arcus. Græca lectio sic habet:* καὶ ἐπὶ τοῦ δώματος ὡσεὶ τρισχίλιοι ἄνδρες καὶ γυναῖκες ἐμβλέποντες ἐμπαίζόμενον τὸν σαμψών.

At ille inuocato Domino, ait: Domine Deus meus, memēto mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam, Deus meus; vt vlciscar me de hostibus meis, & pro amissione duorum luminum vnam vltionem recipiam.

VERSIONIS *huius nostræ explicationem, atq. dubiorum quorūdam controuersiarumq. de vltionis propriæ, deq. sibi ipsi inferenda morte diremptionē, singula verba ab exēplari petita non leuiter, vt arbitror, adiuuabūt.* Et clamauit Simson ad Dominum, & dixit: Domine IEHOVIH, memento mei obsecro, & corrobora me etiam vice hac, ô ELOHIM; & vlciscar vltionem vnam de duobus oculis meis de Pelisthim. *Licebat profectò, si otij & ingenij suppeteret copia, neruos eloquentiæ & industriæ omnes in orationis huius argumentis & ornamentis declarandis contendere: sed huiusmodi argumenta iis relinquentes, quos meliùs quàm Hannibalis deliberationes & Herculis labores tractare orando aut declamādo decuerit, summa nos tantùm capita rerum, & rationum disputationumq. locos ipsos indicabimus. Verbum* Inuocauit, *siue* clamauit, *oppressi hominis, & iniuria affecti, vocem exprimit hoc loco: idq. apud iudicē integrū, & seuerum, atq. sanctissimum agi intelligimus, ex duorum nominum appellatione: alterius quidem illius arcani quatuor literis pronunciati, quod ad singularem Dei notitiam, eiusdemq. prouidentiam, & humanæ salutis mysteria Israeli plerumq. appellari solere, iam sæpè sæpiùs adnotauimus. Alterum verò* ELOHIM, *quod diuini in mundum totum, atq. adeò in gentes nationesq. omnes, imperij atq. iudicij momenta omnia continet. & quamquam id ad alios qui falsò dij putantur, & ad cælestes animos ac spiritus, nec non ad populorum iudices viros significandos vsurpetur, tamen nulli adeò propriè, adeoq. rectè conuenit, quàm illi, cui vni,* IEHVEH, *vocabulum verè adscribitur. Est igitur Iudicialis causa, quam oratione sua Samson agit, in qua duplicem iniuriam persequitur: alteram publicam, sibiq. cum omni Israelitarum gente communem, de communi religionis odio & inuidia, contemptione atq. despectione, qua Palæstini Israelem prosequebantur: ideoq. & personarum cum accusantis, tum accusatæ expressa fit mentio, nempe Samsonis ipsius à Deo singulari prouidentia delecti atq. sacrati, ad cōmunem inclementem illam seruitutem, qua Israëlitica gens premebatur, vlciscendam*

endam aliqua ex parte, eaq. nō leui: atq. etiam Palæstinorum, qui afflictum & oppressum Israelem durè nimium excipiebant, idq. sē & rectè, & purè sanctēq., atq. dei sui iudicio & consilio, imò mandato ac iussu etiam facere iactabant & prædicabant: Tradidit deus noster aduersarium nostrum in manus nostras. itaq. & iniuriarum & personarum actio contentioq. instituta est. altera pars Samsonem inimicum suum sibi traditum, pro arbitrio ac libidine cruciandum iactat: altera verò, hoc est, Samson, iniuriam contumeliamq. grauissimam sibi impositam queritur, ab inimico declaratissimo, inimicitiasq. verbis & factis identidem confesso. Vtraq. pars causam iusq. suum ex euentu æstimandam & probandam suscipit. Nam Palæstinus iudicio dei sui, quem ELOHEINV, *id est, gubernatorem iudicemq. suum laudant, inimicum, sibi ex animi sententia torquendum, vexandum, ac demum crudeliter interficiendum, traditum affirmant. Contrà verò Samson suam causam meliorem & iustiorem esse clamat, qui multis modis ac sæpiùs vnus homo iniurijs impetitus affectusq. fuerit, nec vmquam cuiquam nisi lacessitus nocuerit: id verò ex euentu quoque declaratum confirmatumq. esse contendit. Neque enim vnus tot res aduersus multos tam feliciter conficere potuisset, nisi dextro, propitio, præsenteq. numine, & spiritū, robur, atq. animos seruo suo sibi dicato suggerente: cui nec numē ipsum diuinum nisi iusta in causa adfuisset. Namq. id veri Dei ac iudicis naturæ ingenioq. minimè consentaneum est. Hæc interpretatio est petitionis illius*, Domine IEHVIH. *nomē verò*, Domine, *siue* ADONAI, *ius authoritatemq. adscribit ei, qui appellatur ad cognoscendam diiudicandamq. causam. Appellatur autem Deus ipse nomine illo arcano, ad Israeliticā tutelam amplificationemq. pertinente. hunc enim Deum causæ suæ cognitorem primùm, deinde iudicem atq. vindicem sibi postulat Samson: Tu, inquit, qui sæpè alias mihi grauiter illatas ab inimicis iniurias, me ministro, seuerus iudex punisti, hanc demum grauissimam contumeliam, crudelemq. iniuriam animo pariter atque corpori factam meo, eo quo consueuisti pacto vindex ac iudex in hos animaduertendas curato, viribus, inquam, non meis, verùm à te, vt antea, suffectis, quibus meam vlciscar vicem.* Et redde mihi nunc fortitudinem pristinam. *In exemplari*, Et corrobora me etiam vice hac. *Vnde nō perpetuam atq. continentem, quasi innatam, sed pro ratione atq. vsu suffectam & auctam, stupendam illam roboris vim viro adfuisse intelligimus.* Deus meus. *Iudicis, gubernatoris, vltoris, ac prouidentis nomen,* ELOHIM, *hoc loco vsurpatum, iudicij diuini probationem ex euentu firmandam postulat; idq. fide duce ac magistra sit, cuius admirabilis ad conciliandum Deum virtus atq. experientia est.* Vt vlciscar me de hostibus meis. *Iudicialem vltionem implorari tam diximus, quam iusta querela & grauis mereretur causa.* De hostibus meis, *duplici nomine iniuriosis & infestissimis, hoc est, cùm priuatarum inimicitiarum aduersùm se, tum publicarum aduersus religionem & paternam disciplinam, Israeliticamq. dignitatem. Namque*

Supra.

in

Universidad de Deusto
Biblioteca

in exemplari personæ nomen vtraque significatione notatum est: De Philistim. *De Palæstinis, quos in contemptum nominis tui, meiq; contumeliam & calamitatem grauissimam, vtroque me lumine priuasse doleo & conqueror.* Pro amissione duorum luminum. *Vnum oculum sibi erutũ contumelioſæ ignominiæ ac iniuriæ crimine accusare poterat, nedum vtroque se orbatum grauissimè doleat, iudiciq; dolendum ac miserandum exhibeat: atque adeò insaniæ suæ morbum ab illis conquisitum, summoq; studio excitatum, significanter indicat. Igitur duplex causa hic agitur: altera Palæstinorum, Deo suo gratulãtium, & ius proprium ex Samsonis calamitate laudantium; altera Samsonis, iniuriam sibi illatam clamantis ac lamentati, & iudicium fidemq; Dei sui veri implorantis. vtriusq; causæ rationẽ ex euentu declarandam fides iam postulat, & terrarum orbis hominumq; animi exspectant. nam eas partes valere constiterit, quas exitus ostendet. Nam si quas vires ille sibi optat & poscit, Dei beneficio obtinuerit; votum quoq; suum eiusdem Dei iudicio probatum declarabit.*

Et apprehendens ambas columnas quibus innitebatur domus, alteramque earum dextra, alteram læua tenens.

In *summis minimisq; rebus agendis intellectum, delectũ, & conatum tantummodo nostra in nobisq; esse, humani ingenij indagatores definiere; cætera verò omnia externa atq; aliunde profecta confessi sunt: quæ si ex animi sententia successerint, ei parti, vnde nata sunt, accepta referẽtur. culpa itaque, atque huic opposita laus, ex illorum trium vsu vnicuiq; adscribitur. Nam si quis rectè intelligat, rectèq; velit & conetur, is profectò commendationem, sin verò perperam illa agat, vituperationem commeretur, quemcumq; demum exitum res, de qua agitur, habuerit. Quam ob rem in cõmunibus ac promiscuis rerum generibus nõ satis probè ex euentu vel vituperationẽ, vel laudem peti consentaneũ est, meritoq; illud imprecabatur quidam:*

——— Careat successibus opto,
Quisquis ab euentu facta notanda putat.

Verùm in maximis & communia exempla superantibus ausis, quibus tam difficilis inciderit nodus, vt, nisi Deus intersit, vindicari & solui non possit, si inuocationem, implorationemq; fidei certus consequatur euentus, causæ cum primis honestas, & aperta Dei constare dicenda est voluntas. Sensum igitur voluntatemq; Samsonis in causa aduersus Palæstinos institutæ, superiores versus ostenderant; conatus verò hìc iam spectatur, alteram atq; alteram ex mediis iisdemq; maximis columnis, dextra læuaq; tenente viro, atque post postulatum diuinum numen & robur impellente: siquidem conatum illum adhibitum impellentis, non trahentis habitu spectandum, exemplaris lectio docet aperte: Et innixus est super eas, alteram in dextera eius, alteram in sinistra sua. *ita vt in illo ipso extremo rerum à se gestarum exemplo authorem superioremq; agens, ruinam ipse fecisse & intulisse magis*

magis quàm passum fuisse diceretur, atq; postea cùm in tanta lapidum ac ruderum mole sepulturæ causa educendus esset, non recubans ac iacens, sed incumbens potiùs maximo cum spectãtium stupore viseretur. Huic etiam cogitationi illud addendum, videlicet maiorem multo vim ad magna pondera impellenda, quàm ad trahenda exigi; quod facilè æstimabunt ij, qui mechanicarum disciplinarum expertes non fuerint. Atque hæc simul coniuncta omnia dubitationem prorsus controuersiamq; adimunt, de huius à Samsone maximi facinoris suscepti & peracti iure atque honestate; cùm exitu ipso vltra humanam omnem sortem obseruato, voluntatem authoritatemq; probent iudicis Dei, cui vno prælio, per vnum bellorum suorum ministrum facto, tot impiorum hostium millia vnico impulsu occidenda ac perdenda, vnicaq; maximi templi Deo illorum dicati ruina, impietatis vanitatisq; redargutæ ignominiosum monumentum æternè statuendum decreuerit, atq; eadem opera peccatum proditæ antea sanctitatis in eundem cladis ministrum expiari puniriq; voluerit: maximo tamẽ cum honore & præconio, tantæ iniuriæ tam præclarè atque fortiter, imò tanto cum victoriæ miraculo vindicatæ. Iam verò & viri vltro pro patria religione, pro causæ suæ honestate fisse deuouentis, atq; votum apud superos probantis, extremã vocẽ audiamus.

Ait, Moriatur anima mea cum Philisthiim.

Mortalis *huius vitæ vsuram tantùm hostium perdendorũ, atque religionis propriæ exornandæ & asserendæ causa, extremo casui sibi exponi, cætera verò omnia integra, propria, perpetuaq; mansura esse ait. Namq; hìc nomen* NEPHES *vsurpatur, quod animam significat, ea ratione qua corporis vitæ ministram & opificem esse, Philosophi definiunt; qua, inquam, cibum potumq; appetere, qua concoquere, qua vigiliam & somnum diuidere, qua nutrire & incrementum parare, denique qua aspirationi ac respirationi continenter operam dare, qua corporis membris motum ac sensum sufficere cognoscimus: qua verò intelligere, sapere, & iudicare deligereq; homini datur, nõ* NEPHES, *verùm* RVAHH, *id est, spiritus, illa princeps humanæ naturæ portio appellatur. Latinis verò antiquis ac doctis hic animus, anima illa dicitur, quæ, qua parte vitam administrat animantibus omnibus, persimilem & actionem & vocem sortitur.*

——— Mundi
Principio indulsit communis conditor illis
Tantùm animas, nobis animum quoque. Iuu. Sat. 15.

Superior illa pars, quam spiritum siue animum vocamus, nec interit, nec actione etiam post huius vitæ decursionem vacat: inferior verò altera NEPHES, *atque anima dicta tata, exacto vitæ spatio, nihil interim agit, quàm diu à corpore seiuncta fuerit. S. S. E. Vẽter escis, & esca ventri: hũc & hanc destruet Deus. Namq; hæc eadem post resurrectionẽ alio modo suæ corporì impendet vires & efficientias, in iis præcipuè, quibus immutatio illa continget,* 1 Cor. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

1.Cor. 15. tinget, de qua scriptum est: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes im-
» mutabimur. His enim Christi viuentis instar viuendo agnoscetur, qui nec
moritur, nec morti vltrà obnoxius esse, nec doloribus vllis tangi potest.
Philip. 3. S. S. E. Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori
» claritatis suæ. Nam de iis, quibus hanc sortem sua vitia inuiderunt, alia dis-
serendi ratio fuerit. Igitur illam tãtùm animæ portionẽ sibi deuoueri, Sam-
son profitetur, quæ humano corpori semel dissocianda necessariò est, idq;
Genes. 1. fuit olim stata diuini iudicij sententia fixum: Puluis es, & in puluerem re-
» uertêris. Moriatur, inquit, anima mea cum Philisthiim. adnotanter di-
xit, Cum Philisthiim, non autem cum animabus Philisthiim: siquidẽ ipse
animam tantùm sibi morituram, cæterorum verò non animas solùm, sed
animos, eo modo quo impij pereunt, interituros, hoc est, à Dei superorumq;
felicitate seiungendos, vt hædos ab agnis, credebat. Nam vt vita aeterna
Deus est, ita è diuerso æterna mors Deo carentes consequitur. Hoc aliisq;
compluribus locis, quid & quemadmodum antiqui Israelitæ de animorum
immortalitate senserint, obseruatione diligenter adhibita, cognouisse expe-
Matth. 10. diet. Huc planè illud pertinet. Nolite timere eos qui corpus occidũt, animam
» autem non possunt occidere; sed potiùs timete eum, qui potest corpus &
» mam mittere in gehennam ignis: Namq; altera pars ad NEPHES, altera ve-
rò ad RVAH H, hoc est, ad spiritum referenda est: quamquam vocabula haec
interdum non ita distinctè vsurpentur. Quod verò adiunctum est, Cum
Philisthiim, animaduersionem attentionemq; legentium postulat, ad va-
rium piorum atq; impiorum cognoscendum exitum. Quippe Samson tan-
tum animam suam morituram, Palæstinos verò totos perituros aiebat, hoc
est, corpore secum vnà, animo autem in gehennam detrudendo, sine vlla re-
demptionis exspectatione: vtrũque autem ex iudicio Dei, qui potest & cor-
pus & animam, ob malum pereuntium meritum, perdere.

Concussisq́ue fortiter columnis, cecidit domus super omnes prin-
cipes, & cæteram multitudinem quæ ibi erat: multoq́ue plures
interfecit moriens, quàm antè viuus occiderat.

QVAMQVAM morte venalem, tamen victoriam hanc verè appel-
landam, atque hoc nomine celebrandam, lectionis ratio & obseruatio indi-
cat: namq; Palæstinorum satrapas omnes cum omnibus ferè ipsorum aulicis
comitibus, atque adeò feminis & pueris principibus, quorum plena tunc
ædes erat, tantum præterea reliqui populi ex omnibus satrapiis eodẽ coacti,
vnico viri impetu, vnica plaga periisse, præsij diuini tamen exemplum ad-
mirabile atque manifestum fuit, in quo altera pars aduersus alteram con-
currerat. hi omnes, vt illi vni capto, atque crudelissimè excepto, immaniter
ac turpiter insultarent, & necem postea pro libidine afferrent; ille verò, vt
læsæ & irrisæ suæ, hoc est, veræ religionis, atque illatæ simul sibi iniuriæ vl-
cem vlciscereturIn media igitur illorum de victoria sua lætitia, in ipso in-
sultationis clamore atque cachinno suppeditatis diuinitus viribus vsus vir,

vincendi illam consuetudinem, quam viuus probauerat, vincendi, inquam,
non armis, curribus, aut turmis equitum, cateruisve peditum, sed fortitu-
dine cælesti planè, & quouis oblato ad plagas instrumento, vel inepto, vt
asini maxilla, nunc demum morti deuotus ac iam moriturus longo interual-
lo superauit. Multoq́ue plures interfecit moriens, quàm antè viuus
occiderat. Ita qui promissus, datus, notusq́; ad hoc fuerat, vt Israelẽ de ma-
nu Palæstinorum liberare inciperet, quam gerendam commissam sibi
crediderat, quoad vixit, strenuè ac fortiter præstitit, moriturus quoque for-
tissimè peregit, atque ita diuinum de se responsum reapse firmauit. Con-
cussis fortiter columnis. In exemplari lingua actoris incumbentis, & è
regione pugnantis habitus ac gestus exprimitur, deliberatioq́; certa, & effi-
cax indicatur voluntas, verbis VAIET BE COAHH, incubuit in vir-
tute. diuina fretus ope, atque postulata & obtenta virtute vsus. non qui re-
cumbens aut retrorsum conatus columnas traheret secum; sed qui incum-
bens potiùs impetumq́; faciens impelleret. itaque in ipsa ruina cæteris te-
metè iacentibus, vt quemq; casus occupauerat, ipse non resupinus nec obli-
quus, sed prorsus repertus fuit; vt superior etiam mortuus fuisse, vel inui-
tis hostibus agnosceretur.

Descendentes autem fratres eius, & vniuersa cognatio, tulerunt
corpus eius, & sepelierunt inter Saraa & Esthaol, in sepulchro
patris sui Manuë.

SEPELIENDI cura apud Israelitas antiqua & constans obseruatur,
pro locorum ac temporum personarumq; ratione, diligenter inita. Namque
sepulchrum ad vitæ ac veritatis testimonium ac monumentum refertur in
primis: deinde in honoris viuentibus debiti ius, mortuis funus ac sepultura
decernitur. Potissimùm verò atq; maximum illud est, quam ob rem publicè
de corporum sepultura ageretur studiosissimè, quòd videlicet certa non mo-
do de animæ immortalitate, sed de corporum etiam resurrectione tenebatur
& colebatur spes, quæ in illo ad Abrahamum diuinitus facto promisso ful-
ta quondam stabilitaq; fuerat: Ego protector tuus sum, ET MERCES TVA Genes. 15.
MAGNA NIMIS. Ex hoc aliisq; similibus Dei promissis & oraculis illa »
cognoscendarum familiarum, atque in morte etiam obseruandarum & co-
lendarum disciplina orta, illaq; historiarum frequens est profecta comme-
moratio: Et sepultus est in sepulchro patris sui. Et connumeratus est ad pa- »
tres suos. Et sepeliuit Saram vxorem suam in sepulchro speluncæ duplicis. »
& quæ ad hoc genus referũtur cõplures aliæ animaduersiones. Fuit igitur
Samsonis fratribus & propinquis diligenter adhibita cura, viri corpus ad
sepulturam postulandi & impetrandi, atq; honestissimo funere asportandi,
& in maiorum suorum sepulchro condendi: in quo & cognatorum sedulie-
tatem, & Palæstinorũ humanitatem laudare est: illorum quidem, qui nihil

Universidad de Deusto
Biblioteca

veriti vel hostium potentiam, vel conceptum aduersus Samsonem odium, frequenti turba ad cadauer postulãdum prodierint: horum verò, qui corpus eius, à quo tantam in sè suosq; factam stragem senserant, funeris tamen ac sepulchri honore non prohibuerint, sed facilè permiserint magna cum hominum celebritate efferri, atque in magni ducis victorisq; morem triumphi instar habente funere cohonestari; cui permissioni rerum gestarum admirationem quoque, & futuræ fortassè calamitatis dubitationem ac metum, viam muniisse arbitramur. Namq; vero simillimum est, eos, qui non viuentem modò, atque sentientẽ, nũquam sine suo magno malo læserunt, sed etiam morientem sibi perniciosissimum experti fuerant, ne etiam si mortuũ apud sè retinere, vel quoquo modo sepulturæ iure arcere tentarent, vltorem etiam paterentur expauisse; cùm præsertim illa omnia, quæ euenerant, non iam ad humanas causas naturæve exempla alia, sed planè ad diuinam efficientiam referri res ipsa cogeret; constaretq; publicè, illum curæ esse Deo suo, vtpote quem Nazarenum, hoc est, peculiari ritu ac modo seruum addictum fuisse, ipsius etiam confessione peruulgatum esset. Funeris porrò exsequias & fratrum & cognatorum frequẽs turba prosecuta fuisse dicitur. Namq; horum huius rei præcipua cura ex more officioq; fuit. Fratres verò dicuntur, qui cumque proximis gradibus coniuncti sunt: cæteri verò, qui ad aliquam ex nepotum Israelis familiis adnumerantur, BETH ABIHV, *domus patris eius, siue* cognatio *nominantur. & fortassis post illius ortum alij quoque liberi parentibus procreati sunt, quorum, quia nihil ad historiam attinebat amplius, breuis hæc mentio facta est. Sepulchralis verò loci adnotatio & indicatio ad veritatis monumentum facit, & ad familiarum tribuumq; dignoscendam rationem.*

Iudicauitque Israel viginti annis.

ÆTATVM, *sæculorum, ac temporum rationem numeri huius nomen spectat, quam apud Israelitas à promissorum initio ad Christum vsque Regem quàm diligentissimè subductam obseruatamq; esse oportuit. Omnes verò vinculorum Samsonis siue menses siue dies, hoc annorum continentur numero. Nam idem vitæ atque peracti magistratus finis viro fuit. Sed huius numeri facta mentio, hîc ad vitæ finem, superiùs verò ad honorũ ac muneris durationem refertur.*

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

FVitque eo tempore vir quidam de monte Ephraim nomine Michas.

TVRBVLENTVM, *inconcinnum, atq; à veræ virtutis ac ciuilitatis forma discrepantem reipub. statum esse, interim dum nec princeps nec magistratus teneat, cui paternarum legum obseruatio curæ sit, hoc atq; huic subiunctis*

iunctis capitibus docemur, tribus descriptis historiis immoderatæ libertatis, & superstitionum atq; prædationum licentiæ. Antè verò quàm explicationem inimus, certum vtriusque historiæ tempus indicare ad institutum nobis officium pertinere arbitramur. Sunt enim qui hæc ad Cusam Risgha- סדר עולם
thaim tyrãnidis ætatem referant, idq; adstruant ex lectione libri qui Mũdi series inscribitur: in quo Gathnielis filij Chenaz tempore facta hæc dicũtur, propterea quòd scriptum sit: Mãsitq; apud eos idolum Michæ omni tempore Infrà 18.
quo fuit domus Dei in Silo. Sed cur magis à Cusani tempore inchoãda hæc ratio sit, quàm à Iosuæ diebus, cùm primùm Dei domus in Silo constituta fuit; nulla alia vel ratio producitur, vel authoritas citatur, præterquam illa: In diebus illis non erat Rex in Israel. Numquam autem consulem, vel iudicem, vel præfectum aliquem desideratum Israelitis legi, nisi Cusam Risgathaim tyrannidem exercente. Namq; Regis nomine principem quẽpiam Reipub. habenas tenentem significari his lectionibus, expositores fatentur omnes. Quod vbi conceditur, Gathnielis tempus ab hac ratione excludendum erit, in quo nihil publicè audere quisquam potuit, quod vel à tyranno antea, vel ab ipso Gathniele non compesceretur, præsertim nouãdis bellorebus, quales inferiùs narrabuntur. Quamobrem hoc potissimùm loco narrationes hæ inductæ sunt, quòd numquam magis Israeliticum populum vitiorum vindice caruisse existimamus, quàm Samsonis temporibus extremis, hoc est, dum ille primùm Dalilæ amori vacaret; deinde verò, dum vinctus apud Palæstinos retineretur; ac interim etiam, quoad quispiam, qui Samsoni succederet, exstaret. Atq; ita rectissimè ab interprete nostro Latino explicationis causa additum est, Eo tempore. *Ea, inquam, tempestate, qua Samson indignis modis distentus, Israeliticis rebus administrandis nullam operam dabat, id quod mox narrabitur nouarum rerum, tum in religione, tum in ciuilis status turbatione euenit.* Vir quidam. *vnicum nomen is, duabus vocibus singularitatem significantibus, aptè explicatur. Namq; larem virum appellare, appellatumq; indicare, historiæ author voluit.* De monte Ephraim. *locus tribum indicat, tribus autem facti arguit indignitatem, & audaciæ crimen amplificat, vtpote rebus extra ordinem confusis ac perturbatis.*

Qui dixit matri suæ: Mille centum argenteos, quos separaueras, & super quos, me audiente, iurauetas, ecce ego habeo, & apud me sunt.

EX *colloquio facti series velut certo confessionis testimonio narratur; idq; breuiùs & significantiùs ab historiæ scriptoribus aliquando vsurpari solet, quàm si res aliàs didascalico exponeretur stylo. Atq; narrationis genus hoc etiam apud exteros obseruatur, vt in prima Terentij comœdia videre est, vbi Simo Sosiæ semel ad scenam inducto, totius rei, de qua agitur, argumentum rogando & respondendo enarrat. quod ad historiarum & poëmatum cognitionem adnotasse retulerit. Est autem historiæ argumentum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

huiusmodi. Vidua quædam ex Ephraitarum gente mille ac centum ſiclos argenteos, certo in domus loco ſepoſitos, condidit, ex quibus nonnihil ſibi atque ſuis ad religionis priuatum cultum comparare cogitauerat. eam pecuniam filius, Michas nomine, ſiue caſu, ſiue ex obſeruatione repertam, aufert. mater, damnum ſibi datum grauiter ferens, raptori incerto quamuis dira & mala multa muliebri impatientia precatur: quæ filius audiens, euenturáque metuens, matri tandē confeſſus rem, vt egiſſet, indicat. nec verò argentum clàm referre, & opportuno ad reperiendum loco reponere, ſatis eſſe arbitratur, vt qui maternæ imprecationis diuitatem & pondus efficacitatemq; horreat. Mille centum argenteos. *Siclos intelligimus ſemũciæ ponderis ſingulos, conficientes in ſumma vncias quingentas & quinquaginta. quod non citra augurij ſuperſtitionem à femina obſeruatum arbitramur. Argenteum, ſiue* CHEZZEPH, *cùm certo numero indicatur, ſiclum apud veteres ſignificabat.* Quos ſeparaueras. *quos furto amiſeras. ita explicandam verſionē, nos Hebraica oratio, Chaldaicaq; & Græca interpretatio docent.* ASSERLVCAHH LACH, τοὺς συλληφθέντας τοι. Et ſuper quos, me audiente, iuraueras. *dira deteſtatione egeras aduerſus raptorem quemcũque quam niſi ego audiſſem, non tam horruiſſem efficacem. Primæuum verbum* ELITH, *hoc precationis genus indicat. atqui furtum ipſum peccatum ducebat filius hic. quod ad damnũ matri datũ attineret, id repoſita ac reſtituta re præſtari potuit: ſed quòd deteſtatio illa grauiſſima, nõ niſi placato matris animo expiari poſſet, arbitratus homo, cõfeſſione facinus à ſe peractum detegendum curauit:* Ecce ego habeo, *atq; ita ſoſpitem pecuniam aſſero, quod ad factum damnum attinet: quod verò ad iram deteſtationemq; tuam,* Apud me ſunt. *apud neminem alium fuere hactenus; ita vt vtraque culpa pars in me ſit caſura. ſua in lingua* VE ANILAKAHHTIV. Et ego ſuſtuleram illud. *Quo ſermone mater & reperti argenti gaudio, & filij religionis cura pariter affecta, vtrumque ad viri expiationem & commodum conuertere ſtudet.*

Cui illa reſpondit: Benedictus filius meus Domino.

VT *deteſtatio antea certis verbis concepta & pronunciata fuerat; ita rurſus, expiationis cauſa, bonis verbis & fauſta precatione agitur. Quandoquidem te furti ſolum authorem accuſas & confiteris, curandum mihi eſt vt ſecurus de hac re agas: neq; enim mihi in mentem venerat, potuiſſe te mihi nummos furripere: non enim ipſa natum dira deteſtatione proſequerer, quem potiùs fauſtè ac feliciter beateq; viuere peropto, & nunc etiam curo, precor, atq; oro, vt ne quid tibi eueniat mali vmquam, ſed vt benedictus ſis Domino; tantum abeſt vt maledictum & infelicem te velim.*

Reddidit ergo eos matri ſuæ, quæ dixerat ei, Conſecraui & voui hoc argentum Domino, vt de manu mea ſuſcipiat filius meus, & faciat ſculptile atque conflatile: & nunc trado illud tibi.

NARRATIONIS *initium ex facto petitur. Non enim illa argẽtum filio*

filio concedere voluit; ſed orationem, ſiue veram, ſiue conficlam reperit, qua religionem prætexens, ſublatos furto nummos reciperet, exponẽs nimirum, non profanam nec vulgarem eſſe pecuniã, ſed iam pridem Deo dicatam, & ſanctam, in vſum ſimulachri ad cultum conficiendi, eamq; omnem rem filio curandã voluiſſe ſeſe ait. Ne verò ille ſeſe curaturum reciperet, acutè illa cauit illo ſermone, Vt de manu mea ſuſcipiat filius meus. *Atq; ita omnem aliam curandi rationem exceptam voluit; quod & ſubiuncta etiam expoſitione muniuit:* Et nunc trado illud tibi. *In exemplari lingua futurũ verbi tempus exprimitur,* Tradam illud tibi. *Tu modò mihi reponas tibi eueſtigio mea manu reddendum. nam mea manu ac ſponte mea tibi curaturo numerandum, cùm pridem ſepararem, conſtitueram. Hæc autem oratio illum ad neceſſariam ſolutionem adegit.*

Reddidit igitur eos matri ſuæ: quæ tulit ducentos argenteos, & dedit eos argentario, vt faceret ex eis ſculptile atque conflatile, quod fuit in domo Michæ.

QVÆ tulit ducentos. *Interim dum illa argentum ſibi reſtituendum curabat, totum ſacrum ac dicatum aiebat: pòſt verò, iam pecuniæ compos facta, partem tantùm ſimulachro faciendo impendit, reliquum omne ſibi retinuit. Neq; enim quicquam amplius ex lectionis ſilo & ſtylo, de illa pecunia factum intelligimus. Ex centum itaq; argenti vnciis effigies lignea, vt apparet, primùm facta & exſculpta fuit, eademq; deinde argenteis bracteis, artificis periti operà, obducta, quæ totum exterius opus argenteum, nitensq; præſtaret. hoc enim nobis duo nomina* PEZZEL & MAZZECHAH *indicant. quod quidem operis genus antiquis in vſu fuiſſe, & quæ nunc reperiuntur argento affabrè impacto, numiſmata arguunt, & illi apud Satyricum verſus diſtinctè referunt.*

Hæc ibi ſi non ſunt, minor exſtat ſacrilegus, qui — Iuu. Sat. 13.
Radat inaurati femur Herculis, & faciem ipſam
Neptuni, qui bracteolam de Caſtore ducat.
An dubitet ſolitus totum conflare Tonantem?

Itaque Sculptile *effigiem ipſam interpretamur, ex ligno aut alia materia quæ modò dolari poſſet:* Conflatile *verò bracteas, quibus effigies obducta, totum opus velut argenteum venditabat, à verbo* נסך. *idq; totum ducentorum ſiclorum impenſis confectum eſt. reliquum verò argentũ omne mulieri retentum, quæ, vt filium religione ad damnum ſarciendum adigeret, illud à ſe Deo dicatum aiebat. facilè autem imponere poſtea potuit, cùm non omne, ſed* argentum *à ſe ſacratum diceret. Nam ita illa pronunciauerat:* Sanctificare ſanctificaui argentum ipſum. *Animaduertendum verò eſt, quàm facilè ſexus ille à veræ pietatis candore ac ſimplicitate ad ſuperſtitionem delabatur, ſeſeq; nunc in hanc, nunc in illam cogitationem vertat, ſemper addiſcens, & numquam ad veritatis ſcientiam perueniens, vt diuus* 2. Tim. 3. *Paulus*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Paulus ait, vnde prouerbio apud Israelitas celebratũ est עצירה אורת עצירת כל הרעות מן נקבץ *Violatio violationem promit, à feminis mala omnia. Atq; in disputatione de votis apud antiquos instituta mulierum nota, nec vero nec sibi ipsis constare admonemur.* Quod fuit in domo Michæ. *Hoc matrem filio indulgendi studio voluisse egisseq;, intelligere possumus, atq; hoc pacto exsecrationis metum adimere curasse, & restitutæ pecuniæ desiderium lenire; ei verò rei ipsum Micham opportunitatem commoditatemq; præbuisse, ædicula nimirum intra propriam domum exstructa ad priuatum cultum, quæ tamen nondum vel sacra, vel alicui numini dicata fuerat: hæc enim huius atq; subiuncti versus connexio est.*

Qui ædiculam quoque in ea Deo separauit, & fecit ephod & theraphim, id est, vestem sacerdotalem, impleuitque vnius filiorum suorum manum, & factus est ei sacerdos.

Qui ædiculam. *Expositio est rationis quamobrem in filij ædibus simulachrum illud fuerit collocatum, quòd videlicet ille iam pridem ædiculam priuatam, siue sacellum domi suæ ponendum curauisset, Deorum colendorum causa, vbi tamen nullũ nominatim Deum hactenus collocauerat. Ex verbo versus hic ita sonabit:* Et vir ille Michas ei [erat] ædes ELOHIM. *ædicula non Domini solo nomini ac numini, sed deorum, hoc est, sacra sepositaq; ædes, nondum tamen initiationibus consecrata. Nihil autem procliuius in antiquis ac sacris lectionibus obseruauimus, quàm superstitionis morbum ex materni erroris contagio filiis inhærere, cùm consuetũ & familiare spectaculum puerorum teneros animos facilè corrumpat; qui, vbi semel illa in ætate vitium fecerint, foueri magis & augeri, quàm corrigi nouerunt.*

Iuu. Sat. 14.

Sic natura iubet, velociùs ac citiùs nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cùm subeant animos authoribus. vnus & alter
Forsitan hæc spernant iuuenes, quibus atte benigna
Et meliore luto finxit præcordia Titan.
Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt,
Et monstrata diu veteris trahit orbita culpæ.

Tantum maternæ stultitiæ indulgere voluit Michas, vt quẽ puer errorem suxerat, iam vir factus, ad insaniam vsque foueret. ideoq; bis in hac narratione vir appellatur; initio capitis, Fuit vir de monte Ephraim; & quinto versu, Et vir ille Michas habuit ædem ELOHIM. *Sed cùm non satis insaniæ hoc esset, ad furorẽ vsq; progressus ipse, de sua pecunia* Ephod & Theraphim *facienda curauit: quorum alterum vocabulũ sacerdotalem vestem, vt interpres noster explicat, significat; alterum verò imagines quasdam cæli astrorumq; certa obseruatione confectas, & ritibus sacratas, ad auguriorũ,* Gen. 31. *diuinandiq; abusum, quales ex Labani domo Rachel filia discedens, quõdam abstulisse memoratur. Nec verò hoc scelere contentus Michas, materno, suoq;*

suoq; morbo indulgendum decreuit; sed vnum quoque ex liberis suis sacris initiandum, atq; flaminem sibi sacrificulumq; constituendum curauit, nulla nec diuina, nec humana, præterquam libidinis mentisque suæ authoritate ac facultate, ad eam rem adhibita: ita vt breui tempore, non numinis tãtùm veri maiestas vano & sacrilego signo læsa, sed omnis diuini cultus ratio, templo erigendo, vestibus & imaginibus auguralibus conficiendis, & sacerdote, nec legitimæ tribus homine, nec legitimis ritibus constituendo, contaminata ac perturbata euaserit. Impleuit manum. *Initiationis, institutionis, atq; doctrinæ instructionisq; significationem huiusmodi tropo expressi obseruauimus, exemplis compluribus in Leuitico rituali adnotatis.* Et factus est ei sacerdos. *priuatus homo, atq; vnus ex tribu genteq; sua, tamen publicum sacerdotale ministerium & officium, quod nulli, præterquam Aaronis filiis obtinere atq; exercere fas fuerat, omnibus exceptionibus contemptis & posthabitis, sibi non superstitiosè modo, verùm & ambitiosè ad gloriam vsurpauit. Siquidem ambitionis superba ac teterrima pestis, non humanas tantùm, publicas & priuatas res, verùm diuina etiam & cælestia tentat, sibiq; subigere molitur.*

Atque vtinam nostri ritus, Christianaque tantùm
His intacta malis agerentur sacra. sed vnus
Iam sibi quisque suas priuatas ducit in ædes
Quidquid communi veteres coluistis honore.

Sed præsentes mores corrigere odiosum nimis, nec nostri vel muneris, vel instituti est. Igitur breui tempore in vna familia multorum in religione scelerum à matre inchoatum, à filio auctum, promotum, & absolutũ exemplum notauimus. Vnde hæc monstra tamen, vel quo de fonte requiris? Rogationi huic historiæ author euestigio respondet:

In diebus illis non erat Rex in Israel, sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.

QVANTA *sit strenui, fortis, ac legitimi gubernatoris in ciuitatibus, ac publicis rebus commoditas, quanta vtilitas, aperto epiphonemate declaratum intelligimus. Nam principis & moderatoris diligentia quamquam aliquando requiri soleat; corrigi tamen, & restitui potest, atq; adeò timeri conniuentia, vt aliquando expergefacta, labantes aut nutantes vindicet, ac reponat res. numquam autem tantum vel sceleratissimo cuique vitiis atque concolumibus principibus licere potuit, atq; iis licere visum est, qui nullum, quem colant, quem obseruent, quem metuant, vel Regem, vel magistratum agnoscunt.* Oderunt peccare boni virtutis amore. Tu nihil admittes in te formidine pœnæ. *Hæc vbi non formidatur, vel ignauissimi & impotenti animo præditi, atq; infirmo, qualis mulierecularum est, diuina humanáque omnia vsurpare, miscere, & euertere non dubitant; nemoq; horum est, qui sibi rationem non inueniat, quam honestatis nomine ausis atq; facinoribus prætexere studeat.* Vnusquisque quod sibi rectum videbatur. *Quippe*

Universidad de Deusto
Biblioteca

specie recti nos decipi, antiqui omnes docti confessi sunt. atq; hoc pacto rectum non ex propria recti honestiq; ratione, sed ex vnius cuiusque libidine definitur. In exemplari legimus. Singuli rectum in oculis suis facient. *Quocunque & qualicunque modo singulorum oculi affecti erant, tali ratione de recto atq; obliquo non tantùm iudicabant, sed ad mentem vsq; explendam agebant & curabant. Nec verò obseruatione caret, quod adnotanter legimus,* Rex in Israel. *Nam Regis, siue* MELECH *nomen consulem, gubernatorem, ac principem virum significat, qui modò consilio rempublicam administret; à verbo* MALACH *deductum, quod consulere apud Latinos dicitur. Samsonis autē apud Palæstinos capti temporibus, nemo princeps vir erat, qui in curando ac procurando publicarum rerum, ac præcipuè religionis statu seueritatem & sanctitatem repræsentaret Israelis illius antiqui, cui huiusmodi contaminationibus familiam gentemq; suam expiandi, & vnico Dei veri numini cultum exhibendi, cura fuerat efficacissima.*

Gen. 35. *S. S. E. Iacob verò, conuocata omni domo sua, ait: Abijcite deos alienos* » *qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimēta vestra. Surgite, & adscendamus in Bethel, & faciamus ibi altare Deo, qui exaudiuit* » *me in die tribulationis meæ, & socius fuit itineris mei. Huius viri exēplum Israeliticos Reges & magistratus in religionis instauratione obseruare oportuit. Cuius etiam rationem habere nostros Christianos principes maximè decuerit. Desiderati itaq; boni vindicis defectum magna licentiæ atque temeritatis monstra pronum est consequi: quorum cùm vnum iam exemplum notauerimus, alterum nunc deinceps diuerso argumento, sed pernitioso exitu audiemus.*

Fuit quoque in tempore illo alter adolescens de Bethlehem Iuda ex cognatione eius, eratq; ipse Leuites, & habitabat ibi.

Kimhius in hūc locum.

EADEM *tempestate qua Samsoni capto ac detento Israeliticis rebus consulere non licebat, summa inter Israelitas licentia grassabatur, quæ nihil omnino nec publicè nec priuatè pro hominum audacia conficiebat. Hæc autem impunitas ad Eli vsq; Sacerdotiū & ministerium durasse videtur toto ferè anno. nam qui diligentiùs temporum subducunt rationes, ducentos interregni dies à Samsonis morte, vsque ad Eli præfecturam numerant. Igitur non satis fuit Michæ simulachrum domi sacratum collocasse, adiculam dicasse, filio suo Ephraitæ authoritatem sacerdotij & munus officiumq; demandasse, nisi aliud etiam ex occasione admitteretur, quo consilium suum de priuatæ religionis authoritate stabilitum crederetur.* De Bethlehhem Iuda, ex cognatione eius. *Pronomen* eius *ad* Iudæ *refertur, & vrbem ipsam adnotat, non iuuenem. Fuere enim duo oppida hoc nomine dicti ita, vt in sacra Geographia didicimus: quāobrem distinctionis causa huic vrbi vel Iudæ, vel Ephratæ plerumque adiungitur. significat verò adnotatio iuuenem illum non fuisse ex loci indigenis, qui omnes ex Iudæ ortum ducebant, sed Leuitem omnino fuisse, eoq; commigrasse aliquando comparandi sibi victus causa, aut alio fortasse consilio. Nam quamquam suæ Leuitis vrbes ad habitationis vsum adscriptæ fuissent, hunc atq; illum ex illa tribu hominem alio atq; alio diuertere nihil prohibebat, modò professio & sensus ad suum vnumquemque genus referret. Nam quod nonnulli existimant matre Bethlehemitide, & patre Leuita hunc fuisse ortum, nulla ex lectionis coniectura pendet, immo aperta exceptione veritas explicatur.*

Ipse erat Leuites, *notus & manifestus omnibus, atq; eodem cognomine ab incolis appellatus;* & habitabat ibi. *in exemplari sic apertissimè:* Et is Leuites, & is peregrinus [siue aduena] ibi. *non ciuis, nec in Iudæorū censu conscriptus, sed hospes & Leuites, ad Leuitarum munus officiúmque pertinens. cúmque nihil illo in loco haberet, cuius necessitudine detineretur, alio commigrare constituit.*

Egressusque de ciuitate Bethlehhem, peregrinari voluit vbicumque sibi commodum reperisset. Cumque venisset in montem Ephraim, iter faciens, & declinasset parumper in domo Michæ, interrogatus est ab eo vnde venisset.

INOPIA *plerumque & commodioris artis defectus, nonnumquam vero ingenij inquietior natura, iuuenes ad locorum mutationem peregrinandi, consuetudinem incitat. Namq; maturior ætas, nisi aliàs vagandi licentia diffluat, plerumque certo fine, & concepto animo causis, migrandi laborem ac molestiam subit. Atqui iuuenem hūc fuisse, & Bethlehhemi primùm hospitem egisse, inde verò nullum ad certum locum iter destinasse legimus,* sed vbi commodum reperisset. *in exemplari:* Ad esse hospitē vbicumque inuenerit, *nec locum, nec artem, nec munus aut officium, nec ministerium vllum sibi aut propositum, aut exceptum indicat locum; sed quocumque in loco oblatam ac repertam commodam vitæ victusq; conditionem acceptarum declarat: consilio itaq; certo, incerti euentus iter arripuit. Oportuit verò Micham ditiorem fuisse hominem, atq; etiam hospitalem, quòd ea antiquis laus grata esset, ex humanitatis nata studio, vt credere par est, vel etiam ex ambitione nonnullis gloriosè petita. Namq; & Græcorum & Barbarorum historiæ & pœmata multis huius rei exemplis passim lectores instruunt. Nec verò tantam olim fuisse iter agentium, non dicam vagorū hominum copiam, atq; nunc, existimamus, vt nec ignotorum hospitia timorem & suspicionem, nec notorum sumptuosiora & grauiora conuiuia tædium parerent. Nec meritoriarum tabernarum tam frequēs vsus fuerat, in montanis præsertim regionibus, quò rariores viam facere ac diuertere, & non nisi certis ferè de causis, solerent. Atq; ita iuuenem illum ad Micham, non commorandi, sed pernoctandi animo diuertisse, versio nostra rectè indicat* illa vocula parumper, *quam ex primæuo verbo expressit,* LAGHASSOTH-DARCHO, ad faciendum iter suum; *vt postridie inde vltrà profectus,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

viam tenderet suam ad frequentiorem locum; quippe cùm in monte illo, raris habitato focis, nullam sibi conditionem opportunè repertum iri putaret. Verùm cùm iam semel victum sibi parare quocũque loco, quocumque pacto constituisset, facilè in conditionẽ adduci potuit, sua spe & cogitatione longè vtiliorem honestioremq; visam. Interrogatus ab eo vnde venisset. *Interrogationis formula in exemplari lingua* ME AIN THABO *diuisam responsionem postulat, ac si Latinè diceretur, Vnde tu, & vnde iter hac agis? cui non dissimilis illa scisscitatio erat, Quære & refer vnde domo, quis? Cuius fortunæ, quo sit patre, quóve patrono? Namque ex respondentis oratione, rogantis conijcitur mens.*

Atque illa Diomedis ad Glaucum apud Homerum, τίς, πόθεν εἰσὶ βροτοί, ποῦ σῆς τόκιον.

Qui respondit: Leuita sum, de Bethlehhem Iuda, & vado vt habitem vbi potuero, & vtile mihi esse prospexero.

Ex *verbo autem*: Leuita ego de Bethlehhem Iuda, & ego vadens ad peregrinandum in quo reperero. *Generis ac gentis professione quaerenti verè satisfacit, ac sibi ipsi consulit honestiùs excipiendo, propter sacra ac Deo dicatæ tribus reuerentiam. id verò vt faciliùs crederetur & promptiùs, non patria, quam fortasse longiùs dissitam multo antè reliquerat, sed proximæ consuetudinis locum, testimonij causa appellandum cẽsuit, quod maiorem fidem faceret, ac si sese Iudæum ex Bethlehhem esse dixisset. Nam cùm rogatus diligenter de notis apud Bethlehhem hominibus, & locis indicare omnia rectè posset, atque ita ibidem natus credi, maluit aperta ac distincta partitione ad interrogata respondere, & rem, vt sese haberet, exponere. Atq; ita in antiquis iuris regulis communi vsu ac statuto præceptum legimus, vt ei fides habeatur, qui sese primùm, suis obligatum verbis, mox exsoluerit. vt si proselytus ad locum, vbi notus antea non fuerit, accedens, quisnam & vnde sit rogatus, ex Gentibus antea se fuisse, deinde verò Israelitam factum declarauerit, maiorem habeat fidẽ, quàm se vel Gentilem vel Israelitam tantùm professus. Respondit ergo, se Leuitẽ esse. Quòd si quænam Leuitæ partes fuerint interrogaretur, facilè rationem redditurum præferebat: deinde verò Bethlehhemi hospitem egisse ait; atq; hoc sermone & Bethlehhemitensibus notum, & illos sibi non ignotos indicat. peregrinationis verò suæ apud Bethlehhemitas causam non aliam fuisse subindicat ab ea, quamobrem nunc viam faciat.* Ad peregrinandum in quo reperero, *siue, vt versio nostra habet,* Vbi potuero, & mihi vtile esse prospexero. *Namque interpres noster mentem simul respondentis, & orationem explicuit. Atqui genus atque ortum suum professus vir, quibus nam artibus operam dare posset, significanter indicabat, tis nimirum, quæ Leuitas viros decerent. hos autem ab agriculturæ studio alienos, Lex, Mose scriptore tradita, sanxerat. Igitur Michas, qui iam nimis anxiè, nimiumq; studiosè in priuatam religionem, & familiarem cultum domi suæ sacrandi incubuerat, nec tamen quieto satis animo erat propter legis ac præceptorum diuinorum conscientiam; viri occursum ac responsum boni ominis rationibus auguratus, proponenda ministerij ac mercedis conditione experiri tendit, rem omnem ex hospitis voluntate vel felicem vel infelicẽ existimaturus.*

Mi'naioth de Repudio.

Dixitque Michas: Mane apud me, & esto mihi parens ac sacerdos, daboque tibi per annos singulos decem argenteos, ac vestem duplicem, & quæ ad victum sunt necessaria.

QVAMQVAM *humanum ingenium & consilium (quale ex primorum hominum temerario ausu ad posteros derivatum est) diuinis institutionibus agendo, sibiq; consulendo, aduersari sua sponte solet; non tamen semper ex abrupto in maxima quæq; scelera prosilit, sed cæptũ semel à vera via errorem paulatim souet ac prosequitur, quoad in extremum insaniæ vitiũ delabatur, præsertim cùm vindex, index, atq; princeps aliquis timetur, qui singulorum audaciam & licentiam legibus cohibeat, & moribus emendet; vel cum populi etiam censura priuatis nõnullorum inceptis obstat. Atq; ita verum plerumq; illud experimur, Nemo repentè fuit turpissimus. Multa quidem in antiquorum historiis, & in nostrorum temporum exemplis absona, ac prorsus inconcinna notata sunt, quæ ex leui initio sumptis & auctis indies viribus eò progressa fuere, vt corrigi & emẽdari vix possint, tolli omnino sine magno periculo minimè queãt. de quo genere toto scriptum est: Et dixerunt serui patrifamilias, Domine, nõne bonum semen seminasti in agro tuo, & vnde habet zizania? Respondit pater familias, Inimicus homo hoc fecit. Dixeruntq; serui ad illũ: Vis imus & colligimus ea? & ait: Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum, sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad cõburendum, triticum autem congregate in horreum meum. Sed hæc plerumque ex earum rerum forma sunt, quæ non absentibus nec desideratis principibus & magistratibus, imo præsentibus aliquam initio vel pietatis, vel honestatis, vel publicæ vtilitatis prætulere speciem, quibus tamen (dum dormirent homines) lolij infelicia semina adiecta fuere. Nam quæ repentè prodeunt vndequaq; temeraria, & nihil cum receptarum legum sanctitate communicantia, ea sua sponte prodeunt, & infamiæ atque culpæ obnoxia arguunt, & ipsum cum primis authorem malè habent, nec securum agere patiuntur, metuentem ruinæ in eo actionum genere, quæ nulla parte sui fundamẽtum in legibus legitimis q; iecerit. Non satis sibi fidebat Michas, & fortassis malè audiebat, quod breuissimo tẽpore sculptile sacrare, domiq; suæ dicare, Theraphim Ephodq; cõparare, & ex liberis suis vnũ quempiã sacerdotẽ instruere institueretq; ausus fuisset, quorũ nihil prorsus iure, legitimè, aut ritè factum probare populo posset; maximè verò si consultis Theraphim nihil certi atque oportuni responsi retulisset, quod euentus ipse laudaret. Atq; hæc & similia his illo cogitante, Leuitæ hospitis occasionem sibi per Deos immortales ob-*

Matth. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

latam arbitratus, quocumque pacto atque modo tenendam, nullaq; ratione amittendam putauit, vt vel Leuitici nominis authoritate & sanctitudine propositum facinusq; suum totum duceret, ac pro pio, iusto, & sacro venditaret. Quare viro ministery duplicem conditionem tulit, viramque in specie honestam, & ad hominem vagum, egenum, & leuioris, vt res ipsa arguit, ingenij pelliciendum satis idoneam: alteram quidem sacerdotis, alteram verò patris, hoc est, præfecti ac præpositi sibi totiq; familiæ suæ regendæ, instruendæ, & curandæ. Nam quem ret rusticæ præponi nefas esse existimauerat, familiari curæ præficere, decorum atque vtile fore sibi persuasit: nostris nunc quibus vtimur verbis sacellanum siue capellanum & œconomum dicere possemus. Parens ac sacerdos. *qui sacra facias, qui sortes mihi atque meis ducas, qui etiam consilio, cura ac doctrina mihi atque meis præsto sis: atque vtriusque muneris mercedem quotannis feras, certam, repositam, & statutam apud me habeas, victus & cultus honesti, & argenti præterea pro temporis & loci montani ratione satis idonei,* decē sicloru̇m, *hoc est, argenti vnciarum quinque,* Vestem duplicem, *laneam & lineam crassiorem ac tenuiorem, alteram hiemi, æstati alteram aptam, vtramq; verò integram, vt lateri pedibusq; tuis bene commodeq; sit.* Et quæ ad victum sunt necessaria: *ad victum tuū, Leuita sacerdote, & patre nostro dignum.*

מחיתך *sic explicamus hanc partē ex verbo* MIHHIATHECHA, *id est,* victum tuum. *in versione nostra, qua plerumque vtimur, regia. conuentionis desideratur consensio in versu hoc, quam exemplaris & Chaldaica & Græca lectiones habent,* Et iuit ille Leuita. *conditionem accepit & subiit nomine atque titulo Leuitæ, is, ad quæ optatus fuerat, munus operam daturus. sed eandem cōsensionem subiunctī versus initium præfert, verbo,* Acquieuit.

Acquieuit & mansit apud hominem, fuitq; illi quasi vnus de filiis.

EXEMPLARIS *lectionis expensa verba, singularem adnotationem postulant:* Et cœpit Leuita ille habitare apud virum, & fuit iuuenis illi vt vnus ex filiis suis. Leuita, *nomine atque authoritate cœpit habitare, atque munere suo fungi apud virum illum, aliàs diuitem, & honesti ordinis, præcipuumq; in locis illis incolam; cui, quod ad muneris ac personæ obseruantiam, sacerdotis ac patris nomine colebatur, quāuis iunior esset: quod verò ad amorem, animum, & affectum, non secus habebatur & curabatur, quàm vnus idemq; præcipuus ex liberis. hæc subiunctæ expositionis ratio ac sententia est.*

Impleuitque Micha manum eius, & habuit puerum sacerdotem apud se, Nunc scio, dicens, quòd benefaciet mihi Deus habenti Leuitici generis sacerdotem.

HVIVSMODI, *scilicet sapientiæ humanæ sibi ipsi blandientis ingeniosa loquacitas est, vt nihil sibi inuentum excogitatum q; optarit, quod non*

suis argutiis persequatur, ac fucata nomine Dei oratione dicendo coloret ac roboret. Aliena à legibus institutisq; diuinis, immo nefaria ea omnia erant, quæ à Micha toto hoc in consilio & facto admissa fuerant: eadem nunc falsa specie sanctitatis, Deo cū primis grata & rata, & sibi hominibusq; commoda probare studet: non qui se errasse aut deceptum fuisse, sed nec dubitasse antea confiteatur: sed qui rectum cōsilium iniisse ex eo ostendere velit, quod opportuno propositi sui ministro non quæsito, sed vltro adducto & oblato, fuerit à Deo donatus & auctus, nempe Leuita iuuene in sacerdotem sibi instituendo, cùm tamen nullum ex Leuitis, præter vnicam Aaronis familiam & posteritatem, sacerdotio idoneum Deus declarauerit. sed callida interpretatione speciei atque formæ ad genus referendæ sibi gratulatur, & felicem faustumq; ominatur sibi fore, quidquid in tantare egerit.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

IN diebus illis non erat Rex in Israel, & tribus Dan quærebat possessionem sibi, vt habitaret in ea: vsque ad illum enim diem inter cæteras tribus sortem non acceperat.

VT *historiæ rationibus ac temporibus componendis omnis pugnæ & controuersiæ adimatur ansa, versum hunc ex verbi ponderibus Latino si non sermone, sono tamen vocabulorum describere operæpretium fuerit.* In diebus illis ipsis non MELECH in Israel, & in diebus illis ipsis tribus Danitica quærens sibi possessionem ad sedendum: nam non ceciderat ei vsque ad diem illum ipsum in medio tribuum Israel in possessione. *Inquietos ac temerarios hominum animos vbi legibus & legū vindice compesci ac regi non contingat, facilè atque breui tempore publica & priuata omnia turbare, diuina & humana miscere, variisq; motibus terras quassare, huius capitis initio repetitum epiphonema docet, principiumq; dat aliorum, quæ mox exponentur, facinorum enarrationi. Nam præter illud apud Ephraitas procuratore Micha admissum, totq; partibus editū auctumq; nefarium peruersæ superstitionis scelus, aliud licentiæ & audaciæ à Danitis proditum hoc in capite legimus, iniuria simul & superstitione permixtum. Epiphonematis rationem & sententiam superiore lectione expositimus, reiverò gestæ enarrationem breui sequemur, atque hoc pacto orationis, id est, versionis vtriusque concinnitatem facilè dignoscemus. Daniticæ tribui Iosue tempore sortem suam concessam fuisse, apertè intelleximus, cuius authoramentum testimoniumq; ab illo vsque suo exstabat, hoc scilicet:* Tribui filiorum Dan per familias suas egressa est sors septima: & fuit termi- Iosue 19. ,,
nus possessionis eius Sarea & Esthaol, & Hirsemes, id est, ciuitas solis: Sele- ,,
bin & Aialon & Iethela, Elon & Themna & Acrō, Eltheche, Gebbethon ,,
& Balaath, & Iud & Bane & Barac & Gethrēmon; & Meiarchon & ,,

Arecon,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Arecon, cum termino qui respicit Ioppen, & ipso fine cõcluditur. Hac tamen „
sorte diuino ex iudicio sibi concessa, satisq; ampla, & bonis vrbibus celebri,
non contentus Daniticus populus, nouas præterea sedes vel insidiis vsur-
pandas, vel virtute expugnandas, ea tempestate appetiuit, qua nullus, qui le-
ge agens audaciam huiusmodi comprimeret, Israelitis rector aderat, absente
videlicet Samsone, & apud Palæstinos capto; qui Palæstini in consilium de
Sãsonis supplicio capiẽdis, in ludis illis & festis deo assertori suo celebran-
dis toti, vti legimus, abunde satis occupati erant, nec tamen quid de religio-
ne apud Israelitas ageretur, curabant, nec verò quicquam nouarum rerum
ab illis patratum iri metuebant. Atque isti Danitarum audaci facinori illa
prætexta causa fuit, quòd nimirum sua sors in reliquarum tribuum hære-
ditate postremum teneret locum; vtpote septima, atque ad Ioppensium fines
porrecta, nullam ferè aliarum Israeliticarum sortium suis terminis confi-
nem sociamq; sibi haberet: cupere autem & optare magnopere, si non omni
ex latere, at quàm pluribus posset, finitimos agnoscere & colere fratres (hæc
vt commodius accipiantur, tabulam Israeliticarum tribuum in sacro Appa-
ratu, vel in nostris Iosue Commentariis inspexisse retulerit) Igitur causa
orationeq; huiusmodi ad colorem facto suo inducendum inuẽta, rem ipsam
callidè aggrediuntur. Iam verò satis apertam arbitramur huius primi ver-
sus interpretationem. Tribus Dan, *quamquam hæreditatem iam à princi-*
pio fuerat sortita, tamen quærebat possessionem sibi: *ipsa sibi suo consi-*
lio, nullis aliis conscijs, possessionem quærebat ad habitandum; *non ad tri-*
butum exigendum, non ad alium vsum, sed vt habitaret in ea, *atque ita*
duplici regione potiretur, altera sortitò, altera verò manu & bello obtenta.
Vsque ad diem enim illum inter cæteras tribus sortem non accepe-
rat, *siue,* Nam non ceciderat ei vsque ad diem illum ipsum in medio
tribuum Israel in possessione. *Non causam quam probet, sed expositio-*
nem, siue, vt consulti loquuntur, exceptionẽ reddit oratio hæc, lõgo post rem
gestam interuallo scripta. Nam cùm narrationem hanc contexeret Samuel,
duas regiones Danitæ occupabant: alteram quam superiùs retulimus, se-
ptima sorte datam; alterã verò in ipsis Israelitici agri finibus, ad introitum
Hamath, secundùm Libani montis radices: quam ne quis concessam existi-
maret, non sorte, sed vi captam & possessam declarat author, consilij & fa-
cinoris occasionem, seriem atque euentũ deinde ex ordine expositurus. itaq;
exceptionis huius illa sententia est: Danitarum gens, interim dum Israelit-
icas res iudex, vel consul, vel aliàs præfectus quispiam moderabatur, intra
suos sesè fines continebat, eamq; incolebat sortem, quam numero & ordine
septimam Iosue diuisore obtinuerat. & quamquam illo in capite historia
Iosue Lesem siue Laisam à Danitis inuasam, & captam, atq; habitatam le-
gerimus; id tamen ad id vsque tempus, cùm nullus in Israel Rex princeps-
que fuit, neque actum neq; cœptum fuerat. Namq; vt nunc præteream quæ po-
strema Israelitis ad occasum sita est regio, alterã quoq; ad septẽtrionẽ quam

possideat prouinciam, aliis tribubus proximam ac confinem, ex eo, quod indi-
cauimus, tempore habet. atque hoc sensu & modo accipiẽdum est id, quod in
Iosue libro post concessa Danitis narrationem sortis subiunctum legimus:
Adscenderuntq; filij Dan, & pugnauerunt cõtra Lesem, ceperuntq; eam, „
& percusserunt eam in ore gladij, & possederunt, & habitauerunt in ea, „
vocãtes nomẽ eius Lesem Dan, ex nomine Dan patris sui. Hæc est possessio „
tribus filiorum Dan, per cognationes suas, vrbes & viculi earum. Id quod
illo in loco ab historiæ concinnatore atque chorographiæ descriptore in sum-
ma propositum, nunc, quo tempore, quibusq; modis actum confectumq; fuit,
certa serie à principio repetitum, atque distincta oratione explicatur. Dan
sortem ante hoc tempus habebat, sed non inter cæteras tribus: nunc habet
duplicem possessionem; alteram quàm priùs sortitò obtinuerat, alteram verò
aliis tribubus proximam atque confinem, quam ab illo tempore obtinet, cùm
non erat Rex in Israel; eam verò non ex Chananæorũ antiqua regione ca-
ptam, atque ex consequenti ad promissum Israelitis agrum non pertinẽtem;
quod à legislatore Mose nominatim exceptum cautumq; legimus: Factique Genes. 10.
sunt termini Chanaan venientibus à Sidone Gerarã vsque ad Gazam, do- „
nec ingrediaris Sodomam & Gomorrham, Adamã & Seboim vsq; Lasa. „
Ex quatuor mũdi regionibus, quatuor etiam noti termini Chananæis præ-
scripti finitimorum locorum agros excludebant: in sorte etiam Zebulon Si-
don diuisione atque occupatione excluditur Israelis vaticinio ac sortibus:
Zabulon in littore maris habitabit, & in statione nauium pertingens vs- Genes. 49.
que ad Sidonem. „

Miserunt ergo filij Dan stirpis & familiæ suæ quinque viros for-
tissimos de Saraa & Esthaol, vt explorarent terram, & diligenter
inspicerent: dixeruntq; eis, Ite & considerate terram.

DANITARVM *familias omnes vno nomine Hussim appellatas legi-* Genes. 46.
mus, ex his viri quinq; ingenio consilioq; præstantes, & virtute strenui, de-
lecti, quod is numerus cum antiquis familiis conueniret, & ad sententiam,
vbi opus esset, dicendam legitimus idoneusq; esset. Nam diuisis aliquando
placitis, maiori parti acquiescendum erat: quam ob rem impar numerus hu-
iusmodi in consiliis actionibusq; probatur. Stirpis & familiæ suæ. *Prima*
delectus ac delegationis conditio ad fidẽ, atque adeò ad tacturnitatẽ & di-
scretionem petita non ex aliis tribubus, sed ex propria; vtpote cuius intererat
rem strenuè, accuratè, ac prudẽter agere; nec ex vna tantùm cognatione, sed
ex omnibus, quæ quinq; fortasse fuerant, omnes Hussim dictæ. In exemplari
lingua MISPAHHOTH *multitudinis numero legimus, adiuncto nume-*
ro quinque. *viros, qui non segniter, aut timidè, aut temerè, sed studiosè*
diligenterq; agerent. Stirpis. *idem nunc significat vocabulum hoc, atque La-*
tinorum primarij, præcipui, & capita siue proceres. MIKETSOTHAM,
Hispanicè, De sus cabos. *Persius primores populi hunc ordinem appellat.* Satyr. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nam præter fidei ac diligentiæ opinionem, authoritatem quoque horum plurimum ad rem facere existimatum est. publico enim concilio, & comitio, ac populi totius consensu hæc acta fuere, ita tamen vt cæteras tribus latere interim possent, dum conficerentur. De Sara & Esthaol, *primis ac præcipuis regionis siue sortis suæ vrbibus, in quas capiendi consilij causa conuentum fuerat, quarumq; ciuitatum de huiusmodi rebus decreta cæteræ sequerẽtur vrbes. Fortissimos autem hos fuisse legimus, siue, vt exemplar describit,* Viros filios virtutis, *virtute ac fortitudine præstantes; qui non ex timore aut ex imperitia, sed ex rei bellicæ disciplina, atq; animi magnitudine, & agenda perspicerent, & cùm opus esset, perfecta exsequerentur. Nam* BENHHAIL, *idem significat ex verbo quod ædificatos & instructos virtute, vt iam sæpius de vocabulis* BEN & BANAH *disserere meminimus. Negotium verò his certa definitione datum est, nõ agendi aliud præterquam explorandi & cognoscendi: quæ prima in huiusmodi consiliis esse solet pars, ne temerè aut incertè quicquam cæptũ, infelici atq; ærumnoso claudatur exitu.* Vt explorarent terram, & diligenter inspicerent. *Quoniam non testes modò, sed indices etiam constituebantur, quorum deinde iudicio res ineunda erat, aut dimittenda; duo iubentur suscipere: alterum, regionẽ omnem peragrare, quod ad testimonium verum ac certum pertinebat, si non ex auditu aut relatu aliorum, aut coniecturis aliis, verùm explorato & perspecto loco, de situ, deq; natura & fertilitate, atque de cæteris quæ tum ad expugnationem, tum ad occupationem, conseruationem, atque habitationem cultura mq; pertinent, rebus respõderent. in quo responso de locis, aëre, & aquis, de vrbium & oppidorum solo ac munitione, de incolarum ingeniis, exercitiis, & animis, atque habitudine omni, deq; vicinorum necessitudinibus respondere certissima & exploratissima oportuit.* Ite & cõsiderate terram. *Nihil præterea vel agendum vel tentandum experiundumq; suscipiunt.*

ארץ Terram ARETS, *vt in sacro Apparatu differebamus, nomen hoc terram vt hominum cæterorumq; animantium aptam sedem significat, & quicquid ad animalem vitam facit, continet. Namq; vt ferendis fructibus idoneam alterum verbum repræsentat*

ארמה ADAMAH.

Qui cùm pergentes venissent in montem Ephraim, & intrassent domum Michæ, requieuerunt ibi.

MICHÆ *viri domum præcipuam & frequentissimam, totius illius montis fuisse oportet: quam, qui iisdem locis peregrinabantur, hospitij causa petierunt, & humanè ac liberaliter excepti ornarent nobilitarentq;. Nam plena sunt antiquorum cum pœtarum, tum historicorum scripta, huiusmodi officij & splendoris commemorationibus, præter illa in sacris lectionibus hospitalitatis laudata & commendata exempla.* Requieuerunt ibi. *Pernoctarunt. namque maiorem facere moram negotij sui studio non permittebantur.*

Et

Et agnoscentes vocem adolescentis Leuitæ, vtentesque illius diuersorio, dixerunt ad eum, Quis te huc adduxit? quid hîc agis? quam ob causam huc venire voluisti?

VERSVS *huius explicationem, quamquam claram ac perspicuam, clariorem reddet simplex exemplaris carminis versio, tametsi minùs Latina atq; impeditior videatur.* Ipsi cum domo Michæ, & ipsi cognouerunt vocem iuuenis Leuitæ illius, & secesserunt eò, & dixerunt illi, Quis adduxit te huc? & quid tu faciens in hoc? & quid tibi hîc? *Vt iam ex ipsa Michæ cum iuuene conuentione obseruauimus, Leuita duplici munere in illa familia fungebatur, sacerdotis & præpositi domus, ita vt excipiendi atque tractandi hospites quoq; cura tangeretur; videturq; ex lectionis contextu accedentes ac proximos domui viros prior salutasse, atque ad hospitij inuitasse vsum, iis verbis, atque humanitate, ac vocis lenitate, quæ planè religiosum, atque sacris addictum, Leuitamq; iuuenem probarent. Namque huiusmodi signa & indicia cognitu perfacilia sunt iis, qui vel linguas recte tenent, vel varios terrarum, vrbium, ac religionum mores & habitus obseruarunt. Oportet Leuitam iuuenem, vtpote inter studiosos religiososq; educatum ac diuersatum, aliis vocibus, aliisq; verbis assueuisse ab iis, quibus Ephraitæ, maximè verò mõtanorum asperiorumq; locorum incolæ, vterentur. Facilè quis in Alpibus aut in Carpentanis montibus Romanum ciuem, vel Toletanum agnoscat, longè facilius monachum etiam diuerso cultu indutum internoscat, quod nobis inter peregrinandum sæpè sæpius vsu venit.* Agnoscentes illius vocẽ. HICHIRV. *Hispanicè,* Estrañaron. *Bonum verò omen dicentes, quòd à iuuene Leuita, id est, dicato diuinis rebus ac muniis, ad hospitij gratiam inuitarentur vltro, facilè acquieuerunt, mirati verò nouitatem rei inquirere cognoscereq; auent & rogant. Primùm igitur aduentus atque commorationis in illo loco authorem petunt; deinde munus & officium, cui vacare illa in domo contingat; postremo verò commodum & compendium, quo detineatur, cognoscere cupiunt.*

Qui respondit eis: Hæc & hæc præstitit mihi Michas, & me mercede conduxit, vt sim ei sacerdos.

TRIPARTITAM *rogationem totidem membris constanti responsõ absoluit:* Hæc & hæc præstitit mihi Michas. *Pars hæc omnem profectionis suæ ex Bethlehem, & hospitij apud Michan obtenti, & oblatæ conditionis officij summam complectitur rationem, quam recitare ac referre, supernaturum historiæ author duxit.* Et me mercede conduxit. *Tertiæ quæsiti Parti,* Quid tibi hîc? *ait sibi mercedem pactam,* Vt sim ei sacerdos. *Secunda quæstionis pars hoc membro expletur. de œconomia nihil respondet, quæ honorem magis & charitatem, quàm mercedem, spectabat, & illam etiam filij familiaritatem consequebatur. Atque hanc vel silentio præter-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

misisse videtur iuuenis, vel illo in primo responsi membro inuolutam existimare licet: Hæc & hæc præstitit mihi Michas.

Rogauerunt autem eum vt consuleret Deum, & scire possent an prospero itinere pergerent, & res haberet effectum.

QVÆSITI *ac responsi huiusmodi verba singula si quis ex primæuo exemplari consulat, nihil dispendij ad sententiæ cognitionem fecerit.* Et dixerunt ei: Pete quæso in ELOHIM, an prosperabitur via nostra, quam nos ambulantes super eam. *Qui huiusmodi oracula quærũt, responsi ministro rem ipsam celare plerumque consueuere, atque hoc pacto diuinationis facere periculum. Nam si consilij & cœptì, quod animo ac mente voluunt, apertam explicationem retulerint, ex numine sibi sortem datam credunt, ac rem promptè confidenterq; conficere pergunt. Atque hoc etiam consilio principes aliquando somniorum suorum argumenta siue imagines & interpretationes etiam à coniectoribus exigebant. Nihil igitur de tota viæ suæ causa Danitæ exploratores Leuitæ iuueni explicant, sed viam tamen sibi initam & communi consilio ac studio institutam aiunt, cuius euentum ex illius sacerdotio & munere sibi indicatum cupiunt, hoc pacto etiam fidem & reuerentiam ministerio exhibituri. Viæ nomine & imagine consilium cœptum atque institutum, negotiumq; omne significari, in sacro Apparatu docebamus. Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua. Interpres noster & verba simul reddidit, & sensum exposuit. Neque verò illi Deum eo nomine, quo Israelitæ singulariter appellatum colerent, consulendum rogauere, sed in* ELOHIM, *hoc est, communi nomine Dei vel Deorum; quod & Deo, & cælestibus aliis animis, atque etiam principibus indicibusq; tribuitur. quippe qui non illum iuuenem ex Leuitico munere, sed priuato sacerdotij officio apud Micham exercendi, atque adeò ex aliis diuinandi modis, vel siderum astrorumq; peritia petitis, respondere existimarunt. Vulgus enim hominum, etiam eorum qui disciplinarum non prorsus rudes habentur, huiusce modi rationem ineunt, vt iis nugis fidem conciliant. Deus, inquiunt, inferiora omnia per cælestes moderatur spiritus, hi verò astris præsunt, quorum motibus & concursionibus vel discursionibus cætera voluuntur, mutantur, & exercentur. astra ab hominibus peritis cognoscuntur, qui tum scientia, tum etiam imaginum certis obseruationibus consecratarum interuentu intelligentias illas placant, sibiq; propitias reddunt, & ad rerum humanarum tam tractationem & mutationem, quàm denunciationem, inducunt. Atque ad hanc rem Theraphim ficta, & Ephod vsurpatum etiam adnotauimus. Isto quidèm modo ac pacto Danitæ propositi sibi itineris exitum qualem exspectare possint, Leuitæ iuuenis sacrificuli operâ cognoscere auent, simúlque diuinationum ac præsagiorum huiusmodi fidem experiri.*

Daniel.

Psalm. 118.

Qui respondit eis: Ite cum pace, Dominus respicit viam vestram, & iter quò pergitis.

CONSVLTATIONIS *implicitæ & obscuræ non incautius aut apertius responsum constitit, sacrificuli illius ingenio & arte excogitatum, qualia in huiusmodi oraculis sæpe sæpius reddita legimus, qualia hodiéque ab Astrologis nostris præsagia eduntur verbis enunciata plumbeis & ambiguis, quæ facilè in omnem exitum flecti torquerìq; possint; id quod Lesbia regula factitare olim artifices quidam solebant. Illi vnum tantum verbum singulariter sibi absoluendum proposuerunt:* An prospero itinere pergerent, *siue,* An prosperabitur via nostra. *cætera occuluerunt omnia. Huic autem quæsito oraculum datum est, quod prudentioribus animis non planè instincto diuino afflatuq; fusum, sed callido respondentis ingenio excogitatum ad exemplum eorum quæ ancipiti sententia edi solent.* Cræsus Halin superans, magnam peruertet opum vim. Qui respondit eis. *Supercilio atque grauitate oris ac vultus, & verborum concisione ac pondere, sacerdotis orationem ac gestum imitatus videtur. quippe in exemplari legitur,* Et dixit eis ille minister; *atque ita Græci interpretes reddidere,* καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ ἱερεύς: *vt sacerdotali gestu & habitu respondisse existimetur.* Ite cum pace, *siue,* Ite ad pacem. *Orationis initium ex medio genere sumptũ est. Non enim solùm ad itineris felicitatem prædicendam, sed ad gratam & humanam dimissionem quoque referri potuit. Tritissima enim in illa, omnibusq; Asiaticorum linguis huiusmodi in venientium, abeuntium, & occurrentium salutationibus precationis formula est;* PAX TECVM, PAX TIBI, & ΧΑΙΡΕ ABI IN PACE. *Et iam primùm non magis polliceri quàm precari rogareq; quæreregq; pacem & felicitatem, sanitatem, atq; bonam valetudinem, sermo ille videri potuit ac debuit. Sed credula mens hominum facilè in suam sententiam huiusmodi ambigua concipit. Reliqua erat responsio ad petitum verbum de prosperitate, hoc est, de successu itineris quod ab illis pronunciatum fuit:* HATHATSLIAHH DARCHENV. *nam vocabulum,* TSALAHH, *felicitatem, prosperitatẽ, euentumq; bonum distinctè* צלח *significat. Quod si oraculũ funderetur, verum omnino respondendo repeti debuit, vt in verissimis atq; certissimis responsis factum obseruauimus. vt* Quis ASCENDET *ante nos contra Chananæum, & erit dux belli? Dixitq; Dominus, Iudas* ASCENDET. *Ecce tradidi terram in manu eius.* Sup. c. 1. *Quo in loco & Dominum responsi authorem legimus, & verbum,* ASCENDET, *cum secundissimi euentus explicatione repetitum. Hic verò non Dominum, sed sacerdotem, siue ministrum, vel potiùs sacrificulum respondisse accepimus, eumq; non legitimum, sed à Micha institutum: cui cùm nulla diuina authoritas esset, nec orationi alia maior fides habenda fuit. Iam verò verbum ipsum cum itineris nomine coniunctum indicare licet,* Dominus respicit viam vestram. *Si Latinè quondam pronunciatum fuisset, tamen mihi certæ aut explicatæ sententiæ habebat nihil flexuosum hoc & obscu-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum oraculum respicit *verbo*; *cuius quamquam secunda & in bonam partem plerumque significatio est, tamen quin aliam interpretationẽ in loco admittat, nihil prohibet, vt: Respice nunc alia & diuersa pericula nostra. Verùm ipsum à respondente vsurpatum verbum manifestæ explanationis indigebat, non qualem euentus ipse afferret, cùm dicentis mentẽ ambiguam prorsus argueret:* NOCHAHH ADONAI DARCHE CHEM ASSER THELCVBAH. *illi rogauerant ex verbo,* Num prosperabitur via nostra quam nos ambulantes super eam? *duobus diuersis temporibus vsurpata duo verba, totidem verbis ijsdemq; tẽporibus excipienda fuerãt, si certum, planeq; diuinum ac sibi cõstans oraculum cum petitione ipsa primùm, deinde etiam cum euentu prorsus quadraret. Namque hæc breuiter quæsiti sententia, hæc mens fuerat quærentium: Hanc quam modò insistimus viam, num secundo euentu excipiet & absoluet Deus? Ad hæc ille non verbis variis modò, sed temporibus etiam inuersis retulit:* Obuiat Dominus viam vestram quam ibitis in ea. *Sic vt potuimus, verborum flexum retulimus, sed sua in lingua verbum* NOCHAHH *valde ambiguam præbet interpretationem, quæ non minùs in infestum, quàm in propitium occursum verti potest; cui persimilem Hispanicus sermo orationem imitatur:* Encuentra el Señor vuestro camino. *ita præsenti tempore occursum, viam verò futuro pronunciauit,* quam ibitis in ea. *igitur siue id quod nunc agitur, eueniat, rectè quadrare videbitur cum,* Obuiat Dominus viam vestram quam ibitis. *Quippe futurum in illa lingua ad omnem temporis partem extenditur, præteriti, præsentis, ac venturi. Præteritum ac præsens singulas tantùm tuentur partes. Si verò hoc loco ac tempore non succedat, verbum* obuiare *nihil præstantius expressè promiserat aut exceperat; sin hac viæ spe frustrentur, continget fortassis aliàs negotium aliquod ex animi sententia peragere, quod ad illud tempus referri possit,* Viam vestram quam ibitis in ea. *ita illi ancipiti dicto confisi magis quàm excitati & animati, iter suum pergunt, minùs fortasse quàm antea dubitantes, propter felix faustumq; Domini nomen in responso auditũ, quod tamen ipsi non vnicè consulendum poposcerant, sed* ELOHIM *commune atque amplum vocabulum vsurpauerant.*

Euntes igitur quinque viri, venerunt Lais, videruntq́ue populum habitantem in ea absque vllo timore, iuxta consuetudinem Sidoniorum, securum & quietum, nullo eis penitus resistente, magnarumq́ue opum, & procul à Sidone, atque à cunctis hominibus separatum.

NARRATIONIS *huius explicatio facilis admodum est, faciliórque euadet exemplarium verborum quorundam subsidio; interim verò quæ ad vrbium & locorum munitionem consilio, prudentia, ac diligentia curandam faciunt, hoc exemplo indicare operæpretium fuerit. Omnia igitur quæ hoc*

hoc in versu commemorata enumerataq; legimus, si quis eo iudicio excepe-rit, quo vulgus hominum plerumque vitur, & agit, felicissimam depingere videri possint vel ciuitatem vel Rempub. Hoc est, amœnus cum primis ac saluber vrbis situs, populus frequens, diues, & quietus, vsq; artibus tantùm deditus, quæ iucundiorem, cultiorem, atq; elegantiorem vitam efficere possunt, cuiusmodi mercatura est, non tenuis ac sordida, sed magna & copiosa, multa vndique apportans, multis q; impartiẽs; & cæteræ artes omnes, quæ mercatoribus materia mercium vel comparanda, vel apparanda, & instruenda adornandaq; seruiunt, atq; emendi & vendendi commoditatem & copiam suppeditant. Nam quæ hoc hominum genere & munere excoluntur & habitãtur vrbes, præterquam quòd publicis priuatisq; domibus, ædibus, templis, cæteris q; ædificiis ornatissimæ conspiciuntur (vt quondam Tyrus & Sidon, & nostra patrumq; memoria Venetiæ, Florentia, & Mediolanum, atq; etiam has imitata Ferraria, Antuerpia, Lugdunum, & Hispalis) agros præterea quæcunque fertiles natura sortitæ fuerint cultissimos & pulcherrimos ostentant, tum fundorum elegantia, tum etiam villarum, fontium, pontium, hortorum, lacuum & stagnorum, atq; nemorum & siluarum varietate & frequentia, vbi non pauci sunt, qui satiati quæstu, vel huius cura aliis commissa, sæpe ex alto in portum, & ex ipso portu in agros possessiones q; sese conferunt. His autem partibus si tres quoque adiungantur, pax videlicet, libertas, & securitas, nihil omnino ad beatæ vitæ possessionẽ & vsum requiri posse, homines arbitrantur. Namq; de huiusmodi rerum publicarum ac ciuitatum laudibus multa, siue vera, siue falsa, scripta leguntur, quæ recensere nunc nobis non vacat, & humana opinio referre, superuacaneum putauerit. Atqui huiusmodi reipublicæ viuum exemplum, cui nihil prorsus addi vel demi posse dicas, exploratores illi Danitæ quinque eodem sensu, ac pari iudicio animaduersum spectasse commemorantur in Laisa vrbe, quæ aliàs Lesem appellata est, ad ipsum Libani montis portum sita, eleganti & feracissimo solo, populo refertam prædiuite, & mercaturæ studiis dedito, quem nec vlla earum, quæ ad vitæ delicias appetuntur, rerum inopia premeret, nullus caritatis annonæ turbaret metus, nulla etiam externarum deliciarum egestas affligeret. Hoc enim illa significat oratio Habitantem in ea absque vllo timore. *In primæua lingua verbũ* LABETHAHH *quietem, & securitatem, sufficientiamq;, vt vel ex illo Psalmi versu obseruamus: In pace in idipsum dormiam & requiescam: quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. & quod ad animorum habitũ atq; curam attinet, satis abundeq; fuit illorum verborum vsus:* Habitantem in ea absque vllo timore, *siue,* Sedentem in medio illius ad securitatem & copiam. *Quod verò ad studia refertur,* Iuxta consuetudinem Sidoniorum. *quos ijsdem fere legibus vsos, ijsdem etiam vixisse moribus cum Tyro antiquissima ciuitate, & totius orbis celeberrimo emporio, historici* לבתח
Psal. 3.
vetæq; omnes memoriæ prodiderunt, & ex ipsis sacris lectionibus accepimus:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Isaiæ 13. *mus: Tacete qui habitatis in insula [Tyro] negotiatio Sidonis. Verùm gubernationis genus qualénam apud Laisenses esset,* Securũ, *inquit,* & quietum. *Hoc ad Reipub. factem statumq. referendum est, quem summa ac longa pace eatenus vsum, atq. iis legibus instructum, quæ libertatem & quietem promitterent & fouerent, hoc est, ne quis quemquam interturbaret, publica & communia omnes, priuata singuli, certis modis ac rationibus curarent, nec tamen vllius cuiuspiã perpetuo parerent imperio: qui ciuitatum status aliquando felix iudicatus fuit, interdum etiam sua sponte vitiũ fecit. Quod Latinè legimus,* Nullo eis penitus resistente; *in exemplari ita sonat:* VE AIN MACLIM DABAR BAARETS IORES GHETSER. *Ex verbo ferè:* Et nemo exprobrans verbum in terra hæres interdicti. *Cuius tropi sensus huiusmodi est: Liber omnino populus libera fruebatur vita, non tamen legibus atq. institutis experte, sed iisdem quibus Sidonij vtebantur & normis, & moribus, & magistratibus; ita tamen vt nullum perpetuum paterentur vllius potestatis, censuræ, aut dominationis hæredem, sed ipsi sibi popularibus consiliis & suffragiis singulis cõmunium rerum partibus curandis & administrandis optatos deligerent viros, quos generico vocabulo* GHETSER, *hoc est, vetitorem, siue censorem, siue vindicem, siue dominum appellabãt. Namque huiusmodi significationem verbum* עזר GHATSAR *nobis præbet. Nullam autem huiusmodi potestatum partem ad quempiam virum hæreditatis iure venire, sed suffragiorum authoritate ac successione mandari solere, indicat lectio. Qualem reipublicæ formam* Cõtarenſis. *hodieq. apud Venetos conseruatam, & qui de illorum magistratibus volumina edidere docent, & nos, cùm ter iam in illa ciuitate fuerimus, obseruauimus, certaq. adnotauimus curatorum & magistratuum collegia, quibus Domini titulus adiũcta curæ parte datur:* I signori de la sanità, i signori de l'aque, & cætera in hunc modum plurima. *Atqui Venetorum gentem & rempublicam à Tyro ac Sidone antiquissimis vrbibus originem ducere, ex certis coniecturis & peregrinæ historiæ lectionibus in Prophetarũ commentariis scribebamus. Et quidem quæ ad internam quietem & libertatem facerent, hæc, quæ hactenus explicuimus, indicasse satis fuerit. Quæ verò rerum & status mutationem, exteriori aliqua vel inuidia, vel contentione, & inuasione allatam, spectare possent, mox deinde subiunguntur. Multa & magna fuisse, satisq. idonea ad securitatem ciuitati gentiq. illi promittendam, & perpetuò sperandam. Iam primùm nullam ciuilis belli causam interius esse, aut fomenta vllatimeri populo suis legibus vso, & magistratus, & fasces pro arbitrio concedenti, ac nullis hominibus armorum & militiæ imperium ac ius danti, vnde intestinorum malorum & bellorum excitari solent incendia: cùm præcipuè nihil sibi vel metus, vel contentionis, vel inimicitiarum cum vllis mortalium intercederet, non cum finitimis gentibus ac populis, quos magis commerciorum vsu & communicatione iuuabant, quàm iniuria aliqua prouocabant, non etiam cum Sidoniis, quorum vel colonia*

lonia erant, vel omnino socij, saltem similes prorsus & rerum, & legum, & morum specie atq. forma. Nihil enim magis alium populum ab alio alienat, quàm religionis, cultus, atq. legum diuersitas. accedit etiam, quòd, vt ne sibi mutuo impedimento essent, ac pro loci & agri angustia commodorum vsum turbarent, atq. ita in contentionem venirent, longa spatij interualla prohibebant, quæ nec finitimos terminos stringerent, nec agris compascuis irritarent. Procul à Sidone, atque à cunctis hominibus separatum. *Sua in lingua ita hæc scripta sunt, vt distinctam & planam reddant sententiam:* Et remoti ipsi à Sidoniis, & verbum non illis cum homine. *Si incommoditates magnarum vrbium, quæ sibi proximæ sunt, spectes; procul à Sidoniis sua loca incolebant: si alias causas & offensiones, quibus gentes ad iram atq. ad bella incẽdis solent, nullum omnino vel factum, vel verbũ erat, quod mortalium quempiam illis redderet suspectum, vtpote qui sua curantes, nocebant nemini, & non vicinis modò, sed remotis etiam commerciorum & artium communicatione, proderant quàm plurimis. Cuiusmodi rerum statu ad nostra vsque tempora Belgas vsos nouimus, gentem simplicem & humanam, maximeq. hospitalem, atq. in exteros etiam officiosam, nocẽdi prorsus rudem; quam tamen ab antiquo & perpetuo pacis & bonarum artium studio tempestatis huius inuidia & malitia deturbauit: quod sine dolore commemorare non possumus grauissimo, adeò genus illud hominum diligimus. Hæc itaque Laissensium terrarum, gentium, & morum, atque rerum omnium summa descriptio, & expressa imago tunc fuerat. qui nec mortalium quemquam læsum, nec fœdere etiam sibi coniunctum habebant, vtpote qui nihil metuerent sibi mutationis, vel aduersitatis in tanta securitate & quiete, ac rerum copia.*

Reuersique ad fratres suos in Saraa & Esthaol, & quid egissent scisciantibus.

RECTE *ac plenè obseruata omnia, singulaq. à viris illis exploratoribus adnotata, atq. communibus rationibus subducta, versus huius initium indicat:* Reuersiq; ad fratres suos. *Ex verbo,* Et venerunt ad fratres suos, incolumes & salui; *vtpote qui nihil vmquam incommodi accepissent, neq. in suspicionem venissent, dum ea considerarent, & contemplarentur quæ apud Laisenses erant, gentem securam, quietam, nihil quicquam ab vllo mortalium timentem, in ciuitate libera, & ob mercaturæ communionem multi non aperta & peruia, imò, vt ferè fit, suas ipsa res ostentante, & hospitibus explicante, & indicante, atq. status sui formam & rationem exponente, cum laudis & commendationis elogio.* Ad fratres suos. *Quorum cupiditati & voluntati magis indulgere, quàm Laisensium saluti consulere, ac damnis abstinere studebant. Namq. hos fratres habuere, illos vt hostes cædendos ac diripiendos duxere.* In Saraa & Esthaol, *suæ regionis metropoles & primarias vrbes, in quibus ad communia & publica negotia conuentus*

Universidad de Deusto
Biblioteca

uentus fiebat, vnde illi primùm amandati & profecti, ab iis, quorum consilio iter illud fecerant, exspectabantur. Et quid egissent scisciantibus, *verborum exemplarium breuitatem Latina interpretatio ad sensum producit:* Et dixerunt illis fratres eorum, Quid vos? *Fratrum nomẽ repetitum, seriò, & ex animo, ac secreto, vti expediebat, rem actã, & tractatam, & communicatam indicat: neq; enim inter fratres aliter agi decuit. Tantum verò quinque viris illis ab aliis fratribus, & ab omni gente tributum, vt sententia priùs roganda, quàm alterius rei narratio exspectanda duceretur. Namq; perspecta & explorata illorum virtus, & fraterni nominis fides, nihil aliud postulabat. Græca translatio verbum aliud addidit, vt ὑμεῖς κάθησθε? Quid vos sedetis? exemplar verò ipsum ex linguæ vsu, atq; adeò ex adiuncto responso, interrogationem exspectãtium magis quàm quinque virorum personis adscribit, in hanc sententiam: Quid vos de toto consilio hoc, atq; de itineris vestri euentu censetis? opportuna ne vobis & tempora, & loca visa sunt ad id, de quo agimus, experiundum ac tẽtandum? an aliter sese rem habere arbitramini? quippe negotium hoc omne fidei, prudentiæ, atque dexteritati vestræ commissum est.*

Responderunt: Surgite, eamus ad eos. vidimus enim terram valde opulentam & vberem: nolite negligere, nolite cessare. eamus, & possideamus eam. Nullus erit labor: intrabimus ad securos, in regionem latissimam; tradetque nobis Deus locum, in quo nullius rei est penuria eorum quæ gignuntur in terra.

CONCILIATA *iam & parta sibi apud populum authoritate & fide, exordio nihil opus esse ducunt ad concionem orationemq; perorandam, in eo genere quod ad consultationes præcipuè petitur; in quo tria potissimùm tractantur lucra, vtilitatis, facultatis, & honestatis. has enim probatas partes persuasio euestigio consequitur, maximè verò si facultati modus etiam ratioq; conficiendæ rei adiuncta explicetur. Orationis autem caput ex rogata sententia factum est, quæ deliberationis vel consultationis propositio dicta solet. Rogati fuerant quinque viri,* Quid vos? *respondent, Breuẽ vestram petitionem breui ac deliberata sententia excipimus, nempe, Quamprimùm nobis in hanc expeditionem eundum esse, nec vllam moram aliquo pacto faciendam: nihil enim magis consilio propositoq; nostro conducere, quàm festinatio ac celeritas; nihil magis obesse, quàm lenitudo vel tarditas. Atque nos vsque adeò rem iam confectam vobis pollicemur, vt præter animi promptitudinem, & iter nobiscum pariter capessendum, nihil præterea impetremus, adeò vt ne ipsi quidẽ consistere aut respirare aliquantum velimus, sed vobis, qui nihil lassi, imò qui integri & valentes estis, surgentibus tãtùm, nos, qui adhuc stamus, pariter viam remetiri summa animi alacritate cogitemus.* Surgite vos, eamus ad eos. *in exemplari.* NAGHALEH GHALELHEM, Adscendamus super eos. *quo tropo rem omnino cõfectam significant,*

perinde ac si illi, contra quos bellum capesseretur, supini iacentes, & passim porrecti, atq; somno oppressi, à vigilantibus & strenuis repentè inuasi atq; superati, pessumdari & proteri viderentur. Atq; ita quo habitu, quo spiritu, quo loco, & quàm ad direptionem & perniciem opportuno in statu essent, indicat oratio. Hactenus facultas breuiter tractata ad excitandos animos ad celeritatem & expeditionem. Namque voluntatis nulla dubitatio fuerat, quando idem omnibus appetebatur, dummodo obtinendi constaret ratio, & vtilitatis certa fulgeret spes; quam tam deinceps oratores ac duces illi confirmant: Vidimus terram valde opulentam & vberem. *Non ex aliorum narratione, neq; ex historia aliqua petitã regionis laudem, sed ex suo ipsorum testimonio perspectam, & commendatione dignam, & sibi, vt nihil suprà expetendam optandamq; indicant.* Vidimus. *non audiuimus, sed ipsi diligenter peragratam contemplati sumus, non ignari rationum atq; partium cæli, atq; soli, & aquarum, quæ habitationis commoditatem parare solent. Sua ex lingua,* Vidimus terram, & ecce bona valde. Terram ARETS, *ad hominum vitam & cultum idoneam, vt iam aliàs adnotauimus. Vox,* ecce, *maturo ac certo iudicio rem examinatam significat. vt, Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. ex verbo,* Et ecce bona valde. *Latinus interpres pro* TOBAH, *opulentam & vberem reddidit, idq; rectissimè sæpè etiam aliàs docet vnicum sacræ linguæ verbũ pluribus alterius idiomatis vocibus esse explicandum. atq; terræ natura, quod ad aërem, & glebam, atq; aquam attinet, hoc vnico bonitatis nomine satis commodè datur, ad animos, iam sua sponte cupidos, occupationis ac possessionis auiditate & spe incendendos: quod vt vehementiùs fiat & alacriùs, proposito cum noua increpatione & exhortatione repetitur:* Nolite negligere, nolite cessare. eamus, & possideamus eam. *in exemplari sic:* Et vos cessantes, ne pigritemini ire ad possidendam terram. *Commendatam terræ fertilitatem & commoditatem maximam exhortatione prosequuntur, nihil præter voluntatem & viæ laborem exigentes ab iis quibus persuadere student, nulla belli aut periculi mentione facta, cùm nemo sit qui magnam hæreditatem, conditione tantùm capessendi proposita, adire negligat, vbi nihil discriminis, litis, & contentionis futurum sibi intellexerit: ideo nihil petunt præter alacritatem ac diligentiam, breuisq; itineris operam; celeritatẽ verò cum primis necessariam postulant, qua omne aliorum hominum atq; incolarum præcipuè consilium præuenire facile sit: moram, cunctationem, tarditatemq; omnem nimiùm obesse posse, cùm vel præsentiri ab hostibus, vel ab aliis gentibus ipsi præoccupari possint. ideo duo verba coniunguntur:* Nolite negligere, nolite cessare. eamus, & possideamus eam. *Atque vtilitatis ratione asseueranter declarata, facultatem simul & honestatem his adiunctam docent, quæ in omni deliberationis consilio plurimum valẽt: vtilitas enim cupiditatem creat, facultas verò conatum excitat, quæ honestatis nomine confirmantur & impelluntur, maximè verò, si eadem honestas*

Gen. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtas diuino conſilio ac iudicio declarata exiſtimetur. Nullus erit labor, intrabimus ad ſecuros in regionem latiſſimam. *In exemplari*: Cùm veneritis, intrabitis ad ſecuros in terram ſpatioſam manibus. *Nihil in viis, nihil in expugnatione & occupatione laboris, vel difficultatis, moleſtiæ aut negotij futurum; quandoquidem incolæ, qui defendere ac propugnare deberent, nihil minùs cogitent, quàm de bello vlla ex parte ſibi inferendo, nihil minùs quàm de armorum & propugnationis ſtudiis agant, vtpote diuitiis ac deliciis affluentes, perpetuamq; ſibi felicitatẽ & requiem promittentes, nec verò cuipiam homini aut regioni negotium ipſi faceſſere velint, cùm nulla rerum ad vitam & voluptatem opportunarum penuria laborent, nec gentibus vllis aliqua ex parte inuideant. Itaq; imparatos, & ad defenſionem ſui prorſus ineptos opprimi facile fuerit ipſa primùm inuaſione. Nec ſi maximè defendendi ſeſe, aut aditum præcludendi, vlla voluntas aut ſpes excitaret, tamen facultas iuuare poſſet in tanta celeritate inuaſionis, in latiſſima regione, ad quam complures eſſent aditus, & omnes iis, qui explorauerant, noti, quos defendi ab incolis, & præoccupari poſſe impoſſibile eſſet: à vicinis verò & accolis, ac ſociis nihil eſſet ſperandum, quibus cum, vt ſuprà inditatum eſt, nullum nec amicitiæ ſingularis, nec inimicitiæ verbum, & ideo nullum commune eſſe periculum. Atq; hæc ſecunda ad perſuaſionem impulſio eſt, in qua manifeſta oſtenditur humani iudicij fallacia, & ignorantia vulgaris, quæ regionum & ciuitatum beatitatem ex opulentia, fertilitate, atq; ex incolarum deliciis, otio & ſecuritate metitur ac deſinit, quando eadem iſta omnia periculum magis & perniciem quàm felicitatem pariant. Fertilitas enim ac rerum copia inuidiam, cupiditatem, & inſidias, vel in ipſis Reipub. viſceribus, & inteſtina bella mouere, vel exteros excitare, & longiùs prouocare & adducere, otium verò & ſecuritas inopinantes, & nullis belli cis artibus inſtructos exercitatoſq; incolas & ciues tamquam vinctos prodere ac tradere ſolent. Tertius honeſtatis locus ad perſuaſionis vim grauiſſimo atque auguſtiſſimo diuinæ tum voluntatis, tum poteſtatis & authoritatis argumento abſoluitur, quo omnis dubitatio, omniſq; cunctatio abijcitur.* Tradetque nobis Deus locum, in quo nullius rei eſt penuria eorum quæ gignuntur in terra. *In primæua lingua præterito tempore verbum hoc pronunciatur.* Tradiditque vobis ELOHIM locum. *Quamquam non apertè, ſignificanter tamen oraculum ſibi de hac re conſultum indicant, & ad Leuitæ reſponſum, dum hæc agerent, animum mentemq; conuertiſſe videntur. Non enim illud ſingulare Dei nomen appellant, quod à ſacrificulo illo reſponſum referente fuerat vſurpatum, ſed commune illud aliud quod ipſi, dum oraculum ſciſcitarentur, vel augurium captarent, nominauerant. Quod verò de rerum affluentia & copia addunt, cùm ad vtilitatis repetitionem facit, tum verò ad diuini beneficij confirmationem plurimùm valet. Quippe tanta regionis pulchritudo, fertilitas, redundantia, & copia locum ipſum Deo charum, ſingularique cura fotum*

Vide Thucydidem in initio lib. 1.

fotum & comparatum ipſis probabant; eundem verò locum nulla incolarum vel vi, vel arte, vel diligentia munitũ atq; defenſum: ob eam ſolũmodo rem oratores iſti referunt ac depingunt, vt non illis conceſſum, ſed colendi cauſa tantum indultum dignis demum poſſeſſoribus tradendum confirment. In terra. *Notificatiuus articulus ſingularem quandam terram indicat, atq; ipſam ſibi cognitam Iſraelis regionem ſignificat, vt omnino ſuæ ipſorum ſimilis terra ad ſe pertinere credatur. Huiuſmodi etiam perorationis exemplum, & apud ſcriptores exteros obſeruare eſt.*

Nos manet Oceanus circumuagus: arua beata
Petamus, arua, diuites & inſulas:
Reddit vbi Ceretem tellus inarata quotannis,
Et imputata floret vſque vinea:
Germinat & numquam fallentis termes oliuæ,
Suamque pulla ficus ornat arborem:
Mella caua manant ex ilice: montibus altis
Leuis crepante lympha deſilit pede.
Illic iniuſſæ veniunt ad mulctra capellæ,
Refertque tenta grex amicus vbera:
Nec veſpertinus circumgemit vrſus ouile,
Nec intumeſcit alta viperis humus.
Plura que felices mirabimur, vt neque largis
Aquoſus Eurus, arua radat imbribus,
Pinguia nec ſiccis vrantur ſemina glebis,
Vtrumque Rege temperante cælitum.
Non hue Argoo contendit remige pinus,
Neque impudica Colchis intulit pedem.
Non huc Sidonij torſerunt cornua nautæ,
Laborioſa nec cohors Vlyſſei.
Nulla nocent pecori contagia, nullius aſtri
Gregem æſtuoſa torret impotentia.
Iuppiter illa piæ ſecreuit littora genti,
Vt inquinauit ære tempus aureum.
Ære, dehinc ferro duravit ſæcula: quorum
Piis ſecunda vate me datur fuga.

Horat. Epod.

Hæc poëta ille ſigillatim tot carminibus elegantibus profectò perſecutus, ex vnico huius orationis & perſuaſionis verſu grauiſſimo & efficaciſſimo deduxiſſe videri poſſet: Quia dedit ELOHIM in manus veſtras locum, quo non ibi penuria vllius rei quæ in terra. *Conſultationis demũ ac perſuaſionis huiuſmodi quãta fuerit efficiẽtia, adiũcta narratione declaratur.*

Profecti igitur ſunt de cognatione Dan de Saraa & Eſthaol, ſexcenti viri accincti armis bellicis.

CVPIDIS *aliàs & iam diu nouas auentibus ſedes, certuſq; occaſionem quamlibet oblatam arripere, efficaciter quinq; viri arma capeſſere, & rem*

Universidad de Deusto
Biblioteca

aggredi persuaserunt. eam verò rationem initam animaduertimus, vt non magno exercitu primùm, sed paucis delectis iisdemq; probè instructis, hoc est, sexcentis viris strenuis, innasio atque expeditio committeretur. Namq; ad imparatos ac nihil tale metuentes incolas repentino impetu inuadendos & opprimendos, is numerus satis superq; fore iudicatus est, in quo nemo segnis, nemo non animo & manu promptus notaretur, atque ita nec magno strepitu, dum iter fieret per vicinos aut finitimos agros, præsentiretur, nec longiùs prospectus attendẽtium metuentes turbaret, ac sibi cauere cogeret. Ea autem lege atque exceptione illi instructi, atque ad rem gerendam fuere missi, vt quidquid ageretur, quidquid contingeret, quidquid denique quocumque modo captum occuparetur, nulli nouo nomini, nulli genti, vllo vel certo prætenso titulo, nisi Danitice familiæ adscriberetur. Quamquã enim eam quam ab initio sortem Danitæ obtinuerant, retinere ac tueri cogitabant, quidquid tamen aliàs expugnarent & occuparent, non alio quàm coloniæ iure possideretur, ac eodem appellaretur nomine, quo tribus illa, vnde coloni fuerant deducti, hoc est, Danis familia. hanc nobis adnotatio illa sententiam repræsentat, De cognatione Dan. *Vt verò non aliter interpretari rationem hãc omnem liceret, locorum præcipuorũ nomina appellata sunt.*

De Saraa & Esthaol. *Quæ omnia breui nunc oratione & quasi argumento expressa, fusiùs in acta publica relata fuisse intelligimus.*

Adscendentesq́ue manserunt in Cariath-iarim Iudæ: qui locus ex eo tempore castrorum Dan nomen accepit, & est post tergum Cariath-iarim.

LOCORVM *nomina, si rectè conseruata teneantur, magnam historiarum authoritati fidem, & antiquarum rerum cognitioni lucem admouent: vnde à sacrarum rerum enarratoribus, hæc nominum explicãdorum forma & ratio diligenter tractatur. tractatur etiam à Græcis & Latinis scriptoribus, verùm ab illis mentiendi & audendi, ab his verò diuinãdi nimia licentia. alteris enim ne quidquam ignorari existimetur, nihil non excogitatur vel historiæ vel fabulæ ad nominis & famæ cuiuslibet rationem effingendam: alteris, vtpote recentioribus, & Græcorum ferè discipulis, vel illorum imitatione, vel naturali facilitate facilè persuadetur. Sed ad institutum nostrum redeamus. Magnis itineribus Danitæ breui tempore ad Lesmam peruenisse memorantur, vtpote qui non multi essent, sed sexcenti tantùm viri agiles ac strenui, & celeritatem sibi cum primis commodissimam arbitrati, nihil aliud quàm de conficienda re, nullis aliis mortalium conscijs agitarent. Nam pro militaris gressus ratione & vsu valde longum iter fuit primùm à Tsirghah & Esthaol ad Kiriath iegharim, intra Iudæ agros positam vrbem vsque, cùm & sua ipsorum Danitarum pertransseunda esset regio, & pars etiam ex Iudæ tribu pedite metienda. Primo autem loco, in quo pernoctatum est castrorum Dan, ex eodẽ quo diximus exceptionis*

nis ac monumenti iure adhæsit, vt in aliena etiam tribu conseruatam communionem generis ac familiæ vtriusque Danitis comprobaret, iis, inquam, qui citra Iudam ad Occasum & Austrum, & iis qui ad Orientalem Boream postea habitantes viserentur: ita vt interrogantibus nominis causam in aliena tribu ipsi etiam Iudæi, quorum permissu nomen perduraret, certam exploratamq; redderent.

Inde transierunt ad montem Ephraim. Cumq́ue venissent in domum Michæ.

VEL *via necessariò per illum locum facienda erat, propter cõmoditatem & compendium, vel quinque viris illis, quibus ducendi authoritas demanda fuerat, consulto ita agendum esse visum fuit. Namque ij cùm responsò per sacrificulum illum relato priorem negotij sui partem, hoc est, terræ explorationem consonam fuisse opinarentur, cætera omnia secunda sibi fore persuasi sunt, si eodem auspice iisdemq; auspicijs ac numinibus propitijs peragerentur: ita enim vel superstitione, vel curiositate, vel etiam populari & communi errore homines de mente atque consilio abducuntur, vt, quæ naturæ adscribi debeant effecta, miraculis ac singulari numinis efficientiæ; quæ verò prorsus miranda, atq; rarissima, vel singularia nullam aliam minorem quàm Dei virtutem probẽt, ea vel casui, vel naturæ exemplis ac rationibus tribuant. Nemo enim prudenti animo, & ab huiusmodi vanis cogitationibus alieno est, qui Laisensium rerum statum non cuiusptam vel exiguæ manus, modò probè instructæ, inuasioni, expugnationi, ac direptioni patentem peruiumq; esse cognoscens, in eodem occupãdo singularem aliquam diuinæ prouidentiæ demonstrationem non adeò exigendam esse duceret, sed rem omnem ad cæterorum bellorum ac populorum comparationem reuocandam, cùm sæpissimè eueniat, vt multi imbelles, imparati, inertes ac securi, à paucis consilio & armorum vi atque peritia instructis perdãtur. Cæterùm viri illi conceptam iam felicitatis spem cum augurij vel superstitionis opinione aliis, quos ipsi ducebant, injicere studebant.*

Dixerunt quinque viri, qui priùs missi fuerant ad considerandam terram Lais, cæteris fratribus suis: Nostis quòd in domibus istis sit Ephod, & Theraphim, & sculptile atque conflatile? videte quid vobis placeat.

VERÆ *doctrinæ vel obliuione, vel turbatione, Danitarum mentes corruptas, & superstitionum amore atq; cupiditate etiam erroribusq; perplexas, facilè intelligere possumus ex notitia morum humani generis, & ex communis illius hominum hostis diaboli fallacia ac dolo: ex qua re quinque virorum consilium natum credimus, videlicet persuadẽdi sociis ad raptum Ephod, Theraphim, reliquiq; superstitionum illarũ apparatus, ac deducendi secum iuuenem illum, cuius responso sese adiutos antea crediderant, ac deinceps quoque promotũ iri sperabant. Eam verò rem duobus argumentis suadere*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dere ſtuduerunt, altero ex vſu atq; exẽplo, altero verò ex comparatione. vſus à commodo & vtili ſignificatus eſt, comparatio ex dignitate petita. vero autem ſimile videtur nonnihil à quinque viris illis, cum ſexcentis contribulibus in via communicatum fuiſſe de reſponſo ſibi per Leuitam iuuenẽ dato, cuius authoritas hactenus firmata fuerit, nulla inter eundum, redeundum, atq; inter explorandum terram offenſionis impedimento oblato. cùm verò ad ipſum Ephraitarum montem, paucis domibus quidem, verùm diuitibus feliciter habitatum, ventũ eſſet, tum demum, quod illis iam in animo erat, quinque viris commune conſilium cæteris fuiſſe explicatũ, atq; quemadmodum expediri conueniret, indicatum. Dixeruntque quinque viri. *idem hoc loco ſignificat* Dixerunt, *quod verba fecerunt, ſiue concionem habuerũt breuem & militarem; quam facilè probauerunt propter dicentium authoritatem & gratiam apud auditores conſtantẽ. Nam oratores erant quinque viri, exploratorum antea, deinde verò ducum titulo ac poteſtate dignitateq; ornati; auditores verò fratres, quorum res agebatur publica, & communis, & priuata etiam. Exemplaris linguæ oratio ita ex verbo:* Et reſponderunt quinque viri illi [qui] euntes [fuerant] ad explorandam terram Lais, & dixerunt fratribus ſuis: Noſtis ne quòd eſt in domibus his ipſis Ephod & Theraphim & pezzel & mazzechah? & nunc intelligite quid facietis. *Quantum conferat rebus actionibusq; humanis omnibus, cùm priuatis tum publicis, numinis voluntatem ac mentem ſibi propitiam habere, nemo ſanus non intelligit. illud tamen non omnes rectè putant, videlicet quid verè pro numine haberi, & quemadmodum placari & conciliari oporteat: vnde tanta apud mortales deorum atque cultuum erupit immenſitas & confuſio. Danitæ & vtile cum primis, & pulchrum decorumq; ſibi ducunt, diuinam prouidentiam atq; voluntatem expeditioni ſuæ præſciendam quærere: rationem autem qua id agatur & curetur, mendoſam eligunt, eam tamen ſuis fratribus probare ſtudent, quòd ipſi, vana opinione ſeducti, tam probatam habeant, nimirum auferendi ſecumq; aſportãdi nugas illas, quas ipſi ſanctas ſacrasq; res, & ſibi maximè vtiles atque felices fore exiſtimabant. id autẽ quod animo agitabant, fratribus, vt perficiatur, ſuadent oſtenſione loci, pro natura atq; ſitu ſatis proſperi, cuius ſecundas res ex poſſeſſione & vſu Theraphim, & cæterorum ſacrorum natas & conſeruatas arbitrabantur. Namq; Michæ & illius matris domos, montanas quidem & ruſticas, verùm diuites ac locupletes, tunc viſere erat; cæteras autem in eadem vicinia habitatas, his non diſſimiles exiſtimari par fuit. hoc exemplum ad vtilitatem ac dignitatem oſtendendam exploratores illi vſurpãt:* Noſtis quòd in domibus iſtis ſit Ephod & Theraphim, &c. *Quidquid boni, cõmodi, atq; ſplendoris domibus iſtis contigit, Ephod & Theraphim, &* PEZZEL, *&* MAZZECHAH, *virtute atque vſu effectum eſt; quæ felicitas vt ad nos transferatur, & nobis curandum, & vobis etiam ſatagendum eſt. Namq; longè præſtat nos tot tantosq; viros, tam magnam rem*

rem aggreſſos, & magnæ atque felicis regionis compotes ac poſſeſſores futuros, hanc felicitatem nobis comparandam curare: quocumq; iure, quacumq; vi id fieri poſſit, vel dolo, vel arte, vel armis, nihil refert, dũmodo id, quod nobis expedit, obtineamus. Etenim numen ipſum conſilium factumq; noſtrum probabit, & ſtudiũ ſui laudabit gratumq; habebit, vtpote qui ex anguſtiori ac ignobiliori loco ad illuſtrem vrbem frequentemq; populum, ſua ſacra transferenda conſtituerimus. Videte quid vobis placeat. *Hoc ſermone modus inſinuatur, quem ipſis agendo & obſeruando tenere expediret, quemq; narranda deinceps actio declarat. Ex verbo:* Et nunc intelligite quid facietis. *Id verò quid nam fuerit, quod armatis fratribus agendum committeretur, facti narratione exponitur.*

Et cùm paululum declinaſſent, ingreſſi ſunt domum adoleſcentis Leuitæ, qui erat in domo Michæ, ſalutaueruntque eum verbis pacificis. Sexcẽti autẽ viri, ita vt erãt armati, ſtabãt ante oſtium.

RERVM *atque ſententiarum huius narrationis continuatio & ſeries illa eſt: Quinque viri duces, conſtitutis ante vrbis portã ſexcẽtis fratribus, reſtoq; inſtructis ordine, atque exſpectare ſeſe iuſſis, ipſi tantùm ad Michæ domum diuertunt, prætextu ſalutandi Leuitæ, cui ſe ob beneficium cum hoſpitij, tum etiam reſponſi felicis gratos & officioſos probare ſimulabant; & interim quo loco ea eſſent, quæ auferre ſecum cogitauerant, explorare & perſpicere ſtudebant, vt breuius, minorisq; negotio, ac nullo tumultu deinde arriperent.* Ita vt erant armati. *Rectè inſtructi armis atq; præcincti, ne, ſi vicini repentè dimicare vellent, imparati offenderẽtur. Interim enim dum iter ageretur, onuſti magis armis, quàm armati, viã carpebant, vt ferè militaribus itineribus fit. cùm verò ad vrbis pomœria ventum eſt, armari & exſpectare iuſſi ad portam conſtiterunt. In exemplari legimus,* Qui ex filiis Dan, *non citra ſignificationẽ: namq; aliàs, niſi noſcerentur, qui nam & vnde eſſent, totam illam vicinitatem vehementer turbarent, atque ipſum Michæam ad res cariſſimas celandas atq; tuendas, cum primis verò ad myſteria illa ſua conſeruanda excitarent. nunc verò cùm & quinq; viri illi, qui domum ingreſſi fuerant, iam noti & hoſpitum officio atq; nomine obligati eſſent, cæteriq; omnes quamquam armati viſerentur, tamen ex filiis Dan omnes dicerentur eſſe, nihil metus aut ſuſpicionis Ephraitis inferebant, quamquam quòd expeditio illa tenderet incertis, tamen exſpectationem illam interpretatis fieri quinque illorum ducum, qui bona cum fide ad Michæam diuerterant, operiundi cauſa.*

At illi qui ingreſſi fuerant domum iuuenis, ſculptile & Ephod & Theraphim, & idola atque conflatile tollere nitebantur, & ſacerdos ſtabat ante oſtium, ſexcentis viris fortiſſimis haud procul exſpectantibus.

RES *ita connexa eſt: Sexcentis in ſtatione ſua ante portam attendere*

Universidad de Deusto
Biblioteca

inſis, quinque viri illi, Leuitam iuuenem ſalutaturi, Michæ domum ingrediuntur: ſalutant breuiter; & veluti feſtinantes, quàm primum ſaluta-uiſſent, diſcedunt. Hos Leuites ad portam vſque ſequitur, armatorum nimirum & ordinem, & numerũ, & ſpeciem viſurus: hæret in porta, manentibus adhuc ibidem armatis: interea quinque viri, abſente iuuene, domum redeunt, & ſpoliant.

Tulerunt igitur qui intrauerant, ſculptile, idola, atque conflatile. Quibus dixit ſacerdos, Quid facitis?

ORATIO *concisa iuuenis improuiſo atque indigno ſacinore turbati animum repræſentat, qui, antequam vel clamare vel aliàs longiorem ſermonem pronunciare poſſit, & terrore occupatur, & pariter promiſſis, & ſplendidioris conditionis ſpe, ad conſentiendum obſequendumq; pellicitur.*

Qui reſponderunt, Tace, & pone digitum tuum ſuper os tuum, veniq; nobiſcum, vt habeamus te patrem & ſacerdotem. quid tibi melius eſt, vt ſis ſacerdos in domo vnius viri, an in vna tribu & familia in Iſrael?

NVLLVM *ius, nullum tam præſtans atque firmum officium eſt, quod cupiditate atq; ambitione tentatum, nõ violetur & corrumpatur in iis, qui cæco ſui amore impulſi, à ſimplici ac recto virtutis ac pietatis calle deducti fuerint. Leuita iuuenis iſte, ventris & gloriæ gratia, ſacerdotium immeritus, atq; indignus, prorſusq; ineptus oblatum ſibi vſurpauerat, magis adeò mercedis & quæſtus, quàm religionis aut pietatis rationem habiturus. quare nihil mirandum, ſi nunc pinguioris, vti dici ſolet, ſacerdotij opinione & ſpe non modò eum, à quo beneficium acceperat, deſerat, ſed & ſpoliari ac diripi patiatur.* In domo vnius viri. *Quod cùm ſingulare ac priuatum munus ſit, minus commodi atque ornamenti parare tibi poteſt. Adde quòd tu iuuenis, ille ſenior, aliusq; propriùs liberis auctus eſt; apud quos cùm ille vita functus fuerit, nihil præterea commodi vel gratiæ tibi conſtabit, nunc ſortaſſe iſtum domi locum occupatum inuidentes.* An in vna tribu & familia in Iſrael? *Hæc enim & frequens & diues ad te alendum & ornandum, & perpetua eſt & ſibi conſtans, nec vllo pacto diſſidens aut diuiſa. Namque quamuis maxima & numeroſiſſima ſit, numquam tamen in diuerſas diduca fuit familias, vt cæteræ tribus, ſed vnicum familiæ nomen, ac titulum,* Genes. 46 *& ius perpetuò conſeruauit, videlicet Huſſæorum. S.S.E. Filij Dan, Huſſim. adeò vt ſi huius tribus populo locis ac regionibus diſtingui accidat contingat, retinendus tamen fuerit vnius familiæ cenſus ac titulus, atque tibi illius totius ſacerdotij honos vnicè deferendus.*

Quod cùm audiſſet, acquieuit ſermonibus eorum, & tulit Ephod, & idola, ac ſculptile, & profectus eſt cum eis.

IMPRVDENTIORIS *ætatis iuuenis, animo nondum cõſilio, & ratione firmatus, atque iam alieno cibo citra laborem, & otio aſſuetus, eadem vitæ ratione cum maiore vtilitatis atque dignitatis opinione & ſpe facilè in fraudem pellectus adductus eſt, & officium omne erga eos, qui de ſe bene meriti fuerant, deſeruit, amicitiamq; prodidit: ſed huiuſmodi amicitiarum, priuati vſus ratione initarum, ſimiles huic exitus eſſe ſolent.*

Qui cùm pergerent, & ante ſe ire feciſſent paruulos ac iumenta, & omne pretioſum, iamq; à domo Michæ eſſent procul, viri qui habitabant in domibus Michæ, conclamantes ſecuti ſunt.

INIVRIÆ *immerentibus illatæ conſcientia authores non ſatis ſecuros viuere agereq; ſinit, ſed vereri ac ſibi proſpicere cogit. Non adeò multi erant Michæ familiares ac vicini, vt ſexcentis Danitis armatis metum incutere poſſent; dubitationem tamen & ſuſpicionem potuere facere vel vltionis, vel dimicationis, aut ſaltem conatus: quam ob rem non ſegniter aut negligenter agendum viſum fuit Danitis, verùm ita ordinandum iter & inſtituẽdum, vt, ſi quid turbæ aut negotij ab Ephraitis afferretur, citra puerorum ac tumentorum diſcrimẽ, citra ſarcinarum tacturam ſuſtineri poſſet.* Omne pretioſum. *Verbum* HAKEBODAH, *& graue ac ponderoſum & pretioſum dignumq; ſignificat. quidquid graue erat, quod in dimicationis conflictu impedimentum afferret, ac præcipuè id quod ipſis pretioſum ducebatur: quo nomine illa quæ ſacra ipſis exiſtimata fuerant, & ideo ex Michæ domo ſubducta fuerant, cenſentur.* Qui habitabãt in domibus Michæ. *vicinæ illius incolæ & accolæ omnes, quorum communis illa iniuria habebatur, vtpote participum Theraphim & cæterorum ſacrorũ: qualiacumq; illa eſſent, opinione tamen vſus & ornamenti non negligenda credebantur. his accedit, quòd natura ita comparatum eſt, vt qui proximi ſibi ſunt vici, in huiuſmodi periculis coniunctione etiam vicinitatis vehemẽter moueantur.* Conclamantes. *Re cognita, atq; iniuriæ fama celerrimè diuulgata, ſeſe mutuis vocibus & clamoribus ex agro, & ex ipſis domibus ad dimicationis opem incitarunt, vt ferè vſu venire ſolet, maximè apud ruricolas & paganos, qui, nullo ſeruato ordine, iis quæ præſto ſunt armis inſtructi concurrunt.*

Et poſt tergum clamare cœperunt. Qui cùm reſpexiſſent, dixerũt ad Micham, Quid tibi vis, cur clamas?

QVERIMONIA *& compellatione experiri cõſtituit Michæs, quippe qui ſeſe aliàs non ſatis idoneum atq; inſtructũ videret, ſi dimicare primum inſtitueret: blandioribus igitur ſermonibus iniuriam ſibi illatam conqueritur; quamobrem, vt in exemplari legimus, Danitæ ſuo vocabat nomine, à quibus etiam non manu aut armis, ſed voce ac reſponſo exceptus eſt:* Quid tibi vis? *Quidnam tibi incommodi eſt, quamobrem perinde atq; oppreſſus atque aliena vexatus vi clamas?* NIZGHAKTAH. *oppreſſorum & iniuria affectorum clamorem verbum hoc plerumque ſignificat.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Qui respondit: Deos meos, quos mihi feci, tulistis, & sacerdotem, & omnia quæ habeo; & dicitis, Quid tibi est?

QVOD *iniuriarum agere ille quasi nihil omnino læsus reprehenderetur, rei ipsius explicatione refellit, nec re solùmodo atque rapina ipsa, verùm ista quoque reprehensione sese grauiter offensum confirmat: iniuria autem compluribus nominibus ac rationibus exaggeratur. primùm quòd illi, qui & cõmunione generis, & vicinitate regionis, & hospitij iure prodesse & commodare sibi debuissent, vehementer contrà obesse & nocere voluerint ablatione & rapina atq; abductione, & quasi captiuitate: rapina quidẽ non vilium rerum, sed optimarum & maximarum, sibiq; maximè cararum & cultarum, nempe deorum suorum, cùm nihil homini diuinis rebus non antè ponendum, sed nec comparandum quidem sit; & illi non diuina, sed dij ipsi fuerint sublati, quo nihil dici maius potuit. nec verò quales cumq; dij, cõmunes videlicet, aut aliunde allati, ideoq; fortassis minùs æqui, & efficaces, ac propitij; sed mei propry penates atq; domestici lares, non à parentibus accepti, sed quos ipse de mea pecunia feceram, ideo & cariores mihi & obseruatiores atq; cultiores; namque operum studiorumq; propriorũ ac priuatorum amantior vnusquisque est, quàm alienorum; atq; adeò ij sibi vt maximè pio ac benemerenti benigniores & propriores crederentur; & non solùm hoc sese fraudatum conqueri, sed etiam abducto sacerdote, quẽ à se institutum, ornatum, altum, & educatum constabat, ita vt, religione ac religionis cultu & ministerio priuatus, nihil præterea nisi summam infelicitatem exspectaret. Nam præ his tantis sibi creditis magno studio & sumptu comparatis commodis, quid boni reliquum duceretur, nihil erat.* Et omnia quæ habeo. *Præter illa quæ explicata sunt sacra illis habita, nihil subductum omnino fuerat: sed quia hæc maxima existimabantur, sese omnino exspoliatum ac direptum conqueritur. In exemplari sic:* Et quid mihi præterea? *Huiusmodi enim studio & affectu hæc, quæ homines sacrosancta habent, prosequi consueuere. Cuius illud apud exteros exemplum occurrit:*

Iuuenal. Sat. 8. Nunc sociis iuga pauca boum & grex paruus equarum,
Et pater armenti capto eripietur agello,
Ipsi deinde Lares, si quod spectabile signum,
Si quis in ædicula Deus vnicus: hæc etenim sunt
Pro summis; nam sunt hæc maxima.

Et dicitis, quid tibi est? *Rogauerant illi quanam re ipse sese læsum, aut quo facto permotũ, vt se insectatus ita cõpellaret, nõ quòd nescirent ipsi quid secissent, sed quòd fortè dissimularẽt sibi notũ esse, Theraphim, & cætera quæ ablata erãt, ad Michã quicquã attinere, cùm potiùs illa Leuitæ esse viderentur, qui spõte illis sese socium ad id dixisset. vtrag; verò Michas sibi respõso vendicat, videlicet & sacra quæ ipse sibi fecerat, & Leuitã quẽ ex priuato & hospite sibi filiũ adoptauerat, patrẽ optauerat, & sacerdotẽ præfecerat: quibus & personis & rebus nihil nõ amittendũ, sed nec cõparandũ ipse duceret.*

Dixe-

Dixeruntque ei filij Dan: Caue ne vltrà loquaris ad nos, & veniant ad te viri animo concitati, & ipse cum omni domo tua pereas.

VIOLENTORVM & *iniurioſorum hominum ingenium, atque adeò latronum aliquando exemplum huiusmodi consilio exprimitur, qui, vbi ea, quæ sibi diripuerint & abstulerint, à spoliatis repetuntur, gratiæ ac beneficio apponi velint, si vitam animamq; seruent; cuius cùm nullus ipsis fuerit vsus, rationem habuisse tamen videri volunt, atq; ita violentiam suam clementiæ nomine commendare student, & repetentium importunitate sese expediunt. Atq; hoc iniuriarum genere militum collegia cum primis male audiunt, qui omnes consensu magno officiunt, admissi aliquando facinoris reprehensi culpam, quam omnes sustinent, ad nonnullos, eosdemq; gregarios & insolentiores, minusq; militari disciplinæ parentes, nota tam & callida oratione transferunt, & nihilominus iniuriam cõmuniter factam, communiter etiam fouent, atq; delictũ defendunt, tantum abest vt vertant.* Caue ne vltrà loquaris ad nos. *In exemplari.* Ne audiatur vox tua nobiscum. *Ne altiùs quicquam proclames aut proloquaris: quippe non desunt inter nos insolentiores quidam, quibus magna auiditas est pulsandi & concidendi eos, qui sibi quoquo modo molestiam vel verbo exhibeant. Ex quo euenier, vt cùm nihil tibi nunc boni superesse quereris, tua, tuorumq; animæ, quæ nunc tamen supersunt, amittendæ sint. Huiusmodi insolentiæ ac violentiæ genus frequentissimum quondam in militia est, vbi quamquam prætorum authoritas iudicij causa constituta visatur, tamen ab exteris, quamquam iniuria atque ignominia affectus, rarissimè sine maximo discrimine imploratur.*

Commoda tractemus primùm communia, quorum Iuu. Sat. 16.
Haud minimum illud erit, ne te pulsare togatus
Audeat, imo & si pulsetur, dissimulet, nec
Audeat excussos prætori ostendere dentes,
Et nigram in facie tumidis liuoribus offam,
Atque oculos medico nil promittente relictos.
Bardiacus iudex datur hæc punire volenti,
Calceus, & grandes magna ad subsellia suræ,
Legibus antiquis castrorum, & more camilli
Seruato: miles nec vallum litiget extra,
Et procul à signis. iustissima centurionum
Cognitio est igitur de milite, nec mihi deerit
Vltio, si iustæ defertur causa querelæ.
Tota cohors tamen est inimica, omnesque manipli
Consensu magno officiunt, curabitis, vt sit
Vindicta grauior quàm iniuria? dignum erit ergo
Declamatoris Murinensis corde Vagelli,
Cùm duo crura habeas offendere tot colligatos, Millia clauorum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quamobrem huiusmodi oppressorum conditio, cùm nihil omnino, quo sese vlcisci possit, vel opis, vel virium nacta fuerit, iis quibus nondum fuerit priuata commodis quieta ac tacita vt sese contineat, consultissimum fuerit. Libertas pauperis hæc est, Pulsatus rogat, & pugnis concisus adorat, Vt liceat paucis cum dentibus inde reuerti. *Hoc est quod versu narratur subiuncto.*

Et sic cœpto itinere perrexerunt. Videns autem Michas quòd fortiores se essent, reuersus est in domum suam. Sexcenti autem viri tulerunt sacerdotem, & ea quæ supra diximus, veneruntque in Lais ad populum quiescentem atque securum, & percusserunt eos in ore gladij, vrbemque incendio tradiderunt.

CVM *Danitis ius omne tam in armis atq. potentia esse videretur, nihil minùs actum est, quàm de incommodo Michæ corrigendo, resarciendoque damno: imò potiùs boni ominis interpretatione exceptum fuit, quòd cognitas iam atq. repetitas, & armata manu, alterius res tamen nullo negotio retineri, & secum abducere contingere, res inquam, diuinas, atq. sibi cum primis vtiles existimatas, quod felix faustumq. fore augurabantur, & secundi euentus in ea quæ præcipuè agebatur ipsis res non obscurum signum, nimirum diis atq. sacerdote Michæ secum in eandem expeditionem ire volentibus, atq. adeò annuentibus.* Et sic cœpto itinere perrexerunt. *contempto Micha, nulloq. præterea in pretio habito, quibus tamen ille, vti impar, cedendum duxit: atq. ita sua illa sibi ipsi facta & iactata felicitate priuatus & orbatus, carissimorumq. bonorũ desiderio mœrens domum reuersus, illud verè vsurpare potuit:* Nullum numen abest si sit prudentia, sed te

Nos facimus Fortuna deam, cæloque locamus. *Sensitq. tandem miser homo nec illos, quos sibi ipsi parasset, deos verè fuisse, qui nec ipsi grati, nec sibi ipsis vtiles esse valuerint. Quo profectò exemplo verissimam illã Poetæ sententiam decantare, ac commendare possumus, in eosq. iacere, qui huiusmodi vanis rebus, ac demum perituris, operam, sumptum, curamq. impendunt:* Mortalia facta peribunt. Horat. Arte. Tuleruntque sacerdotem, & quæ suprà diximus. *Hæc in exemplari recensentur, possessionis pronomine adiuncto; quod ad eam significationem, quam indicauimus, pertinet:* Et ipsi acceperunt ea quæ fecit Micha, & sacerdotem qui fuit illi. *Non quæ ipsi fecerant, nec sacerdotem quem sibi consecrauerant, aut ex propria ipsorum patria deduxerant, atque ideo sibi commodo fore sperare possent; sed rapta omnia ac subducta ex aliena domo, ex alia tribu, & alienis impensis comparata, singulari ac priuata causa instituta ac dicata: ita vt, iuxta Gentium disciplinam, maiori etiam errore à Danitis peccatum hac in parte fuerit, cùm aliàs familiares non populorum tãtùm, sed etiam singularum domorum dij iis præcipuè ac maximè propitij, & felices, ac salutares, & tutelares esse crederentur, à quibus primùm consecrati, ac dicati, cultique fuissent. Ex qua opinione illa Poëtarum explicantur carmina:*

O no-

O noctes cœnæque Deũm, quibus ipse meique — Horat. lib. 2. Sat. 6.
Ante larem proprium vescor, vernasque procaces
Pascolibatis dapibus, prout cuique libido est.

Et Tibullus in Voto:

At mihi contingat patrios celebrare penates, — Tibul. lib. 1. Eleg. 3. & 10.
Ponereque antiquo menstrua thura Lari:
Nunc ad bella trahor, & iam quis forsitan hostis
Hæsura in nostro tela gerit latere.
Sed patrij seruate Lares, aluistis & iidem,
Cursarem vestros cùm tener ante pedes.
Neu pudeat prisco vos esse è stipite factos:
Sic veteres ædes incoluistis aui.
Tunc melius tenuere fidem, cùm paupere cultu
Stabat in antiqua ligneus æde deus.
Hic placatus erat, seu quis libauerat vuam,
Seu dederat sanctæ spicea serta comæ.
Atque aliquis voti compos liba ipsa ferebat,
Postque comes purum filia parua fauum.
At nobis ærata Lares depellite tela,
Hostiaque è plena rustica porcus hara,
Hunc pura cum veste sequar, myrtoque canistra
Vincta geram, myrto vinctus & ipse caput.

Ita sibi vnusquisque suos cùm fingere olim soleat deos, tamen Danitæ aliena sacra, eademq. per dolum ac rapinam sublata, sibi vsurpauere, & pro suis populo venditare & conseruare duplici mendacio studuere; cuius fallaciæ in huius capitis fine notantur, cuiusq. falsitatis quàm plurima exempla & quondam fuisse, hodieq. non rariora exstare, historias diligenter euoluentibus compertum est. Ad populum quiescentem atque securum. *Calamitatem & perniciem ciuitati illi, non numinum illorum vanorum vi & authoritate, sed Danitarum insidijs ac dolo, atq. ipsorum incolarũ securitate atq. otio allatã, hac imagine intelligimus.* Et percusserũt eos in ore gladij. *Populares videlicet inermes, ac repentino impetu oppressos, armati aggressores magna celeritate ingularunt, eademque opera, & vno eodemq. tempore, vrbis domibus ac templis flammas admouere, & cædi operam dare ac satagere, vt turbatis vtroque periculo ac malo ciuibus nulla vel consilij, vel defensionis, vel saltem fugæ superesset copia. Namq. incendia exstinguere parantibus, hostilis gladius nocebat; arma verò sumere volentibus, ignis intra publicas ac priuatas ædes grassabundus obstabat. Atq. ita breuiter vtroq. stragis genere & voto, & loco potiti Danitæ, occisorũ corpora, & quidquid impurum erat, incendio absumpserunt, vt fana, vt publicas ædes, cibosque lege vetitos, ac titulos etiam & ornamenta quæcumque ciuitati illi religiosa haberentur, & minoribus regionis oppidis atque vrbibus etiam metum incussere, in deditionem venire coactis, eademq. opera vicinis atque finitimis*

auxilij

Universidad de Deusto
Biblioteca

auxilij ferendi cogitationem ademerunt, vtpote numquam postulati, nec antea societatis iure ac fœdere constituti, nec vlro iam deinceps, nisi nimium serò ac frustra præstandi. hoc est quod subiungitur:

Nullo penitus ferente præsidium, eo quòd procul habitarent à Sidone, & cum nullo hominum haberent quicquam societatis ac negotij. Erat autem ciuitas in regione Rohob, quam rursus exstruentes, habitauerunt in ea.

NVLLVM *quamuis ditissimum atq; frequentissimum populum ita tutum esse, & conseruari posse, vt non longè magis deceat atq; oporteat amicorum & sociorum fœdere atq; communione ad casus dubios vti, hac annotatione docemur, ex quo consilio illa Romanis potentissimæ quondã omnium gentiũ, sociorum sibi comparandorũ, & omni officio retinendorum, cura non postrema nata est. Quippe quo magis felix ac beatæ ciuitatum ac regnorum status videatur, eo magis aliorum hominũ inuidiæ, cupiditati, & ambitioni, atq; insidijs obnoxius est, eoq; magis præsidio ac subsidio aliorum indiget, vbi singularis veri numinis tutela non adsit præsens. Namque huius qui compos fuerit, inimicos suos cornu ventilare, & in se surgentes spernere non dubitabit.* Quam rursus exstruentes. *in tum modum quem illis ex lege ac moribus, atq; ex consuetudine, & vsu vitæ, & studiorum suorum domos & oppida fabricare integrum erat. ita vt quamquam solum idem quod antea esset in regione siue planicie, cui nomen erat* BETHREHHOB, *tamen ipsa ædificiorum, tam priuatorum quàm publicorum, forma ac species, aliam prorsus vrbis faciem exhiberet, alioq; deinceps appellaretur nomine, iuxta præscriptum & consultum atq; decretum publicum apud Saraam & Esthaolem, in illius expeditionis initio factum.*

Vocato nomine ciuitatis Dan, iuxta vocabulum patris sui, quem genuerat Israel, quæ prius Lais dicebatur.

ANNOTATIO *hæc nihil humanum vel perpetuum, vel diuturnum valde esse posse docet, eoq; magis obnoxias mutationis periculo publicas & priuatas esse res, quo feliciores esse & securiores videri contingat; simulq; testatur, parum felicem esse eorum hominum sortem, qui suis non contenti, aliena appetunt & occupant, cùm ea res ad superbiam, superbia verò ad insolentiam, insolentia ad omne nefas animos impellat. Satis enim amplam, satisq; ad habitationis & cultus commoditatem & vsum opportunam regionem duodecim Israelitarum tribus, pro singularum ratione sortitæ fuerant; quam si cum religionis patriæ sanctitate tuerentur, nullo prorsus vitæ mortalis fructu indigerent. Verùm ex illis quidam, vbi præscriptos terrarum fines cupidè excedunt, alienis ad breue tempus potiti, nihil præstantius commodi sibi comparasse, imò magnum superstitionis malum adsciuisse demum senserunt.* Vocato nomine ciuitatis Dan. *non ex ducum, aut principali singularis, vel ex cuiusquam alterius principis, aut ministri, aut viri titulo & cognomine, sed* luxta vocabulum patris sui, quem genuerat Israel. *Namque hoc præcipuè sibi vni tribus illa vsurpauerat nomen, quod numquam in familias diuidi passa est, eo modo quo alias diuisas nouimus: ita vt vrbs hæc Dan vocitata, coloniæ deductæ ius ac nomen idem, quod cæteri Danitæ, retineret, & hoc amplius haberet prærogatiuæ, vt nulli certæ aliarum totius tribus vrbium id esset nominis ac tituli, sed cæteræ omnes tribus Dan dicerentur, illa verò tantùm Dan vocabulum vsurparet, atque extremum locum in Israelitarum finibus, imò caput ipsum, habere dictitaretur. Nam post hac deinceps, vbi de toto in vniuersum Israelitica regionis agro secundum cæli latitudinẽ mentio fieret, à Dan vsq; ad Beersebagh citari solitum legimus.* Quæ priùs Lais dicebatur. *Primum à fundationis initio nomen hoc vrbi fuisse, vocabulum* LARISONAH *declarat: hoc autem à primis cultoribus iure impositum, postea per vim & insidias occupata & incensa, vnà cum prima facie amissum, à secundis possessoribus, siue vsurpatoribus, in Dan mutatum est. Quod etiam postea, Romanis Asia & Palæstina potitis, obsoleuit, atq; in Cæsareæ nomen abiit.*

Posueruntque sibi sculptile, & Ionathã filium Gersam filij Moysi, ac filios eius sacerdotes in tribu Dan, vsque in diem captiuitatis suæ.

QVID QVID *in illius vrbis rationibus fuerit, nec proprium, nec legitimum, nec honestum contigisse animaduertimus; nec religionem, nec sacerdotium, atq; adeò nec possessionem, ac nomen aliud quàm temeritatis, cupiditatis, atq; insolentiæ, ambitionisq; humanæ initium habuisse.* Posueruntque sibi sculptile. *Optimo verbo, atq; planè ad hãc rem à pœtis vsurpato, rem interpres noster expressit. vt illud:* Posuitque immania templa. *&, Templum de marmore ponam. Exemplare vocabulum* IAKIMV, *statuere, instituere, ac dicare significat.* Sibi, *idq; mendosè. Namque quamquam sibi positum illi prædicent, numquam tamen sibi factum docere potuerunt; quippe Michæ fuerat ex sua pecunia factum. Nec hoc tantùm ausi dicuntur, sed sacerdotem à Micha initiatum, sibi, suoq; nomini adscripsisse Leuitam, illum videlicet, cuius nomen antea celatum, iam nunc indicatur, Ionathan filium Gersom filij Manasse ex tribu Leui, cum ipsius posteritate: ita vt non modò vrbem, sed cultum, & sacerdotium, & sacerdotij rationem prinato consilio & ausu vsurpauerint Danitæ. Animaduertendum verò ebiter fuerit librariorũ vitium in nostris Latinis codicibus, vbi* Moysi, pro Menasse *legimus, cùm & exemplar ipsum* MENASSE, *suspensa litera* מְנַשֶּׁה
M. non sine mysterio habeat, & Chaldaica atq; Græca versiones idem referant. Atq; nefas illud non modò in illa ciuitate constitisse, verùm ad omnem Danitarum tribum communionis contage dimanasse accusatur, vt obliti Dei patrij Danitæ etiam ij, qui antè captã Laisam suum ius ac nomen

Universidad de Deusto
Biblioteca

tenuerant, vnius vrbis per dolũ vsurpatæ accessione eò insolentiæ venerint, vt alienum ac vanum cultum proprio ac vero prætulerint. Vsque ad diem captiuitatis suæ. *Pronomen* suæ, *obscuriorem indicat relationem, quam exemplaris lectio, & Græcae tiam versio illustrant. Ex exemplari sic:* Vsque ad diem migrationis terræ. μετοικεσίας τῆς γῆς. *Nec aliud tempus adnotatio hæc indicat, quàm id quo prima Israelitarum terra sacrarum ac publicarum mutatio rerum exstitit. ea autem fuit, cùm ob incolarum culpam atq. noxam reipublicæ illius facies omnis inuersa fuit, Palæstinis præstantibus, & Israelitarum partem occidentibus, partem verò vnà cum sederis arca, quod sacrosanctum illius gentis fuerat, sacrarium abducentibus. Nec aliam interpretandi planiorem rationem rerum ac temporum ratio & series capit, nec subiunctum etiam carmen cogitari permittit. Atq. nefarij sceleris illius commemoratione & exprobratione illud à vate decantatum*

Psal 77. *legimus: Et tentauerunt, & exacerbauerunt Deum excelsum, & testimonia eius non custodierunt. Et auerterunt se, & non seruauerunt pactum:*
» *quemadmodum patres eorum, conuersi sunt in arcum prauum. In ira con-*
» *citauerunt eum in collibus suis, & in sculptilibus suis ad æmulationem eum*
» *prouocauerunt. Audiuit Deus, & spreuit, & ad nihilum redegit valde Is-*
» *rael. Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculũ suum, vbi habitauit in ho-*
» *minibus. Et tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem*
» *eorum in manus inimici. Et concluſit in gladio populum suum, & hæredi-*
» *tatem suam spreuit. Hæc itaq. tempestas captiuitatis siue migrationis terræ, dies hoc loco dicitur, eadémque apertè subiuncto declaratur versu.*

Manſitque apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo.

Fvit *autem in Silo vsque ad miserabilem exitum Sacerdotis Heli, cui inter cætera negligentiæ crimina hoc etiã vitio datur, dissimulatæ apud Danitas superstitionis, & vani cultus non abolitι. Ab eiusdem enim morte Samuelis munus & officium, authoritas & cura vigere cœpit, cuius opera & studio istud etiam scelus expiatum fuit. idem autem Samuel historiæ huius creditur scriptor, quæ inter Prophetarum monumenta, diuinaq. dicta, vt Iosuæ & Regum libri, connumeratur. Horum autem magnorum atq. pestimorum exemplorum occasionem non aliunde captatam, quàm ex legitimi atq. prouidentis rectoris defectu, ipse libri author declarauit.*

In diebus illis non erat Rex in Israel.

Qvi *si adfuisset, huiusmodi inceptorum & facinorum audaciam damnans, atque impiam iudicans, comprimeret, iustéque in auctores animaduerteret.*

CAPVT

CAPVT DECIMVMNONVM.

Fvit quidam vir Leuites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit vxorem de Bethlehem Iuda.

Ob *feminarum imprudentiam, multarum & maximarum calamitatum cùm priuatis tum publicis rebus allatam, compluribus exemplis cognouimus: ex quorum numero duo grauissima hoc in libro narrantur, ea tempestate edita, qua, qui publica facinora compesceret, apud Israelitas rector desiderabatur. Harum autem historiarum connexio propterea facta est, quòd vtraque ex Bethlehem Iudæ ortum habuit, & ad montem Ephraim pertinuit, & ex mulierum vitio vtraque ad publicam communemq. multorum perniciem dimanauit. Quantum enim mali ex Michæ matris superstitione cum Ephraitis, tum Danitis allatum fuerit, in iis quæ præcessere capitibus accepimus: nunc verò quantũ Beniaminitis, atq. adeò Israeli omni ex vnius mulieris temeritate ac leuitate accesserit, impræsentiarum docemur. Leuitis quamquam certæ quædam vrbes, habitationis causa, assignatæ erant; tamen non omnibus eodem semper loco fuit necessariò hærendum. Siquidem multa inuita accidere potuere vel commoda vel incommoda, vel aliàs opportuna negotia, quæ hunc atq. illum ex eadem gente in aliarum tribuum regiones & vrbes migrare cogerent, inter quæ & colligendarum ex cæteris tribubus decimarum, quibus Leuitæ alebantur, cura esse potuit certis quibusdam tribulibus communiter demandata. Huiusmodi quicquam acturus Leuites quidam nobilis & honestus aliàs vir, vt exemplaris lectionis verbum significat, hospitem in Ephraitici montis latere agebat, qui eodem tempore vxorem non legitimo ritu, sed* PILEGES, *hoc est, concubinæ consuetudine acceperat. de quo coniugij genere tam superiùs disseruimus, cùm de Abimelechi rebus gestis commentaremur. Hæc, quia non erat legitimo sacrata atque dicata ritu, virum, quem fastidisse videtur, deserendum duxit, atq. eorum quæ euenire possent incommodorum, vel parùm prudens, vel omnino secura atque negligens, voluntati suæ indulgere, quàm honori & officio consulere maluit.*

Quæ reliquit eum, & reuersa est in domũ patris sui in Bethlehem, manſitque apud eum quatuor mensibus.

Qvæ reliquit eum. *Verbum* THIZNAH, *hoc loco pronunciatum, argumento est, nomen* ZONAH, *non semper impudicam aut meretricem significare mulierem, sed interdum eas quæ nulli viri iugo colligatæ viuere agereq. gaudent. Nam si hæc adulterij causa à viro discessisset, reuocari non poterat, legibus & moribus id vetãtibus. Fuit itaq. discessus huiusmodi fastidio atq. temeritate mulieri gratus, quæ tamẽ nulla alia, quàm paterna, viri domum cõmutare instituit; ita vt magis iræ, quàm fraudis, sese notari pateretur.* Quatuor mensibus. *In exemplari est,* Dies quatuor menses. ita vt dies *annum non ineptè nonnulli interpretentur, cui quatuor*

Universidad de Deusto
Biblioteca

menſes additi, ſedecim conficiant. Chaldaicus paraphraſtes eam lectionem ſouet, quam verſio noſtra refert, quatuor menſium dies, hoc eſt, tot dies, quot quatuor menſibus percurruntur, quamquam non ab initio ad finem vſque menſium enumerati.

Secutusque eſt eam vir ſuus, volens reconciliari ei atque blandiri, & ſecum reducere, habens in comitatu puerũ, & duos aſinos: quæ ſuſcepit eum, & introduxit in domum patris ſui.

A dilectæ ſibi mulieris deſiderio impulſus vir, femineæ iræ atq; leuitati parcendum, & amori ſuo indulgendum ducens, omnem ad reuocandum curam opportunamq; operam impendit, vltro ipſe eam proſecutus, quæ non coacta, ſed ſponte ſua diſceſſerat; ſatis ad explendam mentẽ interualli totis illis diebus interceſſiſſe arbitratus, mollibusq; verbis, atq; mitti officio, ſuiq; præſentia leniendam & ſedandam, ac ſecum reducendam ſperans. vtq; ſtudium atq; conſilium ſuum meliùs probaret, aſſellorum par, & iuuenẽ comitem deduxit, vt honeſtiùs & liberaliùs deduceret reconciliatam, quam iratam diſceſſiſſe viderat. illa verò viro apparatuq; conſpecto, & pœnitentia, quæ iam deferueſcenti iræ ſucceſſerat, mota, & amore etiam impulſa, ſalutantem ſeſe hominem blandè excepit, atq; in paternas receptum ædes grátum veniſſe declarauit.

Quod cùm vidiſſet ſocer eius, eumque vidiſſet, occurrit ei lætus, & amplexatus eſt hominem, manſitque gener in domo ſoceri tribus diebus, comedens & bibens familiariter.

GENERI *authoritate permotus, & officio etiam vltro facto allectus ſocer, omnes pietatis, & humanitatis, atq; hoſpitalitatis partes præſtare ſatagit. non qui vel filiam retineret, quod nefas putabat; nec qui eodem loci habitare vtrumque oraret: ſed qui, quàm diu poſſet, ambos conuiuiis & lætitia exhilararet, curaretq;, quantum poſſet, & ageret, vt, quod moleſtiæ puella viro diſcedendo dederat, ipſe indulgendo compenſaret: quamobrem hoſpitij tempus apud ſe, quàm longiſſimè poſſet, producendum ſatagebat.* Comedẽs & bibens. *conuiuæ modo & more, non hoſpitis tantùm, epulo atq; vino abundè ac lautè expletus. Quo tempore & ſoceri erga ſe animum cognouit beneuolum, & à via facta nuper ſatis quietis ſibi & iumentis conceſſum duxit, & ſpatium ſeſe ac ſarcinulas ſuas præparandi vxori dedit, ac de reditu in propriam domum ſeriò egit.*

Die autem quarto de nocte conſurgens, proficiſci voluit. quem tenuit ſocer, & ait ad eum: Guſta priùs puſillũ panis, & confortа ſtomachum, & ſic proficiſcẽris. Sederuntque ſimul, ac comederunt & biberunt.

REDITVS *atque itineris certus, cùm iam de mulieris voluntate nihil dubitaret, conuiuio atque hoſpitio ſatis ſuperq; indultum exiſtimauerat.*

Nam ſunt talis quoque tædia vitæ Magna: voluptates commendat rarior vſus.

Nam nec continuis quinque diebus epulationi atq; genio vacare debet ac poteſt, quiſquis aliquid negotij aut officij ac muneris habet; nec etiam qui viam inſtituit, ſolis ortum exſpectare antequã ſua præparet, ſeſeq; accingat, cùm maximum & impeditiſſimum proficiſci volentibus primum iter eſſe ſoleat, iis præcipuè, quibus mulieres alio traducendæ ſunt, quarum grauius & importunius eſſe ſolet cum motu onus. Quamobrẽ vir ille profecturus ſummo mane conſurrexiſſe dicitur: dumq; iam ſocero valedicere vellet, interim fuiſſe retentus, dum quicquam prandet, ne inani ventre viam tenderet, ac diem duraret; quod laborantibus moleſtum ducitur. Verùm dum prãdium producitur, & vini atque ſermonũ prolixitate tempus luditur, intempeſtiuior iam cupiente adhuc detinere ſocero viſa hora eſt, ad primum iter certo, commodo, & opportuno loco abſoluendum.

Dixitque pater puellæ ad generum ſuum: Quæſo te vt hodie hîc maneas, pariterque lætemur. At ille cõſurgens cœpit velle proficiſci, & nihilominus obnixè eum ſocer tenuit, & apud ſe fecit manere. Mane autem facto, parabat Leuites iter. Cui ſocer rurſum, Obſecro, inquit, vt paululum cibi capias, & aſſumptis viribus, donec increſcat dies, poſtea proficiſcaris. Comederunt ergo ſimul. Surrexitque adoleſcens, vt pergeret cum vxore ſua & puero. Cui rurſum locutus eſt ſocer, Cõſidera quòd dies ad occaſum decliuior ſit, & propinquat ad veſperum: mane apud me etiam hodie, & duc lætum diem, & cras proficiſcẽris vt vadas in domum tuam.

NON *adeò propriis affectionibus indulgendum eſt, vt amicorum commodis non conſulatur in primis. Namque rerum omnium agendarum ſuæ cuiuſq; tempora, ſuæq; opportunitates ſunt, quæ negligere aut prætermittere calamitoſum fuerit. Dies ipſe hominibus ad agendum cõceſſus, cuius rationibus & momentis vitæ munia metiri oportuerit. S. S. E. Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox: in ipſa pertranſibũt omnes beſtiæ ſiluæ. Catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi. Ortus eſt ſol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad noctem. Itineris ratio ita ſubducta fuerat Leuitæ, vt ex Bethlehem tempeſtiuè, hoc eſt, ad diluculum profecto, ſatis longa conſtaret dies, quoad Ephraim vſque montium latera deueniretur. quamobrem illi cura ſemper erat ſummo mane ſurgẽdi, ac ſeſe ad viam parandi: ſed ſoceri officio & ſtudio cõcedendi animus facilè retineri patiebatur, ne rogãti cenſeretur aſperior.* Nil moror officium quod me grauat, *ait poëta.* & Sedulitas autem ſtultè quem diligit vrget. *ita ſocer, dũ genero ſeduluus eſſe contendit, impedimento eſt ad profectionem: adeoq; imprudenter vterq; agit, vt nec ille tempeſtiuè illũ diſcedere ſinat, nec hic opportunè re-*

Pſalm. 103.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tinentem demum audiat. Nam quinta die, cùm itidem ad prandium retentus, diutiùs, quàm oportuerat, accubuisset, & inter vina temporis falleretur horis, moræ demum pertæsus, repentè consurgit, intempestiuè atq; obstinatè viam capessiturus, quã tamen socer, siue amicitia, siue prudentia, siue vtroq; commotus, quàm studiosissimè deprecatur, argumentis à necessitate & vtilitate petitis. Altero, quòd non satis superesset horæ ad iter, quò intẽderat, peragendum, essetq; necessariò in via alicubi pernoctandum. Altero vero, quod nullibi commodiùs & gratiùs duci nox illis posset, quàm domi suæ, vbi nihil præter hilaritatem & quietem curandum esset, præstareq; vno integro itinere viam absoluere, atque proxima nocte securos intra proprias ædes agere, & consueto requiescere lecto, quàm, partitis itineribus, noctem vnam integram interponere, atque ita laborem, & curam, molestiamq; ingratè augere, maximè cùm vitare integrum esset. Considera quòd dies ad occasum decliuior sit. *Eorum animalium omnium, quæ interdiu exercentur, & vires & spiritus à meridie remitti solẽt; cumq; declinante sole paulatim lentescere, atque ita minus & viæ & operis à prandio ad occasum, quàm ab ortu ad prandium conficitur, minùs etiam animus ad agẽdum intenditur. id significare volens Leuitæ socer, dum & filiæ amori indulget, & generi labori parcere studet, horam indicat importunam, verbo proprio vsus, quod hanc, quam indicauimus, rationem ex consequenti arguit.* Cui rursum locutus est socer. *In exemplari vtraq; affinitas κατὰ τὸ πάθος exprimitur:* Et dixit illi socer suus, pater puellæ. *vt cui vtriusq; commoda & incommoda curæ non mediocri erant.* Considera quòd, *&c.* Ecce quæso remissus est dies ad occidendum. *Iam diei impetus lentescit, & horarum opportunitas decreuit.* Mane apud me etiam hodie. *Necessariè enim tibi alicubi hac nocte manendum est, nullibi autẽ quàm apud me commodiùs, apud quem, præterquam vobis indulgendi, & gratam requiem denandi, nulla supereſt cura.* Et eras proficiscẽris, vt vadas in domum tuam. *Id hoc modo dixit, quòd non longior à Bethlehem ad illius domum vsque, quàm vnius itineris via constaret: cõmodissimum autem erat, socerum, hoc est, penè dicam propria domo profectum, eadem die proprium ad larem venire citra vllam interceptæ noctis molestiam. id autem facilè & aptè fieri posse, postridie summo mane proficiscenti. ideoq; in exemplari legimus:* Et consurgetis diluculo eras ad viam vestram, & ibis in tentorium tuum. *Ita peragetis viam, vt in vestrum tentorium tempestiuè deueniatur. id quod conficere hodie potestis minimè.*

Noluit gener acquiescere sermonibus eius, sed statim perrexit, & venit contra Iebus, quæ altero nomine vocatur Ierusalem, ducens secum duos asinos onustos, & concubinam.

LONGIORIS *fortasse in loco hæsionis tædio affectus, ac propriæ domus reuisendæ, puellæq; reducendæ cupiditate, aut alio simili consilio impulsus,*

sus, eadem illa nocte ibidem pernoctare recusauit, & quamquam deprecanti socero, tamen valedixit, viamq; capessiuit. Acquiescere sermonibus eius. *quibus proximam noctem apud se manere rogabatur. namque hæc sermonum summa fuit, quam verbum* LALVN *apertè explicat.* Contra Iebus, quæ altero nomine. *Tota regio illa Iebusæorũ fuerat, ex illorumq; nomine Iebusæa dicta quondam, cuius prima ac regia vrbs ob situs altitudinem* Ierusalem *cognominata, ab aliaq; distincta, quæ sine adiuncto aliquo Salem fuit appellata: de quibus in sacro Apparatu scripsimus. Eadem vero Ierusalem ab antiquo habitatore, qui nondum per Beniaminitas fuerat eiectus, Iebus nomen tenebat. namque ager ille omnis Beniamini tribui sorte cesserat. In illum agrum, imo in illius vrbis atq; gentis proximum tractum ante solis occasum Leuita deuenerat, adeò vt facilè atque breui diuertere eodem posset.* Ducens secum duos asinos. *Ratio significãter exponitur tum tardi itineris, tum etiam deliberationis proximo versu explicandæ. Expeditis enim atque altiùs præcinctis longè maior viæ pars pari tempore confici potuit, at verò iumenta agenti, eademq; sarcinulis onusta, ac puellam iuuenem atque teneriorem, non ancillam, sed charam sibi, id est,* PILEGESSO, *ducenti lentiùs incedendum necessariò fuit, parcendumq; huius insueto & asellorum nimio labori.*

Iamque aderant iuxta Iebus, & dies mutabatur in noctem, dixitq; puer ad dominum suum: Veni obsecro, declinemus ad vrbem Iebusæorum, & maneamus in ea.

NOCTVRNVM *tempus cùm labori operiq; omni, quod extra domum initur, importunum incommodumq; censetur, tum itineri faciendo incommodissimum, ac plerumque non tutum: iisq; maximè, quibus & regio & via ignota est: quamobrem diei noctiq; vicissitudo hominis operibus quietem leniendis ac temperandis diuinæ prouidentiæ munere constitit. S. S. E. Po-* Psalm. 103. *suisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ siluæ. » Catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi. Ortus est » sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur. Exibit homo ad » opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam. Quàm magnificata » sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti. Prior autem iuuenis de » diuertendo, deq; petendo ad quietem proximo loco herũ monuit, vt qui propter ætatem timidior, ac propter itineris & onerum regendorum, atq; mulieris importunitatem vectionemq; fessior esse potuit: tum etiam quòd huiusmodi famulis, dum modò cibo ac victu prouisum fuerit, serùs an citiùs peragatur via, minùs curari consueuit: imò quo breuius, eo gratius ducatur iter. religionis verò in rebus agendis ratio his minùs exacta, quàm viris ac dominis habeatur, præsertim initiatis ac sacris, qualis Leuites hic erat; cui, quod in speciem honestius ac tutius videbatur, optanti, tamen propter malitiam hominum infeliciter succesit. Iebus illa tempestate dicebatur Ierusalem,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

lem, atque regio omnis illi vrbi quondam vicina, quam Iudæ ac Beniamini tribus post Iosue mortem bello ceperant, vnicis Ierosolymis exceptis. S.S.E.

Iudic. 1. Iebusæum autem habitatorem Ierusalem non deleuerunt filij Beniamin:
» habitauitq; Iebusæus cũ filiis Beniamin in Ierusalem vsque ad præsentem
» diem. Ex quo apparet, regionem illam omnem & Ierusalem & Iebus fuisse appellatam. namq; intra ipsa Ierosolymorum mœnia nulli hoc tẽpore Beniaminitæ consederant. Nec verò historia hæc iis, quæ antè recensita sunt, narrationibus temporum ordine ac serie contexitur, sed opportunè hoc loco post Michæ exemplum ponitur, quòd vtrumque inter Iosue Ducis & Regum initia quasi interregno quodam exsliterit, vtrumque Bethlehemo in Ephrattas per Leuitem apportatum fuerit, & magnam Israelitarũ publicæ rei attulerit calamitatem. Antè ergo quàm de Regibus inchoaretur historia, quid nam publicè actum fuerit, dum Regibus aut vindicibus populus carebat, ad posteritatis exemplum literarum monumentis mandatum Spiritus voluit sanctus: vt quid nam & quantum incommodi rectoribus destitutæ respub. patiantur, quantum licentiæ, tum in religione & in moribus, ad perniciem vsque grassari soleat, notetur. Nam dum homo, homo tantùm est, id est, dum Spiritu Dei non agitur, nisi iudiciorum, & legum, atque potentiorum authoritate & metu cõpescatur, ad libertatem cogitationis primùm declinans, paulatim ad impudentiam, ac demum ad intolerandam prorumpit licentiã. Puero in Iebusæorũ vrbe proxima cẽsebatur manendũ, vbi profectò minus iniuriæ fuisset acceptum, vtpote populo sub principũ ac ducum potestate gubernata, & ideo legibus parente suis, atq; ex consequenti melius atque innocentius agente, quàm ij, quibus nullus esset rector. Nam nisi Iebusæus & pacis & belli disciplinam teneret, tam vicinus hosti consistere ac durare potuisset minimè.

Cui respondit dominus: Non ingrediar oppidum gentis alienæ, quæ non est de filiis Israel, sed transibo vsque in Gabaa.

In communi hominum consuetudine nihil incommodius experiri est, quàm generalis & nulla exceptione temperata censura, siue ea in odium, siue in gratiam, siue in ministeriorum ratione, siue aliàs quacumque re statuatur: fereq; omnes antiquas ac nostri etiam seculi Respublicas quascumque labefactatas nouimus, ex eo detrimentum primum accepisse obseruauimus, quòd tum de ordinibus, tum etiam de conditionibus hominum, non ex delectu, sed ex genere ipso omni decretum fuerit: Omnes nobiles ad rerum administrationem aptos admittendosq;, nullum ex ima plebe, nullum ex hospitibus, ex aduenis nullum, ex illo, vel illo ordine, ex illo sanguine, ex illa vel illa disciplina nullum, ex illis vel illis cunctos. Hæc ita existimare ineptum, ita verò statuere, atque instituto & more defendere, iniustum, ac tandem exitiale deprehensum. Mendaces filij hominum in stateris suis, vt decipiant ipsi de
Psal. 61. » vanitate in idipsum. Quamobrem iustè, quod iustũ est, persequèris, diuini Spi-

ni Spiritus & oraculi doctrina est. Atq; Leuites hic, vel gentium aliarum odio ad fastũ vsque concepto, vel singulari nimis nominis ac sanguinis proprij professione, vel vnius noctis commodum hospitium apud Iebusæos vel horruit, vel certè recusauit, eiusmodi omnem illum existimans populũ, apud quem diuersari minùs tutum, aut pro sui ordinis dignitate minùs decorum putaret: cùm tamen nullus locus adeò inhumanis, adeò feris moribus infamis sit, in quo peregrinantium atque hospitum ratio non habeatur, maximè si ex vrbium & frequentiorũ oppidorum sit numero, qualis Ierusalẽ erat, ciuitas regia, & suis legibus atque institutis gubernata, cuius commoditas natura sua pagis, & vicis, & minoribus oppidulis potior videda fuit. Nam si vspiam insolentia, & inciuilitas, inhospitalitasq; viget, inter paganos & montanos maximè: inter vrbanos verò ac ciuiles homines numquã desuere aliqui, qui, tametsi non eandem religionem obseruent, humanitatẽ tamen colant & exerceant, exterisq;, vt Paulus Lucasq; testati sunt, exhibeãt id, quod nos nostris in peregrinationibus mari ac terra obitis, sæpiùs ad remotas etiam gentes, fuimus experti: atque in Hiberniæ portubus & frequentioribus vrbibus præcipuè, quò ne appelleremus, nautæ & comites vehementer verebantur, obnixeq; contendebant. Gentis alienæ, quæ non est de filiis Israel. Quamquam enim in Beniaminitarum & Iudæ sortem incidissent Ierosolymi, nondũ tamen illis in possessionem vsumq; cõcesserant. Omnes itaque alienæ gentis homines, vel consuetudine breui vnius noctis hospitij indignos sibi duxit, vel omnes metuit: nullos verò Israelis filios, quocunq; loco & modo agentes, horruit, nullos non est dignatus: vtraque verò sententia deceptum res ipsa exitusq; prodidit, & planè docuit, homines non ex generis aut sanguinis nomine, sed ex moribus censendos esse: simpliciùs certè ac tutiùs puer monuerat pro tẽporis, loci, & sua ipsorum ratione. Nam cum iuuene, & venustæ formæ muliere, ad frequentem vrbem, quàm ad paruum oppidũ diuertere, cõsultius multo fuisset. Vicit tamen heri sententia.

Transibo vsque Gabaa: & cùm illuc peruenero, manebimus in ea, aut certè in vrbe Rama.

Duo oppida erant in Iebusæorum terra à Beniaminitis occupata: alterum in accliui colle, cui ex situ Gibgha nomen fuit, Hispane Cuesta, siue Costera: alterum in montis cacumine ex loco Rama dictum, quod culmen Latinè dici possit. Hispanis in Bethica duo oppida sunt, Cumbres majores, y Cumbres menores. Ita etiam plura loca apud Israelitas Rama & Gibgha vocitata. Itaq; vnum ex his Beniaminitarum oppidis petendum sibi decreuit, & comiti persuasit Leuites: vtrum nam, incertum, sed ex lucis tempore & opportunitate statuendum.

Transierunt ergo Iebus, & certum carpebant iter: occubuitq; eis sol iuxta Gabaa, quæ est in tribu Beniamin.

Occvbvit eis sol. Lucis ac diei horæ, quæ secundùm naturæ dimen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

fionem fiunt, suos certos singulis in locis cursus ac terminos habent: verùm eædem ad hominum operas relatæ, varios sortiuntur exitus; breuiores illis, longiores his visæ, pro operis celeritate vel tarditate, proq; incepti ratione. Ideoq; alia aliis videntur breuiora, aliis verò longiora itinera, vel operum pensa. Sol quidem suo tempore occasum petit, pro ratione horarum anni, ac pro regionis modo: illis verò intempestiuius vlteriùs peruenire cupientibus, nempe iuxta Gabgha Bẽiamin. Hispanicè, Al paraje de la cuesta de Beniamin. ita vt ad Ramathan nõ nisi noctu peruenire possent; quod etiam consultius fuisset, vtpote locum frequentiorem, atq; ideo cultiorem & ciuiliorum hominum consuetudinem experturis.

Diuerteruntque ad eam, vt manerent ibi. Quo cùm intrassent, sedebant in platea ciuitatis, & nullus eos recipere voluit hospitio.

IAM *primùm non inciuilem tãtùm, sed agrestem inhumanumq; locum arguit communis illa & publica incolarum omnium negligẽtia ac durities animi, qui officij ac pietatis omnis immemores, honestum in speciem virum, & cultu atque habitu non sordidum, ac fortassis Leuiticis insignibus commendatum, cum vxore iuuenè satisq; ornata, & puero comite atq; inmẽtis, quæ omnia conditionis honestatem præferebant; tamen omni hospitij vel leuissima commoditate priuatum manere passi sunt, non solùm cibo & potu vnius noctis, verùm etiam tecto ad securitatem, atque noctis intemperiem vitandam negato; quod vnum vel à pauperrimo quoque præstari potuerat, vbi nulli etiam ditiores essent, nulli qui aliquando peregrinati idem beneficij apud alios accepissent. turpe sanè & infame peccatum, atque ab illa antiquorum patrum Abrahami, Isaaci, Israelis, & Lothi, atque adeò Raguelis Madianitæ comitate & humanitate prorsus alienum, quorũ non in notos, vicinos, & cognatos, verùm in ignotos hospitalitatis exempla celeberrima exstiterant, atq; illis non ignorata oportuit. notanter verò indicatus est locus,* In platea, *publica nimirum ac frequenti, vbi nemo peregrinos sibi non visos excusare potuit, vti ad inferendam iniuriam nemo sibi visos dissimulauit postea.* Nullus recipere eos voluit hospitio. *Hospitij nomen Latinum maiora & minora hospitalitatis complectitur officia. Id verò quod in exemplari lingua legitur, minimam hospitalis commoditatis partem tantùm denotat, tecti videlicet opportunitatem & copiam, ad noctium metum & incommoda vitanda: nam de cibo, de iumẽtorum pabulis, de aliis omnino nihil vel his postulabatur, vel illis cogitabatur, etiam tectum, quò succederetur, non concedentibus. Quid inhumanius, quid rusticius notari posset, quamquam nulla præterea addita fuisset iniuria? Huiusmodi leuissimam & facillimam hospitij incommoditatem, tamquam inhumani animi iudicem, Troiani hospites apud Reginam Carthaginensibus obijciebant:*

Aeneid. 1. Quod genus hoc hominum? quæve hunc tam barbara morem
Permittit patria? hospitio prohibemur arenæ.

Nec

Nec illud apud Satyricum inhumanitatis erga probum ac doctum virum adnotatum exemplum dissimile est:

——— vltimus autem
Ærumnæ cumulus, quòd nudum & frustra rogantem
Nemo cibo, nemo hospitio, tectoque iuuabit. Iuuenal. Sat.

Quippe vt hospitalitas quondam non solùm bonis viris laudata, sed multis etiam nobilibus ac præcipuis vrbibus & locis magno decori habita, & studiosè curata exercitaq;, atque inter primas humanitatis pietatisq; partes commendata fuit: ita rursus inhospitalis nomen & inuidiam, & opprobrium æternum cum ignominia certis peperit regionibus: vnde inhospitalem Caucasum poëta dixit. Alterq; etiam minus tutis maris tractibus & sinubus, huiusmodi epithetũ attribuit, inhospita Syrtis. Hospitem itaque sui generis honestum ac minimè grauem futurum, & præmodestia nemini se ingerentem, sed incolarum benignitatis exspectantem exempla, in medio foro hærentem, nemo tamen vel tecto iuuasse dicitur: quare omnes vel hoc primùm rusticitatis & crudelitatis flagitio notandi fuere.

Et ecce apparuit homo senex, reuertens de agro, & de opere suo vesperi, qui & ipse de monte erat Ephraim, & peregrinus habitabat in Gabaa. Homines autẽ regionis illius erant filij Iemini.

MVLTA *hic obseruanda commemorat historia, vt, quantum homo homini præstet, legendo æstimetur. Conditio, ætas, munus, patria, tempus, quorum opposita prorsus rationem & cogitationem loci incolis tributum iri consequitur. Homo, siue, vt exemplar significat, vir animo ac mente virtutis compos, idemq; senex, ætatis prudentia, & rerum ac temporum vsu valẽs, & humanitatis exemplis tam antea instructus, idemq; non otio aut segnitie torpens, non luxu effluens, & effrenis, verùm operi diurno assuetus, & labori intentus adeò, vt, quamquam senex, tamen seriùs domum rediret, vesperi, cùm illa eadem hora iam loci incolæ in oppido essent, omnêsque in platea hospitem & vidissent, & non modò neglectum reliquissent, sed malamente, maloq; animo adnotassent, concepto, quod postea peragere contenderunt, facinore. illud quoque obseruandum, Illos incolas omnes, atque ideo pluribus & maioribus tum domorum, tum rerum commoditatibus præditos, & minori incommoda hospitem excipere ac fouere valentes: hunc verò peregrinum & montanum hominem, qui non in oppidis educatus vixerat, sed in monte Ephraim, & huc ex patria migrauerat, vbi suo labore magis quam prædij proprij fructibus alebatur, verùm meliore disciplina imbutus, moribusq; assuetus & humanis & pijs, idemq; solus in oppido tali ingenio & animo præditus, cùm cæteri omnes oppidani, quibus dissimilis prorsus fuerat mens,* Filij Iemini. *quod ad genus attinet, Israelitæ omnes, vt senex hic, & hospes ille: quod verò ad studiũ, & mores, consuetudinemq; vitæ, vt omnes familiæ Ieminitarum posteri, ita nequitia, & vitio, & prauorum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

amore consimiles, ac velut vnico ex partu nati, ex quibus nemo illa rusticitatis nota exceptus fuit. Superiùs, Nullus eos recipere voluit hospitio. *nullus ex iis, quorum proprium erat oppidum, qui omnes Beniaminitæ erãt; quorũ notã senex hic non modò nõ deleuit, aut defendit officio faciẽdo, sed magis etiã arguit, vtpote senex, hospes, aliena ex tribu, nec, perinde atq; incolæ, domo & re instructus; qui si neglexisset, forsitã, vt alij, minori obnoxium culpæ apud homines sese ostendere posset: rursusq; meliore ac fortiore animo, qui non modo beneficium hospiti conferre studuit, sed inuidiã etiam improborũ ciuium neglexit. nam vero simillimũ est, istos istis moribus ægrè laturos, hospitẽ cura & mente rusticitatẽ contrario ipsis exẽplo vel tacitè arguentẽ. Nam de facinore, quod postea editum est, hospes homo ne suspicari quidem debuit, qui quamuis nonnullorũ ex incolis, quibus consueuerat, mores & ingenium fortasse minùs probasset, omnes tamen communiter ac pariter improbos, cunctumq; populũ, nemine excepto, flagitiosum existimare non posset, nisi ipsi se tales prodidissent. Monstra enim per simile est, ac detestandi, prodigiosi, ac diuina eademq; grauissima vltione digni exempli, totum populum eodem inferendæ aliis iniuriæ & contumeliæ faciendæ studio delectari, adeò vt Deo ipsi, tamquam rarissimum & inauditum, huiusmodi publicam nequitiã diligenter ac singulari inquisitione examinandam susciperi sacra oracula narrent; vt in quinque illarum ciuitatum videmus historia, vbi Deus, non contentus querela publica, rem ipsam examinaturus descendisse, ac inquisitionis suæ diligentiam cum Abrahamo communicasse*

Genes. 18. *scribitur. Dixitq; Deus: Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam, & videbo vtrùm clamorem, qui venerit ad me, opere compleuerint; an non est ita, vt sciam. ita ille sapienter adnotauit:*

Iuu. Sat. 15. Nam scelus à Pyrrha, quamquam omnia syrmata voluas,
Nullus apud tragicos populus facit.

Illud verò Sodomorum scelus, vnà cum consecuto supplicio, omnibus etiam barbaris & à vera religione alienis nationibus notũ ac formidatum oportuit, nedum istis Gibghæ incolis, qui omnes Israelitæ erant, & Beniamitæ omnes; ideoq; non solùm ex huiusmodi flagitij imitatione, sed vel ex vna inhospitalis animi rusticitate, & probrum & pœnam commeruissent.

Eleuatisque oculis, vidit senex sedentem hominẽ cum sarcinulis suis in platea ciuitatis: & dixit ad eũ, Vnde venis? & quò vadis?

VEL *ipsa singulorum verborum significatio mentem, pietatem, humanitatem viri legentibus probat. Nemo enim in publica & frequenti platea fuerat, qui hominem vel eò appellentem, vel appulsum, non conspexisset: verùm omnes videre se dissimulabant, aut limis adspicientes, aut conspectum negligentes; nedum verbo vel salutantes, vel rogantes, aut alio pacto adeuntes. At verò senex, quamquã aliud tunc ageret, hoc est, nõ in platea hæreret, sed*

rectà domum ab opere lassus tenderet; oculos tamen eleuasse, id est, attentè atque studiosè considerasse, & hominem viatorem obseruasse dicitur. Iam illa prima officij & pars, & laus fuit, eleuasse oculos; & huic proxima, Virum viatorem, *vt Hebraica lectio, & Chaldaica & Græca versiones habent, contemplatum ac miseratum fuisse: vtpote & hunc senem, & propter ætatis vsum cæteris prudentiorem, ac propter peregrinationis experimentum quoque humanitatis magis cultorem, nihilq; humanum à se alienum putantem, & meliùs etiam, qualis sit peregrinorum in alieno loco animus, & lege, & periculo suo edoctum. Aduenam non contristabis, neque* Exod. 22. *affliges eum: aduenæ enim ipsi fuistis in terra Ægypti. & rursus: Peregri-* 〃 *no molestus non eris: scitis enim aduenarum animas, quia & ipsi peregri-* Ibid. 23. *ni fuistis in terra Ægypti. & vt illa etiam de se profitebatur:* 〃

Me quoque per multos similis fortuna labores Æneid. 1.
Iactatam, hac demum voluit consistere terra.
Non ignara mali, miseris succurrere disco.

Quòd si in aduenas etiam, alienæq; gentis homines, tam mitẽ animum & humanos mores lex esse voluit; quid nam erga eiusdem generis & sanguinis hospites cogitandum agendumq; censeri oportuit? quamobrem senex ille & pius, & prudens, hominem, vt opportuno officio & hospitio, si opus fuerit, foueat, rogare cœpit: Vnde venis? & quò vadis? *in exemplari interrogatio transposita est:* Quò vadis? & vnde venis? *Prius quærit, vt sciat, an eò tantùm, vbi erat, contendisset; an aliò inde eodem vesperi pergere cogitaret, quò per temporis breuitatem peruenire posset; aliàs hospitium vltrò illi oblaturus.* Vnde venis? *vt ex factæ iam viæ spatio tempus etiam cognosceret ad pergendum vlteriùs opportunum, vel importunum; atq; ita re cognita, officij rationem commodiùs deliberaret. De conditione verò, munere, officioq; hominis, ne verbum quidẽ interrogando fecit: nam ea, quæ rogauerat, ad humanitatis causam satis erant, quæ sibi cum primis curæ fuerat. Cætera verò omnia ad curiositatem pertinerent, cuius studio viri boni minimùm delectantur, ac seniores præsertim, quibus ætas & curiositatis, & admirationis laborem imminuit. Hanc verò interrogationem hominis habitus ac situs excitauit, qui in platea nondum conquieuerat, sed adhuc onustis iumentis, & muliere ac puero stantibus, hærebat; ita vt vel quempiam vel quippiam exspectare & attendere videretur; & an manere, an aliò tendere pararet, huic, qui rogabat, fieret incertum.*

Qui respondit ei, Profecti sumus de Bethlehem Iuda, & pergimus ad locum nostrum, qui est in latere montis Ephraim, vnde ieramus in Bethlehem: & nunc vadimus ad domum Domini, nullusque sub tectum suum nos vult recipere, habentes paleas & fœnum in asinorum pabulum, & panem ac vinum in meos & ancillæ tuæ vsus, & pueri qui mecum est: nulla re indigemus, nisi hospitio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DVO *tantùm rogatus, Quò vadis, & vnde venis? plura etiam respondendo reddit, quæ ad suspicionem de se omnem tollendam, & quæ ad auditorum animos à rusticitate ad humanitatem, ac potiùs pietatem, traducendos facere, & egestatis præsentis nunc suæ facilitatem ostendere posse arbitrabatur. Principiò se suosq; non incerta vagatione agi significat, certum indicans locum vnde fuerit profectus.* Profecti sumus ex Bethlehem Iuda. *in exemplari lingua & phrasi:* Transeuntes nos de Bethlehem Iehuda vsque ad latera mõtis Ephraim, vnde ego. *Non ex magno itinere se huc deuenisse, sed non longè hinc profectum illac viam facere ad vicinæ tribus oppida; nempe ad Ephraim montis latera, apud quam tribum ipse erat ortus, indeq; non ita pridem suarum rerum causa discesserat: ita vt simul ex patriæ & vicinia personæ conditionisq; suæ honestatem commendaret, & via faciendæ necessitatem, magis quàm libidinem, aut vagationis amorem, causam fuisse indicaret.* Vnde ieramus in Bethlehem. *in exemplari se solum iuisse innuit*, Et iui vsque ad Bethlehem Iehuda. *Inde verò mulierem deductam vxorem sibi significare voluit. atq; ita se, illam, puerumq; suum, & vicinos esse, & facilè cognosci posse, subindicabat. Causam verò quamobrem, cùm aliâ iter facere potuisset, hâc potissimùm faceret, postremam exposuit: cuius mentione se commendatiorem fore, & pietatis ac religionis nomine libentiùs exceptum iri putauit.* Et nunc vadimus ad domum Domini. *Quæ cùm illo tempore esset in Silo, viam illac institutam & breuiorem & commodiorem probabat. Hoc significauit interpres vocibus illis,* Et nunc. *quòd nunc huc diuerterim, inde est, quòd ex Bethlehem profectus, ea re, cuius causa eò veneram, iam peracta, decreuerim Domini domum visere, indeq; nostram lætior deuentre, post supplicationem ad sacrum Dei puluinar factam. Hæc res & ratio non solùm mouere, sed pietatis nomine singulos ad hospitij beneficium homini vltrò exhibendum impellere debuit, ac potuit. Quippe omnium gentium moribus antiquum fuit, huiusmodi peregrinos, etiam ignotos, etiam vagos, qui religiosa ac sacra loca peti sibi profiterentur, humanitatis officijs, atq; hospitiorum, vel priuatorum, vel publicorum commoditate & copia iuuare: nedum hunc vicinum ac ferè notum & sanguinis necessitudine coniunctum, honestatem ipso habitu, gestu, comitatu, & vehiculis præferentem, mulieremq; secum vxorem deducentem, propriam domum repetentem, atq; beneficij memoriam confirmaturũ, gratiam habiturum, &, vbi occasio postulasset, redditurum, omni honore & commodo excipi, affici, exhilarari, & lætum dimitti oportuit: quod vnius noctis hospitio vel à pauperrimo quoque præstari potuisset, nõ à diuitibus modò: omitti verò ac negligi, cùm pauperibus, tum etiam ditioribus, inciuile, inhumanum, turpe, atq; oppido ipsi probrosum, maximè verò cùm ipse præter tecti, quò succederet, copiam, nihil egere se prædiceret, nihil posceret, atq; ita minimè grauem hospitem se profiteretur fore: quem vel ad confabulandi commoditatem & gratiã quiuis domum suam ducere meritò expetiisset, &*

& contendisset. Habentes paleas & fœnum. *A minima & vilissima re incipiens, nulla re alia quàm tecto facili indigere ostendit: à paleis, inquam, quæ, quocumque habitato loco, facillimè reperiri & comparari, vel à rustico quouis præberi vltro solent. Tamen has sibi non deesse ait, vtpote qui vel hanc curam nemini imponere decreuisset, nedum pabuli iumentis præbendi, vel cibi ac potus præstandi sibi ac suis.* Fœnum MITSPO. *omne pabulum iumentis opportunum significat, vt hordeum, auenam, spelta: nam generale nomen est, quale apud Italos,* La biada. Panem & vinum. *Panis proprius, ac singularis, præcipuusq; hominis victus habetur. S.S. E. Panis cor hominis confirmat. vinum autem ad vitam non est necessarium. Nam, vt Sapiens ait, Initium, siue quod satis est vitæ hominis, panis, & aqua, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem. Melior est victus pauperis sub tegmine asserum, quàm epulæ splẽdidæ in peregre sine domicilio. Vinum ad iucunditatem, & molestiæ in via leuamen, atq; ad comites exhilarandos, vinum adhiberi solet iis, qui elegantius ac suauius iter agere volũt. Vinum enim, vel Psalte celebrante, cor hominis lætificat: cum pane iunctum omnis alterius cibi inopiam & desiderium lenit. vnde prouerbio locus apud Hispanos ditus:* Pan y vino anda el camino. *Hoc autem nõ sibi solùm, sed vxori, sed famulo etiam abundè prouisum refert hospes; atq; vrbano, & ciuili, modesto gratoq; auditori sermone exprimit in illa lingua inter honestos homines frequente atq; decente:* In meos & ancillæ tuæ vsus, & pueri qui mecum est. *Ex verbo ita hæc explicantur*, Est mihi & ancillæ tuæ, & puero, cum seruo tuo. *Quo tropo non modò ciuilitatem probat, sed se & illos, cum iis quæ habet omnibus, illi impartiri velle, & in vsum atq; obsequium paratos, vltrò pronunciat. Habeo, inquit, quod satis superq; sit nobis, & quod tibi ac tuis, vnà cum meo & vxoris obsequio libenter offeram: ac præter hæc, quæ dixi, nec vestis stragula, nec opportunum aut commodum quod esse possit, quidquam deest.* Nulla re indigemus. *In exemplari,* Non defectus rei omnis. *Illud verò,* Nisi hospitio *ex re ipsa, & præcedẽti oratione adiunctum est. Quis nam hominum talem virum, tam humanũ, modestum, ciuilem, liberalem, & elegantem, vel multorum dierum, nedũ noctis vnius, non optaret expeteretq; hospitem? quis nam reiceret? quis auersaretur? quis dissimulando declinaret? cùm & antiquissimũ ac laudatissimum fuerit, hospites etiam remotæ longeq; sepositæ regionis, & domum inducere, & diligentissimè fouere, nudos & inopes reficere, atque adèo secedentes non tantùm viatico prosequi, sed magnis etiam ac pretiosis donis onustos dimittere: quam humanitatis partem frequenter Homerus inter bonorum virorum præcipuas Laudes plenè & eleganter commendat: sed & noui ac veteris Testamentorum huiusmodi officij plenæ omnino paginæ leguntur. hoc verò in exemplo, non humanitas modò, sed pietas, sed aquitas, sed religio agebatur.*

Psal. 103. Eccli. 29.

Cui

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cui respondit senex, Pax tecum sit: ego præbebo omnia quæ necessaria sunt: tantùm quæso ne in platea maneas.

BENIGNÆ *postulationi, atque æquæ iustæq., humanum, benignum, prudens, honestum, decorum, ac planè bono sene dignum responsum redditum, officioq. confirmatum est. Atqui hominum inhospitalium rusticitas & inhumanitas, illaq. obstinata vel cessatio, vel dissimulatio, non suspicionem tãtùm, verùm etiam metum iniuriæ, aut improbitatis aliàs cuiuspiam, Leuitæ fecisse videbatur; quod vel querela illa, siue admiratio indicabat:* Nullusq; sub tectum suum nos vult recipere. *Huiusmodi verò suspicionem tollere, in securitatemq. mutare bonus vir senex primùm studens, salutatione præmissa, hospitij officium omne vltro offert, &, ratione etiã adiuncta, accipere beneficium persuadet.* Pax tecum. *verbum* SALOM, *quidquid boni, fausti, atq; secundi postulari potest, significat, ac plus etiam valet, quàm Latinæ illæ voces pariter coniunctæ, pulchrè, bene, rectè. Namq; & animum quoque securum esse iubet, & confidenter agere. quod salutationis & sermonis officium aliquo pacto violasse, extremè flagitiosum ducitur. id quod ex Psaltis accusatione & criminatione cognoscimus: Nam si*

Psal. 54. » *inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtiq;. Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui dulces mecum capiebas cibos: in domo*

Psal. 40. » *Dei ambulauimus cum consensu. Etenim homo pacis meæ, in quo sperauit:*

» *qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Et illud:*

Psal. 34. » *Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur, & in iracundia terræ dolos*

» *cogitabant. Cuiusmodi exemplum, vt prodigiosum ac mõstrosum planè, humana ipsa detestatur fides. Igitur securum esse iubet hospitem senex illo exordio,* Pax tecum. *Quod de hominũ vereri potes rusticitate, à me vt alienum ducas, pacem tibi vltro offero, quam pro viribus tecum prosequar, & tu certam experiere apud me, si manere volueris; ac præterea, vt ex re etiam animum cognoscas, nihil tibi defuturum polliceor: quamquam tu nihil tibi deesse dicas, tamen id non tuæ, sed meæ curæ esse volo, hoc est, prouidere & suppeditare quidquid opus tibi erit.* Ego præbebo omnia quæ necessaria sunt. *sua in lingua:* Tantùm omnis defectus tibi super me, tantùm in platea non pernoctes. *Summa ciuilitate & modestia officium extenuat suum, eademq. opera animum studiumq. commendat proprium. hac sententia: Quod tibi nihil deesse ad pabulum, ad cibum, & potum ais, eo libentiùs meo hospitio vti potes, quamquam modico aut paruo, iuxta familiaris rei tenuitatem: tamen si quid tibi deerit, id mihi curatum volo: nec plura nũc promitto, ea tantùm pauca, quibus præterea quæ contingunt, opus fuerit. quod si nihil aliud mihi esset, quo vti posses & frui; tamen tecti ac domus opportunitas libenter oblata, libentiùs etiam tibi fuerit admittenda, cui vel istud vnicum iam deest, ac tu tibi deesse sentis. hoc igitur à me libentissimè habebis; at tu gratè & humaniter accipies, quod exiguum quidem, verùm præstantius ac potius existimabis, quàm in media platea noctem traducere. Neque*

que enim ego, vt id feras, pati possum; nec tu hoc, animum cum primis probans inuitantis, spernere aut dedignari debes. Hispanicè simillimo tropo sic dici hæc possunt: Seais muy bien venido, y lo tereis en mi casa: donde yo me encargo de lo que os faltare, aun que no sea mas que no dexaros trasnochar en la plaça. *Plateam verò propter multorum transitum, & publicũ concursum, ac loci etiam amplitudinem, minùs tutã quàm agrum, imò & quàm vias vrbium & oppidorum esse, hoc loco prudens ille senex significabat. Est autem hoc loco Platea, capacissimus & frequentissimus oppidi locus, cui Latinũ nomen esse solet Forum. Idq. significat nomen* REHOB, *amplitudinem, ex cuius imitatione plateæ nomen factum est apud Latinos, idq. rectè; sed postea vsus obtinuit, vt ipse in oppidis viæ plateæ dicerentur; Gallicè,* les rues. *Itaq. quamquam officium extenuat suũ propter modestiam, tamen ex animi liberalitate, & ex securitate amplificat, maximè verò cùm vltro cætera, quibus opus fuerit, polliceatur; demumq. plura sponte rebus præstet, quàm verbis receperat.*

Introduxitq́ue eum in domum suam, & pabulum asinis præbuit: & postquam lauerunt pedes suos, recepit eos in conuiuium.

QVAMQVAM *aduena senior ac pauperior, tamen hospitium non modò hilaritate animi, sed officiis ornauit, quæ lassis ex via commoda opportunaq. habentur. Inter quæ vnũ antiquis pedum lotio fuit, valetudini, munditiæ, atq. virium instaurationi conferens, ad balneiq. vicem proximè accedens, cuius apud veteres frequentissimus fuit vsus. Atqui & Abrahamum & Lothum, cum cæteris qui hospitalitatis laude commendantur, ex hoc beneficij genere, studij sui initium duxisse commemorantur. Domine, si* Gen. 18. » *inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum: sed afferam paululum aquæ, & lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore: ponamq. buccellam panis, & confortetur cor vestrum, & postea transibitis.* Pabulum » asinis præbuit. *Pulchra rerum œconomia & series, vt iumentis primùm pabula præberentur; deinde hominum curatio maturè iniretur: id quod non tantùm curam & studium erga dominos ipsos auctiorem ostendit, vt vulgari prouerbio fertur,* Quien bien quiere abeltran, bien quiere a su can; *sed huiusmodi rationem bonis viris non postremam esse debere indicauit. Humanitatis enim est, animantibus iis prospicere, quæ in hominis vsum & seruitium concessere, quæq. natura ad obedientiam magis præstandam, quàm ad sui ipsorum curam effinxit. Atq. in Dei beneficiis hoc idem si numeretur, quemadmodum excipiendum sit, res ipsa, ratióque declarat. Atque hîs opposita exempla, immanitatis & crudelitatis nomine damnat.* S. S. E. *Nouit iustus iumẽtorum suorum animas, viscera autem impiorum* Prou. 12. » *crudelia.* Recepit eos in conuiuium. *Exemplaris verba duo, omni opportuni cibi & potus copia tam hospites, quàm eum qui exceperat, exhilaratos significant:* Et comederunt, & biberunt. *Familiaris linguæ ille idiotis-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus. Ita bonus senex & viæ lassitudinem minuere, & propriæ domus desiderium, atq; loci, in quo erant, tædium leuire, ac rusticitatis oppidanorum recordationem epulis ac vino fugare studebat. Sed quis nam inter improbos ac sceleratos, vel sibi, vel alij securitatem promittere, aut præstare possit?

Illis epulantibus, & post laborem itineris cibo & potu reficientibus corpora, venerũt viri ciuitatis illius, filij Belial, id est, absque iugo; & circumdantes domum senis, fores pulsare cœperunt, clamantes ad dominum domus, atque dicentes: Educ virum qui ingressus est in domum tuam, vt abutamur eo.

MAXIMVM, *publicum, atque commune omni ciuitati illi nequitiæ ac sceleris exemplum non modò impunitum, sed consuetudine iam inueteratum, & aliquo etiam honesto nomine defensum fuisse oportet, cuius huiusmodi ederentur fructus. tantam verò morum corruptelam parentum negligentiæ atq; improbitati adscribendam, nomen illud indicat,* Filij Belial, *quod vel interpres noster, vel interpretationis explicator,* Absque iugo, *reddidit. Quod verò filiorum nomen præponatur, ad culpam pertinet parentibus præfigendam, qui, cùm & ipsi improbissimi fuerint, non solùm indulgentiam, sed licentiam omnem pueris & adolescentibus filiis, laxauerint in omnem nequitiam habenas permiserint: quibus vbi vires cum annis creuerint, nihil non mali flagitij ac sceleris ausi aggressique peragunt, mirantibus quamuis parentibus, & fortassis sese numquam talia suasisse cauſſantibus, vt ille aiebat:*

Iuu. Sat. 14. Nullus enim magni sceleris labor. hæc ego numquam
Mandaui, dices, olim nec talia suasi.
Mentis causa malæ tamen est & origo penes te. *& idem:*
Vnde tibi frontem libertatemque parentis,
Cùm facias peiora senex, vacuumque cerebro,
Iam pridem caput hoc ventosa cucurbita quærat?

Ex pluribus verò iisdemq; affinibus verbi huius significationibus vnicã interpres delegit, Ac absque iugo: *vtpote qui interpretem ageret, non commentatorem. Sunt verò tria verba in sacra lingua ijsdem ferè notis variè tamen concinnata, quorum singulæ significationes huiusmodi hominum figurã suis depingunt coloribus.* IAGHAL, *vtilem esse, prodesse Latinus vertit:* GHAVAL, *facere, dolore afficere, illudere, inuoluere; vnde* GHOL, *iugum dictum:* GHAVAL, *iniquè agere, peruertere. Omnia hæc pariter illi adscribuntur, cui nomen* BELIIAGHAL *conuenit. Idem enim inutilis, idem temerarius, dolore afficiens, illusor, iugi ac disciplinæ expers, vrbanitate & modestia carens, omnino intemperans, nihil non permiscens & confundens censetur. Qui verò talis habetur pater, qualem sit natum productum, horrere magis quàm existimare oportet. Huiusmodi verò quosdam notæ nequitiæ, atq; à parẽtibus acceptæ, eosque non paucos aut pueros*

diuersæ mentis, sed nequitia, & scelere, & prauorum amore, magnoq; consensu persimiles, viros iam atq; ideo insolentiores, nihilq; diuina aut humana tura metuentes, in senis hospitis domum irruisse legimus. Nec verò pauci fuisse, vis ipsa, & contumelia, atq; iniuria domo & hominibus parata atq; facta arguit; nec obscuros etiam, nec innumerabiles, vt nomen ANAXIM *bis repetitum declarat, prius ad ætatem, numerum, & ordinem; posterius ad vires & constantiam appellatum: hac significatione, viri quidam certi prouectæ iam ætatis, virtute constantes, & paternam licentiam fortiter imitati filij parentum nequam, & ipsi nequissimi. Namq; fortitudinis & veritatis nomina ad prauos quosque, & flagitiosos animos per abusum aliquando traducuntur. Quod & Satyricus notabat:*

Ecce iterum Crispinus, & est mihi sæpè vocandus Iuu. Sat. 4.
Ad partes, monstrum nulla virtute redemptum
A vitiis, æger, solaque libidine fortis. *& iterum:* Sat. 1.
Quid facias cùm te furiosus cogat, & idem
Fortior? *Et,* Mobilis & varia est fermè natura malorum, Sat. 15.
Cùm scelus admittunt, supereſt constantia.

Huiusmodi libidine ac nequitia fortiorum & notorum virorum copiosa & instructa manu senis peregrini domũ obsessam author narrat. Idemq; singulis verbis emphasim annunciationemq; propriã arrogauit. Illis epulantibus, *&c. in exemplari,* Illi recreabant cor suum. *quod non solum cibo ac vino, sed colloquij comitate & familiaritate, exhilarationeq; mutua fiebat; vt honestis atque officiosis hospitis agi moris semper fuit, aliquando etiam cantoribus adhibitis, vel pudicis, vel impudicis, pro conuiuarũ & conuiatoris ingenio. sed quod his ad lætitiã gratamq; requiem sumebatur, vt in mærorem, pauorem, curam, & acerbitatẽ verteretur maximã, nequissimorũ fraus, & astutia, atq; violentia effecit; qui nullũ magis opportuũ tempus ad facinoris audaciã duxerunt, eo, quo & hospes, & qui hospitio excepti erant, securiores, minusq; cauti esse poterant, dũ præ exhilaratione nihil timerent, & præ sermonũ ac ministrationis sonitu, obambulantium foris pedum crepitũ, & hominum strepitũ non antè sentirent, quàm occupato obsessoq; loco, ne quispiã effugeret, ab inuasorũ parte fores pultari cœpissent. Huiusmodi tempora ab improbis inhumanisq; hominibus ad nocendũ obseruata in Machabæorum libris legimus, Sabbatho, qui dies quietissimus & lætissimus ex religione, Iudæos bello inuadentibus. & apud exteros:*

——— Sed tempore festo Iuu. Sat. 15.
Alterius populi capienda occasio cunctis
Visa inimicorum primoribus ac ducibus, ne
Lætum hilaremque diem, ne magnæ gaudia cœnæ
Sentirent, positis ad templa & compita mensis.

Itaque præter personarum notam, tempus etiam & occasio iniuriæ indignitatem auget, quam & loci, & alterius partis hominum irreuerentia adaugeret. Circumdantes domum senis. *Quantum enim honoris tribui habe-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rique ſenibus debeat, nationum quondam omnium inſtitutis moribuſq; declaratum fuit. Nempe apud Iſraelitas non religioſum modò, ſed legitimum etiam huiuſmodi cenſebatur officium, & authorem commendabat Deum,
Leuit. 19. *eundemq; vel negligentiæ, nedum contemptionis vindicem allegabat. Coram*
» *capite cano conſurge, & honora perſonam ſenis, & time Dominum Deum*
» *tuum, Ego Dominus. Et apud exteros etiam, quo tempore humani mores, ac ciuilis diſciplina viguit,*

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non aſſurrexerat, & ſi
Barbato cuicumque puer, licet ipſe videret
Plura domi farra, & maiores glandis aceruos.
Tam venerabile erat præcedere quatuor annis,
Primaque par adeò ſacræ lanugo ſenectæ.

Hanc verò reuerentiæ partem non modò contemptam & neglectã ab iſtis, verùm etiam irritã, & contumelia affectam fuiſſe, nomen ipſum venerandum ſenis in loco appoſitum ſignificat, cum annotatione, Et clamantes ad dominum domus. *in exẽplari:* Et dixerunt ad virum illum dominum domus, ſenem illum. *Iniuriæ crimen ſingulis nominibus amplificatur.* Virum illum, *honeſtũ videlicet, domi ſuæ aggreſſi, cõpellantes, & ſenem vocantes. Nam ſenis nomen & vocandi, & accuſandi forma, ſua in lingua ſcriptum eſt ita. Singula criminationis membra capitalia cenſentur, legibus quoque antiquis, vltra id etiam quòd peregrino & aduenæ inferenda contumelia ſingulari iure atq; præcepto cauebatur eodem volumine & capite, quo de ſenum ornamentis actum eſt. Si habitauerit aduena in terra veſtra, & moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei, ſed ſit inter vos quaſi indigena, & diligetis eum quaſi voſmetipſos: fuiſtis enim aduenæ in terra Ægypti: ego Dominus Deus veſter. Cùm verò aduenus & alienigenis hoſpitibus ſiue incolis ita proſpexerit Deus, quantum iis qui ex eadem gente, hoc eſt, Iſraelitis, cùm ad aliud oppidum cõmigrare contigerit, deferendum ſit, æquitas ipſa, ratioq; declarat. Iam verò quàm importuna, quàm turpis, quàm nefaria ac flagitioſa compellatio petitioq; fuerit, audire etiam ſenſus horret:* Educ virum qui ingreſſus eſt domum tuam, vt abutamur eo. *Exemplaris ſermo, qui huiuſmodi turpia verba ferre non poteſt, ita habet:* Et cognoſcemus eum. *Turpitudinis infandæ ſignificationis verbũ cognoſcendi, quod vix feminis honeſtè tribuitur, ad virum tranſlatum eſt, cum duplicis iniuriæ denunciatione, & profeßione alterius in ipſum additi herum, quem vel metu, vel monitu, ad criminis communionem inducere ſtudebant.* Educ. *in exemplari,* Exirè fac, *ſiue iuſſu, ſiue impulſu ac vi, ita fieret, vt & ipſe iniuriæ factæ parte, quamquam contumeliam & violentiam allegans, notaretur, tametſi nulla alia adhibita diligentia vel defenſione, id quod exigebatur, admitteret. Alterius iniuriæ expoſitio fuit aduerſus hoſpitem:* Et cognoſcemus eum. *id quod, quia ſummum grauiſſimum,*

mum, & ſceleſtiſſimum exiſtimandum erat, inſtanter poſtulant, vt & hoſpitem & ſenem ad leuioris iniuriæ ferendæ conditionẽ cogant. Neq; enim aliud illis appetitum arbitramur, quàm quod peractũ demum fuit, hoc eſt, puellæ hoſpitis copia viro vel inuito ſibiq; metuente facienda: qua non contenti forent nequiſſimi & improbiſſimi homines, ſi aliud quippiam fœdius animo propoſuiſſent, nec virum tantùm poſtulaſſent, ſed vel puerum, vel vtrumq; pariter. Oportet verò herum ipſum hoſpitem digna facie & decoro fuiſſe habitu, vt illi ſimulationis ſuæ colorem inducere poſſent. nam vt ille aiebat:

——— Nullus ephœbum
Deformem ſæua caſtrauit in arce tyrannus. Iuu. Sat. 10.
Nec prætextatum rapuit Nero loripedem, vel
Strumoſum, atque vtero pariter gibboque tumentem.

Illum itaque petunt ſolum, vt petitione territum, & vi turbatũ, ad vxorem tradendam adigant: cuius tamen vocem ac deliberationem honeſtius atque officioſus præuenit ſenex, non ſermone modò ac deprecatione, verùm priuatæ ac ſibi familiæq; ſuæ offerendæ contumeliæ optione & tolerantia hoſpitis iniuriam & vexationẽ redimere ſtudens. Id quod forti animo agere cæpit, ipſe vltro homines foris excipiens & allocutus, atque ſeſe primum contumelioſorum proteruitati obiectans. Egreſſuſque ad eos ſenex, ait. *In exẽplari conditiones illæ repetuntur,* Vir ille dominus domus. *qui nihil ſibi, domui ſuæ prius & antiquius reputauit, quàm boni ac pij fortiſq; hoſpitis partes agere. Is cùm viribus iniuriam propulſare non poſſet, vtpote vir, id eſt, ſingularis aduerſus multos & viros, ac nequiſſimos, magnoq; conſenſu fortes: tamen iis nominibus reprimendam curauit, quæ vt honeſtiſſima, & efficaciſſima, maximiq; momenti eſſe poterant apud eos, qui humanitatis quouis vel minimo ſenſu, vel pudoris ac ruboris gutta præditi eſſent. Nam primùm partes omnes præſtitit, quæ ad perſuadendum opportuniſſimæ habentur, hoc eſt, perſonæ authoritate ac dignitate, & oratione ipſa. Conſtat enim laudatũ probatumq; oratorẽ definiri, virũ bonũ, dicendi peritũ, quem & poëtæ Latini carminibus eleganter deſcriptũ ac repræſentatũ legimus:*

Ac veluti magno in populo cùm ſæpè coorta eſt
Seditio, ſæuitque animis ignobile vulgus. Vir. Æneid. 1.
Iamque faces & ſaxa volant: furor arma miniſtrat.
Tum pietate grauem, ac meritis, ſi forte virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus adſtant.

Hactenus priorem definitionis partem Poëta expreſſit, virumq; bonum deſcripſit, pietate grauem ac meritis. huiuſmodi & animum, & grauitatem, & perſonam præbuiſſe narratur vir ille ſenex, non triualis aut ignotus quiſpiam, ſed Vir ille dominus domus; *qui familiam honeſtè educatam apud iſtos haberet. Idemq; ſenex annis, & ætate venerabilis, & notæ & obſeruandæ probitatis atque innocentiæ, & qui annis & canis prudentiam præferret, probandiq; conſilij & monitu author merito exiſtimari deberet.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Alteram verò definitionis partem, hoc est, qua orator non declamandi, sed in veris causis dicendi peritus depingitur, sic Poëta indicabat:

Virg. Aen. 1. Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Quam eandem ab hoc sene diligenter & grauiter præstitam, historia indicat: nihil enim argumentorum est prætermissum, nihil opportuni ornamẽti, actionisq; commodæ, ad sedandam hominum nequissimorum rabiem, si modò isti humani sensus partem retinuissent. Egressus est ad eos. *forti ac deliberato animo, quo se vel periculo directum istis reuerentiæ, vel conspectum pudori & obseruantiæ fore existimare potuit. personam verò non præsentia modò sua ac facie, verùm digna tali animo & tempore oratione sustinuit; & ait:*

Nolite fratres, nolite facere malum hoc: quia ingressus est homo in hospitium meum: & cessate ab hac stultitia.

Brevissimvs *quidem sermo, quantum perditorum hominum impetus & festinatio admittere poterat; verũ duobus argumẽtis grauissimus, & peroratione vehementer amplificatus, exordij vicem omnem fratrum nomen plenè præstat.* Nolite fratres. *In exemplari.* Ne fratres mei. *Namque ita compellans, non suam tantùm, aut hospitis, verùm ipsorum etiam rem, causam, & infamiam sibi curæ esse, & agi. Atq; illos blando necessitudinis & ciuilitatis nomine lenire studuit. Non enim quispiam vel barbarissimus eiusmodi facinus fraterna & familiari domo peragendum susciperet. Negationis verò aut vetationis vocula* Ne, *siue* Nolite, *repetita, ingentem dicentis affectum indicat, & audientis animum pulsare contendit. similium*

Psalm. 113. *namq; geminationum talis esse solet vis. vt,* Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. *Et apud Poëtas:*

Hor. Epod. Iam iam efficaci do manus scientiæ. Et,
Canidia parce vocibus tandem sacris,
Citumque retrò solue, solue turbinem.

Itaque rei indignitatem amplificat, dicentisq; mentem solicitam ostendit, & eius, qui cum agitur, contentionem & festinationem interpellare & compescere nititur, vel saltem auertere & retardare. Est autem sermo totus dissuasorius, generalem communemq; causam simul cum priuatis coniungens, partes agens omnium, eius videlicet qui dicit, & eius de quo dicit, atq; eorum quos alloquitur. Primùm, facinus ipsum, à quocumq; susceptum fuerit, malum est, ideoq; vitandum, fugiendum, ac detestandum omnibus, nedum iis, quos fratres nominat suos, dissuadendũ ac improbandum curet. Cuilibet enim immeritò atque innocenti quocumq; modo nocere, malum est: interq; malum inferre, & malum pati, hoc etiam interest, quòd qui malum patitur, à culpa alienus non rarò censetur; qui verò malum facit, numquã culpa & vitio immunis est. Deinde verò, cùm aliud fieri non possit ei cui malum infertur, patientiæ consilium adhiberi solet: ei autem qui infert,

infert, nihil aliud consuli debet, quàm cessatio, pœnitentia, & quocumq; pacto commendari ac persuaderi possit, abstinentia. Quòd si in quacumq; cuicumq; inferenda iniũria hoc cauere & agi tius ratioq; postulat: quid in ea quæ viris bonis, & innocentibus, ac securis, atque adeò exteris & vindice carentibus inferri paratur? iam profectò hoc nomine causæ grauitas, & facinoris immanitas crescit, atque præsentis petitionis exemplitq; turpitudo ac fœditas augetur maximè: vt quæ non solùm à libidine, ac petulantia, & audacia, verùm etiam à probri ac dedecoris studio, deliberato consilio nata, & magno consensu subita arguatur.

Quia ingressus est homo in hospitium meum.

In *exemplari:* Postquam quidem venit ille vir, hic ille ad domum meam. *Ambarum personarum rationem remq; vna periodo complexus est, vnoq; verbo cõiunxit. Namq; iniuria grauissima censenda est, quæ viro peregrino, innocenti, immeritoq; paratur, quocumq; modo ea fiat, siue damno dando, siue alio afferendo incommodo: longè autem grauior quæ ei infertur, qui, cùm nihil vlli nocuerit, tamen securitatis causa sese in locum aliquem hominibus habitatum contulerit, quamquam is aperto foro, mediáue platea maneret; namq; idcirco vrbium vsum à Caino inuentum legimus, qui cùm sibi semper metueret, vrbium & oppidorum tutelam opportunam fore iudicauit. At verò qui præterea domum aliquam subit, qua noctem traducat, etiam si vacuam & habitatore carẽtem petat; is primùm nemini hominum efficere se velle indicat, vtpote non vagum, sed certo loco se inclusum præbens, vbi aut vnde, quid nam rerum agat, animaduerti notariq; possit, & eadem sese tutum fore sperans, perinde atq; cæteri, quibus domus & ædes hunc vsum præstant. Maximum verò flagitium aduersus gentium iura & mores admissum censebitur ei, qui huiusmodi communem totius populi tutelam contaminare & violare ausus fuerit. Iam verò hospitalitatis sanctitatem quouis vel minimo incommodo temerare, longè fuerit grauissimum, & multis variisq; obnoxium criminibus, publici primùm dedecoris, ac deinde iniuriarum ei, qui quempiam volens & lubens hospitio acceperit, irrogatarum; vtpote cuius qui domum subierit, fidem tutelamq; vna petiisse iudicetur: cuiusmodi contumelia nemo est tam agrestis qui non moueatur; viri verò honesti hanc peiùs malis omnibus odisse solẽt. Nec verò res hæc omnis vni tantùm prudentiorum, & sapientius viuentium hominum partim probabilis, sed omnibus gentibus, apud quas vel tenuis officij humani scintilla lucet, nota & obseruata est.*

——— Mollissima corda Iuuenal. Sat. 15.
Humano generi dare se natura fatetur,
Quæ lachrymas dedit, hæc nostri pars intima sensus.
Plorare ergo iubet causam lugentis amici,
Squaloremque rei, pupillum ad iura vocantem,
Circumscriptorem, cuius manantia fletu

Ora

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ora puellares faciunt incerta capilli.
Naturæ imperio gemimus, cùm funus adultæ
Virginis occurrit, vel terra clauditur infans,
Et minor igne rogi. quis enim bonus aut face dignus
Arcana, qualem Cereris vult esse sacerdos,
VLLA ALIENA SIBI CREDAT MALA? separat hæc nos
A grege mutorum, atque ideo venerabile soli
Sortiti ingenium, diuinorumque capaces,
Atque exercendis capiendisque artibus apti,
Sensum à cælesti demissum traximus arce,
Cuius egent prona, & terram spectantia, mundi
Principio indulsit communis conditor illis
Tantùm animas, nobis animum quoque, mutuus vt nos
Affectus petere auxilium, & præstare iuberet,
Dispersos trahere in populum, & migrare vetusto
De nemore, & proauis habitatas linquere siluas,
Ædificare domos, latibus coniungere nostris
Tectum aliud, tutos vicino limine somnos
Vt collata daret fiducia, protegere armis
Lapsum, aut ingenti nutantem vulnere ciuem,
Communi dare signa tuba, defendier iisdem
Turribus, atque vna portarum claue teneri.

Omnia hæc, quæ longo ac sapiente sermone, ex naturæ ac gentium iure atque vsu, author hic persecutus est, paucis quidem pro improborum hominum sestimatione verbis, verùm acribus ac vehemẽtibus ad dissuadendũ scelus, bonus hic senex opposuit; vltra propriæ iniuriæ & contumeliæ sibi atque suis priuatim inferẽdæ deprecationem. Quia ingressus est homo hospitium meum. *Quamobrem suarum esse partium ait, virum illum modis omnibus tueri: illorum verò, nec viro hospiti, fidei suæ cõmendato, nocere; nec domui suæ quoque, vtpote vicini & incolæ, iniuriam ignominiamq; afferre, quam tamen ipse hospitis incolumitati postha bendã induceret: adeò enim sibi sanctum esse hospitij officium, adeò antiquum haberi, vt quouis etiam proprio damno, incõmodo, ac dedecore redimẽdum putet: & si verbis & honesta oratione illorum libidinem sedare non posit, rebus etiam sibi familiaribus & charissimis satiare & explere potiùs decreuerit, quàm tantũ scelus, tam nefariumq; facinus pati, quod Deo in primis inuisum, domui suæ contumelioſum, omnibusq; gentibus detestabile, atq; adeò oppido ipsi atq; authoribus æterno infandæ turpitudinis opprobrio fore denũciabat.* Et cel-
Plato in Protagor. *sate ab hac stultitia. Si vera Academicorũ sententia est, quæ peccatorum scelerumq; omnium fontem caputq; vnicum stultitiam esse asserit; nullum Latinum verbum aptiùs ad rem istam significandã vsurpari potuit, quàm stultitia, quod pro exemplaris linguæ vocabulo,* NEBALAH, *aptè redderetur. Significat autem,* NEBALA, *defectum & casum omnem homine indignum*

dignum, & probrum, atque crimen omne minus, turpi tamen voce completitur: quidquid denig, vel dicto vel facto admitti potest, quod à recto officio degeneret, huiusmodi verbo tamquam generico continetur; adeò vt quicũq; huius vocis nota inustus fuerit, indignus censeatur, cuius ratio inter viros honestos habenda sit vlla. Atque hac vel vnica censura virum suum Abigail ab irati Dauidis cogitatione & æstimatione excipiendum esse docebat. Ne ponat, oro, Dominus meus Rex cor suum super virum istum iniquum Nabal, quoniam secundùm nomen suum stultus est, & stultitia in eo est. Artificiosè autem & prudenter vocabulum hoc in loco vsurpatum est, potiùs quàm aliud quod apertè nefas, vel scelus, vel flagitium significaret, vel aliud quippiam crimini vel culpæ obnoxium; ne videlicet insolentium animos exacerbaret verbis, quæ pœnã vel vltionẽ, vel diuinã vel humanam censuram ex consequenti minari viderentur: sed id vocabulũ obiecit, cuius corripiendi authoritas, & ratio, ac facultas ipsis, quibus cum agebatur, videretur tribuenda. Vnusquisque enim, vel perditus etiam, suæ vitæ modum habere, ac temperare, & blandioribus verbis monitus & correptus, melius leniri posse præ se fert: duriori verò verborum criminatione magis irritatur, & accusantis siue corripientis inuidiæ & odio magis, quàm sui corrigendi studio, factum ac dictum autumat. contrà verò, cùm in ipso nocendi feruore minùs grauibus, tamen idem agentibus verbis monetur. Cessate ab hac stultitia. *Ex verbo:* Ne faciatis HANEBALA. *qualem istã Gallici: Vne faute ainsi que cela ici. Hispanicè,* La tal mengua como esta. *Latinè idiotismũ ita imitaremur, Ne istiusmodi labem faciatis, vobis videlicet & genti omni indecoram. Atq; ita tribus nominibus orationis vim absoluit, dissuasioni aptissimis: mali siue iniuriæ nõ inferendæ viro: hospitij sui iuris non inuertendi: ipsorum demum & famæ non violandæ. Ne verò suam priuatè rem magis, quàm illorum voluntatem æstimare; sed officium potiùs ipsorum, atque hospitis incolumitatem curare diiudicaretur, è vestigio rebus ipsis agere rursus occipit. Nouo argumento improborum impetum retardare studet, proposito & oblato charissimo pignore, cuius iacturam ipse apud illos, quàm hospitis iniuriam inferendã pati malle sese declarat. Atque hoc pacto vnumquemq; ex illis ad mentem & innocentiam reuocare studet, tantam hominis bonitatem & fortitudinem admiraturũ, illiusq; comparatione & exemplo sibi temperaturũ sperans. Nam qui, vt ipsis morem gereret, vnicam natam potiùs quàm hospitis violationem permittebat, alterius peccati atrocitatem declarabat, & vnumquemq; illorum monebat, sibi temperare, libidinemq; propriam magis ac magis detestari potiùs, quàm in ea re pergere; cuius fœditatem vel maxima iniuria sibi accepta declinandam ac redimendam bonus censeret senex: qui etiam propter oblatam conditionem dignissimum sese præbebat, cui obtemperaretur: & qui propter illos domui ac filiæ familiæq; propriæ non parcebat, vt perditissimorũ contumaciã vinceret, atque oblati obsequij pudore potiùs retunderet, quàm acueret.* 1 Sam 25.

Habeo filiam virginem, & hic homo habet concubinam: educam eas ad vos, vt humilietis eas, & veſtram libidinem compleatis: tantùm obſecro, ne ſcelus hoc contra naturam operemini in virum.

INTERPRES *noſter ſignificationem verbi* NEBALAH, *exprimere ſtuduit Latinis verbis, iiſdemq; grauibus: cùm ſuperiùs Græcam verſionem imitatus*, Stultitiam, *vertiſſet, nunc*, Scelus contra naturam, *reddidit. nec verò hoc, tamquam potius eſſet, propoſuiſſe cẽſendus eſt, vt verbis*, Tantùm obſecro, *indicari quis putare poſſet: ſed vt minùs nefariũ flagitium, & contumeliæ genus non ita monſtroſum, atq; alterum quod illi moliri videbantur, ferendum ſibi magis declarabat. exemplaria verba ita verti poſſunt Latinis, non tamen Romano ſermone*: Ecce filiã meam illam virginem, & concubinam ipſius: producam nunc illas, & humiliatę eas, & facite ipſis illud bonum in oculis veſtris: & viro huic ne facitote verbum illius NEBALAH iſtius. *Si deliberato certoq; animo ad iniuriam huic viro faciendam veniſtis; ne totã ille accipiat, partiri ego potiùs ſecum opto, atque ita minorẽ ipſi efficere, vobis verò nihil de veſtri propoſiti æſtimatione detrahere: quippe cùm & meam gnatam, eamq; virginem; quod iuuenili furori optabilius videri debeat; & illius concubinam, decoram facie ac vultu, producam, vt mentẽ expleatis veſtram quocũque libeat pacto: hoc vnum exceptũ poſtulo, vt non ſolùm facto, verùm neq; opprobrio turpi virum hunc lædatis; quod aliquando dictum & cõmemoratum, maximæ infamiæ authoribus eſſe poſſit.* Veſtram libidinem expleatis. *nõ ſolùm ſtupro offerendo; namq; hoc iam ſignificauerat verbum*, Humiliate eas: *ſed quidquid præterea libuerit, ſi etiam in ancillas accipere, etiam illudere, vel vendere, vel occidere velitis, minùs hoc recuſandũ aut defendendũ ducam, quàm vel turpi verbo virum hunc vexare. Nihil profectò potuit haberi vlterius, quo poſtulando procederetur, quóve improbiſſimorum hominum diuerteretur impetus.* Bonum in oculis veſtris. *Nam nemo, vti Philoſophi aiunt, vel maximum ſcelus admittit, quin aliquem boni colorem ipſe ſibi, quo ſponte decipiatur, inducat. & vt ille ait:*

Nam quod turpe bonis Titio Seioque, decebat Criſpinum.

Nónne hodieq; huiuſmodi turpia & iniuriоſa peccata à nequiſſimis admiſſa, adulteria, homicidia, ſtupra, & alia quæ ad hæc referuntur, facta hominum vocari, atque hoc nomine non ſolùm leuari & excuſari, verùm defendi, & ne dicam laudari audimus? Virginis *cognomentũ ab officioſo ſene conſultò additum eſt; propterea quòd eiuſmodi cogitationẽ in maximis delitiis hominũ libidò numerare ſolet: ac præterea vt indicaret, quanti ſibi veri hoſpitis incolumitas fieret, atq; vt, quod dignitati mulieris deerat (quã concubinam nominabat) puellæ ſiue virginis decore abundè compenſaret.*

Nole-

Nolebant acquieſcere ſermonibus illius. quod cernens homo, eduxit ad eos concubinam ſuam, & eis tradidit illudendam: qua cùm tota nocte abuſi eſſent, dimiſerunt eam mane.

PRVDENTEM *& cordatum virum Leuitam illum hiſtoria omnis deſcribit, qui facilè animaduerterat, turbam illam, ac libidinoſorum hominum procellam, non ſibi, ſed mulieri ſociæ ſuæ parari: eamq; cùm effugere aut vitare non poſſet, ferendam leuius duxit, quàm vlteriùs fruſtra addito labore arceri curãdam, cum ſuo magno malo, atq; hoſpitis; quem plus ſatis eaſſe, ac partes ſuas præſtitiſſe incaſſum viderat.* Nolebant acquieſcere ſermonibus illius: & noluerunt illi viri audire illum. *Quod ad propoſitæ filiæ conditionem attinet, ſiue id ex ætatis ac probitatis perſpectæ pudore & reuerentia aliqua, ſiue ex perpetuæ querelæ & offenſionis metu, cùm eximirent viro ſeni iam vicino & contiui, atque ibidem loci manſuro, acceptæ iniuriæ memoriam numquam iri exſtinctum, & vlciſcendæ occaſionem aliquando oblatam non fore prætermittendam, atque adeò etiam ſtudioſè captandam. hoc eſt, quod ſingulare pronomen in exemplari poſitũ indicat,* Noluerunt viri audire illi. *quod ad illum pertinebat, ne audire quidem velle ſe declarauerũt.* Quod cernens homo, *intelligens nimirum ſuam rem tantùm vt hoſpitis, & quàm primum abituri, non autẽ alienam appeti; atq; ſtuprum non ſibi, verùm concubinæ ſuæ parari, quippe cùm nullum de puero verbum factum notauerat: ideoq; ipſe foras prodiit, nihil omnino ſibi cauens, mulieri autem amplius cauere non valens.* Et eis tradidit illudendam. *Non qui eo nomine, aut propoſito, aut animo tradiderit; ſed qui tantùm produxerit illis foras, ancipiti fortaſſe mente, vel illos obſequio frangendi, & ab iniuria retinendi, exẽplo filiæ ſenis, quæ propoſita quidem illis, non tamen fuerat accepta; vel, quod proximum erat, maioris incommodi ac mali, niſi protuliſſet, vitandi. In exemplari ita legimus hemiſtichium hoc:* Et apprehendit ille vir concubinam ſuam, & produxit illis foras: & cognouerunt eam. *Quam primùm productam vexare & ſtupro afficere cœperunt, ipſo viro nondum in domum recepto: deinde verò turpiſſimè & flagitioſiſſimè vexare, & indigniſſimis modis opprimere perrexerunt, magno riſu & contemptu, more eorũ, qui nocentiſſimo ac fortiſſimo antea hoſti aut inimico aliquando ſuperato & vulnerato inſultãt, magno tumultu, & vocum, cachinnorum, ſibilorumq; ſtrepitu exprobrãtes. huiuſmodi ſignificatio eſt verbi frequentatiui* IITHGHALALV; *quo etiam Saul moribundus vſus fertur, Ne veniant incircumciſi iſti, & interficiant me,* 1. Sam. 31. *illudẽtes mihi. Vtrumq; verbum interpres Latinus pro,* IITGHALELV, *ſimul reddidit. Impuriſſimorum verò hominum proteruia, & petulantia, atque immanitas non ex facto ſolùm, verùm ex cõtumacia ac temporis auctatur ſpatio.* Cùm tota nocte abuſi eſſent, dimiſerunt eam mane. *In exemplari:* Omnem noctem vſque ad mane, & miſerunt eam in adſcenſu auroræ. *Nam qui malè agit, odit lucem, nec priùs à vexatione &*

Universidad de Deusto
Biblioteca

iniuria deſtiterunt, quàm lucis aduentantis metu depulſi ſunt: veriti fortaſſe, ne publicè deprehenſi ac palàm vel à marito notarentur ac deſcriberentur, vel à ſuis conciuibus aut reprehenderentur arguerentúrve in luce ſinguli ſeorſum; quod, cùm plures eſſent, ac tenebrarum præſidio fiderent, ſeſe minùs paſſuros verebantur. addit etiam ignominiæ atque iniuriæ acerbitatem verbum, Miſerunt eam. *Nec enim ſicut omnes rapuerant pariter & abduxerant, ita omnes rurſus, vel aliqui ſaltē ex illis, ad hoſpitij vſque oſtium reduxere: ſed illuſam & afflictam exſibilantes eo tempore miſerūt, quò virum illius iam ad diſceſſum vel parari, vel paratū eſſe arbitrabantur, nihil in illo cōmoraturum loco, nec vindicandæ iniuriæ moras quæſiturum aut laturum, vtpote fruſtra tentaturum iudicio experiri, cùm nemo reperiri poſſet teſtis facinoris intempeſta nocte per tumultum patrati; nemoq; ſeſe proditurus vltro eſſet; nec, ſi ſe proderet, damnari tamen illorum legibus poterat, niſi duobus vel tribus oculatis teſtibus productis. miſerunt itaque ſolam, afflictam animo vehementer nimirum, & membris ac toto corpore præ vexationis contumacia, & improbitate, atque tumultu perditam, viribuſq; deſtitutam adeò, vt vel domum vſque vluam peruenire accepti mali grauitas non ſinerit.*

At mulier, recedentibus tenebris, venit ad oſtium domus, vbi manebat dominus ſuus, & ibi corruit.

NIHIL *ægrius miſerumq; magis depingi poſſit, quàm mulieris illius animus tot modis afflictæ, tanta contumelia per totam noctē vexatæ; quam relictæ ſemel domini ſui domus & perpetuò meminiſſe & pœnituiſſe oportet, cogitantem ſuo ipſi merito malum illud allatum, quo carere poterat, niſi, leui acerbitate commota, domum ac dominum reliquiſſet antea, qua leuitate curam & ſolicitudinem viro primùm, deinde verò hanc ſibi & illi iniuriam peperiſſet. huiuſmodi cogitationes reditus in hoſpitium domini, & ipſum domini ſui nomen inter redeundum frequenter, vt par eſt, repetitum, atque in hiſtoria commemoratū ſignificat. Nam quæ antea diſceſſerat, domini non domum modò & nomen ſpreuiſſe viſa eſt: quæ verò nunc domini hoſpitium repetebat, præteriti erroris amariſſimum dolorem & pœnitudinem præ ſe ferre cenſenda. Atque res ipſa indicat, illā ab impuriſſimis hominibus, inſultatione & petulantia bacchatis, procul à domo ſenis tandem fuiſſe diſtractam, ac nunc in illū, nunc verò in alium locū, quò libidinis impetus agebat, abductam & impulſam, in ſingulis verò humiliatā; vt ſacra linguæ verba imitemur. quandoquidem illam aurora ſurgente miſſam domini hoſpitiū repetiſſe, & ægrè perueniſſe legimus; adeò vt nec vocis compotem eſſe debilitas & ægritudo ſiuerit, ſed animi priùs quàm corporis vigore deſtitutam, ad ipſum limum iacentem dominus offendiſſe narretur. In exemplari & redeundi mora, & tēporis etiam quo poſt caſum tacuit, ſignificatur:* Et venit mulier ad conuerſionem matutinam, & cecidit oſtio domus

domus viri illius, in qua dominus ſuus vſque ad lucem. *Mulieri iuueni, ac molliùs educatæ, multæ, & repentinæ, atq; cumulatæ rerum acerbitates breue exitium afferre potuerunt, animi primùm perturbatio ac metus, antè quàm producta eſſet; deinde accedens productæ tremor, nuditas quoque, nocturna tempeſtas, labor, & impudentium inſolentia, atque diſtractionis laſſitudo, & omnibus his accedens ægrimonia: demum huiuſmodi tragœdiæ nihil mirum hutuſmodi finem fuiſſe factum.*

Mane facto, ſurrexit homo, & aperuit oſtium, vt cœptam expleret viam. Et ecce concubina eius iacebat ante oſtium, ſparſis in limine manibus.

QVAM *iniquo, acerbo, imò quàm amaro animo vir ille proximam lucem exſpectauerit, certus atq; appetens fugæ ex iniurioſiſſimo loco, & de vltionis modo atq; opportunitate cogitabundus, & rei ipſius natura arguit, & hiſtoria facilè indicat; quippe quem deſcribit primo mane oſtiū aperire, iter arrepturum, nihil de muliere vel exſpectanda, vel quærenda, aut eodem tempore repetenda ſolicitum; atq; inopinatè feminā iacentem offendere, eò prolapſam habitu ac geſtu, quo facilè cognoſci poſſet reuerſæ animus, nimirum fideliter & anxiè dominum ſuum repetentis.* Ecce, *rem non ſperatam ſignificat.* Concubina eius. *in exemplari,* Mulier illa, concubina eius. *affectum & commiſeratione vtrumque nomen poſtulat.* Mulier illa *tenera atq; infirmior natura, ideoq; & miſericordia digna, tametſi peregrina atq; ignota fuiſſet; ne dum cùm eſſet concubina eius, quæ vxoris loco ducebatur olim, ceremontis legitimis exceptis.* Spartis in limine manibus. *quē habitum atq; geſtum ſpectare ſolemus in iis, qui alterius vel fidem, vel miſericordiam, vel auxilium implorant, vel familiarem caritatem repetunt. Namque huius etiam generis illud apud Terentium eſt:* Tum illa (vt facilè conſuetum amorem cerneres) Reiecit ſe in eum, flens quàm familiariter. Terentius.

Cùm miſerrima mæſtiſſimaq; mulier dominum ſuum anxia & exanimata repeteret; manibus extenſis, qualis quæ opem imploraret, atque vim iniuriámque indicaret, reuertebatur. Huiuſmodi illud apud Poëtam eſt de Eurydice:

Iamque vale: feror ingenti circumdata nocte,
Inualidasque tibi tendens, heu non tua, palmas. Georgic. 4.

Eo itaque habitu à morte occupata corruit, eodémque iacuit, cùm præ debilitate immota manſiſſet.

Cui ille (putans eam quieſcere) loquebatur: Surge, vt ambulemus. Qua nihil reſpondēte, intelligens quòd erat mortua, tulit eam, & impoſuit aſino, reuerſuſque eſt in domum ſuam.

IN *verſione Latina, quam explicare ſuſcepimus, nonnulla verba commentationis cauſa interiecta legimus, videlicet* (putans eam quieſcere) intelligens quòd erat mortua. *Namque exemplar ipſum, cui Chaldaica*

Universidad de Deusto
Biblioteca

& Græca tranſlatio ferè ex verbo conueniunt, ita habet: Et dixit ad eam, Surge, & ibimus. Et non reſpondens, & accepit eam ſuper aſinum, & ſurrexit ille vir, & abiit in locum ſuum. Dixit ad eam. *Verbum*, dixit, *humanè, ac benignè, blandeq; compellatam indicat: nam deliberati atq; certi ſermonis præferre ſignificationem ſolet. Nihil enim vir aduerſus illam præter humanitatem miſericordiamq; cogitabat: dolorem verò ex grauiſſima iniuria acceptum, eiusq; animo inſidentem, pro tempore diſſimulabat; ne & hoc ad mulieris ægritudinem accederet, & hoſpiti, ſatis ſua ſponte turbato, grauior eſſe videretur. cui tamen, præ mœſtitia, nec valedixiſſe fertur.* Surge, ambulemus. *Perinde locutus eſt, quaſi factum minimè moratus eſſet, ſaltem nihil feminæ imputaret.* Qua nihil reſpondente. *Primæuum participium maſculino genere poſitum eſt*, Et non reſpondens. *Prouerbialis in illa lingua ſermo eſt in re proclamata ac deſperata. Ita in Regum libris*

1. Reg. 18. *vſurpatum legimus: Inuocabant nomen Baghal de mane vſq; ad meridiem,*
» *dicentes, Baghal exaudi nos. & non erat vox, nec qui reſponderet. Hiſpanicè huiuſmodi in eandem ſignificationē ſermo eſt frequēs*, A es otra puerta. *Igitur neq; mortuæ iam puellæ, quam amauerat, caſus clamoribus aut querimonia, gemitu aliove doloris indicio proſecutus eſt, ne quo pacto vel oppidanos magis irritaret, vel contrà ad ſe placandum induceret: præterea etiam ne ardorem, quo flagrabat, ipſe ſibi aliqua parte reſtingueret aut minueret, ſed integrum ad vltionis impetum retineret, & cogitando atq; inuentando vindictæ modo augeret: quamobrem nec puellam mortuam eodem loco ſepelire, aut ſepeliendam relinquere voluit; ſed aſello impoſitam, ad locum vſque ſuum pertulit. quo triſti atq; miſerando ſpectaculo magis ac magis in horas incenſus, in cogitationem impulſus eſt, cuius explicatio nō modò eorum, qui in tragœdiis maxima facinora fortiter feciſſe memorantur, animos, verùm exempla ipſa tragica, cum exitu euentuq; ſuo, omnia vicit.*

Quam cùm eſſet ingreſſus, arripuit gladium, & cadauer vxoris cum oſſibus ſuis in duodecim partes ad fruſta concidens, miſit in omnes terminos Iſrael.

NEFARIAM *flagitij atrocitatem non vnam tantùm Iſraelitarum tribum, ſed omnium communem ac publicam rem tangere arbitratus, omnes tribus incitandas ac mouendas duxit. id cum verbis ac ſermonibus minùs acriter effici poſſe intelligeret, nouo & ſtupendo rerum ipſarum ſpectaculo molitus effecit.*

Horat. de arte Poët.

Segniùs irritant animos demiſſa per aurem,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator.

Huiuſmodi enim res vbi ſolummodo narrantur, dolorem quidem & miſericordiam auditorum mouere poſſunt, iram tamen, odium, & indignationem, vltioniſque cupiditatem non excitant: excitarent autem, ſi re vera eadem exempla in fabulas inferrentur.

Ne

Nec pueros coram populo Medea trucidet:
Aut humana palàm coquat exſta nefarius Atreus:
Aut in auem Progne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcumque oſtendis mihi ſic, incredulus odi.

Horat. ibid.

Quamobrem tanti ſceleris dignam vltionem cogitans Leuita ille, à crudeliſſimo & maximè horrendo ſpectaculo inchoandam cenſuit: quo populum poſtea odio incenſum, & ad vindictam promptum, ſuaq; ſponte ad pœnas repetendas perſuaſum, præſente deteſtabilis narratione ſceleris impelleret, nullis criminationibus, nullis grauibus verbis vſus apud eos, quos reapſe commotos & irritatos intelligeret. Accipiens gladium. *affectum, ira incenſum, ac miſericordiæ immemorem, geſtus hic indicat, oppoſitum prorſus illi affectui à Poëta decantato:*

Ter conatus erat notos effingere vultus,
Ter patriæ cecidere manus.

Cum oſſibus ſuis. *in exemplari*, Ad oſſa eius. *ſecundùm rationem & connexionem præcipuorum membrorum. Namq; nomen* GHETSEM, *in illa lingua & os & membrum ſignificat primaria ſignificatione; quemadmodum & in Cymbrico ſermone*, Been, cruri & oſsi impoſitum eſt vocabulum. *ſic autem numerari poſſunt, caput vnicum, manus duæ, gemina brachia, pedes gemini, crura duo, totidē femora, reliquum corpus, hoc eſt pectus ac dorſum: ita vt, numeratis per vnumquemque agrorum finem ſingulis membris, integrū conſtaret corpus, remq; ipſam cunctis tribubus mali quippiam portendere indicaret. Nec verò in omnes tribus diuiſas & miſſas partes legimus, ſed in omnes terminos Iſrael, quæ videlicet populi illi omnes vicina gentibus, aliis confinia tenebāt: vt hoc pacto non ipſis modò Iſraelitis, verùm aliis quoque nationibus rei fama & rumor ſparſus perferretur, atq; rei authore ignorato, maior vniuique de cauſis atque prodigiis, deque euentis dubitatio, cura, ſollicitudo, & metus accederet.*

Quod cùm vidiſſent ſinguli, conclamabant: Numquam res talis facta eſt in Iſrael, ex eo die quo adſcenderunt patres noſtri de Ægypto, vſque in præſens tempus. Ferte ſententiam, & in commune decernite, quid facto opus ſit.

HVIVS *verſus initium in exemplari ſic habet*: Et fuit omnis ille videns, & dixit. *Qua ſermonis formula, & multos priùs ſuſpenſos in agrorum terminis partes vidiſſe, & alios ad ſpectaculum incitaſſe intelligimus; nulli verò veritatem rei conſtitiſſe, quam author ipſe nemini hactenus indicauerat; omniū autem eandem vocem fuiſſe, nulla ſenſus aut coniecturæ diuerſitate diſcrepantium, vtpote quos exempli ac monſtri potiùs atrocitas & nouitas admiratione maxima tantùm affecerat, quam huiuſmodi caſus habere perpetuò ſolent: ea verò, quàm diu durat, ſuſpenſum incertumq; ſenſum tenet. Quidquid enim noui & inopinati accidit, nec ad communes &*

notas

Universidad de Deusto
Biblioteca

notas vel naturæ vel humani consilij causas quemadmodum referri possit, indicat: eodem prorsus pacto doctos & indoctos, vulgares ac prudentes primùm turbat, donec vel authore, vel causis, vel initiis, aut modis cognitis, demum de re ipsa decernatur. Numquam res talis facta est in Israel. in exemplari, Non fuit, nec visa est, vt hæc. *Exemplum & natura sua nouum, & hominum memoria inauditum, oratio hæc significat.* Namque minor admiratio debetur summis monstris, quorum anteactis iàm seculis vel historia, vel præiudicia exstiterint. Accidit autem aliquando nonnulla in orbe fieri, quæ nemini tamen conspecta fuisse dicantur: non rarò etiam, vt quædam sint, quæ spectata alio atq; alio modo censeantur, pro spectatorũ variis cùm ingeniis, tum iudiciis aut affectibus; ita vt aliis ad miraculum, ad prodigium aliis, nonnullis ad naturæ causas & efficientias referantur; & si ex hominum factis aut actionibus exemplum exstiterit, his ad virtutem solidam, illis ad vitium, quibusdam ad insaniam & temeritatem, vel ad simulationem & fictionem, dolũ & fraudem referantur; atq; ex consequẽti, vel plausu vel explosione, vel laude aut vituperatione, vel præmio & honore, vel supplicio & probro censeantur digna. Hoc autẽ exemplum nũquam antea editum, neq; visum, quamquã atrocissimum, & vt apparebat, immanissimum, quale tamen reuera dici posset, omnibus pariter in ambiguo incertoq; latebat. Quod autem prius facta, posterius verò visa negetur huiusmodi res, non ad poeticam figuram, quam inuersionem, siue ὑπαλλαγὴν dicũt; sed ad argumentationem reuocamus, ea formula, qua Latini, vocẽ Nedum interijcientes, vti solent: numquam huiusmodi exstitisse rem, nedum visam fuisse, vt vel ex eorum qui antea viderint iudicio, vel ex naturæ & causarum æstimatione definiatur. Furta, homicidia, rapinas, vim & fraudem, & huiusmodi mala vel raris, vel frequentibus exemplis & exstitisse, & visa fuisse, nec nouum, nec mirandum censeri potuit fortassis: nisi enim huiusmodi esse possent malefacta, profectò latis ac sancitis legibus non fuissent vetita. Aliquando etiam accidit vt exempla ederentur noua, quæ, quod certo iure cauta non inuenirentur, ad præsens Dei responsum reuocanda censerẽtur. cuius generis illud fuit: Ecce autem egressus filius mulieris Is-
Leuit.24. raelitidis, quẽ pepererat de viro Ægyptio inter filios Israel, iurgatus est in
» castris cum viro Israelite. Cumq; blasphemasset nomen Domini, & male-
» dixisset ei, adductus est ad Moysen (vocabatur autem mater eius Salomi,
» filia Dabri, de tribu Dan) miseruntq; eum in carcerem, donec nossent quid
» iuberet Dominus. Qui locutus est ad Moysen, dicens: Educ blasphemum
» extra castra, & ponant omnes, qui audierunt, manus suas super caput eius,
» & lapidet eum populus vniuersus. Et ad filios Israel loquẽris: Homo qui
» maledixerit Deo suo, portabit peccatũ suum: & qui blasphemauerit nomen
» Domini, morte moriatur. lapidibus opprimet eũ omnis multitudo populi, siue
» ille ciuis, siue peregrinus fuerit. Itaq; huiusmodi rara facinora, vel nefaria peccata, publicè aut priuatè admissa, quorum olim supererat memoria, præsentis

sentis exempli similitudinem excludebant omnem. In Israel. Namque aliàs fortassis inter gentes similia his edita visaq; fuisse, non erat aut disputatione dignum, aut morandum, mirandúmve cuipiam ex Israelitis. Quandoquidem nil tam turpe, tam immane, tam ferũ, quod ab aliis aut aliis nationibus, vel in superstitiosa sacrorum suorum genera, vel in vltionis, aut iudiciorum, aut etiam barbarum belli gerendi morem, non fuerit relatum. S. S. E. Non polluemini in omnibus his quibus contaminatæ sunt vniuer- Leuit. 18.
» sæ gentes, quas ego ejciam ante conspectum vestrum, & quibus polluta est »
» terra: cuius ego scelera visitabo, vt euomat filios suos. & rursus: Quando »
» ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imi- Deut. 18.
» tari velis abominationes illarum gentium. Nec inueniatur in te qui lustret »
» filium suũ aut filiam, ducens per ignem: aut qui hariolos sciscitetur, & ob- »
» seruet somnia atq; augurta. nec sit maleficus, nec incantator, neq; qui pytho- »
» nes cõsulat, nec diuinos, & quærat à mortuis veritatẽ. Omnia enim hæc abo- »
» minatur Dominus, & propter huiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo. »
Inter alias itaq; gentes huiusmodi monstra vel admitti, vel videri, nihil fortasse mirandũ, aut talia quondam in illa ipsa regione exstitisse, ante Israelitarum primã inuasionem. Verùm Ex die adscensus filiorum Israel de terra Ægypti, vsque ad diem hanc. ita exemplar habet. Numquam huiusmodi quipptam in Israel, aut ibidem editum, aut aliunde allatum, indicare quisquam posit. Incertum igitur rei & exemplum & genus, nullam humanorum facinorum partẽ, ad quam referatur, æstimandam prodit; siue ad alienorum deorum cultũ, siue ad gentis nostræ crudelitatẽ infamandam, siue ad ludibrium & ignominiã nationis, siue ad bellum indicendum. Eam tamen & cõmunem causam esse, & singulos nostrũ tangere, locorum atq; temporis docet ratio: quippe in omnibus regionis totius finibus numeratæ cadaueris huius partes duodecim compertæ sunt; & integrũ hominis constituunt corpus: quamobrem commune esse ac publicum oportet malum, quod hoc spectaculo portenditur; à cuius cogitatione & metu, atq; etiã correctione neminem exceptũ esse expedit. Ferte sententiam, & in cõmune decernite, quid facto opus sit. in exemplari: Ponite vobis super eam, consulite, & loquimini. Singulorum coniecturas, & deinde omniũ collata, postremò declarata cõsilia oratio postulat. Gallicè huiusmodi sermonis familiaris formula est: Pensez sur cela, & parlez les vns auec les autres. Fuit autem prima hæc actionis ratio, quam coniecturalem artifices vocant. Quis nam illius facinoris author, quamobrem siue causam, quemadmodum & quando, quóve loco, quibus opibus aut auxiliis, qua audacia, quáve fiducia admisit: quibus indicijs, quibus testibus doceri, aut aliàs cognosci verum posset. Namque vbi res ipsa planè constitisset, quemadmodum definiri atq; iudicari, corrigi vel vindicari deberet, proxima supererat deliberatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT VIGESIMVM.

EGRESSI itaque sunt omnes filij Israel, & pariter congregati quasi vir vnus, de Dan vsque Bersabee, & terra Galaad ad Dominum in Maspha.

REI *nouitate perculsi, & magnitudine atque grauitate impulsi Israelitæ omnes, ad commune, publicum, & generale, vti dicitur, concilium vltrò profecti sunt, illi persimile ad quod olim populus cunctus, Iosua rem publicam administrante, est adductus. Namque rerum & exemplorum nouitas, hominum animos ad exquirendas causas solet excitare; præcipuè verò vbi communis culpæ vel periculi metus ad admirationem accessit. Dicebamus in commentariis Iosue, quemadmodum, quámque ob rem huiusmodi publici ac pleni conuentus legitimè fiant. Nunc satis fuerit indicare omnium in communi & nouo exemplo animos fuisse perculsos, ac tam patritiorũ quàm plebis quasi conspirantibus ordinibus, comitium fuisse habitum; quod ad certam diem, vti legitimum erat, denunciatum siue edictum communiter fuit. Nam cuius rei causa omnes tangere, culpa & expiatio omnes pariter latere videbatur, inquirendæ & cognoscendæ cupiditas & studium omnes etiam agebat, præcipuè cùm illius facinoris nullus vel sibi, vel alij cuipiam conscius esset; atq; ideo, cur conuentum vitaret aut declinaret, non habebat. cur autem peteret, compluribus impellebatur causis: magnum enim illud putabatur malum omni gentis illius multitudini, siue ciuitati potiùs, vel interiùs natum, vel exteriùs allatum. in exemplari sic:* Et egressi sunt omnes filij Israel, & congregatum est concilium vt vir vnus. *magna omnium consensione & festinatione, vt ne alius alium præuertisse videretur. Non solùm autem eos, qui cis Iordanem ad mare vsq; Palæstinum habitabant,* A Dan, *Boreali termino,* vsq. ad Beersebagh, *ad Austrũ in terræ fine sitam, sed eos etiam, qui vltra amnem occupatas incolebant regiones.* Terra Galaad *Locus verò comitij, vel concilij potiùs, indicatur,* Ad Dominum in Maspha. *quòd res & causa ipsa religionem tangere, & vniuersum Israelem spectare censeretur, vbi quemadmodũ cognoscenda esset, siue consultatione & coniecturis, siue oraculi scisitatione vsq; expianda & corrigenda, siue sacris peragendis, siue pœnis repetendis cõmodiùs tractari statuique poterat. Namq; Israelitarum omnium singularis proprius, ac tutelaris Deus* IEHVEH *erat, cuius vnicũ illo tempore fanum vel tentorium templi nomine frequens & celebre, altareq; sanctũ* MITSPAH *visebatur: vbi manifesta singularis erga Israelitas prouidentiæ signa & argumenta ab vsque Iosue tempore edita commemorabantur. Loci verò situs & spatiũ habendis comitiis commoditates præbebat multas; quibus illa quoque accedebat ratio, rem communem & publicam, eandemq; grauissimam, atq; omnibus pariter ignoratã, à cõmuni & publica deprecatione siue supplicatione esse inchoandam.*

dam. hoc significat adnotatio, Ad Dominum. *orandum, obtestandũ, placandum, & consulendũ. Nec verò temeraria aut tumultuosa comitia illa fuisse, sed legitimo facta more, & suis ordinibus distincta, qualia quæ apud Romanos iusta dicta habitaq; legimus. id est, tributa curiata & centuriata. Superior versus concilij frequentiam & celebritatem indicauit: qui verò subiungitur, ordinem, seriem, legitimamq; formam ostendit.*

Omnes quoque anguli populorum, & cuncta tribus Israel in ecclesiam populi Dei conuenerunt quadraginta millia peditum pugnatorum.

QVONIAM *de legitimis gentis ordinibus agitur, verba ipsa ad primæuam institutionẽ conuersa exhibebimus:* Et adstiterunt anguli totius populi, omnium tribuum Israel in ecclesia populi quadraginta quatuor mille vir pedes educens gladium. *Huiusmodi sermonis idiotismo rem illam seriò & magno consilio consensúque initam intelligimus, vtpote quæ, quamquam incerta, ignota, & occulta, hactenus tamen populi totius publicã vel religionem, vel salutem, vel infamiam, vel denique curam tangere credebatur: & quemcumq; exitum habitura esset, tamen eiusmodi paratum instructumq; comitium vel ipsa sui nouitate ac magnitudine postulabat, videlicet, vt populi omnis, in suas tribus primùm, deinde in familias, ac postea in centurias diuisi, turmæ singulæ suum locũ situmq; tenerent, ac proprios tribunos mille viros, centũuiros, quinquagenarios ac decuriones adsistentes agnoscerent, cuiusmodi conuentuũ, quoties opus fuisset, illa decora atq; opportuna corona dispositioq; erat, vt in maximi & capacissimi circuli figuram locus primùm formaretur; eiusq; circuli orbis, siue circumferentia, ductis à centro lineis, in duodecim æquas diuideretur partes. Inter binas quasq; lineas, ad centrum vsq; ductas, triangulare spacium fiebat, siue pyramidale dicere malimus, cuius conus in centro, basis verò in postrema superficiei linea, geminis terminata punctis, ita constructa, atq; suis partibus distincta, figura duodecim latera, ac duodecim præstabat bases, ex singulorum verò laterũ externis, & basis contactæ puncto angulus constabat: atq; ita figura omnis perfectè duodecupla ostendebatur, id est, duodecim latera, duodecim bases, duodecim angulos in basi æquales, hoc est, spheralis, ac totidẽ in centro cõtinens, duodecimq; æqualis superficiei cõplexu partes, & quãquam singulæ bases re vera rectis lineis constarent. Omnis autẽ figura rotundum siue circularem, eumq; pulcherrimum præbebat prospectũ. Figura itaq; constituta, vt singularũ tribuum primores ij, qui vel belli, vel domi cæteris exantiqua iam & legitima serie instituti, anteibant suis locis dispositi, basin vna, & alterum trianguli sui latus tenerent, atq; inter se proximũ ex ordine latus, cæteros omnes contribules medio spacio conclusos, munirent, obeundiq; muneribus, pro rerũ ac temporum vsu alloqui, monere, & iubere, & exercere possent. Atqui primores illi omnes sic dispositi & aptati, vt verè*

Universidad de Deusto
Biblioteca

angulum conficiebant, ita honesto ac venerando cognomento & omnes pariter, & singuli dicebantur anguli, eodem more, quo ij omnes, qui apud Romanos priuati non agerent, Magistratus vocatos accepimus, siue in bello, siue in pace honoribus fungerentur suis; & quo apud Bethicos Hispalensis, Cordubensis, & Granatensis Rerumpub. senatores ac perpetui curatores viginti quatuor, apud Leodienses quendã ordinem triginta, aliũ verò viginti appellatũ adnotauimus. Nostris militiis ac linguis Gallica, Hispanica, & Italica Chefs, Cabos, Capi, *huiusmodi vulgo vocitantur. Horum verò ordinũ ea tempestate, quã historia nostra nunc describit, frequens collegiũ fuisse legimus, & contribulibus viris adeò instructũ, vt ex illis cæteris, hoc est, primatorũ turmis, quadringẽta millia virorũ bello gerendo, & committendo prælio idoneorũ in comitium & figuram fuerint coacta ac distributa, singulorumq; idẽ animus, idem studium, atq; promptitudo fuerit par; vtpote gladio accinctorũ, & manu ad rem agendã expeditorum. Verbum* IITHIATSEBV, *angulorũ nomini adiunctũ, ordines illos ritè ac legitimè dispositos, suis locis ac partibus obtentis cõstitisse, indicat. idẽ namq; vocabulũ à vate in secundo*
Psal. 2. *Psalmo vsurpatũ est: Adstiterunt Reges terræ. Atqui ipsa, cuius causa conuentus fiebat, cæteris tribubus ignota hactenus videtur fuisse, præterquam Beniaminitis, quibus non tantùm illa corporis humani membrorum lanitena, partitio, distributio, & collatio, vti cæteris, narrata fuit: verùm inuasionis & stupri nefarium scelus, quod in illorũ vrbe factum fuerat, vel ex illius noctis tumultu ac turba, vel ex improbissimorũ authorum manifestatione, &, vt fieri aliquando solet, impudẽte iactatione, vel saltẽ coniectura, & suspicione, ac rumore non erat prorsus absconditũ. Solent enim nequitiæ ac libidine impotẽtiores homines, ea, quæ turpiter admiserint, palàm iactare, præcipuè verò qui nobilitatis, aut diuitiarũ, & opum nomine, nihil non sibi licere volunt, & maxima facinora admisisse pulchrum ducunt, in quos*
Psal. 51. *illud decantatum audimus: Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Et apud exteros:*

——Monstrum nulla virtute redemptum
A vitiis, æger solaque libidine fortis,
Delicias viduæ tantùm aspernatur adulter.

Nec latuit filios Beniamin, quòd adscendissent filij Israel in Maspha.

BENIAMINITAS, *cæteris Israelitis vltro conscendentibus in publicum conuentum & comitium, pariter etiam vltro adscendere oportuit, quamquam à nemine ad eam rem vocatos; vtpote quos nec latebat occasio comitij, nec ipsa etiam res fugiebat, ex qua occasio nata esset: verùm hæc posterior notitia partim conscientia & metu trepidantes, partim verò audacia & superbia auersos, à cæterorum voluntate & consilio abalienauit, vel dissimulationis tegumentis tutos euadere posse, stulta opinio iussit.*

Inter-

Interrogatusque Leuita maritus mulieris interfectæ, quomodo tantum scelus perpetratum esset, respondit, Veni in Gabaa Beniamin cum vxore mea, illucque diuerti.

ACTIONVM *illarum seriem huiusmodi fuisse, exemplaris lectio indicat. Prima omnium consultatio ad artem diuinationis reuocata est, quã diuinationem Opinabilem antiqui authores agnominarunt; eamq; ratione & coniectura notatis obseruatisq; signis niti volentes, in publicis iudiciis consultationibusq; primam petendam censuerunt. Præcipuæ causæ pars sua sponte aperta ac manifesta ostenditur: hoc est, cùm res ipsa siue factum constat, author autem & causa in dubio occultoq; adhuc delitescit. Namq; diuinationis genus alterum, quod concitatione quadam animi, aut soluto liberoq; motu innititur, quodq; arte carens dicitur, non omnibus conceditur, sed vatibus tantùm veridicis, aut aliàs ex oraculorum diuinorum adytis petitur, idq; non temerè, sed vbi omni humanæ mentis diligentia & industria adhibita, certi quicquam constare non potest: cuiusmodi illud exemplũ fuit, quod in occulto Ghacami sacrilegio prudentissimus Iosue secutus narratur. & vt ille præcipiebat author:*

Nec Deus interfit, nisi dignus vindice nodus Inciderit. Horat. de Art. Poet.

Huius primæ actionis forma in exemplari describitur: Et dixerunt filij Israel, Loquimini qualiter esse potuit malum hoc. *Dictionis initiũ ab ius factum est, qui summos filiorum Israelis angulos claudebant: quorũ intererat res, de quibus vel deliberandum, vel decernendum esset, totius gẽtis nomine proponere: quæstio verò ipsa non erat de facto, nec de facti natura & genere. Nam factum ipsum constabat, & naturæ suæ genus prodebat: siquidẽ lex grauissimi, & pernicios, atq; publicè horrendi metuendiq; exempli esse definierat, hominis occisi cadauer in regionis cuiuspiam agris repertum, idq; magna diligentia inquisitum procurari, atq; vlcisci. quòd si nullo pacto deprehendi posset author, tamen publica expiatione ac deprecatione de*
Deut. 21. *Dei ira & animaduersione auertenda satagere. Quando inuentum fuerit*
» *in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, hominis cadauer occisi,*
» *& ignorabitur cædis reus, egredientur maiores natu, & iudices tui, & me-*
» *tientur à loco cadaueris singularum per circuitum spatia ciuitatũ: & quam*
» *viciniorem cæteris esse perspexerint, seniores ciuitatis illius tollent vitulam*
» *de armento, quæ non traxit iugũ, nec terram scidit vomere, & ducent eam*
» *ad vallem asperam atque saxosam, quæ nũquam arata est, nec sementem re-*
» *cepit: & cædent in ea ceruices vitulæ. Accedentq; sacerdotes filij Leui, quos*
» *elegerit Dominus Deus tuus, vt ministrẽt ei, & benedicãt in nomine eius,*
» *& ad verbum eorum omne negotium pendet: & quidquid mundũ vel im-*
» *mundum est, iudicetur. Et venient maiores natu ciuitatis illius ad interfe-*
» *ctum, lauabuntq; manus suas super vitulam quæ in valle percussa est, &*
» *dicent: Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

„ propitius esto populo tuo Israel, quē redemisti Dñe, & ne reputes sanguinem
„ innocentem in medio populi tui Israel, & auferetur ab eis reatus sanguinis.
„ Tu autē alienus eris ab innocētis cruore, cùm feceris quod præcepit tibi Do-
„ minus. Cadauer in vnius vrbis agro repertū, totius Israelis religione pro-
curari, & expiari postulat: ideoq; maiores natu & iudices vicinarū ciuita-
tum, atq; etiam sacerdotes ad partes vocantur, & procuratio communis Is-
raelis nomine suscipitur, ex quo noui huius exempli religio & cura totius Is-
raelis rē tāgere iudicata, & concilīū cōēgit, & causam à senioribus relatā,
consultationemq; publicè omnibus iniunctā proposuit. Prius verbū, Et di-
xerunt, deliberatū, & certū cōstitutumq; inter seniores dictū indicat: huius
namq; significationis esse obseruatur vocabulū AMAR. posterius autē, Lo-
quimini, liberā vnicuiq; sententiæ suæ proferēdæ copiā facit. In magno enim
populo multorū effata audita, non rarò profuisse visa, & historiē valde op-
portuna locutū, antiqua prouerbia prodiderūt. Quod si omnes in eandē rem
rectè atq; aptè cōuentant, nō suo tātùm ingenio, sed cælesti instinctu locuti
vidētur. Est itaq; proposita cōsultatio siue diuinatio nō de facto aut facti ge-
nere: nam pronomē Hoc, factū ipsum indicat; & nomē Malū, siue, vt nō-
stra versio habet, Tantū scelus, naturā qualitatemq; definit sua sponte ma-
lū, & nisi procuretur, nobis omnibus vehementer pernicioſum; id quod de-
„ precationis formula cōfitetur: Propitius esto populo tuo Israel, quē redemi-
„ sti, Domine, & ne reputes sanguinē innocentē in medio populi tui Israel.
Quæ verò hactenus ignota ad quæstionē reuocantur, illa sunt, nimirū au-
thor, causa, & modus, libertate & copia singulis facta, vel indicā dirē scien-
tibus; vel cōiectandi, si nulli nouisse cōtigerit; & sententiā dicēdi, vel ante
conceptā, vel ex tēpore atq; circūstantiis nūc sese offerentē. Authoris ratio-
nē comitatur affectio, siue impulsio animi; causam dicimus, finis atque vsus
intentionē. Quod in Cassianis veterū iudiciis maximi ad coniecturā mo-
menti esse ducitur: videlicet cui bono fuerit, postremò verò quemadmodum
cōmissa ac facta fuerit res, qua de quæritur; ad quā pariē copiæ, opes, auxilia,
& vires facultasq; omnis, & agēdi forma: potest namq; idē facinus & gra-
uius, vel leuius & mitius, vel crudelius peragi. omnia hæc in quæstionē cō-
sultationemq; prima hac actione veniūt; ex quorū certa notitia definitionis
status, atq; ex hoc legitimus petitur. Est itaq; quæstio, Quomodo. Latinum
vocabulū angustius est illo primæuo ACH, omnia in se continente, quæ cau-
sam, qualitatē, & modū, siue magnitudinē rei spectant: videlicet, quis, cur,
quando, & quemadmodū, qua facultate, quóve impulsu, Perpetratū esset.
In exēplari, verbū substantiuū passiua voce legitur: vt illa lingua ad omnē
rerū & actionū certā significationem diues apprimeq; distincta est. Cuius
verbi vim quoniā exprimere substantiuo Latinus non potest sermo, aliā op-
portunā vocem vsurpare interpretē cogit: non enim Romanus audire potest,
estur, aut critur; vti audit, legitur, & legetur: ideoq; editio nostra verbum,
Perpetratū est, vsurpauit. Nobis affinioris causa significationis hoc loco sic
vertere

vertere cōcedatur: Quemadmodū exstitit malū hoc. Adeò namq; im-
mane, adeò nouum, adeoq; ab omni humani facinoris exemplo alienū vide-
batur malū illud, vt magis diuinandū videretur, quo pacto exstiterit, quàm
à quo, vel quemadmodū factū fuerit. exstitisse enim compertū erat: factum
verò à quoquā fuisse, vix pro certo affirmari poterat; quod prodigiū vel pro-
digio maximè cēsebatur affine. Huiusmodi verò diuinādi, & ad comitium
referendi, & loquendi libertas, cuilibet sine vlla exceptione facta, desidera-
tā & quæsitā opportunitatē Leuitæ dedit, ad suam querelam Beniaminita-
rumq; accusationē factitandam, attentione cū primis postulata, siue ea cla-
more at verbis, siue manuū ac totius corporis habitu petita fuerit, & omniū
consensu ac silentio concessa. Hoc allocutionis initiū ab interprete nostro si-
gnificatur, huiusmodi narrationē præmittente: Interrogatusq; Leuita, re-
spondit. Exēplaris lectio versum ab hoc verbo incheat: Et respondit ille
vir, vir illius vxoris interfectæ. Verbū IAGHAN, pro quo Latinū, respon-
dere, sæpè redditur; cùm alteri verbo AMAR, siue dixit, præponitur, concep-
tū, meditatū, atq; certo animo constitutū sermonem indicat, quamquam à
nemine antea quæsitū aut rogatū. vt, Et respondit Iob, & dixit, Pereat dies Iob 3.
in qua natus sum. &, Respōdens Iesus, dixit, Cōfiteor tibi Pater, &c. Non Matth. 11.
dissimilis apud Latinos orationis illius, Verba facere, significatio est. vt apud
Satyricū: Quid tum? venēre frequentes. Verba facit leno: quidquid mihi, Horat. Ser.
quidquid & horum, &c. Talē habitu atq; situ animum indicās Leuita, eius- lib. 2.
modiq; sermonē sibi habendū significans, attētione captata, rei causaq; totius
rationē nuda, ac simplici, liberaq; narratione exposuit, nullo alio proœmio vel
exordio vsus; quod superuacaneum duxit in tanta auditorum & concilij to-
tius veri cognoscendi cupiditate, siue auiditate, & anxietate potiùs. Vir Le-
uita, dicendi authoritas indicata est, & causæ pondus additum descriptione
personæ eius qui verba facere parabat, nempe viri singularis, atque matura
ætate, & seueritate, decoroq; virili obseruandi, præcipuè verò Leuitæ habi-
tu, veste, atq; gestu notabilis: qui cùm primùm allocuturus in medium prodiit,
vel rei ipsius consequente suspicione, vel aliorum, quibus notus fuerat, indi-
cio, Maritus mulieris interfectæ putatus existimatusq; fuit. nam mulie-
ris cadauer esse, & capitis & membrorum singulorum signis compertum
cōmuniter, proditumq; fuerat: cuius maritus facilè creditus fuit is, qui sese
ad dicendum parabat. Iam verò vel ex ipsis personarum circumstantiis &
rationibus causæ magnitudo apparere incipiebat, cùm tot tamq; seueræ leges
in alienæ vxoris raptores, occisores, vel quocumque modo violatores editæ
fuissent; ita vt exprimis capitibus, ad quod complures referuntur sanc-
tiones, habeatur illud vnum ESETHAS, id est, vxor viri, quod frequen-
ter à Scribis iurisq; peritis disputando vsurpatur. Hic itaque hac personæ
authoritate instructus, & quadam quasi prærogatiua iusti comitij consi-
sus, orationi suæ initium sine proœmio, admodum verò firmum, & sine
affectibus vllis, aut excogitatis agendi affectibus, in hunc modum fecit:

Veni

Universidad de Deusto
Biblioteca

Veni in Gabaa Beniamin cum vxore mea, illucque diuerti. *Facinoris sceleriſq; immanitas, & cauſæ totius magnitudo, ſimplici ac vera narratione oſtenditur, ſingulorum verborum examinatis ponderibus. Principiò, indicat ea, quæ narraturus eſt, ſibi ipſi, non cuipiam à ſe miſſo vel mandato, euenisſe: quo maiorem obtineat fidem tantus vir, ſuæ ipſius calamitatis & contumeliæ ſpectator primùm, ac tolerator, & nunc narrator.* Ipſe veni: *non in hoſtiũ vel exterorum & ignotorum vrbem, ſed* In Gabaa Beniamin. *oppidum videlicet habitatum, & quòd ciuilibus atque legitimis moribus ornatum eſſe oportuit. ſanè ſibi eo diuerſuro tale exiſtimatum & creditum fuiſſe ſubindicat, atque ad illud alludit, quod puero aliter monenti reſponderat: Non ingrediar oppidum gentis alienæ, quæ non eſt de filiis Beniamin, ſed tranſibo vſque Gabaa. Itaq; ſe ipſum conſulto illuc veniſſe ait, magna fiducia non amicitiæ modò, ſed affinitatis ac neceſſitudinis potiùs. Quis enim vnquam proprijs fratribus ex eodem ſanguine, eodem religionis cultu, iiſdẽ legibus vſis ſeſe credere dubitaret? à quauis potiùs quàm ab huiuſmodi gente metuendum fuerat. itaque prudenter oppidi nomen tribus etiam appellationem adiunxit:* Gabaa Beniamin. *Si quæ enim priuata iudicia ſummæ exiſtimationis penè etiam capitis eſſe debent, tria hæc eſſe antiqui voluerunt: Fiduciæ, tutelæ, ſocietatis. quæ cùm ſingula talia habeantur, omnia ſimul in vnum reum coniuncta, grauitatis amplificationem ſuperant omnem. Nam ſi quos inter ſocietas eſt, aut fuit, aut futura eſt, eorum eſt habendus optimus beatiſſimusq; comitatus, & in quocunq; tẽpore vſus. Horum autem qui ad partes vocantur, cum ipſo qui vocat, & cauſam agit, ſocietas nec noua, nec leuis, nec temerè inita, ſed naturæ vinculis neceſſariſſimis conciliata, & à Deo immortali conſtituta, & huiuſmodi præſente declarata reſponſo. Apparuit autem iterum Deus Iacob, poſtquam reuerſus eſt de Meſopotamia Syriæ, benedixitq; ei, dicens: Non vocaberis vltrà Iacob, ſed Iſrael erit nomen tuum. Et appellauit eum Iſrael, dixitq; ei: Ego Deus omnipotens: creſce & multiplicare: gentes, & populi, & nationes ex te erunt, Reges de lũbis tuis egredientur: terramq; quam dedi Abraham & Iſaac, dabo tibi, & ſemini tuo poſt te. Atque hanc à Deo conſtitutam, & formatam, ſacratamq; ſocietatem vnius ex ipſa vel ſingulariſſimi capitis offenſione violatam læſamq; interpretari, & communi totius Iſraelis nomine vleiſcendam aſſerendamq; cenſeri oportere, antiqui horum patres gentilesq; duxerunt, grauiſſimis de vna integra ciuitate repetitis pœnis ob vnam ſororculam puellam, principis audacia violatam. vindictæ verò cauſa ratioq; communicata, & inter ipſos deliberata pronunciataq; fuit, illa verborum formula: Ecce filij eius veniebant de agro: auditoq; quod acciderat, iratiſunt valde, EO QVOD FOEDAM REM OPERATVS ESSET IN ISRAEL. Hoc verò præiudicio in alienam gentem facto, Beniaminitarum damnatio ſua ſponte parabatur etiam in leuiore crimine, communis neceſſitudinis violatæ, nedum in grauiſſimo & nefario illo, quod narran-*

Supra 18.

Genes. 35.

Genes. 34.

narrando exponitur. itaque hactenus perſonarum rationes, neceſſitudines, & officiorum obligationes indicatæ ac relatæ ſunt. Quippe quocunq; nomine ille eò appuliſſet, dignus erat, qui propter communem hominum ſocietatem humanè primùm, deinde propter ſanguinis coniunctionem amanter & officioſè, ac propter Leuitici ordinis reuerentiam piè etiam ac religioſè exciperetur: adeò vt, tametſi nocẽdi animo & conſilio ad illos acceſſiſſet, non tamen hoſtiliter, verùm modeſtè & legitimè retinendus, compeſcendus, ac dimittendus eſſet. verùm ipſe qua mente, quóve proposito venerit, apertè exponit, atque ex Apparatus deſcriptione declarat: Cum vxore mea. *In explanari:* Ego & PILEGSI. *& pellex ſiue concubina mea. Inter* ISSA, & PILEGES, *hoc intereſt, quòd, cùm vtraque legitima ſit, hæc tamen abſque rituum ceremoniarum celebratione ducitur, nec tanto apparatu atq; ſplendore domi tractatur, aut foras deducitur. Quamobrem, quamquam hæc Leuitæ e viro adiuncta fuiſſet, vnico tamen puero comite ſatis honeſtè atque decenter domum reducebatur. Ipſe autem perſonarum proſpectus, ſecuritatem omnem ciuibus promittebat: nempe viri vnius Leuitæ, puellam coniugem vel vxorem, vel vt habitus præferebat, concubinam deducentis, cum puero pediſſequo: quorum trium capitum facies inſpectioq; ipſa, nõ modò mali & incommodi quicquam, verùm negotij aut occupationis oppido oppidanis ve adferri negabat: ſed id exiſtimandum petebat, quod reapſe erat, nimirum nocturnæ diuerſionis & hoſpitalitatis egeſtatem, appulſionis aduentusq; exiſtiſſe cauſam.* Illucque diuerti. *In primæua lingua,* LALVN, ad noctem peragendam, *ſiue (vt vno verbo, eóque Latino, vnicum verbum reddamus)* Noctabundus. *nihil præterea negotij, aut moleſtiæ, aut curæ, aut occupationis ciuibus allaturus; nihil vſus mihi ibidem petiturus, quàm tecti copiam in vnius noctis tempus: nec cibum neq; aliud quippiam exigẽs, quod officij leuiſſimi genus neque hoſti cuipiam priuato, atque cum puella vxore eò appellẽti, ſalua humanitate negari poterat: ideo namque domus & oppida inſtituta ſunt, vt & dominis ſemper & peregrinis atque hoſpitibus, atque aliis eò ſeſe recipientibus, opportunè pro tempore præbeant ſecuritatis vſuram. Atque prima narrationis pars hæc fuit, in qua per expoſitionem & comparationem perſonarũ, & apparatus innocentiæ, ac ſimplicitatis eius, qui iniuria affectus fuit, oſtenditur, auditorumq; animi diuerſè mouentur hinc ad miſericordiam, illinc verò ad inuidiam, deteſtationem alterius partis, hoc eſt, eorum qui malum ſcelus admiſerint. Hinc itaque imago propoſita eſt hominis pij, ſimplicis, atq; innocentis, nullo apparatu, nulla negotij, vel grauis etiam hoſpitij ſuſpicione ad oppidum hominibus frequens diuertẽtis, cauſa tantùm ſecuritatis & quietis vnius noctis. Atque de inciuilitate & ruſticitate illa, quam primùm expertus fuerat apud illos (à nemine videlicet exceptus aut rogatus) ne verbũ quidem fecit: quippe cùm ea res, quamquam ad officij communis deſertionem referenda erat, ad iudicialem tamen definitionem non ita faciebat. exprobrari quidem ciuitati illi, dedecoriq; eſſe*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rusticitas illa & inhospitalitas plus quàm barbara; accusari verò, in capitaleq; crimen deduci non ita poterat, præsertim cùm leue istud videri debuit præ magnitudine, & grauitate, atque immanitate sceleris quod huic iam à se actæ & expositæ parti subiungit, & natura sua, & personarum atque rerum comparatione æstimandum censendumq; statuitur.

Et ecce homines ciuitatis illius circumdederunt nocte domum in qua manebam, volentes me occidere, & vxorem meam incredibili furore libidinis vexantes, denique mortua est.

Cvm actionis qualitas ex singularum rerum circumstantiarumq; æstimatione cognoscatur, verborum germana proprietas non ab re hoc nobis petetur exhibebiturq; loco: Et surrexerunt super me domini Gibghah, & circumdederunt illam domum noctu, visi parare occidere me, & concubinam meam oppresserunt, & mortua est. *Multiplex multaq; partibus immane & flagitiosum narratur scelus, cuius confirmatio iisdem ipsis narrationis circumstantiis & facti exitu constituitur. Primùm à deliberatione & facultate*: Homines ciuitatis illius: *non infimi aut obscuri, & ex postrema plebis fece, sed* BAGHALE HAGIBGHAH, *qui ceteris ciuibus potentia, viribus, & authoritate præcedere videtur,* BAGHALIM *dicũtur, quorũ videlicet ordinis officiũ fuerat, reliquũ vulgus ducere, moderari, & cõpescere, vel propter dignitatẽ & authoritatem, vel propter opes, Hispanicè*, Ciertos varones dueños de la Gibghah. *Ita ex maiorũ personæ notatione criminis amplificatur magnitudo. Auget etiã indignitatẽ oppidi ipsius appellatio, in quo ipsi huiusmodi quicquã iniurioſũ aut turpe aggredi, impudentissimũ erat, in propria videlicet patria, quãdo in externis locis minor esse solet ad facinus verecũdia.* Insurrexerũt super me. *deliberatũ scelus ipsa cõsensio & magna manus indicat, atq; etiã numerus exaggerat. Multi enim & conserti aduersus vnicũ & singularẽ, nihil huiusmodi merentẽ. Quod si vel ab vnico tantũ susciperetur, grauissimum duci opportuerat flagitiũ: ne dum à tot tantisq; admissum, tanto tumultu, tantaq; violentia peractum, idq; eo tempore, quo ipsis ad nefarij ausus opportunitatem commodissimum, mihi verò ad maioris metus perturbationem incertissimum & obscurissimum, atque ad fugam capessendam, latibulaue petenda, nulla ex parte idoneum, in loco ignoto, atque omni euadendi spe opportunéue destituto.* Namque circumdederunt contra me domum nocte. *ita vt nullum mihi tempus, nullus locus ad salutem superesset. Hæc omnia cùm verè narrata fuerint, plura simul inuoluebant crimina: nam locus singulari lege sanctus erat: neque enim homini in propatulo agenti vis illata fuit, sed in domum, quæ omnium gentium moribus certũ hominibus cauctis ac innocentibus & quietis præcipuè præsidium habetur: in quam vel impetus factus, quamquam res infecta euaderet, dignus vindice capitali esset erat, maximè verò cuius domus non hostis cuiuspiam, aut in alieno oppidum esset*

esset, sed in ipsa Gibghah, vbi illi domini ac primores erãt; & ex cõsequenti tutores assertoresq; esse debuerant. Ait verò, Super me, *siue*, Aduersùm me; *quòd ipse primum illius accipiendæ iniuriæ caput erat, quod peteretur; vtpote cuius res agebatur; cuiusq; vxor ad stuprum petita, si defensorem maritum, vt illi certè putabant, præmisisset, occidendum esse constabat, neque alio pacto effugiturum, aut vxoris pudicitiæ & incolumitati consulturum. quamobrem subiunxit*, Volentes me occidere, *siue*, Visi parare occidere me. *Hispani ex verbo*, Hizieron semejas de matarme. *Neque enim aliud ex illorum petulantia ac temeritate exspectari poterat, cùm præcipuè tum maxima obstinatione, me ipsum vt sibi proderet, flagitarent. Non meminit petitionis illorum ad senem factæ*, Vt cognoscamus eum. *namque tam illius mentem fuisse, nec ipse crediderat, nec res ipsa arguerat: sed necem sibi, si propugnare libuisset, certam stupri vxori inferendi: quod denig. maximè omnium, quæ vmquam audita sunt, nefarium fecere.* Incredibili furore libidinis vexarunt. *Omnia hæc ad vnicum verbum*, GHINV, *noster circumlocutus est interpres: adeò graue & inhumanum facinus significari intellexit. Significat autem verbum ignominiosam cõtumelioſamq; oppressionem: adeò verò hanc nefariam fuisse, vt mihi suprà exitus ipse declarauit.* Denique mortua est. *In exemplari coniunctio illatiua obseruatur, quæ certam illius contumeliæ efficientiam declarat, ac si diceretur, non modo contumelioſè, sed crudeliter, inhumanè, & insolenter in illam debacchatos fuisse ad necem vsque. nulla enim alia re aut occasione, quàm iniuriæ illius immanitate, mortem illi repentinam, & prorsus miserandam, nouo tormenti genere fuisse oblatam. Hactenus sceleris aliorum expositio narratioq; verissimè producta fuit, quæ ab illorum impetu ad puellæ vsq; obitum pertinuit: sed quoniam vltra hæc aliud quippiam immane in causa & iudicio esse videbatur, hoc est, cadaueris membrorumq; dilaniatio; id non illis, verùm sibi ipsi cœptum atque expeditum confectumq; adscribit Leuites.*

Quam arreptam in frusta concidi, misiq́ue partes in omnes terminos possessionis vestræ: quia numquam tantum nefas, & tam grande piaculum factum est in Israel.

Qvid ab illis admissum fuerat, vbi simpliciter (atque vt res erat) narrauit; quid ipse, & quo animo atq; consilio egerit, deinde subiungit: & causæ summam omnem ad vnum tantum caput sibi redactam persoluit. Est autem caput illud videlicet: Ante vxorem traditam se sibi vni, atque suis etiam fortasse cauisse & metuisse, pro periculi oblati magnitudine: verùm peracto iam ab illis facinore, nullam de salute sua, nullã de vltione propria vel postremam fuisse cogitationem, sed suam ipsius causam ad gentis omnis, hoc est, ad omnem Israelitarum remp. transtulisse, cuius grauissima maximiq; momenti res agebatur. Quod enim ad se attinebat, quamquam malefactores illi facinus non fecissent, sed tantùm aggressi, vel contentionem

Universidad de Deusto
Biblioteca

vltro remisissent, vel propulsationis vi coacti reliquissent; tamen tribus illis grauissimis criminibus sese inuoluerant, fidei, tutelæ, & societatis sine impietatis, quorum iudicium summæ existimationis & capitale est. verùm enimuero post tantam tamq; nefariam acceptam iniuriam, omnem sibi cogitationem ad publicam totius Israelis ignominiam, ad similis communisq; omnium periculum fuisse translatam. ideoq; nullam de funere vxori parando & adornando susceptam curam; maximam verò de illis monendis, & ad suam ipsorum salutem, pietatem, famam, ac dignitatem tutandam excitandis fuisse iectã solicitudinem, quod nullo nuntio, nullis litteris, epistolis, mandatis, aut pacto alio citiùs aut efficaciùs parari posse existimauit, quàm miserrimo & horrendo illo spectaculo exhibendo, cuius spectatores omnes pariter tribus fierent. Itaque post mortuam puellam quidquid actum erat, omne sibi ipsi imputat; & quo cõsilio peractũ fuerit, exponitur. nam quamquam nouum exemplum esset, humanum corpus in frusta concisum diuidere, & certis in locis publicè statuendas partes curare, idq; ab Israelita viro, Leuita, & religioni impensiùs adstricto, atque adeò marito, qui non nisi ingenti cum dolore animi illud iubere, nedum videre, atque adeò facere ipse potuerat; fuisse tamen sibi communem totius gentis suæ rationem omni priuata cogitatione antiquiorem, atq; adeò vehementem, vt & animo ad consilium, & manibus facultatem non defuisse affirmet. Quam arreptam. *Ex propriæ linguæ verbo,* Et apprehendi concubinam meam: & concidi eam. *Se id consilij singulariter cepisse, nullo monitore adhibito; se nemine adiuuante concidisse ait; se demum quoque misisse* In omnem terminum possessionis vestræ, *siue,* In omnem agrum hæreditatis Israel. *Legitimis verbis in exemplari est vsus, vt rem & causam illis ex lege cõmunem insinuaret. Nam quoscumq; illorum agrorum hæredes diuinum atque paternum constituerat ius, eosdem huius exempli opprobrium, infamia, & periculum attingebat.* Quia numquam tantum nefas, & tam grande piaculum factum est in Israel. *Ex primæuæ linguæ verbis illa duo adnotare operæpretium videtur,* Quia fecerũt ZIMAH & NEBELAH in Israel. *Nomen* NEBELAH *quid significet, in superioribus ostensum est;* ZIMAH *verò nomen est legibus cautum, à verbo* ZAMAM *deductum, quod cogitare, animoq; voluere, ac deliberare, demumq; constituere significat: atque ita* ZIMAH *idem apud nos definietur, quod deliberatum, concectum, ac tandem certum decretumq; scelus aduersus aliquem admissum, cuius pudicitiæ, decori, atque incolumitati prospectum cõsultumq; oportuit.*

Leuit. 18. *Exemplis autem ex lege petitis res ipsa fiet clarior. Turpitudinem vxoris*
» *tuæ, & filiæ eius, nõ reuelabis. Filiam filiæ eius, & filiam filij illius non su-*
» *mes, vt reueles ignominiam eius: quia caro illius sunt, & talis coitus* ZIMAH *est. Hoc loco Latinus interpres noster, pro rei, de qua agebatur, extimatione vertit,* Incestus est. Hoseæ 6. *& apud Hoseam: Galaad ciuitas operantium idolum, supplantata sanguine. Et quasi fauces virorum latronũ, participeps*

ticeps sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem: quia ZAMAH *operati sunt. Ex vtriusque loci comparatione, certa verbi huius constituetur significatio. Est itaq; cogitatum & commissum maleficium libidinis, aut commodorum spe, cum magno eius, cui fit, malo ac dedecore. vtramq; enim personam respicit vocabulum accipientis, & inferentis iniuriam. Hispani huiusmodi facinus,* hecho peñado, aleue, *siue* aleuosia *vocant;* Gallicè, grand mesfaict. *Atq; censura & nota* ZIMAH, *ad vnã quampiam, vel plures etiam interdum potest: vt authori opprobrio, ei verò, cui fit, ignominiæ adscribatur.* NEBELA *verò publicum dedecus, & communis infamiæ omni tum admittentium, tum ferentium, dissimulantium, vel tolerantium populo aut genti notam inurit: vtrumque verò simul in eodem facto coniunctum, definitoneq; constitutum, eos, qui causæ præsunt, ad iudicium maturandum impellit, maximè rem ad se attinere persuasos. Est autem oratio omnis, quæ hactenus habita est, mixta ex coniecturali, vel quasi coniecturali, atq; definitiuo statu. coniecturalis vicem narratio ipsa abũdè præstitit, vnà cum rei spectaculo quo factum constitit. definitiuum personarum, loci, temporis, atq; facultatis, & impulsionis circumstantiæ firmarunt, & nomina, qualia imponi deberent, protulerunt.* ZIMAH & NEBELAH. *Quæ quamquam exemplo in se edito constarent, sibi tamen non tanti fieri aiebat, quanti publici tum periculi, tum dedecoris curam & solicitudinem: quamobrem nec de adulterio, de vi, de cogitato ac deliberato homicidio, in definitione mentionem vllam fecit; quippe qui non suam ipsius, verùm communem & publicam iniuriam sibi ad agendum ab initio susceptam profitebatur. de legitima verò causæ constitutione nihil ad se amplius attinere, vtpote non priuatam, sed publicam rem persequutum. hoc est quod in peroratione subiungit:*

Adestis omnes filij Israel: decernite quid facere debeatis.

Ex *verbo:* Ecce vos omnes filij Israel: date vobis verbum, & consilium hîc. *Prudente occupatione culpam omnem præuertens, in officij ac pietatis nomen transtulit. Namque insimulari fortasse à quoquam poterat crudelitatis in mortua femina exercitæ, quod ille meritò potiùs sibi adscribendum indicauit, qui dolorem suum, ac propriam iniuriam in grauissima totius gentis re & causa sepelierit; neq; proprium ac priuatũ, sed publicum malum curauerit, cuius mali sese non iudicem, verùm iudicem certissimum præbuerit, facti veritate narranda & exponenda, quæ sceleris illius nefarium exemplum Israelitas omnes tangere declarabat, hactenusq; ipsum officio satisfeciisse suo, neq; vltrà quid agendum esset vel monere debere, sed neq; cogitare quidẽ, cùm ea, quæ ad communem & publicam pertinẽt rem, authoritatem ampliorem, quàm priuata, & multorũ consultationem possident. Atq; de authoritate & opportunitate, occasione & facultate primùm admonens, ait:* Adestis omnes filij Israel. *Operæpretium fuerit, meminisse*

Universidad de Deusto
Biblioteca

notationis temporum illorum, quibus hæc, & quæ superiùs proximè capitibus facta fuisse accepimus; cùm non esset Rex in Israel, qui in publica regni à se gubernandi commoda consuleret, curam sollicitudinemq; de magnis rebus omnem apud concilium ipsum gentis, atq; populi comitium excubare, vti paulo pòst diximus. quamobrem cogitandi, deliberandi, & censendi, statuendiq;, & legitimam constitutionem inueniendi negotium ipsis, quorum intererat, agendum permittit. Decernite quid facere debeatis. *siue,* Date vobis verbum & consilium hîc. *Temporis ac loci opportunitatem nullam posse meliorem, quàm præsentem, apud sacrum sanctumq; tentorium constitui, re adhuc recente & calente, de qua, quidquid placeat, inquirent sit facillimum, animis propter nouitatem & magnitudinẽ rei vehementer perculsis, copiis ad quiduis consulendum, decernendum, statuendum, ac demum conficiendum coniunctis, sententiis multorum conferendis: ideoq; dicit,* Hîc, HALOM. *temporis, loci, cõmoditatumq; omnium præsentẽ copiam significat vox. duo autem paranda cõmendat verbum, in quo animi agitatio & sententiæ propriæ prolatio est:* Et consilium. *ad quod sententiarũ communicatio, deliberatio, atq; decreti faciendi ratio refertur. Nullum autẽ sapientum decretum esse debet, nisi comprehensum, præceptum, & cognitum: ideoq; vtrumq; coniungit nomen* DEBAR & GHETSAH. Verbum & consilium. *eaq; certæ personæ adiunxit,* Vobis. *quorũ videlicet res agitur, & periculum commune: neq; verò, vt iudicent, postulat; sed, vt sibi cauant, prædicit. Quoniam vt homines omnes bona naturâ appetunt; sic à malis naturâ declinant: quæ declinatio, si cum ratione fit, cautio appellatur. ea intelligitur in solo esse sapientum consilio: cuiusmodi cõsilium Israel nomine appellato indicatur. Namq; & ita cogitare, siue dare verbum, ita consulere ac prospicere sibi monet, vt filius Israelis dignè actũ dici possit: non tumultuarium aut vulgare vel verbum, vel consilium, sed quale Israelem omnẽ oportcat atq; deceat. Atq; hoc monitu ad illius antiqui Israelitarum filiis de vlciscenda domestica iniuria aduersum Sichimitas deliberationis exemplum tacitè allusit. Atque ita suam, vel populi potiùs causam, Leuites vir in comitio publico perorauit.*

Stansq̃ omnis populus, & quasi vnius hominis sermone, respondit: Non recedemus in tabernacula nostra, nec suam quisque intrabit domum.

DECRETVM, *decernendiq; ratio, pariter vna eademq; communi omnium sententia cõtinetur; cum significatione authoritatis eorum, qui decernerent. Ac primùm habitus & gestus ipse notandus, qui deliberati animi index est. Vt enim in senatu olim, qui sententiam dicit, stare; & qui dicenti subscribit, pedibus ire solet: ita in comitiis, & populi conuentibus, placiti ac sententiæ significatio corporis situ & habitu magis quàm verbis fit: verborum enim à multitudine pronunciatorum sensus ipso sese clamore & strepitu*

pitu confundit & obscurat, quem vel sessio, vel statio, vel discessio meliùs, certiùs, promptiusq; declarat. Communem itaq; causam iudicatam, cõmunem sententiam probatam ac definitam, ijsdémque verbis nulla variatione pronunciatam, notatio illa significat: Stansque omnis populus, & quasi vnius hominis sermone respondit. *in exemplari:* Et stetit omnis populus vt singularis vir vnicus ad dicendum. *Habitus authoritatem, & certum indicat animum.* Quasi vnius hominis, *singularitatem pariter & communionem significat. Primùm namq;, gentium omnium antiquus mos est, vt quàm diu Respub. aliqua Rege caret, cuius consilio & imperio gubernetur, populi totius conuentus & cõsensus vel Regias partes, vel plus quàm regias, interdum agat. Quippe Regem constituendi, populi authoritas est, cum nemo hominum Rex naturâ exstiterit; Rex verò populum sibi creare posit minimè. Quòd si populi cõmune suffragium Regis institutio spectat, ea quoque quæ in cõmune statuẽda sunt, vbi nullus fuerit, qui præcipuè imperet, communis consilij & authoritatis esse nihil vetat: idq; cum primis locum & vim sortitur, vbi nullius neq; publicæ, neq; priuatæ personæ cõsensus requiritur. Hoc autem cùm in natione omni fuerit legitimum, tum verò in Israelitarum gente maximè, quæ nõ vnius tantùm religionis ac Reipub., sed vnius etiam familiæ & sanguinis, atq; adeò vnius paterni nominis communione coniunctissimi erant; & quidquid in concilij formâ consentientes conspirantesq; decernerent, sanctum, & plus quàm regium statutũ haberi poterat, cùm in hoc, argumentoq; omni alio, cuius certa nõ esset præscripta lex; tum verò præcipuè in ea causa, quæ ad publicam omnium salutem ac dignitatem attinere censeretur; qualis ista fuerat, in qua non consilij modò, verùm & dictorum ac verborum tantus exstitit consensus, vt, quod populus omnis dixerit, velut vnius singularis viri voce pronunciatum censeretur. Fuit autem vnicum decretum gemino instructum edicto, quorum prius illud commemoratur:*

Non recedemus in tabernacula nostra, nec suam quisque intrabit domum.

EDICTVM *prius graui, & prudente, & seuera deliberatione, quamquam breui tempore, tamen publico & communi habita consilio & cõsensu exstitit. Nam tanta multorũ ingeniorum cõstantia, consultationis vel longioris etiã vim ponduseq; præstitit: ad huius verò decreti maturationẽ, præiudicata iam rei notitia publica maximum attulit momentum, vt mox indicabimus. Principiò igitur causa illa omnis, vti communis atq; publica, receptа est, quæ non tantum nota atq; infamia apud alias gentes, posteriorũq; temporum memoriã producenda. (quæ inter ea, quæ maximè vitanda sunt, numerare præcipuè solet) quantũ de omnium ipsorum ac singulorum capite ac salute curam suscipi oportere decretum est. Tanta enim esse solet sceleris cuiuspiã publicè initi & admissi vis, vt, nisi matura iudicij seueritate compescatur*

Universidad de Deusto
Biblioteca

pensetur aut vindicetur, exemplo suo ad communis exitij periculũ vsq; procedat. Nam quod à priuato quopiã singulari audacia vel temeritate factum fuerit flagitiũ, & à pluribus damnatur, & pœnis etiam subijcitur priuatis, tantumq; vni vel personæ, vel familiæ, hoc est, ei, aduersum quam admissum est, nocuisse, aut ei cõtrà, à qua fit, infamiæ ac dedecori fuisse censetur; cuius exemplum horrere magis cæteri, quàm sequi solent. Quæ verò iniuriæ à populo, vel populi primoribus cõmuniter in quempiã inferuntur, ipsa inferentium authoritate licentiã aliis ad imitationem præbent. Nescio enim quo pacto, vnde nam potissimùm hæc publici exempli pessima contages breuissimo tempore tam latè pateat, vt non solùm insolentiores ac temerarios, verùm etiã eos qui cordatiores existimari possint, contaminet; adeò vt nemo sibi certam securitatem promittere, neq; perpetuam puritatem profiteri audeat. Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua, nedum libidinosorum ac sceleratorum hominum publica, communis, & non inulta modò, verùm etiã defensa consuetudo. Quamobrem sacerdotũ ac principum peccata, etiã per errorem admissa, diuinis legibus, non cõmuni aliorum, verùm singulari ac notabili sacrificio expiari debere constitutũ est, ea præcipuè quæ nomine ASSAM, *id est, exemplaris delicti notanda sunt. Ita publica peccatorum impura lues, non vicina modò, sed remotiora quoque pollait loca, vbi alij aliis eadem imitando, si obsequi libeat, aut paria atq; maiora etiam contendendo & vlciscendo faciunt. ad quod mali exempli genus dissuasio illa*

Osee 4. *apud vatem pertinet: Si fornicaris tu Israel, non delinquat saltem Iuda.*
» *Nolite ingredi in Galgala, nec adscenderitis in Bethauen: neq; iurauerritis,*
» *Viuit Dominus. Quoniam sicut vacca lasciuiens declinauit Israel. Serpit autem illud insitum naturà malum consuetudine peccandi libera, finẽ vt audaciæ statuere sibi non possit; cui ipsis principiis cauendum obsistendumq;*

Deut. 17. *esse, ratio docet, atq; diuina censet lex: Auferes malum de Israel, cuncti*
» *populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia. Igitur vno eodemq; populi constanti responso, duo significata sunt pariter; quorum alterũ indicatiuo, alterum vero imperandi verbo ac modo Latinè sunt nobis explicanda: ita vt eodem sermone & concilij sententia, & sententiam consequens edictum contineatur: sententia quidem, qua multiplex immanis sceleris periculum commune omnium esse definitum est; edictum verò, quo de vlciscendo flagitio, & auertendo exemplo, decretum pronũciatumq; fuit. Hæc ita explicamus. Principiò definitio facti, quam Leuita adhibuit, siue informatio verbi, publicè recepta ac probata fuit. appellauerat enim scelus il-*

עוֹן פִּלִּילִי *ludZIMAH, vt iam adnotauimus; quod diserti in illa lingua viri,* GHAVON PELILI, *interpretantur, hoc est, immane, prodigiosum, stupendumq; scelus: idq; vel nomine ipso vltione atq; expiatione dignissimũ censetur. Deinde verò huius exempli partes omnes notandæ, & singulis ipsorum, qui aderant, metuendæ & cauendæ statuuntur. Notationum verò genera illa sunt: hospitij officium, quod & alienis negare nefas fuit, ab omnibus illius vrbis ciuibus publicè & communiter desertum, & ab vnico aduena susceptum. Ad hæc verò hospites ita affectos euadere, vt & ipsi grauissimam patiantur iniuriam; & is, à quo susceptí fuerint, damnum & contumeliam accipiat: ex quo sequitur, non modò diuertendi, ac sese in oppidum vel tectum aliquod recipiendi copiam deinceps nulli futuram, verùm neq; vias ipsas vlli mortalium tutas aut liberas constituras. Porrò autem hoc ipso facto Sodomiticum illud scelus instaurari, quod omnibus gentibus & seculis notum, nisi nunc seuerè puniatur & expietur, idem demum Israelitis omnibus exitium minetur, quod quinque illis vrbibus quondã attulerat: illud autem præiudicium diuinum, quid in hac eadem causa agendum conficiendumq;, vel, si negligatur, quid metuendũ exspectandumq; sit, ipsis apertè ostendisse. Quamobrem publico omnium incommodo & malo vtrauis ex parte certo quàm primùm prospiciendum, & quàm celerrimè occurrendum, &, ne calamitas remorata longiùs serpat atq; progrediatur, præcauendum. Sensu itaque aperto, orationis formulas Latinè statuimus huiusmodi: Nemini nostrũm liberũ in tabernacula sua iter iã deinceps cõstat, sed neque vlla intra propriãs ædes securitas cuipiam erit, quando hic vir huiusmodi periculum subierat, dum in foro maneret; ac demum tantam iniuriam passus est, quamuis in hospitium receptus, deprecatorem ac defensorem sortitus fuerit hospitem, virum fortem, qui hospitis incolumitati, propriæ familiæ decus & integritatem posthabuit. Atq; hoc pacto oratio illa,* Non recedemus in tabernacula nostra, *Indicatiui verbi est, hoc sensu: Non expedit ergo cuiquam nostrũm in propriam vrbem vel hinc discedere, vel domi suæ tutos fore sperandum, quando huic in suum tabernaculum redeunti, & in boni viri ac tutoris ædes recepto, securè pernoctare non licuit. Quamobrem huiusmodi vt malum, in quo iam penè sumus, nobis propulsetur, prouidendum protinus, curandum, & expediendum est; ita vt nec singuli ex nobis, neq; multi pariter, propriam patriã repetamus, aut domum subire antè cupiamus, quàm vtrumque liberrimè agere, sine vllo metu, vel suspictione vlla, possimus. Hispanicè:* Desta hecha no yremos à nuestras tierras, ni entraremos en nuestras casas. *vtriusque modi vim Hispanicè hæc oratio exprimit. Quemadmodum verò huiusmodi malum corrigi possit, idq; quàm maturrimè, communi omnium consilio & consensu, atq; certo rerum ordine constitutum est:*

Sed hæc contra Gabaa in commune faciemus.

COMMVNIS *rei correctionẽ communiter suscipi decretum est: eamq; cum primis vnius tantùm vrbis castigatione tentari, eius vnde prima labis illius origo exstiterat, nulli præterea vel oppido, vel capiti, labore aut periculo offerendo. immo communi etiam atq; publico sumptu, quantũ ad conficiendam rem opus esset, vti placuit: & ne cuipiam grauiores & iniquiores imponerentur partes, atq; ratio omnis quàm æquissimè expediretur, ad sortis*

Universidad de Deusto
Biblioteca

religionem & munia, & onera, & ministeria reuocata sunt. In primæua lingua sic: Et nunc hoc verbum quod faciemus ipsi Gabaa, super eam in sorte. *Cuius versus hemistichium*, Super eam in sorte, *Græcus interpres ita explicuit:* ἐπ' αὐτὴν ἐν κλήρῳ: *Adscendemus super eam in sorte. Chaldæus verò paraphrastes latiùs adiunxit verbũ,* NITHMANE GHALEHA BEGHADBA: *Numeremus super eam in sorte. vt nec temeritate, nec furioso populi impetu, sed certo numero, eoq. noto & explorato, atq; per sortitionis catalogum præscripto, res ageretur, maturo consilio rerum, personarum, & munerum, ac magistratuum digestis & conseruatis ordinibus, nempe in hunc modum.*

Decem viri eligantur è centum ex omnibus Israel, & centum de mille, & mille de decem millibus, vt portent exercitui cibaria, & possimus pugnare contra Gabaa Beniamin, & reddere ei pro scelere quod meretur.

MEMINERIMVS *comitium istud tributum, curiatum, & centuriatum fuisse; quod genus maxime iustum ac legitimum habebatur: ita vt singuli per suas tribus, curias, centuriasq. diuisi, vel suffragia, vel sententias ferrent, vel munera ac ministrationes, aut alias partes susciperent. Igitur prima sors à centurijs cæpta fuit, ex quibus decimi quique ad cibaria reliquo populo paranda destinarentur, quam primam in omni expeditione esse oportet curam. hæc vt æquè ac pariter ab omnibus & in omnes susciperetur ac perageretur, neq. quisquam alteri vel plus detraheret, vel plus exigeret, vel amplius aut liberaliùs erogaret, par numerus, eodémque pacto ac modo exceptus, in singulis tribubus fuit constitutus.* Vt cõportet exercitui cibaria, &c. *ex verbo sic:* Ad accipiendũ cibaria populo, ad faciendum ad aduentum illorum [ipsi] Gibgha Biniamin, sicut omnem HANEBELAH, quam fecit in Israel. *Complures autem missos oportuit cibariorum curatores, vt faciliùs, breuiùs, & expeditiùs res illa conficeretur: neque cuiquam ante comportatam annonam quicquam incipere vel tentare licuit. Atqui præter animaduersionem in sceleratos illos nefarij flagitij authores consequentem castigationem oppidi, nihil præterea initio fuit aut cogitatum, aut decretum. in eam rem diligentia omnis excitabatur:* Sicut omnem HANEBALAH, quam fecit in Israel. *quod in Israel dedecus illatum fuerat per certos impuros Israelitas, id omne in Gabaa Beniamin transferendum, certis illis authoribus punitis: ita vt populo omni infamia propter seueram vindictam sublata, eos, quorum in patria malum commissum fuerat, & malefactorum supplicio, & rei actæ atque vindicatæ memoria notaret: ne quisquam dicere verè posset, Apud Israelitas huiusmodi exstitit exemplum: sed, apud Gabaenses tantùm; ne id tamen impunè latum est.*

Conue-

Conuenitque vniuersus Israel ad ciuitatem quasi homo vnus, eadem mente, vnoque consilio.

DELICTVM *& scelus quodcumque, quamquam probrosum nimis, quod tamen ab vno, vel paucis, vel temere, vel consultò suscipitur, nisi cæterorum vel negligentia, vel dissimulatione impunitum, vel aliàs defensum euaserit, nullo iure, nullo; pacto vel populum, vel vrbem, vel gentem aliquam infamare potest: imò seueritatis potiùs atque iustitiæ nomine commendare debet, vbi iusta & cõtumelia vacante animaduersione fuerit matura pœna compressum. Quamobrem huiusmodi iudicij expediendi cura ita singulis inita est, vt, quamquam publica exstitisset, non minore cõcordia & constantia sustineretur, quàm si vnius ac singularis viri fuisset.* Quasi homo vnus. *Ex verbo:* Vt vir singularis vnicus socij. *Quorum verborum constructio, non in consilio modò, sed in opere, labore, atque cura neminem esse, qui non aliis sese coniunctissimum præbere vellet. Namque ita & flagitium singulare, & punitio publica censebatur.*

Et miserunt nuncios ad omnem tribum Beniamin, qui dicerent, Cur tantum nefas in vobis repertum est?

IVSTITIÆ *primum munus esse dicitur, vt ne quis cui noceat, nisi lacessitus iniuria: sed hoc apud hostes etiam seruandum commendatur. cùm verò iniuria ab ijs fit, à quibus nemini timenda, nedum exspectanda fuit; ab iisdem ipsis corrigi debet, antequam ad discordiam, ciuilia q. dissidia, & bella res deueniat: quo in loco & statu, communicatione iudiciorum & cura potiùs, quàm vi aut priuato consilio decerni oportuerit. Atque hanc rationem cum Bẽiaminitis inire ac tenere, cæteris Israelitarum tribubus, consentui videlicet concilioq. omni, placuit: vt scelus quod ipsis magnopere displicuerat, non tantùm sua ipsorum, sed multo magis etiam Bẽiaminitarum, apud quos editum fuerat, honoris ac dignitatis causa vindicandum expiandumq. susciperetur: atque hoc pacto nullus causationi, querelæ, vel excusationi, vel reprehensioni, aut simulationi apud Beniaminitas relinqueretur postea locus, quamcumque in partem demum res caderet. Nam si illi, vt vis ratioq. exigebat, expurgare, ac suspicionem omnem à se dimouere studerent, antequam ad vim & arma descenderetur; & pulchrè sibi & vtiliter consuluisse, & eodem quo cæteri pacto in commune prospexisse visi omnem infamiæ notam effugere, imò laudem quoque meruisse, atque communem causam dignitatemq. curasse viderentur: sin verò aliter constituissent, nihil cæteris tribubus quod quererentur præterea haberent, aut quod exciperent; imò si quid durius paterentur posthac proteruitatis ac cõtumaciæ damnati, culpam omnem non alij, quàm sibi ipsis, tribuere poterant. Quamobrem quamquam illi in concilium venire noluissent (quod iam fraudi, vitio, atque crimini versum oportuit) admonentur tamen denuò, & ad communis, imò magis ipsorum propriæ causæ, atque adeò ignominiæ curam aduocantur &*

Universidad de Deusto
Biblioteca

excitantur. Primum itaq; decretum fuit, iudicio atque moribus expediẽdum esse. Igitur qui missi sunt nũcij, non leues, aut ex media plebe temere delegati, neque cursores aliqui aut præcones fuere, sed ANASIM, *viri delecti, & quos seuerè, fortiter, atq; modestè acturos constabat: quibus tamen non est libera permissa legatio, sed certo mandato ex cœcily authoritate præscripto, quo & rem indicatam, & quid demum agendum esset, quid petendum, cum certi & constituti iudicij significatione contineret.* Qui dicerent. *non suis, verùm totius ecclesiæ verbis:* Cur tantum nefas in vobis repertum est? *Latinè interrogationis nota ipsa sese indicat ad acclamationem admirationemq; properare, quam primæuæ linguæ sermo apertè ostendit:* Quid illud malum hoc, quod fuit in vobis? *Latinè dici posset:* Quidnam tantum istud malum apud vos exstitit? *Substantiuum passiuè enunciatur, ea, quam superiùs indicabamus, ratione. Hispanè,* Que es esto tanto mal que ha apareçido en vosotros? *ita vt iisdem ipsis malum illud detrimento, damno, dedecorique fuisse primùm, deinde ad omnem Israelem pertinere indicet mandatum. Cuius prior pars ad definitionem facti, cum detestatione coniuncta refertur. Posterior verò iudicium, præiudicium, atque legem continet, & consensum etiam sententiæ abipsis exigit.*

Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, vt moriantur, & auferatur malum de Israel.

POSTVLATIO *omnis diuina lege facta, non solùm legitima, verùm religiosa habetur: fuerat verò scelus illud multiplex, multisq; statutis cautum, ac non vni tantùm pœnæ supplicióve obnoxium, sed pluribus potiùs mortis generibus vindicandum, quamquam priuatum fuisset factum, & vnius tantùm vel personæ, vel familiæ incommodo & contumelia admissum, nedum hoc quod à pluribus in multorum, atque adeò in totius Israelis opprobriũ fuerat peractũ. Est autem hoc postulationis genus æquissimum, quippe quo tantũ ij postulãtur, qui facinoris authores habebantur: nec vno illo contenti fore existimari poterant, quibus quicumq; parceret innocentiæ insidias & crudelitatem moliri credendus erat. Itaq; non parentes, nõ amici, non cognati, aut si qui hactenus istorum fortè defensores tutoresve exstiterant, postulantur; sed eos quos nocuisse constat, quosq; vlteriùs etiam nocituros prudens & legitima suspicio esset.* Homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt. *Ex verbo:* Et nunc date illos viros filios Beliaghal. *Gallicè,* Ces enfans de ville perdus. *Italicè,* Li figlioli guasti. *Quos non solùm telluris inutile pondus, verùm pestes & luem terræ haberi ducíq; legitimum est.* Tradite. *vt commune & postulantibus, & iis à quibus postulabatur, iudicium esset, simpliciter dicitur,* Tradite, *quod Latinus dicere solet, producite. Verbum de piratis, latronibus, & huiusmodi sceleratis vsurpatum: qui cùm iam damnati ex carcere ad supplicium rapiuntur, produci dicuntur. Ita honesta appellatione Beniaminitæ, tamquam*

custodes illorum malefactorum, adeũtur: qui si, vt postulabãtur, paruissent, excusari poterant, quòd non conuenissent in concilium; vt qui sese illorum flagitiosorum custodes præbuisse dici possent, & exspectasse cæterarum tribuum sententiam, quam ipsi secuti iuuarent. sic itaq;, vt carceris præfecti compellantur, producite perditos istos, qui nobis & vobis facto exemploq; suo plurimũ intulere incommodi & ignominiæ; & si euaserint, plus etiam allaturi putantur. Vt moriantur. *nõ vt crudelius aliquid ferant, vti digne fuerant, sed vt moriantur ex iure & lege, sententiaq; iam lata, & præiudicio aliorum, qui minoribus delictis damnati, ac producti, occisiq; sunt: isti verò morte tantùm stuprum istud nefarium luant, & ignominiam cõmuneq; omnium nostrum probrum expient. Nec enim mirum apud alias nationes, vel apud posteros videbitur exstitisse huiusmodi flagitium aliquãdo, dũmodò nõ impune latũ, authoribus tantùm ipsis fraudi & opprobrio fuisse fama diuulget.* Vt moriantur. *communi nostro & vestro iudicio. nam vel eo ipso quòd sunt filij Beliaghal, è medio tolli merentur, nedũ cùm tanti flagitij damnati sint, ijq; vno tantùm in oppido, quod vindicatum cæteris Israelitis nec fraudi, nec ignominiæ fuerit, impunitum verò, omnibus probrosum exitialeq; euadet: cuius generis exemplum, legitima & præiudicata animaduersione exstinguendum, iura toties repetita sententia præcipiũt: Auferes malũ de Israel.* Et auferatur malũ de Israel. *Grauissima & scelesta peccata, atq; perniciem publicè suo exemplo trahẽtia, huiusmodi verborum formula describuntur:* Malum de Israel auferatur. *In primæua lingua verbũ* NIBAGHERAH, *ab igne translatũ, Latinè verti solet in exstinguí, atq; hoc loco vsurpatum, magnum omni populo atq; Israelitarum reip. minatur incendium, nisi matura seueritate iudicij compescatur: nimirum scelus eiusmodi libidinosi vitij, ad quod plerique omnes iuuenes proclines habentur, tanta impudentia, ac demũ impunitate à viris, iisdemq; primoribus populi vnius, admissum. Hæc fraterna legationis atq; postulationis publicæ summa ratio agumentatioq; fuit ad Beniaminitas omnes exposita.*

Qui noluerunt fratrum suorum filiorũ Israel audire mandatum.

IN *exemplari:* Et noluerunt Beniamin audire vocem fratrum suorum filiorum Israel. *Quo iustior & æquior, atq; magis officiosa causa, quo temperantior actionis modus, eo maiori crimine contempta, & tram molita est maiorem eorum, qui spreti fuerunt, & dissidiorum atq; publicæ animaduersionis consilium & voluntatẽ vehementiùs incitarunt, & probatiorem quoq; reddiderunt. Meminerimus verò examinis verborum, quæ in huiusmodi actionibus apud sacros scriptores vsurpantur: vt singulis propriam ac singularem significationem tribuentes, rerum ipsarum pondera ac momenta rectiùs exactiusq; subducamus. Est autem magna comparationum in vnoquoq; verbo vis & efficacitas. Hinc summa authoritas filiorum Israelis, de publico & communi incommodo opprobrioq; decernentiũ: summa humani-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tas actionis;quippe quorum legatio non hostili,sed fraterno modo,sermone, & monitu, nomine atq; æquo iure fuerat peracta;idq; communi omnium consilio,iudicio,sensu,atq; mandato:vt cætera multa taceantur, quæ de re ipsa, de personis,de aliis circūstantiis repeti poterant: tamen omnia illa non solùm repulsa reiectaq; sunt,quod grauissimū crimen fuisset; sed adeò spreta & contempta,vt neq; audita quidem,imò neq; digna habita,quibus aures præberentur,nedum quibus obsequerentur auditores; quod in re tanta,vsq; adeò nefaria,portentosum,piaculoq; dignum,publica censura existimatum est. Noluerunt audire.*vel audire etiam, nedū obsequi. & quoniam publica ac communis causa erat,non negligenda iudicata fuit, verùm maximè vrgenda & vlciscenda;tum propter diuinam legem, quæ in huiusmodi voluntariis & obstinatè defensis flagitiis minimè conniuendū esse sanxerat; tum etiam quòd illi de asserenda Israelitarū dignitate & fama non conspirauerant modò,verùm voto iam sese adstrinxerant,in hanc formulā:* Non recedemus in tabernacula nostra,nec suam quisq. intrabit domum. *Itaq; magnum scelus & iudicio vindice dignum fuit,fratrum mādato aures negasse: longè verò maximū,ad fontes defendendos,aduersus totius Israelis dignitatē & salutē arma capessere, & huiusmodi immane scelus communi cōsensu atq; labore,sumptu,& modis omnibus propugnādū suscipere.*

Sed ex cunctis vrbibus, quæ sortis suæ erant, conuenerunt in Gabaa, vt illis ferrent auxilium, & contra vniuersum populum Israel dimicarent.

Causa *ipsa atque deliberatio,nec non & consensio,propositiq; contumacia,& opera etiam certo consilio adhibita,arguit populum istum aliis iam huiusmodi sceleribus inuolutum & obstinatè contaminatum,diuino iudicio ad ferendas pœnas sese comparasse,sicuti de Pharaone,deq; Sodomorum ciuibus populoq; legimus. Namq; aliàs quæ tanta dementia, quæ impudentia,quæ demum impietas fuit,vnicam tribum propter paucorum ex vno oppido sceleribus magnis contaminatorum impunitatem, humana omnia diuinaq; iura contemnere,fraternum fœdus rumpere, & intestinum ciuileq; bellum suscipere voluisse, paucos aduersus quam plurimos, & causa,iure, atque viribus longè meliores,armis instructiores,& ,quod maximè fuerat formidandum,voti religione constrictos, atque legibus impulsos diuinis, proq; salute ac dignitate pugnaturis? Nempe dementissima sententia existimanda est hominum ob propriàs culpas in reprobum sensum deditorum, cuiusmodi exempla quoque in Chananæorū vrbibus & gentibus antea exstiterant. Illud verò maximæ insolentiæ adscribendum fuit, quòd non solùm ciuile,verùm etiam hostile bellum sese suscipere velle declararunt isti, nimirum nomine iam diuiso à cæterarum tribuum communione, & priuatum ac singularem titulum sibi profesi,* Contra vniuersum populum Israel dimicarent. *In exemplari vtriusque partis nomen appellatur:* Et coacti

coacti sunt filij Beniamin ex vrbibus illis Gibgha, tam ad prodēdum in prælium cum filiis Israel. *Ipsi sibi patrem proprium titulo & imaginibus adscribunt,æmulosq; sese prædicant cæterorum omnium, quos filios Israel seorsum tamen à se appellatos volunt. Demum non omnes promiscuè bellum capessunt;sed delectu virorum habito, numerum cōficiunt pugnatorum pro vrbibus illis magnum quidem,quamquam pro cæterorum Israelitarum ratione exiguum,quem tamē eorum, qui suas partes acturi præcipuè deligebantur, dexteritate æquandum putarent.*

Inuentiq́ue sunt vigintiquinque millia de Beniamin educentium gladium,præter habitatores Gabaa, qui septingenti erant viri fortissimi, ita sinistra vt dextra præliantes: & sic fundis lapides ad certum iacientes,vt capillum quoque possent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur.

Recensionis *huius à Beniaminitis facta ratio illa fuit, vt præter oppidanos ipsos vrbis Gibgha,quorū numerus non exprimitur,vigintiquinque millia pugnatorum in illam expeditionem prodierint:ex his verò summa vna cum Gabaitarum accessione septingenti inuenti sunt; quibus quamquam impedita dextera esset, atque ideo ad gladium & hastā inepta, iaculationis ac fundæ assidua exercitatio admirabilem ad pugnam vsum præbuerat,alligatis nimirum ad brachia fundis; nam vbi intenderis ingenium studiumq; valet. Quod quidem exemplum ad superbiæ & insolentiæ cumulum illis accessit,sibi victoriam promittentibus,qui illum paruum numerum,hoc modo impeditum, tamen inter selectissimos quosque ponendum esse iactarent; cæteri omnes integris membris viuidoq; robore atque animo promptissimo haberentur: quod Græcus interpres ἀμφωτεροδέξιοι, Latinusq; hunc secutus,ambidextri,vertit. Verbum primæuū* ITARIADIEMINO, *impeditum dextera sua,describit Chaldaica lingua;& interpretatio,*GEMIR BIDEH DEMMINA, *explicat;cuiusmodi Aod ille iudex fuerat,cuius in superioribus historiam legebamus.* Et nequaquam in alterutram partem ictus lapidis deferretur. *Verbum antiquum* HHATA, *errare,fallere,ac peccare significat: Latinus in huiusmodi sermonibus,fallere,vsurpat eleganter. Hæc itaque Beniaminitarum recensio, hac eadem iactatio & arrogantia fuit. quæ tamen cum oppugnatorum exercitu comparata,vel manifestam proderet insaniam; vel diuini iudicij sententiam,vti dicebamus,indicaret.*

Virorum quoque Israel absque filiis Beniamin inuenta sunt quadringenta millia educentium gladiū & paratorum ad pugnam.

Quis *enim Rex,iturus committere bellum aduersus alium Regem,non* Luce 14.
sedens priùs cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longè agente,legationem
mittens

Universidad de Deusto
Biblioteca

mittens rogat ea quæ pacis sunt. Hæ autem vtriusque partis causæ, hic animus, hic apparatus, hæc fuerat promptitudo. Igitur bellum à Beniaminitis ex contemptione, proteruia, contumacia, & simultate; ab Israelitis verò, ex ira iam, & ex indignatione, & contemptionis impatientia decretum & susceptum, quemadmodum vtrimque gestum fuerit, singularibus ac variis euentis narratur; cuius ratio vt summa percipiatur, ad odium iam potiùs, quàm ad pietatis curam & studium referenda est. namq; hactenus iudicio actum fuerat; nunc verò vtrorumq; animi ad propriæ iræ explẽdæ & vltiscendæ cogitationem conuersi sunt. De Israelitis primùm agitur.

Qui surgentes venerunt in domum Dei, hoc est, in Silo: consuluerunt que Dominum, atque dixerunt, Quis erit in exercitu nostro princeps certaminis contra filios Beniamin? Quibus respondit Dominus, Iudas sit dux vester.

EXPOSITIO, Hoc est, in Silo. *consultò interposita est ab interprete nostro; ne videretur oraculum ex altero illo loco petitum, cui nomen à Iacobo factum fuerat Bethel. Nam quamquam oppidum illud antè* LVZA *vocitatum, non longè à Siloh disitum esset; tamen in Beniaminitarum agro recensitum Iosue historia docet. sed cùm Bethel domus Dei, siue domus valentis, significet; tabernaculum quod in Silo erat, hoc nomine nuncupatur in loco: quoniam ex multis nominibus siue cognomentis Dei, id nunc opportunè appellabatur, quod ad fortitudinem refertur; quippe cùm de bello agebatur. solet verò ab antiquioribus Israelitarum scribis duplici nomine vetus illud fanum dici,* MENVHHAH, *&* HAHALAH, *id est, requies, & hæreditas. Requies ea dicitur, in qua sacra longo tempore facti tata sunt; eadem verò apud* SILOH *statuitur: Hæreditas autem seculorum domus dicitur, id est, ea quæ postea Ierosolymis erecta fuit, & tamen vtraq;* BETH ELOHIM *frequenter, & ex temporis atque rerum ratione* BETHEL *dicitur. Itaque consultò nomen* BETHEL, *Latinè interpretatus expositione adiuncta declarauit: ne quis voce ipsa ductus, mutatum oraculi putaret locum. Atqui oraculum de duce tantùm consultum interrogatumq; fuit, idq; simpliciter, nullaq; de victoria dubitatione; quippe cum magna illis esset armorum armatorumq; fiducia, nec non & causa censeretur honesta, cuius tamẽ minor iam ratio, quàm propriæ iræ, habebatur. De cõsultatione singulari responsum etiam redditum est singulare, quod sciscitãtibus cognoscendum fuerat, antequam pugna susciperetur:* Iudas sit dux vester. *Namque hoc antea à parẽte communi omnium prædictum, aliis etiam fuerat confirmatum responsis, neque à Deo immutabili hactenus mutatum. hoc itaq; relato responso, nec præ iræ tumultu ac festinatione expenso & cognito, bellum geri cœptum est, idq; infelici euentu: quamquam nihil in ciuilibus bellis feliciter cadere potest, dum & victoris & victi nec minor luctus, nec impar spectatur calamitas; atq; nisi maxima res instet, & diuina voluntas constet, formidanda vitandaq; prorsus huiusmodi mala censeantur.*

Statimque filij Israel surgentes mane, castrametati sunt iuxta Gabaa.

FESTINATIONEM *& moræ impatientiam significat horæ notatio,* Surgentes mane. *contemptionem etiam locus,* Iuxta Gabaah.

Et inde procedentes ad pugnam contra Beniamin, vrbem oppugnare cœperunt.

IN *primæua lingua prælioram series indicatur, initio à prouocatione facto, hoc pacto: Primi Israelitæ iuxta vrbem constiterunt, & filiorum Israelis nomine atque vociferatione Beniaminitas ad pugnam lacessunt. Illi verò non segniùs conditionẽ accipiunt, & animis, & viribus, atque dexteritate confisi, & loci præstãtia superiores sibi visi, vt qui ex superiore prodeuntes in eos, qui decliui erant, impetum facerent. Siquidem Gibgbah, editum oppidum, atque situs natura præstantem, significat. Hispanicè,* La Cuesta.

Egressique filij Beniamin de Gabaa, occiderunt de filiis Israel die illo viginti duo millia virorum.

IAM *hic aleæ iactus aduerso numine prælium initum significare potuit, tanta clade à paucis imparibusq; numero facta; animosq; ad causam vel culpam examinandam excitare debuit; nisi huiusmodi hominum ingenia & consilia sint, vt præ studio & contentione ibi minùs sapiant, minimeq; sibi prospiciant, vbi maximè prospectum oportuit.*

Rursum filij Israel & fortitudine & numero confidentes, in eodem loco, in quo priùs certauerant, aciem direxerunt.

NE *videri possent pulsi aliis cessisse; quod genus inter eos, qui bellum gerunt, ad notam vsurpatur; maiori iam animo, numero, atque impetu occupant, & sese defensuros ostentant.* Fortitudine, & numero, *quem hesterno maiorem multo præmiserunt.*

Ita tamen vt priùs adscenderent, & flerent coram Domino vsque ad noctem, consulerentque eum, & dicerent, Debemus vltrà procedere ad dimicandum contra filios Beniamin fratres nostros, an non? Quibus ille respondit, Adscendite ad eos, & inite certamen.

FLETVS *ille non tam à pœnitentia, nec à propriæ culpæ conscientia & confessione, quàm à cordolio manasse videri posset, vtpote cùm sibi à fratribus, causa & numero minoribus, iactura allata irrisione adscribenda putaretur; nec cedendi iam vlla videretur causa, præterquam necessitudinis nomen, quod violatum Deo fortasse offensionem attulerat; qua de re iterum sciscitandum oraculum censuere:* Debemus vltrà procedere? *Ex exemplari:* An ne addam accedere in prælium cum filiis Beniamin fratris mei? *Singularis vox communem omnibus rem significat, tamquam omnes*

Universidad de Deusto
Biblioteca

illæ vndecim tribuum cateruæ vnius viri nomine & capite censeretur. Adscendite ad eum. *Id tantùm responsi relatum est, quod fuerat ex oraculo quæsitum: namque illi de victoria nihil rogauerant; sed an iterum accessuri essent, nec ne? hoc enim satis sibi fore reputabant, nempe accessus facultatem & copiam: qua concessa, cætera sibi comparatu facilia fore arbitrabantur; quippe cùm maiori pugnatorum numero & instructiore deinceps vti statuissent. Itaq. hactenus vera & cãdida simplicitas requirebatur in istis, quorum partes fuerant, sese, remq. omnem ex Dei responso, quandoquidem contingebat, gubernandos tradere. partem itaq. rogant, partem responso referunt: huiusmodi namq. sors eorum est, quibus cùm diuina ac singularis tutela & cura præsto sit, minùs tamen attentè poscitur, ac minùs piè religioseq. obseruatur: sed partim ex Dei monitu, partim verò, vel etiã plurimum, ex priuato humanoq. cõsilio res administranda suscipitur; quod genus actionum à moribus, consuetudine, atque exemplo Gẽtium non nimis procul abest: id verò ne sic institueretur aut cogitaretur vmquam, diuina lege cautum est, cum prædictione adiũcta, fore, vt, dum hoc pacto de diuinis humanisq. rebus cum Deo agere pararent, iisdem modis exciperentur, quos ipsi*

Leuit. 26. *sibi comparauissent. S. S. E. Si ambulaueritis ex aduerso mihi, ego quoque*
» *contra vos aduersus incedã, & percutiã vos septies propter peccata vestra.*
» *Vbi Latinè legimus*, Ex aduerso, & aduersus; *in exẽplari est*, BEKARI, *quod vteumq., quamuis barbarè, accidentaliter vel fortuitò dicere liceat. Hispanicè purè dicimus*, A poco mas o menos. *quem locum ita vt breuiter indicauimus, ad veram multarum narrationum cognitionem, imò ad magnam partem humanarum rerum obseruare operæpretium fuerit, atque*

Psalm. 17. *huc illud ex Psalmo referre: Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cũ electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.*
» *Quoniam tu populum humilem saluum facies, & oculos superborum humiliabis. Sane ab huius belli initio vtrique superbè & contentiosè egerunt, post contemptos Israelitas, & illorum legatos retectos: quare vtrique diuino iudicio depressi sunt; sed priores Israelitæ, vtpote numero plures, ne victoriam de aduersariis reportatam sibi arrogarent, quod in promptu erat. Rogant igitur, an accedere ad fratres fas sit: audiunt fas esse adscendere: nec quicquam vlteriùs vel petendum vel agitandum sibi putant.*

Cumque filij Israel altera die contra filios Beniamin ad prælium processissent, eruperunt filij Beniamin de portis Gabaa: & occurrentes eis, tanta in illos cæde bacchati sunt, vt decem & octo millia virorum educentium gladium prosternerent.

In *exemplari bis repetitur*, Altera die, *siue*, In die secundo, *non sine significatione admiranda, quòd ex bellorum vsu & exemplo longè melior Israelitarum conditio videretur, nouas multoq. maiores pugnatorum cateruas educentium ad instaurandum prælium aduersus Beniaminitas paucio-*

res numero, atq. hesternæ pugnæ labore fatigatos, & tamen postera Beniaminitæ ex oppido prodeuntes, non segniùs quàm pridie egerant, rem confecere, decem & octo millibus cæsis, non solùm virorum, vt antea, sed armatorum, atq. adeò gladiis eductis contrà pugnãtium. Quæ calamitas & clades Israelitis allata, Dei iudicium vltionemq. manifestè declarauit & probauit. Quæri autem solet ratio, quamobrem Israelitæ, Deo iudice, huiusmodi pœnas bis dederint. Atq. antiquiores scribæ & interpretes causam hanc ad neglectam paulo antè & inultam superstitionem simulachri apud Micham dedicati & consecrati referunt: indignè videlicet ferente Deo, ad vltionem huius sceleris, quod ad homines, &, vt ipsi loquuntur, ad carnem & sanguinem attinebat, tantum irarum, tanta cõcordia, tanto molimine fuisse conceptum; & illud alterum, quod pietatem, religionem, atq. singularis Dei maiestatem tantopere violarat, fuisse publicè & cõmuniter prætermissum, ac patientia, vel magis consensione perlatum. Quam rationem satis apparentem, & suapte natura honestam ac iustam, nos ex illorum dictis allatam in medium ponimus; & quam ipsa lectio indicare atq. docere videtur, euestigio obseruamus; nimirum rem omnem à deliberato iam in Beniaminitas decretoq. bello nec purè nec sanctè institutam, nec ritè etiam procuratam. Oportuerat enim, etiam in ipso coacti concilij initio, supplicationẽ decerni, & culpæ etiam ab vna tribus parte, quamquam exigua, admissæ veniam publicè postulare atq. orare: quippe cùm totius Israelis puritatem ac sanctitatem exemplo illo contaminatam interpretari par esset, & tamquam monstrum ac prodigium quoddam deprecatione iræ diuinæ expiandum, atq. de re omni, quemadmodũ statuere, decernere, & agere conueniret, sciscitari, cùm præsertim præsto esset, in tam graui, tantiq. momenti negocio, diuini responsi referendi copia & facultas apud famũ illud, cuius singularem sanctitudinem & religionem singulari prouidentia & maiestate Deus perpetuò asserebat, cumq. opus esset, responsa reddebat ex sacrosancto illis temporibus adyto & solio, hoc est, ex arca illa arcana, magnis & admirandis vsq. modis tunc sacrata, operá etiam legitimi ministri, quem Deo carum & gratum tum alia multa probauerant, tum rarissimi inter homines, ac potiùs vnici exempli longæua senectus ad annos plusquam trecentos producta: quæ omnia, quatenus & quemadmodum publicæ res & causæ maximæ, quanta hæc ipsa erat, inchoandæ, ineundæ, & peragendæ essent, satis sua sponte docebant, vltra præscriptam quoq. rationem & legibus definitam, quæ, quid quid maximi & noui instaret, ad Deum ipsum, sacerdote ministro & procurante, referendum esse præceperat. Igitur Israelitæ, qui ex affectu, studio, & consilio humano hactenus magis, quàm ex diuini iuris præscripto, aut maiorum antiquorúmque exemplo, totum illud bellum constituerant & gesserant; nunc aduerso numine se agere duplici animaduersione edocti, semetipsos res rationésque suas reprehendunt & corrigunt, atque vni Dei consilio & arbitrio dedunt; quidquid antea egerant damnantes, & ani-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mi dolore, atque fletu, lamentísque detestati, sacrísque ritè peragendis procurantes & expiantes.

Quam ob rem omnes filij Israel venerunt in domum Dei, & sedentes flebant coram Domino: ieiunaueruntque die illo vsque ad vesperam, & obtulerunt ei holocausta, atque pacificas victimas, & super statu suo interrogauerunt.

IAM *ex hoc tempore ac loco non tam iniuriâ persequi, sed pœnitentiam agere, & ad Dei fidē confugere, seseq; omnes resq; suas cōparare velle ostendunt.* Sedentes flebant. *Habitus ac situs mœstorum, atq; deditorum, & nihil magnum moliri velle se indicantium est, vt in sacro Apparatu ostendebamus.* Ieiunaueruntq; die illo vsque ad vesperam. *ritu ac more eorum, qui, accepta aut instante calamitate, precationibus placare student diuinam iram.* Obtulerunt ei holocausta. *pro erroribus ac peccatis antea admissis.* Pacificas *verò, ad reconciliationis fidem atq; spem obtestandam. Iam hoc emendatè ac sapienter actum, quod ab initio agi cōsultissimum fuerat, præsertim cùm præstò essent omnia, quæ ad hoc pacto agendum commoda opportunaq; cognoscebantur.*

Eo tempore ibi erat arca fœderis Dei, & Phinees filius Eleazari filij Aaron præpositus domus.

HVNC *illum fuisse, qui Mosis tempore Dei in populū iustissimam animaduersionem, ob Moabitarum superstitiosam imitationem placauerat (sublato de medio magni sceleris exemplo ac duce) in commentariis Prophetarum declarauimus, & vixisse eundem vltra trecentos annos, ex diuino promisso ostendimus. Hunc verò sanctum, sacrum, ac Deo dicatum, & gratum virum, huiusmodi rerum & actionum publicarum causas, errores, euenta, & expiationes probè callentem, ab initio aditum consultumq; oportuerat: id quod nunc, exulceratis iam rebus, remedij causa, quamquam seriùs, non tamen repetitur inutiliter.*

Consuluerunt igitur Dominum, atque dixerunt, Exire vltrà debemus ad pugnam contra filios Beniamin fratres nostros, an quiescere?

SESE *iam non ex odio vel inuidia agere velle profitentur, sed tantùm ex Dei consilio ac iudicio: quamobrem fratres suos Beniaminitas appellant, & num pugna, num alio pacto correctos diuina mens velit, scisciantur: an potiùs rem omnem Dei aliàs peragendæ vltioni permittere, ipsi verò cessare ac desistere debeant: quæ omnia legitimo peracta ritu, iudicis ac prouidentis Dei responso instruuntur. Quamquā verò bis à Beniaminitis cæsi, quamquam primo ac secundo responso videri sibi possent eluſi, tamen suam culpam agnoscentes, nec à consulēdo desistunt, nec vltionis cogitationē persequūtur, sed Beniaminitas fratres appellant suos, & ratione, causam, modumq; omnem de integro ad numinis voluntatem ac monitus referunt.*

Quibus

Quibus ait Dominus: Adscendite; cras enim tradam eum in manus vestras.

RES *hactenus sic instituta fuerat: Israelitæ odio incensi, & numero sidentes, de duce tantùm sciscitati, Iudam ducem perpetuum definitum retulerunt. Nam de primatu tantùm ambigere videbātur: de reliquis verò illius maximæ rei partibus nihil sibi consultandum esse arbitrati, bellum eo modo, quo gentes cæteræ, gerebant: atq; ideo humanis modis exercendi, à Deo relicti sunt; quos Beniaminitæ, non quia magis Deo grati, fuderunt & ceciderunt: verùm suæ etiam naturæ viribus, & animi impulsibus permissi, cùm propter loci opportunitatem & præstantiam, tum propter deliberatum consilium oppetendi potiùs mortem quàm cedendi, atq; se ignominiosè tractari sinendi, rem satis strenuè gessere, vt altero etiam prælio fusos Israelitas ceciderint. Namq; hi pro iræ iam vltione, illi verò pro vita & honore pugnabant. Vtrique suis artibus & partibus relicti, belli euentum, qualem cæteri homines experiri solent, habuerunt; videlicet, vt meliores partes Beniaminitis contingerent. Id quod diuini præscripti rationes turbantibus euenturum prædixerat lex, & vates etiam tuſtè euenire declararunt. Væ filij desertores, dicit Dominus, vt faceretis consilium, & non ex me; & ordiremini telam, & non per Spiritum meum; vt adderetis peccatum super peccatum.* Isaiæ 30.

Atqui primi prælij exitus talis fuit. Secundi verò non dissimilis: namq; Israelitæ adscendere iussi sunt, vt videlicet punirentur, vt qui peccatum super peccatū addiderant. Nec enim secundo responso aliud retulere, præter vnicum verbum, Adscendite ad eum. *expositio autem,* ad eum, *rei exitum secundùm Beniaminitas fore subindicabat; quam tamen Israelitæ, præ pugnandi studio, non satis acutè exceperunt. Namq; in illa lingua duæ particulæ sunt,* EL & GHAL, *quarum interpretationem Latinus miscere solet sermo: verùm prior minùs aduersam, imò secundā magis rationem adsignificat: posterior verò oppositionem & præstantiam, vt Latinorum cōtra, super, supra, & in. ex his prior in secundo responso pronuntiata fuit:* Adscendite ELAV. *ita verò adscenderunt, puniendi & castigandi videlicet: & exitus ipse declarauit id quod ab istis minùs diligenter fuerat expensum. Demum tertiò planè ac sincerè interrogantes, apertum referunt responsum:* Adscēdite; cras enim tradam eum in manus vestras. *Quod antea non erat factum, faciendum promittitur.* Tradam eum. *qui nondum traditus fuerat. Eiusdem verò exempli historia hæc cum illa apud Ghaiam* Iosuæ 7. *vrbem commissa pugna esse videtur: vtraq; autē violatæ religionis causam indicat. Igitur primo prælio clade accepta, Israelitis peccatum sibi admissum putatur. id è coniectura repentina magis, quàm ex persona & causa interpretatis ex eo factum censebatur, quòd in fratres bellum fuisset motū: ideóque rogationi secundæ,* Debemus vltrà procedere ad dimicandum contra filios Israel fratres nostros? *respondetur, posse adscendere. verùm nondum illi satis puniti erant, ideoq; adscendere iubentur, & secundo plectuntur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur. Nunc verò iam tertiùm aperiè adscendere iußi, cum promisso conficiendæ rei & certi, & securi adscendunt, atq; ex consequenti rem ex respõsi sententia conficiunt: Tradam eum in manus vestras. *non ad victoriam, quæ de fratribus nec haberi, nec dici merebatur; sed ad pœnas iudicio diuino repetendas: ita vt non militum aut hostium, sed ministrorum ac satellitum Dei munere & nomine hoc loco Israelitæ censendi erant.*

Posueruntq; filij Israel insidias per circuitum vrbis Gabaa: & tertia vice, sicut semel & bis, cõtra Beniamin exercitũ produxerũt.

In *vtroque versu nomen oppidi citatur apud exemplarem linguã, quod & Chaldæus paraphrastes, & Græcus interpres retulerunt, magna significatione propositi Israelitarum, de expugnando tantùm oppido illo, malefactorum patrio receptaculo: vtq; etiam indicaretur, bellum ob vrbis illius noxam Beniaminitis omnibus dimicare ac defendere paratis inferri. quod à Deo iam damnatis atq; sibi traditis quemadmodum afferendum esset exitium, ex antiquo apud Ghaian vrbem exemplo consilium captum est, insidijs ad vrbis expugnationem collocandis, & hoste extra vrbem ad pugnæ cupiditatem, & victoriæ spem prouocando & extrahendo, sicut semel & bis, eodem loco & ordine, non maiore numero aut impetu, nec alio lacessendi modo, vt superiorum exemplorum fiducia allecti deluderentur. Quid verò deinceps actum fuerit, quorsumq; euaserit, in summa primùm, deinde verò rerum capitibus enumeratis ac descriptis exponitur.*

Sed & filij Beniamin audacter eruperunt de ciuitate, & fugientes aduersarios longiùs persecuti sunt: ita vt vulnerarent ex eis sicut primo die & secundo, & cæderent per duas semitas vertentes terga, quarum vna ferebatur in Bethel, & altera in Gabaa, atque prosternerent triginta circiter viros.

Totis *quinque versibus consilij atq; ordinis, nec non & euentus ab Israelitis excogitata ratio proponitur: quemadmodum verò eadem expedita sit, trigesimo quinto versu, ac deinceps explicatur. Fuit autem deliberatum & constitutum eodem tempore varie distractos Beniaminitas partim intra vrbem, partim in campestri prælio cædere, fundere, ac fugare, reliquos in fugam versos ad internecionem vsque persequi: atq; hoc pacto semel bello illi finem imponere, & diuino iudicio sceleris illius nefarij, atq; innocentis sanguinis, tum reorum, tum propugnatorum, nõ priuati iam odij vltores agere. res autem ita cæpta & producta fuit: Insidiæ primùm certis locis positæ, non longè ab oppido, ita tamen vt nec videri, nec aliàs præsenti possent: deinde exercitus pars ad oppidum expugnandum per simulationem præmissa; quam Beniaminitæ contemnentes, non adeò, vt par fuerat, ordinata instructaq; acie præuenerunt, delusi, vti videntur, exspectatione similiũ euentuum ei, quem semel & bis fuerant sortiti. Israelitæ bipartitos illos distrahendos consti-*

tuerant, tum in descensu ex Gibgha in agrum; tum verò rursus in adscensu ex agro siue planicie, siue valle intermedia in Bethelan.

Putauerunt enim solito eos more cædere. Qui fugam arte simulantes, inierunt consiliũ vt abstraherent eos de ciuitate, & quasi fugientes ad supra dictas semitas perducerent. Omnes itaque filij Israel, surgentes de sedibus suis, tetenderunt aciem in loco qui vocatur Baalthamar. Insidiæ quoque, quæ circa vrbem erãt, paulatim sẽ aperire cœperunt, & ab Occidẽtali vrbis parte proceedere. Sed & alia decem millia virorum de vniuerso Israel, habitatores vrbis ad certamina prouocabant. Ingrauatumq; est bellum contra filios Beniamin, & non intellexerunt quòd ex omni parte illis instaret interitus.

Ex *linguæ exemplaris idiotismo interpretatio Latini codicis, rursusq; ex interpretatione hac exemplaris idiotismus facilè explicabitur, quando vtriusque orationis collatio multum ad sensus constitutionem valere censetur.* Et dixerunt filij Biniamin, Percussi isti ad facies nostras vt in prima. Et filij Israel dixerunt, Fugiemus, & euellemus eum ex vrbe ad strata illa. *Hutusmodi vtriusque partis sentẽtiæ fuerant, antè etiam quàm pugna vtrimque instaurari cœpisset: suas verò partes vt persequerentur Israelitæ, locum occuparunt idoneum.* Et omnis vir Israel surrexerunt de loco suo, & constituerũt acies in Baghalthamar, & insidiator Israelis iniuit de loco suo de plano Gilghah, & venerunt à Meridie Gilghah (*qua parte prospectus apertior*) decem mille vir electus ex omni Israel, & prælium graue fuit, & ipsi non nouerant quòd attingeret super eos malum. *Quale autem malum hoc foret, euestigio declaratur instare, videlicet malè facti, maleq; asserti pœnas à Deo repetendas.* Baghalthamar, à palmetis ita dictus ager.

Percussitq; eos Dominus in conspectu filiorum Israel, & interfecerunt ex eis in illo die vigintiquinque millia, & cẽtum viros, omnes bellatores, & educentes gladium.

Idem *significat,* Percussitq; eos Dominus in conspectu filiorum Israel. *quod Latino diceretur sermone, Tradiditq; eos Dominus Israelitis cædendos. Id autem effectum est exanimatione atq; metu, animiq; pauore, quem, deserente Dei communi & omnibus hominibus necessaria efficiẽtia, euestigio consequi necesse est ad internecionem vsq;.* S. S. E. *Auertente te* Psal. 103. *faciem tuam, turbabuntur: auferes spiritum eorum, & deficient.* Educentes gladium. *Iam nobis formula hæc superiùs explicata est. Hactenus rei confectæ summa, quæ nunc deinceps suis temporibus atque articulis describitur.*

Filij autem Beniamin, cùm se inferiores esse vidissent, cœperunt fugere. Quod cernentes filij Israel, dederunt eis ad fugiendum

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum locum, vt ad præparatas insidias deuenirent, quas iuxta vrbem posuerant.

HVIVS *loci durior explicatio, vnius verbi certo habitu ab ipsa exemplari lingua petendo expeditur facilè. Est verbum* NAGAPH, *quod infrangere, cædere, percutere, & fugare, Latinè verti potest. Hoc in passiua voce tertiæ pluralis numeri* NIGHEPHV *facit. verùm in coniugatione graui (qua Latinus caret sermo) facit* NIGAPHV. *atq; ita hoc loco & scriptum & lectum actiuam significationem habet. Cur verò passiuâ vsurpauerit interpres noster, in causa fuit codex sine vocalibus descriptus; quo vsus arguitur, non ex hoc tantùm exemplo, sed ex mille aliis, quæ linguam illam callentibus nec negotium vllum, nec admirationẽ efficiunt, nec quicquam de veteris interpretis fide subducunt: quam quidem ob rem longè minore labore linguam sacram discere consulerem, quàm de huiusmodi versionum varietate quotidie controuersias ad inuidiã vsq; & inimicitias persequi. Exemplaris igitur lectio in hunc modum habet*: Et viderunt filij Biniamin quòd percussérũt,& dederunt vir Israel locum Biniamino, quia confiderunt in insidiis,quas posuerant super Gibghah. *Israelitæ vbi Beniaminitas ab vrbe prouocatos traxissent,cedere se simularunt,vt iis, qui fortiores audaciores q; sese præberent,protractis,opportunitas insidiatori crearetur; quem cùm non sensissent, nec suspicati quidem fuissent, sese tertiùm superatum ire sperabant, præcipuè cùm hostem, cedere visum, fractum existimarent. Atque ita in ipsa non victoria, sed victoriæ opinione intercepti sunt inter Israelitas qui cedere videbantur, & eos qui in insidiis locati erant.*

Qui cùm repentè de latibulis surrexissent, & Beniamin terga cædentibus daret, ingressi sunt ciuitatem, & percusserunt eam in ore gladij.

OCCASIONEM *ab insidiatoribus cognitam & captam describit author. Vrbem mediam primùm Beniaminitæ Israelitas insequentes reliquerant: insidiator magna celeritate inuasam & occupatam vastare cœperat, & habitatorum & propugnantium cædi operam dare.*

Signum autem dederant iis quos in insidiis collocauerant, vt, postquam vrbem cepissent, ignem accenderent: vt adscendente in altum fumo, captam vrbem demonstrarent.

INTERPRES *Græcus verbum in exemplari lectum,* HEREB, *quasi pro nomine vsurpatum vertit in μαχαίρα, id est, gladium, vocis affinitate maxima ductus. id quod ita explicari possit: constitutũ videlicet fuisse insidiatori, vt, cùm primùm vrbem ingredi, & gladio rem agere contingeret, incendendi ignis, atq; occupatum locum fumo significandi cura quoque esset. verùm* HEREB *per* HE *scriptum, infinitiuus est à verbo* RAB, *significatq; abundè augere: vt sensus loci huius fuerit, iussos fuisse quàm copiosissimum fumum excitare, igne ex ea materia accenso, quæ maximè ad eam rem apta reperiretur, qualis fœni & humidiorum ramusculorum esse solet. Hactenus namque Israelitæ extrahendis & auertendis ab vrbe Beniaminitis cedere constituerant.*

Quod cùm cernerent filij Israel in ipso certamine positi (putauerunt enim filij Beniamin eos fugere, & instantiùs persequebantur, cæsis de exercitu eorum triginta viris) & viderunt quasi columnam fumi de ciuitate conscendere. Beniamin quoque respiciens retrò, cùm captam cerneret ciuitatem, & flammas in sublime ferri: qui priùs simulauerant fugam, versa facie fortiùs resistebant. Quod cùm vidissent filij Beniamin, in fugam versi sunt.

IMPEDITIORIS *contexturæ forma, petito ex exemplari lectione subtegminis filo, facilius cognosci poterit.* Et rediit vir Israel in prœlio,& Biniamin cœpit ferire cæsos in viro Israelita quasi triginta viros. Nam dixerunt, Etiã cædi cæsus est ille ad facies nostras, vt prælio illo primo. Et eleuatio cœpit adscendere ab vrbe columna nubis, & adspexit Biniamin post se,& ecce adscendebat consumptio vrbis in cælum. *Facilè nunc ratio hæc omnis tẽporibus partibusq; suis cognoscendam se præbet. Beniaminitarum frequentioribus copiis vrbe extractis, Israelitæ locum cedunt, & ad longiores tractus descensum permittunt, vel non pugnantes, vel metum ac fugam simulantes, maturè tamen, & conseruatis ordinibus; quod vnum inter vtilissima in bello consilia laudari solet (Gallicè, s'en retirer bellement, & en ordre) ad multaq; valere iudicatur, cùm aliàs, tum præcipuè ad redintegrandũ, vbi opportunitas tulerit, bellũ. Cùm primùm itaq; fumus crescere, densaríque in aëre supra vrbem cœpit (quæ tessera iis, qui ad insidias missi sunt, data antea fuerat) rem omnem ex sententia iam succedere, atq; Biniaminitas in cædem sibi traditos interpretati Israelitæ cæteri pugnam studiosè & fortiter committere cœperunt: qua in pugna triginta illi, quorum antea mẽtio summatim facta fuit, Beniaminitarum prima dimicatione ceciderunt; atq; ita sibi illis meliores partes promittentibus & arrogantibus, prælium non ordine, sed impetu sustineri cœptum est, quoad repentinum maximi ac densissimi fumi spectaculũ vrbem incensam & exustam non ostentauit modò, sed confirmauit etiam. Hoc enim nomen* CHELIL, *id est, consumptio significat, quòd opinionem fecerit consumptæ incendio vrbis. Idq; cùm subitum ac repentinum accidisset, metum incussit maximũ, & propter insidias à tergo positas, atq; maximam oppugnatorum manum vtrimque sese vallantem, desperata salute fugam passim & sparsim capessere suaserit, nullo ordine, consilio nullo, nullaq; belli arte aut virtute consisis. hoc est quod subiungitur*: Quod cùm vidissent filij Beniamin. *In exemplari huiusmodi narratio est*: Et vir Israel rediit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

(in occursum & pugnam) & turbatus est vir Biniamin, nam vidit quòd contingeret se malum. *Vir, in vtroque exercitu & omnes, & singulos variè affectos fuisse significat: illic singulos animatos pugnam fortiter obiisse, hinc verò singulos turbatos, pauoreq; correptos, promptum singulareq; sibi malũ iam imminere intellexisse, ideoq; terga continuò vertisse.*

Et ad viam deserti ire cœperunt, illuc quoque eos aduersariis persequentibus. sed & hi, qui vrbem succenderant, occurrerunt eis.

QVIBVS *angustiis conclusi interceptiq; fuerint Beniaminitæ, declarat hic versus: dum fugientes & palantes illos non tantùm ab Israelitarum exercitu & ordinibus fractos, cæsos, & perditos, verùm etiam ab iis qui in vrbibus manserant, nec in bellum hoc numerati, ventreq; tusi fuerant, confectos narrat. Neque enim omnino vacuas, ac defensore, si opus foret, prorsus egentes vrbes reliquerant Israelitæ; namque id rei bellicæ non permittit ratio. Ab istis igitur, qui ad instructionem custodiámque vrbium excepti fuerant, non segniùs quàm ab exercitu per singulos vicinorum oppidorum agros Beniaminitarum cædes facta narratur: atque hoc sensu explicandum est hemistichium illud:* Sed & hi, qui vrbem succenderant, occurrerunt eis. *Nam totus versus in exemplari sic habet:* Et diuerterunt ad facies viri Israel ad viam deserti, & prœlium consequutũ est eum. [*Beniaminitam*] & qui de vrbibus illis, iugulabant eum in medio sui. *Græca verò versio in hunc modum Latinè refertur:* Et declinauit coram viro Israel in viam deserti: & bellum præuenit eum; & qui à ciuitatibus, interfecerunt eum in medio eorum. *Chaldaica autem expositio huiusmodi reddit interpretationem:* Et respexerunt ante hominem Israel ad viam deserti: & facientes bellum, apprehenderunt eos; & homines insidiarum surrexerunt ex vrbibus suis, occidentes in illis hinc & hinc. *Quam explicationem secutus videtur interpres noster, vrbium tantùm prætermissa mentione. Iam verò huius cladis finẽ attendere licebit.*

Atque ita factum est, vt ex vtraque parte ab hostibus cæderentur; nec erat vlla requies morientium. Ceciderunt atque prostrati sunt ad Orientalem plagam vrbis Gabaa.

SENTENTIAM *& factum Latinus interpres declarauit. habet namque exemplar in hunc modum:* Vallarunt Biniaminum: insectati sunt eius quietem: conculcauerunt eum vsque è regione Gibghah, ad ortum solis. *A diuersa enim regione illi ex vrbe prodierant, qui fugere & circumcursare coacti, demum in Orientali plaga confecti. quam descriptionem Chaldaica & Græca versio reddidere.*

Fuerunt autem qui in eodem loco interfecti sunt, decem & octo millia virorum, omnes robustissimi pugnatores.

HOS *in prælio propugnantes, & non segniter agentes, sed qui mortem potiùs*

potiùs oppetere, quàm pugnam deserere, aut fugam turpiter capessere optandum duxerant: quos quia Deus puniendos tradiderat, nec animi virtus, neque corporis ac membrorum vis, nec deliberata constantia seruare potuit. Omnes robustissimi pugnatores. *in exemplari,* Omnes hi viri virtutis. *quorum exitus mors ineuitabilis fuit. nec verò eorum clementior exstitit sors, qui salutem sibi fuga consulere arbitrabantur.*

Quod cùm vidissent, qui remanserant de Beniamin, fugerunt in solitudinẽ: & pergebant ad petram, cuius vocabulum est Remmon. In illa quoque fuga palantes, & in aduersa tendentes, occiderunt quinque millia viros. Et cùm vltrà tenderent, persecuti sunt eos, & interfecerunt etiam alia duo millia.

MANIFESTAM *diuini iudicij sententiam hæc exacta cædis temporum & locorum descriptio indicat, vt nullo pacto vel pugna, vel fuga, vel quæsitis latibulis cuipiam superfuerit salus, quin omnes funditus perierint, paucissimis ex tanto numero exceptis, quos in gẽtis posteà seminarium Dei clementia reseruatos voluit. Erant in solitudine inuia quædam & prærupta loca, quæ magno labore atq; nixu occupata, tutum latibulum præbere possent. his à ruptum & saxorum densitate nomen factũ fuerat,* ZZELAGH HARIMON, *Rupes mali granati; quòd eam speciem procul adspicientibus præberet, acutis ac densis crebrisq; saxis. Huc dum animum fugamq; intenderet maior Beniaminitarum pars, propter instantium à tergo Israelitarum celeritatem peruenire non potuerunt incolumes; quippe quorum occisi sunt in illa fuga viginti duo millia* palantes, & in diuersa tendentes. *Latinus interpres noster summum rei caput expressit, quod certis nominibus in exemplari descriptũ est. Namq; fuga nõ vno eodemq; modo ab omnibus inita fuit; sed, vt in profligatis ac desperatis rebus fit, aly hostium impetum diuertere ac declinare audentes, varijs viarum stratis sese diuidere & abdere conati sunt: quos tamen ij, qui ex vrbibus prodierant, oppressos, & malè sui compotes cecidere ad quinque virorum millia. Aly verò ad Gidghon locum fuga contendentes, intercepti quoque periere: quorum maior summa bis mille fuit; neque enim minoris numeri in his rebus fit mentio. Reliqui, ad viginti duo millia numerandi, in ipsa fugæ contentione interierunt. Habet autem lectio hæc huiusmodi in exemplari narrationem:* Et intenderunt, & fugerunt in desertum ad rupem Rimon: & inuoluerunt illum stratis quinque millia virorum. Et assecuti sunt post eum vsque Gidghon, & ceciderunt ex illo bis mille virum. *Cæteros autem, in rupem Rimon contendentes, necauerunt.*

Et sic factum est, vt omnes qui ceciderant de Beniamin in diuersis locis, essent viginti quinque millia, pugnatores ad bella promptissimi. Remanserunt itaque de omni numero Beniamin,

min, qui euadere potuerunt, & fugere in solitudinem, sexcenti viri: sederuntque in petra Remmon mensibus quatuor.

BENIAMINITARVM *dum censeretur exercitus, numerum sex atque viginti millium integrauerat, cui etiam septingenti ex Gibghah fuerant adiuncti. Tertio autem prælio decem & octo millia perierunt; post captam verò fugam, septem millia interfectorum: ex quibus, & sexcentis euasis, viginti quinque millia & sexcentum summa conficitur: reliqui sunt ex omni numero sexcenti, qui hoc in loco propterea non numerantur, quòd in primo & secundo prælio desiderati sunt. Id namq; & rerum ratio manifestè arguit, & ipsa narrationis taciturnitas indicat; præcipuè cùm ij, qui in duabus illis pugnis ex Israelitis ceciderant, non otiosi neq; fugientes, sed ferro usi, gladiisq; districtis occubuisse narrentur.*

Regressi autem filij Israel, omnes reliquias ciuitatis à viris vsque ad iumenta gladio percusserunt: cunctasque vrbes & vsculos Beniamin vorax flamma consumpsit.

CONTVMACIÆ *ac perduellionis publico consensu admissæ pœnas dedit Beniaminitarum tribus omnis iudicio Dei; qui de re, atque iure, & facultate consultus, illam postridie tradendam sibi esse declarauerat.* Reliquias ciuitatis. *Non Gibghæ solummodo, sed cuiuslibet alius in Beniaminitarum censu numeratæ, cum cæteris oppidis, pagis, atque villis etiam. Hoc enim significat,* METHOM, *in exemplari positum; quod Græcus interpres vertebat* ἕως, *id est, consecutiùs. Hispanicè,* à hecho. *Chaldaicus paraphrastes vt compositum explicuit* GAMRINVM. Consumpserunt eos. Vorax flamma consumpsit. *Poëtico stylo rem ipsam interpres expressit. Huiusmodi miserrimus & calamitosissimus illius plusquam tragici sceleris & stupri fuit exitus, tanta hominum strage vindicati, atque vnius ferè integræ tribus internecione & vastatione expiati, cum maximo etiam Israelitarum cæterorum detrimento & incommodo: vt meritò Tusci illius poëtæ dictum vsurpari in exemplum possit.* S'Africa pianse, Italia non arise. *Adeò ciuilium dissidiorum ac bellorum grauissima exempla, durissima studia, insolentissimæ pugnæ, exitialisq; vtrique parti victoria esse solet. qualia tempestate nostra cum magno animi dolore, atq; ingenti Christianæ Reipub. pernicie apud Belgas, Britannos, Gallos, & Hispanos experti sumus; in quibus & victi, & victores nihil, præter suum magnum malum, iactare possint: certè & irati Dei iudicium horrere, atque solida pietatis procuratione & studio placandum suscipere debeant.*

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

IVRAVERVNT quoque filij Israel in Maspha, & dixerunt, Nullus nostrûm dabit filiis Beniamin de filiabus suis vxorem.

MAGNA *semper ac perpetua Israelitis cura fuerat duodecim tribus, quibus omne ipsorum constabat genus, conseruandi, omniq; ex parte fouēdi, atque affinitates eas tantūmodo ineundi, quæ gentem quidem sufficere possent, familias verò atque tribus turbare & confundere non possent. Id autem non virorum translatione ex vna in aliam tribum, sed filiarum concessione & permutatione celebrari solitum. Namq; filium vnius tribus in aliam tribum concedere, nefas ducebatur: vt illud antiquum duodecim liberorum ius, beneficio diuino Israeli patri donatum, nulla ex parte imminueretur; quod cōseruatum, magno commodo ac decori omnibus esse crederetur, cùm ad multa alia quæ hominibus maxima & amplissima habentur; tum verò ad promissa & priuilegia quondam à Deo ipsis facta, atque patribus antiquis Abrahamo, Isaaco, & Iacobo explicata; vltrà gloriam illam, qua ipsi præter alias terrarum orbis nationes omnes fruebantur, conseruati & amplificati tot seculis gentis suæ decoris & nominis integri, ab vnico Abrahamo deducti, nec vmquam inter alios populos dispersi aut exstincti, sed continuatis per singulas tribus familiis domibusq; propagati: quod non sine singularis prouidentiæ numine & munere factum quisquam diceret; cùm alias nulla natio hoc verè tanto temporū interuallo iactare, & ostēdere, docereq; posset. Huiusmodi gloriationi post illam Beniaminitarum cladem detrimentum maximum allatum intelligentes Israelitas victoriæ suæ vndique calamitosæ valde tandē pœnituit; diuinamq; punitionē ob mala vtriusque partis merita interpretatos, quemadmodum, si non resarcire, instaurare, aut restituere, saltem aliquo remedio corrigere oporteret, communis ac publica cura subiit, atque rei totius à principio & capite repetitæ cogitatio turbare, & ad consultationem impellere cœpit. Plura autem occurrebant incommoda & importuna, quæ rei corrigendæ voluntati ac diligentiæ difficultatem summam afferre visa essent, duoq; cum primis: alterum fuerat, nullam ex Beniaminitarum strage & vastatione omnibus vrbibus, oppidis, & pagis, viciniisq; facta feminam euasisse, superstitémve reperiri: atq; ita ex propriis & in sua gente natis mulieribus nulla tribui illi suffici soboles poterat: sed neque ex aliis etiam tribubus vllum desideratis contribulibus feminis supererat remedium. Quippe cùm inter alia conuentus & comitiorum illorum decreta aduersus Beniaminitas facta, vnum etiam grauissimum iuramento ac detestatione firmatum exstiterat, negandæ omnino affinitatis vsuræ. Quod in religiosissimis deuotionum generibus apud illos habitum est, & à nobis in Euangeliorū elucidationibus ex parte declaratum, formulā explicātibus illam,* MVNVS, *quodcumq; est ex me, tibi proderit: pleniùs etiam Deo propitio in magni operis corpore tradituris. Nūc verò satis*

Matth. 25.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuerit significare, iuramentum illud siue votum de vsura neganda maximè populare esse, & inter grauissima & summè religiosa habitum. Huiusmodi voto sese adstrictos Israelitæ damnatosq; agnoscentes, quemadmodũ perditis Beniaminitarum succurrere possent rebus, maxima cura à victoria redeuntes agere cœpere. Plura autem illo in concilio fuerant fortasse contra Beniaminitas, præcipuè verò contra ciues Gibgha, consulta ac decreta; quæ non omnia historiæ author commemorat, sed ea tantùm quæ pro re nata opportuna iudicauerit. Videntur autem contumeliam illam vnius aut duarum tribuum familiis ab Gibghitẽsibus factam, tamquã publicam communemq; omnibus interpretati Israelitæ omnes accepisse: nimirum Bethlehemitidem, atque ex Iudæ censu mulierem, Leuitæ vxorem siue concubinam, adeò crudeliter, probrosè, & immaniter, turpiterq; habitam, tantum illorum aures animosq; offendisse (maximè verò post negatos à Beniaminitis nocentes, atque defensionem impudenter pugnamq; oblatam) vt, nemine intercedente, omnes se illius vsuræ voto deuinxerint: Nullus nostrũm dabit filiis Beniamin de filiabus suis vxorem *Voti formula ex verbo sic erat:* Vir ex nobis non dabit filiam suam Bẽiamino in vxorẽ. *Hæc vna resarciendæ illius iacturæ maxima difficultas fuerat, ex ipsorum ira & offensione primùm orta: sed quæ decreto publico omnium singulorumq; sententiis producto primùm (quod maximam vim obtinebat) deinde verò voti religione confirmato præualuerat, adeò vt rescindi summum putaretur nefas. hoc est, cur in formula pronunciatum legimus:* Vir Israel iuratus fuerat. *Singuli conceptis verbis iureiurando sese obstrinxerãt. Hoc primæ difficultatis caput, veluti superioris narrationis finis, consequenter adiunctum est; initiumq; dedit ei, quæ mox describitur, historiæ. Notanter verò iramenti sacer locus indicatur, ad maiorem voti religionem à cõcilio deliberatis & certis animis publicè & in publico sanctoq; loco susceptam.*

Veneruntque omnes ad domum Dei in Silo: & in conspectu eius sedentes vsque ad vesperam, leuauerunt vocem, & magno vlulatu cœperunt flere, dicentes, Quare Domine Deus Israel factum est hoc malum in populo tuo, vt hodie vna tribus auferretur ex nobis?

COMMVNIS *ac plenus totius populi conuentus, quæ ecclesia dicitur, & rem communem declarat, & ad deprecationem atq; supplicationem magni momenti esse ducitur: quãdoquidem, quamquam non omnes pari animi affectu adsint, aliorum tamen communicata pietas alios adiuuare, & diutnam clementiam conciliare creditur. hoc enim & in Niniuitarum causa lo-*
Ionæ 4. *næ Vati declaratum fuit: Tu doles super hederam, in qua non laborasti, nec*
» *fecisti vt cresceret; quæ sub vna nocte nata est, & sub vna nocte periit: &*
» *ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua sunt plusquam centum &*
» *viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram*
suam,

suam, & iumenta multa? Sedisse verò dicuntur Israelitæ; qui habitus mæstorum atq; lugentium est. vt, Quomodo sedet sola ciuitas plena populo? &, Thren. 1.
Sederunt senes in platea, & tacuerunt. De quo etiam plura in Apparatu Lib. Ierem.
sacro scribimus. Atq; illius magni & accelerati ciuilis belli euentum pœnitudo publica excepit, ex damni, incõmodi, atq; mali publici sensu nata: quem sensum, quamquam Deo notum & apertum, tamen ipsi iidem fletu, lamentis, querimonia indicarunt. Est autem lamentationis grauis causa & sententia, argumẽtationemq; habet miserabilem, cum appellatione duplicis nominis Dei, vtriusq; etiam argumenti rationem opportunè pronunciati: alterius videlicet IEHVEH, *cuius arcana significatio misericordiam, clementiam, atq; adeò humanæ salutis voluntatem spectat, vt sæpiùs aliàs interpretati sumus: alterum verò* ELOHE ISRAE, *singularem Dei prouidentiam atq; tutelam erga Iacobi domum, dignitatem, amplificationem, & felicitatem, quæ nomine Israel declarantur, significat. Quibus Dei nominibus & rationibus exempli præsentis exitum discrepare queruntur: quippe quem magno detrimento, magno labori, maximo incommodo, atq; adeò imminutioni, & calamitati Israelitici nominis atque splendoris, imò etiam salutis, ac rerum omnium Israeliticarum fuisse, periculo ipso constet. Argumentationis autem querimoniæq; initium ab interrogatione factum est, ex*
earum genere quæ causam vsumq; scisciantur: Quare, LAMAH. *Quare* Psalm. 2.
fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Solet enim huiusmodi
vocula vsurpari in actionibus quæ vel secum pugnant, vel frustra ineuntur:
cuius muneris apud Latinos vocem, quorsum, esse obseruauimus. vt,

Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro? Horat. Ser.
Eupolin, Archilochum, comites educere tantos? Sat. 3.

Itaq; non de ratione, iure, atq; iudicio interrogatio est, sed de vsu & causa: quamobrem numen iis appellatur nominibus, quæ ad voluntatem de Israelis felicitate declarandam adorari vocariq; solent. Quorsum, inquiunt, attinet, tantum Israelitis laborem, tantum damnum, tam graue incõmodum & nocumentum fuisse allatum, te Deo misericorde, benigno, atq; Israeliticis rebus singulariter prospiciente? Namq; nulla ex parte Israelitis cõmoda, vtilis, aut aliàs opportuna hæc victoria, sed vndiq; laboriosa, grauis, calamitosaq; extitit. quippe aliàs ita tu Israelitarum gentem fouere, deducere, seruareq; soles, vt sine vllo sanguine aut discrimine, magnorum exercituum ducum, Regum victorem, multarum vrbium & regionum compotem, spoliatorem, possessoremq; statuas. Quod si aliquando externis bellis & prælijs numero aliquo pugnatorum imminui permiseris; tamen vel parte victoriæ vsu reficere, vel ab hostibus externis acceptæ cladis vltione solari consueuisti. Nunc verò magnam stragem nobis, qui victores euasimus, acceptam dolemus & querimur: cuius tamen causa, atq; exitus, & vsus nõ minoris, imò longè grauioris detrimenti, & incommodi, atq; calamitatis dolorem sensumq; nobis attulit, nempe, Factum est hoc malũ in populo tuo.

vno

Universidad de Deusto
Biblioteca

vno atq; altero in prælio: scilicet tertio ac postremo quamquam victores, tamen nulla parte aucti, aut beati, sed longè etiam miseriores & mœstiores, magnaq; iactura deteriores euaderemus. Vt hodie vna tribus auferretur ex nobis. *In exemplari*: Vt requiratur ex Israel tribus vna. *Verbum* LEHIPAKKED, *in graui coniugatione positum, graue & calamitosum vnius integræ tribus desiderium indicat: estq; translatum à pastoribus & imperatoribus, illis gregum numerũ è luporum insidiis, his verò exercitum ex pugna receptum recensentibus. Itaq; malo, incommodo, atque labore detrimentoq; multo nostro, & clade accepta, victor factus Israel, longè imminutior euasit vbi vicit, quàm fuerat dum cæderetur: quippe id obtinuit, vt vna integra tribu minor quàm antea deinceps futurus sit. quàm diuersum verò hoc à proposito nominéq; tuo, apertè arguitur, cùm tu Israelem amplificandum susceperis, idq; hactenus præstitum viderimus, quod identidem*
Genes. 35. *fueras pollicitus. Rursus apparuit Deus Iacob, postquã reuersus est de Me-*
» *sopotamia Syriæ, & venit in Bethel, benedixitq; ei, dicens: Non vocaberis*
» *vltrà Iacob, sed Israel erit nomen tuum. Et appellauit illum Israel, dixitq;*
» *ei: Ego Dominus Deus omnipotens. cresce, & multiplicare: gentes, & po-*
» *puli nationum ex te erunt, Reges de lũbis tuis egredientur: terramq; quam*
» *dedi Abraham & Isaac, dabo tibi, & semini tuo post te. Huius apud Bethel*
promissi Israeli facti quondam, & hactenus præstiti, detrimentum nunc acceptum, in eodem Bethel Israelitæ queruntur. Namq; conuentũ luctumq; hunc hoc loci factum legimus: idem enim nomen est in exemplari primo, atq; in Græcis Chaldaicisq; versionibus; pro quo Latinus interpres domum Dei ex propria significatione reddidit. Quod verò in querimonia vox, hodie, *exprimitur, rei ipsius certitudinem veritatemq; significat: neq; enim aut futurum metuitur, aut præteritũ narratur, sed præsens ostenditur: præteriti enim ac futuri vel interpretatio, vel exceptio esse potest, præsentis verò rei nec exceptio est, nec testimoniũ exigitur, simul etiã rei perditæ celeritatẽ indicat maximã. Nam nudiustertius & heri duodecim tribubus integer constabat Israel: hodie vna tribu tam viduatus est, vt nulla pestis, nulla bellica strages tantam ruinam tam breui tempore huic reip. afferre potuerit, atque ipsi nobis ipsis attulimus. Nec verò sexcenti illi Beniaminitæ, qui ex tanta clade ad rupes & montes sese fuga proripuerant, futuræ instaurationis pignus aut spem facere videbantur; vtpote quibus nullæ reliquæ erant, vnde soboles sufficeretur, feminæ propriæ & contribules: ex aliis verò tribubus negatæ omnes, & voti sanctitate exceptæ: nec verò è nationibus vicinis aut peregrinis legitimè & piè peti poterant. Magnum enim id nefas fuerat, & sanctionis interdictione prohibitum, atq; publicè eatenus obseruatum, præterquam in bello captis, quas certo ritu initiatas accipere licebat: verùm hoc varioris exempli & vsus. itaque de tota Beniaminitarum tribu iam actum conclamatumq; putatur, nisi deprecatione ac procuratione opportuna primùm; deinde deliberatione, atq; consilio magno, quemadmodum huic malo prospectio*

prospectio medicinaq; fiat (idq; legibus ac moribus saluis) ratio prudenter ac sapienter ineatur. Prima itaque de patrio atque tutelari numine placando & conciliando cura susceptа est.

Altera autem die diluculo consurgentes, exstruxerunt altare, obtuleruntque ibi holocausta & pacificas victimas.

QVAMQVAM *quotidiana, & anniuersaria, ac menstrua sacra, Israelitis cùm priuata tum publica, præterquam in vno eodemq; loco, hoc est, in tentorij atrio, atque altari ibidem olim exstructo, facititari nefas fuerat; pro temporum tamen opportunitate, ratione, & vsu, singularem aliquando aram construere, atque sacrificiis imbuere non fuerat interdictum: cuius rei exempla aliàs pro testimonio producemus, & vnũ iam apud Gedeonem habuimus hoc ipso in volumine. Nunc verò vt nouum altare construeretur, effecit renouata siue instaurata Israelis patris persona, cuius partes populus hic omnis agebat. Atqui Iacobo, secundùm illud quod modo referebamus promissum, huiusmodi etiam præceptum fuerat demandatum, atq; obsequio pietateq; omni cuelligio præstitum: Surge, & adscende Bethel, & habita* Genes. 35.
ibi, facq; altare Deo qui apparuit tibi, quando fugiebas Esau fratrũ tuum. »
Iacob verò, conuocata omni domo sua, ait: Abijcite deos alienos qui in me- »
dio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra. surgite, & »
ed scendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo, qui exaudiuit me in die »
tribulationis meæ, & socius fuit itineris mei. Dederunt ergo et omnes deos »
alienos quos habebant, & inaures quæ erant in auribus eorum. At ille in- »
fodit eas subter Terebinthum, quæ est post vrbem Sichem. Cumq; profecti »
essent, terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates: & non sunt ausi »
persequi recedentes. Venit igitur Iacob Luzam, quæ est in terra Chanaan, »
cognomento Bethel; ipse, & omnis populus cum eo. Ædificauitq; ibi altare, »
& appellauit nomen loci illius Domus Dei: ibi enim apparuit ei Deus, cùm »
fugeret fratrem suum. Nunc eodem exemplo populus hic omnis, Iacobi pa- »
tris personam partesq; agens, de purganda, concilianda, atque instauranda domo familiaq; omni cum Deo acturus, Bethel, id est, Dei fortis domũ petitam frequentat, & sacris tum supplicationibus, tum pacificis operam dat. Animaduertendũ verò, atq; mente recolendũ hoc loco discrimen illud inter Iacobi & Israelis nomina, status, & res, diuersa ratione æstimãda, vt germanus historiæ ac mysteriorũ teneatur sensus. Duo verò sacrorum genera facta legimus, holocausta, & pacificas victimas: holocausta, vt iam debita ob victoriæ gratulationẽ, & calamitati bellorum finẽ impositũ; atq; adeò ob iusta soluenda iis fratribus, ex vtraque parte, qui in illo bello occubuerant: altera verò sacra, hoc est, pacificæ victimæ, populi expiationẽ, & publici mali deprecationẽ agebãt. Namque illi se in crimine fuisse, ideoq; illis laboribus, pœnis, & cladibus mulctatos intellexerant. Huiusmodi vtrorumq; sacrificiorum ratio legitima, ritusque fuit; qualia quoque apud Gentes præter

Universidad de Deusto
Biblioteca

legem etiam in similibus exẽplis natura ipsa supplicantibus dictat. sic Nympha illa filium suũ agere, & sibi rebusq; suis consulere apud Poëtã monebat.

Virg. Georg. lib. 4.

Quattuor eximios præstanti corpore tauros,
Qui tibi nunc viridis depascunt summa Lycæi,
Delige, & intacta totidem ceruice iuuencas.
Quattuor his aras alta ad delubra dearum
Constitue, & sacrum iugulis demitte cruorem:
Corporaque ipsa boum frondoso defere luco.
Pòst, vbi nona suos Aurora ostenderit ortus,
Inferias Orphei lethæa papauera mittes:
Et nigram mactabis ouem, lucumque reuises:
Placatam Eurydicen, vitula venerabere cæsa.

Igitur procuratis & peractis sacris, spe iam reconciliationis concepta, de resarcienda Beniaminitarum fratrũ iactura seriò deliberari, agi, & in commune consuli cœptum est. Id enim Deũ non vetare, ex eo cognouerant, quòd sexcentos Beniamnitas illi stragi incolumes semper fuisse, certiores facti erant; quos numinis voluntate superstites, ad sufficiendam tribum relictos esse interpretabantur: huiusmodi namq; virtutis illius, quam fidẽ vocamus, accurata & prudens solertia est. Quamobrem cùm de veritate rei non ambigeretur, de facultate & modo, vt saluis legibus, votorum sanctitate obseruata fieret, consilium initabatur, quod pro tempore opportunum & commodum, quamquam aliàs durè expediendum occurrit.

Et dixerunt, Quis non adscendit in exercitum Domini de vniuersis tribubus Israel? Grandi enim iuramento se constrinxerant, cùm essent in Maspha, interfici eos qui defuissent.

CONVENTVS *illius primi, à populo non ad bellum, sed ad rei cognitionem examenq; in Mitspah facti, quamquam communis, popularis, & publica fuisset voluntas, tamen authoritas ex religionis maiestate petita fuerat; iis Israelitis aduersariorum, ac rebellionis, atque dissensionis nomine damnatis, quicumq; in Israelis comitia ad Dominum, cuius causa hoc indicebatur concilium, non venirent, lege pronunciata, & omine iuramentoq; constabilita capitalis pœnæ in deserentes aut negligentes: id verò iuramentum quod publicè conceptum & factum esset, violari infringiq; non posse existimabatur; maximè vbi nullus adesset princeps aut præfectus, qui vel dispensaret, vel interpretaretur, nec vllus aliàs intercessor, qui mitiorem interet, aut præstaret expediendæ rei modum. Itaque quod populus decreuerat, atque filiorum Israelis nomine pronunciarat, iuramentiq; religione sanxerat, ratum, firmum, immutabileq; ducitur, & inquisitionis diligentia agendum & conficiendum statuitur.*

Ductique pœnitentia filij Israel super fratre suo Beniamin, cœperunt dicere, Ablata est hodie tribus vna de Israel.

ANIMORVM *impetum, quem scelus primùm, deinde ira atque contentio*

excitauerat, sedatum, pœnitudo subsecuta est subductæ & penè deperditæ vnius ex duodecim Israelis tribubus. Namq; vltra dignitatis & gloriæ imminutionem, vltra id etiam quòd res illa adirati auersiq; numinis cogitationem reuocabatur, nihil incommodum exitiale; magis; nihil ex inuidorum atq; inimicorum votis importunius haberi posse existimabatur, quàm vt suis se ipsi odiis & contentionibus dissiparent, suisq; sese perderent armis. Atqui ita impeditam tribus illius instaurationem adeò difficilem arbitrabantur, vt singulari exquisitoq; consilio quærendam ducerent. Quippe ex aliis gentibus vxores suffici, nec iura sinebant, nec fas ducebatur: ex proprijs ipsorum filiabus concedi, communi interdicto, & iuramenti sanctitate vetitũ erat. Quãobrem deliberatio huiusmodi inita narratur:

Vnde vxores accipient? omnes enim in commune iurauimus, non daturos nos his filias nostras.

VT *ex certa verborum formula interdicti vis & ratio cognoscatur, ita locus hic Latinè vtcumque reddi potest*: Quid faciemus eis, reliquis in vxores? & nos iurati sumus in IEHVEH, vt ad non dandum illis de filiabus nostris in vxores. *Itaque sese vsuræ huius negandæ iuramento adstrinxerant ob noxam populi vnius, qua mulier Israelitis vna contumeliosè, & nequiter, atque flagitiosè fuerat accepta.*

Idcirco dixerunt, Quis est de vniuersis tribubus Israel, qui non adscendit ad Dominum in Maspha? Et ecce inuenti sunt habitatores Iabes Galaad in illo exercitu non fuisse.

CVM *nemo Rex aut princeps esset, cuius authoritate & potentia concilium cogi posset, iuramento religioni summam ad cogendum atque ad vindicandum vim & efficacitatem tribuendam populus censuit. Namque hoc tempore ecclesia & conuentus omnis Israeliticam domum representabat, in qua ipsum Israelis paternum nomen summæ erat authoritatis: præcipuè cùm non populi tantùm, sed magis Dei prætensa causa conuentus indiceretur: quam rem ipsa inquisitio singulariter prætexebat*: Ad Dominum in Maspha. *Itaque seuero iudicio puniendi censentur, quicumq; in illo concilio requisiti notarentur; siue illi plures, siue pauciores, siue singularis quispiam de tribu aliqua defuisset. id verò exempli statuendum iudicabatur, ne qua postmodũ ciuitas, néve tribus aliqua deinceps conuentum vel recusaret, vel contemneret, vel communem causam desereret, vel etiam singulariter declinaret periculum, quod publicè & cõmuniter opporteret subiri. Iam verò duplex in his actionibus iuramentum cõceptum fuerat, vtrumq; grauissimum, sed prius omnino importunissimum pro temporis ratione, atque rerum vsu, & Israelitici nominis amplitudine; id nimirum quod de negandis vxoribus factum erat: quo sanctè, & ritè, atque seuerè præstito, vnam tribum non exterminari solum, verùm interire prorsus necesse erat;*

Universidad de Deusto
Biblioteca

id quod extremæ calamitatis loco habebatur: atque iuramenti religione ad has angustias, imò ad hanc maximam difficultatem redacta erat res, vt pœnitentiæ locus non esset relictus. Quamobrem in huiusmodi publicis causis atque rerum seruoribus, quónam euasura sint ea quæ statuuntur, prospicere & cauere cum primis fuerit consultissimum. Alterum verò iuramentum huic prorsus erat oppositum re atque euentu. Nam cùm è reip. commodo authoritateq. esse censeretur, vt ne quis communi conuentui deesset, eóque pacto Israelitica authoritas integritatem amplitudinemq. suam seruare posse censeretur, id cum primis asserendum esse, ac pœnis in desertores exercendis vindicandum, iudicatum est. Ex quo illud euenit, vt vtriq. iuramẽto fieret satis, & curæ illorum de instauranda Beniaminitarum tribu opportunè prospiceretur. Atqui Iabesitarum, id est, Galaaditarum gentis, quæ eis Iordanem Iabesam vrbem incolebant, non operam tantùm, sed voluntatem, sed præsentiam tum in priori conuentu, tum in hoc posteriore comitio requisitam esse accidit: id quod maximam illorum vel contemptionem, vel defectionem, vel publicæ & communis dignitatis, honestatis, ac salutis neglectionem arguebat.

Eo quoque tempore (cùm essent in Silo) nullus ex eis repertus est.

NON *contenti censu apud Mispan habito, quo nullus Iabesita repertus fuerat, ne quis eosdem postea in bellum venisse allegare posset, ad summam iterum redacta est res, capitibus per tribus singulas enumeratis: quo etiam tempore nemo ex illis homo, qui Iabesiten sese profiteretur, exstitit: quæ res illos tam ex iuramenti authoritate damnatos euicit, & pœnis addixit iudicij in Beniaminitas exercitij similibus; vtpote qui, vbi publicam illam causam cum cæteris pariter non essent persecuti, facinus quod editum fuerat grauissimum probare, saltem dissimulare, vel sese omni peccato Israelitarum cæterorum exemptos profiteri vtsi essent; atque ideo à Beniaminitarum cæde immunes & incolumes conseruatos iactare possent. Interpres noster declarationis causâ illud interscripsit,* Cùm essent in Silo.

Miserunt itaque decem millia viros robustissimos, & præceperunt eis: Ite, & percutite habitatores Iabes Galaad in ore gladij, tam vxores quàm paruulos eorum. Et hoc erit quod obseruare debetis, Omne generis masculini, & mulieres quæ cognouerunt viros, interficite, virgines autem reseruate.

IN *primæua linguæ exemplari, atque in Chaldaicis Græcisq. versionibus, emendationibus Latinorum codicibus, duodecim armatorum millia missos legimus, id est, totidem Israelis tribuũ authoritatis ac iudicij ministros: quibus perdendæ ciuitatis illius potestas facta est; cum occulta tamen & cauta exceptione, quæ propter iuramenti religionem apertè fieri non potterat ex iuratorum sententia. neque enim illi clarè virgines excipendas aut seruan-*

seruandas commendasse dicuntur: verùm neq. Hebraica, Chaldaica, Græcaq. lectio exprimit, quod in quibusdam quoque Latinis exemplaribus manuscriptis omittitur. ij, qui rem expediturj mittebantur, id ipsum sibi agendum ex prædictione intellexerunt. Nam nihil quicquam de exceptione vlla in iuramento fuerat pronuntiatum, sed de cæde & interfectione, vt paulo antea legebamus. Grandi enim iuramento se constrinxerant, cùm essent in Maspha, interfici eos qui defuissent. Sua in lingua LEMORMOTH IVMATH, *dicendo, mori morietur. Itaq. nihil de salute, aut exceptione, aut redemptione cuiusquam in illo voto, nihil etiam hic expressè de salute dictum; sed eorũ, qui mittebantur, menti & fidei commissum id fuit, quod postea euenit. Mandatum hoc ex verbo exemplaris linguæ ita sonat:* Ite, & ferietis habitatores Iabes Gilghad ad os gladij, & mulieres, & paruulum. & hoc verbum quod facietis, Omnem marem, & omnẽ mulierem cognoscentem cubile masculi, anathematizabitis. *vti Græcus interpres exactè vertebat. Itaque & iussione, & iussionis faciendæ ratione accepta, qui missi fuerant, rei finem & causam cognoscentes, id tantùm, quod iussi fuerant, confecere: hoc est, viros & feminas, non virgines, ferro omnes necauerunt.*

Inuentæque sunt de Iabes Galaad quadringentæ virgines, quæ nescierunt viri torum, & adduxerunt eas ad castra in Silo, in terram Chanaan.

PRVDENTISSIMI *ex iis qui ad pœnas de Iabesitis repetendas destinati fuerant, ex accepti mandati interpretatione earum quæ reperirẽtur puellarum salutis & capitum rationem habendam duxerunt, idq. sedulò egerunt, quadringentis enumeratis, & prædæ nomine in castra deductis, tamquam ancillis, vel mancipiis, belloq. captis, iis tamen ex Israelitarum gente, quamquam damnata & excisa. Neque verò huiusmodi exceptionem iuramento illo prohibitam interpretabãtur, quamquam similem aliàs prorsus Beniaminitis mulctam Iabesitas subire oportere, ex iuramento censeri posset. Verùm ipsæ vtriusque voti concipiendi & nuncupandi formulæ interpretationibus huiusmodi locum reliquisse iudicatæ sunt; si non ex iure summo, tamen ex æquitate & clementia, atq. adeò ex misericordia, maximè verò ex totius Reipub. conseruandæ studio ac lege, quasi non intestinis odiis & discordiis perdere, sed potiùs, religionis authoritate salua, mutuis studiis & officiis iuuare & conseruare par esse censebatur. Quod verò singulariter additur,* In terram Chanaan, *adnotationem adiuuat loci, ex quo puellæ abductæ, & tamquam captiuæ ab iis, qui cædem fecerant, deductæ fuere, iisq. oblatæ, à quibus illi fuerant missi. Namque Iabes Galaad eis Iordanem sita erat, in regione non promissa patribus quondam; sed postea bello expugnata, & iis, qui ex Ægypto adscenderãt, concessa. ita euenit, vt, quãquam virgines illæ ex Israelitarum gente essent, non tamen essent ex ea*

Universidad de Deusto
Biblioteca

regione, quæ propriè ac præcipuè Israelitica dicebatur, nec essent ex eorum familiis, qui sese vsuræ sacramento damnauerant; sed ex iis potiùs, qui ex Israelitarum numero seipsos quodammodo excipientes, eius defectionis pœnas dare iussi, pignoribus charis, hoc est, filiabus exspoliati sunt: quas quia iuramento minimè comprehendi definitum est, in reparandæ gentis vsum, Beniaminitarum reliquis vltro donari placuit. Neque enim iuramentum omnem prorsus coniugij facultatem illis adimendam exceperat, sed affinitates tantùm eorum omnium qui in comitia cõuenissent. Nullus nostrûm dabit filiis Beniamin de filiabus suis vxorem. *Nullus nostrûm de filiabus suis. qua formula nec ab entium, nec aliorum filiæ definiebãtur. Quamobrem alterius iuramenti obseruatione, alterius æquitati prospiciendum decernebatur; vxoribus donandis, quæ nec cuiusquam ex ipsis filiæ essent, nec singularis personæ etiam ancillæ: namque illæ, quamquam ab iis, per quos res expedita est, exceptæ; non tamen vlli vel publico, vel priuato capiti fuerant mancipatæ, sed omni cõuentui traditæ: ita vt omnium iuris quidem in commune, nullius verò singularis essent, atq. ita hoc nomine & iure Beniaminitis donari vltro possent, salua & obseruata duorum verborum fide & religione,* Nullus nostrûm, filiam suam. *hoc enim nihil cum illo pugnabat, omnes nos, aliorum filias.*

Miseruntque nuncios ad filios Beniamin qui erant in petra Remmon, & præceperunt eis, vt eas susciperent in pace.

RESTITVTIONIS *curã victoribus magnã, & satis piè susceptam, atq. bonis humanisq. viris omnibus imitationis causa propositã, retulit hactenus historiæ author. nunc verò studiosè, maturè, ac prudẽter adhibitam & positam narrat, ex ordineq. exponit. Principiò quidem puellas in castra deductas, honestè exceptas, ac depositas intelligimus; vtpote Beniaminitis in tribus sufficiendæ spem & vsum concedendas. Harum copiam reuocandorum ex fuga & latibulis fratrum consilium, & studium, atq. officium secutum est, nuncijs ab omni conuentu publica & communi voluntate authoritateq. missis, qui pacis, & concordiæ, atque necessitudinis recolendæ mandata perferrent vltro, atq. certis verbis denunciatam sacramentis præconijsq. publicè obtestarentur:* Vt eas susciperent in pace. *Non puellas indicat pronomen,* eas, *verùm Beniaminitarũ personas & animos. In exemplaribus manuscriptis emendatioribus,* eos, *legimus. Itaq. totus versus hic de pace solemni ritu & formula quàm placidissimè cum victis & metuentibus conficienda agit. Sic ex verbo:* Et miserunt omne concilium, & locuti sunt ad filios Beniamin, qui in ZZELAGH RAMON, & clamauerunt illis pacem. *Singula verba pondus ac significationem habent, ex pacis iure & formula petitam. Nullus in toto concilio de offerenda vltro pace intercessor, nullus ex omni reliquo Beniaminitarum numero exceptus: quin potiùs omnes ipsa fuga & metu, ac latendi studio illarum partium habiti,*

habiti, ad summæ pacis ac tranquillitatis conditionem, ad propriæ regionis possessionem securam reuocati; idq. non mandatis modo & interpretibus vltro missis, sed alta voce & clamore certis verbis, quibus res clarè percipi posset, & ex superiori loco ab iis, qui in rupe illa agebant, exaudiri. Chaldæus Paraphrastes, Et clamauerunt illis adlocutiones pacis. *nempe blandè amanterq. compellantes & salutantes, cæteraq. adlocuti, quæ metuentibus timorem adimerent, & amicitiæ necessitudinisq. instauratæ fidem facerẽt, pro loco ac tempore, progq. interrogationum atq. responsorum vsu; in quibus verosimillimum est, causam eam expositam fuisse, quamobrem illud ab Israelitis concilium susciperetur, videlicet misericordiam, pietatem, atque de conseruanda tribu cogitationem grauem & sertam. qua fide freti, atque publici nominis authoritate permoti,*

Venerunt filij Beniamin in illo tempore, & datæ sunt eis vxores de filiabus Iabes Galaad: alias autem non repererunt, quas simili modo traderent.

FORMVLÆ *in exemplari lingua expressæ sensum interpres noster circuitione reddere studuit, cuius vim ex duobus verbis mox explorabimus; illud priùs adnotantes, quòd in tempore illo venisse siue rediisse Beniaminitæ narrantur. sua in lingua,* BEGHETH HAHI. *In opportunitate & maturitate illa. Hispanicè,* En aquella sazon. *Singula namq. tempus habere dicuntur; & summæ prudentiæ tribuitur, præsentem occasionem non prætermittere. Antehac neutris illorum de pace agendum putabatur; victis propter imbecillitatem & inuidiam, victoribus propter iram: iam verò sponte ab omni populo victore oblata fuit, nemine intercedente, pax; cuius conditiones Beniaminitis quàm primùm accipere cõsultissimum fuit, antequam vel offensiuncula aliqua, vel ipsa cunctatione vulgus in contraria, vt ferè fit, scinderetur studia.* Et datæ sunt eis vxores. *publica donatione; quæ & legitima, & magis honesta erat, atq. Israelis totius nomine ac iure celebrior, nullius q. rursum priuati authoritate & affinitate excipienda. qua re atq. ratione vtriusque partis fidei ac saluti consultum fuit: sed cùm non satis omnibus fieri posset, quippe quibus adhuc ducentæ deessent, nouo consilio, vel potiùs inuento ac permisso opus fuit.* Alias non repererunt, quas simili modo traderent. *Qui Hebraicè callent, interpretis Latini diligentiam hoc loco valde probabunt. Duo in primæua lingua sunt verba, quæ singularem hic significationem habent: alterum* MATSAH, *alterum verò* CHEN. *Pro illo, Latinè plerumque, inuenire; pro hoc, sic, vel ita, vel rectè. Estq. propriè vox iudicialis, quæ in probata causa, vel ratione vsurpari solet. Porrò, inuenire, verbum, siue* MATSAC, *negatione additã, defectum, vel penuriam, vel egestatem declarat: atq. ita frequenter in sacrificiorum materia vsurpatur: Si non inuenerit manus eius agnam, vel vitulum, &c. offerat par turturum, aut duos pullos columbarum. Eiusdem autem significatio-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cationis hoc in loco est, Alias autem non repererunt; *sine, vt ex verbo vertamus*, Et non repererunt illis CHEN. *Diximus* CHEN, *& ad sufficientiam, & ad ius & iustitiam referri, hac significatione: Et non sic satis illis legitimè suffectum est. Nam nulla huic similis suppetebat puellarum copia, quam, salua religionis ac deuotionis fide, facere possent ducentis iis, qui ex Beniaminitarum numero integro reliqui erant. In illa tribuaria petitione, quam filiæ Salphahhath apud Moysem instituerunt, consultus Deus, ac de iure respondens, eadem hac voce vsus obseruatur*, CHEN BENOTH TSALPHATH DABERV; *Latino ita reddente, Rectè sine iustè filiæ Salphahhat locutæ sunt. hic verò vox* CHEN, *quæ illo in responso affirmata est, eadem in hac negatur deliberatione publica; atq; ita maximæ huius difficultatis ambiguitas nouum dolorem, nouamq; pœnitudinem attulit, necnon & consilium de integro ineundum suasit: non quod populus ipse omnis iniret, cuius in tam graui ac difficili argumento varias necesse erat exspectari sententias; verùm dolorem communem atq; dubitationem ad magistratus concilium & consultationem communiter placuit referre: vt, quod patrum consilio, ac decreto, vel permissu fieret, id secutus populus, legitimum ducens, à culpa omni immunis censeretur. ex antiquo Dei responso, Illos audietis, ac iuxta eorum dicta facietis.*

Vniuersúsque Israel valde doluit, & egit pœnitentiam super interfectione vnius tribus ex Israel.

ANCIPITEM *quæstionem populo difficillimã habitam consilium præpedisse intelligimus, & præter dolorem atque curam nihil præstitisse certi. Ex primæuæ linguæ verbo hæc oratio sic enuntiari potest*: Et populus ille miseratus est Beniaminum, quòd fecerat Dominus interruptionem in tribubus Israel. *Hispanicè*, Que abia hezo el Señor portillo en tribus de Israel. *Meminisse oportet illius figuræ dodecagonæ, in Israelitarum conuentibus fieri & constitui solitæ; quæ totidem lateribus constructa, circulum quàm proximè imitata, integrum, firmum, & spectantibus apprimè iucundũ formabat, quam speciem vnius lateris detractione contaminatum, deformatum, atq; debilitatum iri consequens erat. Hunc itaq; defectum non consideratum modò, sed spectatum etiam, vehementer commiseratus populus: eiusq; resarciendæ partes magistratuum ordini, quorum id præcipuè ius iudiciumq; erat, permisisse narratur.*

Dixeruntque maiores natu: Quid faciemus reliquis, qui non acceperunt vxores? omnes enim Beniamin feminæ conciderunt; & magna nobis cura ingentique studio prouidendum est, ne vna tribus deleatur de Israel.

OMNIVM *magistratuum primores ordines in sacrorum verborum formulis, senes siue seniores Israel dicuntur: quam vocem Romani imitati, senatum*

senatum suum appellauere, ad quem de præcipuis Reipub. causis & rebus deferri solitum est. Igitur Senatusconsultum populi totius voluntate & suffragio Beniaminitarum causa factum; cuius deliberatio, cui vtilitas publica, & illius tribus restitutio sinu vnicus esset, partibus, siue argumentis, siue membris tribus est consumpta. Quæstio verò fuit: Quid faciemus reliquis pro vxoribus? *ita ex verbo reddita quæstio sonat. Quæstionis ratio summa illa subiuncta est*: Omnes enim Beniamin feminæ conciderũt. *sua ex lingua*: Quia desiderata est vxor. *Cuius rationis illa argumentatio constituitur: Consilium est, Beniaminum totum restituere: Beniamino verò restituendo vxore opus est: hac verò desiderata, Beniamini restitutionem fieri non posse consequitur. Nec verò, quantumuis paucis coniugio priuari accidat, Beniamin restituitur, ne dum multis, hoc est, ducentis exceptis. Namque totum Beniaminum vocamus cum integrum numerum virorum, quem diuina clementia seruatum nouimus: non enim frustra hunc ita exceptum intelligimus, sed misericordia & prouidentia Dei volẽtis huic tribui & hæreditatem propriam, & nomen, iusq; suum manere, & perseuerare. Atq; hæc secunda deliberationis & consultationis pars, totius consilij fundamentum substruxerat: nisi enim Deus hanc tribum posthac deinceps constare voluisset, nullum ex ea virum fecisset reliquum, neminem saluum euadere siuisset: atqui ille seruatos exceptosq; hos voluit; quare* Magna nobis cura, &c. *Hæc disputationis assumptio clara ac perspicua in primæua lectione est, huiusmodi verbis*: Et dixerunt, Hæreditas euasit Beniamino. *quam Græcus interpretatus est*: καὶ εἶπεν, κληρονομία διασεσωσμένη τῷ Βενιαμίν. *Chaldaicus Paraphrastes*: Possessio euasionis iis, *qui domus Beniamin. Ex quibus planè communis consecuta sententia est, oportere omni studio, ac potius pietate prospicere, rationemq; inire, quemadmodum iis omnibus, qui superstites fuere, sufficiant vxores. Nam aliàs, nisi id cæteri fratres curẽt, non modò sibi ipsis, & generi nominiq; suo Israelitico, sed Deo authori clementi ac prouidenti defuisse videbuntur. Hæc itaq; totius cõsultationis conclusio fuit*: Et magna nobis cura, ingentique studio prouidendum, ne vna tribus deleatur ex Israel. *Neq; verò id satis abundeq; curatum dici potuit quadringentis illis, quibus vxores contigerant: namq; nihilominus consulendum erat reliquæ totius numeri parti, cuius etiam saluti, Dei clementia prospexerat. tum etiam humanorum casuum habenda ratio fuit: multi enim ex iis, qui iam vxores habebant, à Deo variè distineri poterãt; ita vt absque liberis decederent: nuptarum etiam pars aliqua sterilis euadere potuit: quamobrem, vt nulli in hac re, quoad id præstari posset, nõ propria duceretur vxor, prouidere verissimũ consultissimumq; erat: id verò quemadmodum citra religionis impedimentum fieret, nouo inuento fuit constitutum. Nam religionem cum primis seruatam, vel sapienter interpretatam, obtinere maxima cura sollicitudoq; erat.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Filias enim nostras eis dare non possumus, constricti iuramento & maledictione, qua diximus: Maledictus qui dederit de filiabus suis vxorem Beniamin.

HVIVS *deuotionis, siue interdicti, siue voti rationem iam paulo antè breuiter indicauimus, & longiùs etiam in elucidationibus Euangeliorum explicuimus illo loco: Qui dixerit patri suo, Munus quodcumq; est ex me, tibi proderit. Itaq; hoc interdicto voluntariam filiarum locationem sibi ipsis communi & solemni iuramenti ritu ademerant, ex illorum verborum formula:* Qui dederit de filiabus suis. *Verùm enimuero, quòd vltro sese daturos, negarant, rapi permissuros non abnuerant; minimeq; defendere, aut repetere, & vindicare, ex interpretatione verbi se esse constrictos intellexerant.*

Matth. 15. Marc. 7.

Ceperuntque consilium, atque dixerunt: Ecce solemnitas Domini est in Silo anniuersaria, quæ sita est ad Septemtrionem vrbis Bethel, ad Orientalem plagam viæ quæ de Bethel tendit ad Sichimam, & ad Meridiem oppidi Lebona.

FERIARVM *mos antiquissimus, vti obseruauimus, est, iisq; præsertim solennis & celebris, qui vicina sacro tabernaculo vel templo incolebant loca; namq; horum puellis & virginibus cantu laudes diuinas dicere, & choreas agere, fas erat, eo tempore præcipuè, quod totius anni lætissimũ, hoc est, vindemiæ, cùm tabernaculorum festũ octonis diebus colebatur. quæ in aliis oppidis remotioribus degebant mulieres, non adstringebantur lege visendi tabernaculi sacriter in anno. namq; illa lex viros tantùm appellabat, non item feminas: quas si aliquando cum viris ad festum venisse legimus, id sponte & vltro factitatum intelligimus, nõ iure aliquo ac præcepto coactas: verùm Siloentes puellas, propter præsentis tentorij opportunitatẽ, & domi, & pomæriis, ac suburbanis in agris lusisse, & festas choreas duxisse, nihil prohibuit; imò, vt videbatur, decuit. Hanc verò occasionem Beniaminitis ad sufficiendas vxores indicandam Israelitarum magistratus censuerunt: loci etiam opportunitate iuuante, quòd secundùm illam longiorem & stratam viam vineæ cisitæ essent, in quibus illi delitescere possent: Beniaminitis illis qui coniugiis egebant: hærentibus adhuc nimirum apud illas rupiũ Rimon latebras, quæ non procul, nec auersæ adeò ab his locis distabant; quorum locorum nomina hic indicantur:* Ad Septemtrionem vrbis Bethel, ad Orientalem plagam viæ quæ de Bethel tendit ad Sichimam, & ad Meridiem oppidi Lebona. *Harum vrbium regiones ac situs ex sacro Apparatu cognoscere est.*

Lib. Caleb.

Præceperuntque filiis Beniamin, atq. dixerunt: Ite, & latitate in vineis. Cumque videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repentè de vineis, & rapite ex eis singuli vxores singulas, & pergite in terram Beniamin.

SINE *tumultu, sine bello, aut vllo crudeli & inhumano insultu, rem illam*

illam confici patres voluerunt: idq; facillimum factu fuit, virginibus ex inopinato occupatis, & quamprimum in illorum patriam abductis, interimq; persuasis ad legitima coniugia, & blanda oratione & reuerentia eorum qui authores fuerãt, atq; promissione amplioris rei familiaris, quam in tot vrbibus, domibus, & prædiis, atq; villis, quòd vacua, cultoremq; desiderantia Beniaminitis constabant, necesse fuit esse non exiguam. Ita verò res hæc demandata & credita illis fuerat, vt ante ipsius expeditionis diem silentium præciperetur etiam: post rem verò gestam, & consilium, & consilij authores indicari non est prohibitum; imo etiam permissum, quo minùs graue facinus cognatis & propinquis duceretur, propter senatus authoritatem summam; & res ipsa nullam de raptu actionem habere posset, vtpote non ex libidine & improbitate Beniaminitarum, sed ex patrum consensu, atque adeò ex Reipub. salute & vsu cœpta & confecta: adeò, vt nemo ex propinquis causam illam cum alio quopiam, nisi cum magistratu, agendam sibi intellexerit.

Cumque venerint patres earum, ac fratres, & aduersum vos queri cœperint, atque iurgari, dicemus eis, Miseremini eorum: non enim rapuerunt eas iure bellantium atque victorum, sed rogantibus vt acciperent, non dedistis, & à vestra parte peccatum est.

HVIVS *versus ita Latinè scripti, nobis difficilis & impedita sententia est, quam aliquanto clariorem Græca verba videntur efficere:* Καὶ ἔσται ὅταν ἔλθωσιν οἱ πατέρες αὐτῶν; ἢ οἱ ἀδελφοὶ αὐτῶν κρινεῖς πρὸς ἡμᾶς, καὶ ἐροῦμεν πρὸς αὐτούς, ἐλεήσατε αὐτούς, ὅτι οὐκ ἔλαβεν ἀνὴρ ἑαυτῷ γυναῖκα ἐν τῷ πολέμῳ, ὅτι οὐχ ὑμεῖς δεδώκατε αὐτοῖς κατὰ τὸν καιρὸν ὃν ἐπλημμελήσατε. *id est, Quando venerint patres earum, vel fratres earum iudicari ad nos, & dicemus ad illos, Misereminì eos: nam non accepit vir sibi vxorem in bello: nam vos non dedistis illis secundùm opportunitatem, quia piaculum admitteretis. Namque huiusmodi hoc in loco significatio obseruatur in verbo* πλημμελήσω. *Chaldaicus verò interpres in hũc sensum circumloquebatur: Quãdo venerint earum patres, vel fratres earum ad iudicandum coram nobis, & dicemus eis, Compassi sumus illis: quia non suffecimus ad dandum eis viro vxorem suam in bello: namq; non vos dantes eis iuxta tempus, ne fortè peccetis. Ex quarum versionum collatione loci huius propria lux sine multo labore erui vix potest, nisi etiam primæuæ linguæ interpretatione ex verbo petita:* Et erit, quando venerint patres earum, vel fratres earum ad litigandum ad nos, & dicemus eis, Misereamur eos: nam non accepimus vir vxorem suam in prælio: nam non vos dedistis eis secundum tempus [*quo*] delinqueretis. *Huius orationis (quam senatus omnis authoritate, consilio, iudicio, ac nomine pronunciatã, illius facti defensionem vel excusationem habere credendum erat) sensus, & ex germanorum verborum significatione, & ex re ipsa erudiendus est: vt nobis etiam satisfaciat, quemadmodum & iis ipsis qui pronunciarunt,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

& illis etiam quibus persuaserunt, satisfecit. Principiò illo in iuramento, siue interdicto, siue anathemate (namque his nominibus interpretamur HHEREM) *conceptum deteratumq; erat, ne quisquam Beniaminitis vxores de filiabus daret suis. quod violare omnibus pariter fuit religio. Quam ob rem nec patres ipsi, vel Senatores, nec plebeij; nec etiam vlli ex ciuibus Silo dare suam potuit filiam, tametsi rogarentur ac postularentur; quod nec factum quidem à Beniaminitis legimus; nec ignoratam quoque illis sacram interdictionem. Quidquid igitur actum est, ita compositum consultumq; fuit, vt, salua religione, & conceptorum verborum formula ac fide incolume, & Det de Beniaminitarum reliquiis voluntati obsecundaretur, & Israelis nomini, tribubus, & ordinibus conseruandis atq; instaurandis consuleretur: id quod cùm satis præstari non potuisset, captis ex Galaad puellis raptu Siloitarum indicato satis præstitum fuit. Supererat parentum & fratrum querela & expostulatio, quæ vel aduersus raptores instituenda erat, vel iustiùs etiam aduersus magistratus & senatum. Illa querela tribus partibus constare potuit; vel consensus & authoritatis à patribus profectæ; vel improbitatis, & audaciæ, atq; insolentiæ raptorum; vel culpæ eorum, qui filias aut sorores suas Beniaminitis, contra iuramentum & interdictum, permitterent. Trium huiusmodi argumentorum depulsionem, seniorũ continet responsum. Primùm se non odio, non iniuriæ faciendæ studio, sed commiseratione tantùm inductos, illam sufficiendarum Beniaminitis vxorum iniisse rationem: quam miserationem & curam illis, qui postulabant, non alienam videri, aut esse debere, propter communem totius Israelis causam. Hoc est quod illo verbo graui, & ad sententiæ formulam pronunciato, significatur:* Miseremini eorum, *siue, vt in primaua lectione est,* Miserati sumus eos. *Id est, Quod senatus decreuit, non ex dolo mala, sed ex misericordia decreuit & constituit: idq; adiuuare & obsequi, vestri est officij, qui nobiscum misereri etiam debetis. Secundum expostulationis argumentum erat, Beniaminitas iniuriarum tenerι, qui alienas puellas vi raputssent, ansamq; ad bellum dedissent, si vel patres, vel fratres præsentes tunc adessent; vel, re cognita, vleisci iniuriam vellent. Cuius argumenti inuidia non modò patrum responso mitigatur ac tollitur; sed ad misericordiæ etiam & venia rationem reuocatur acutè sanè atque prudenter: Immo eo ipso, inquiunt, & venia, & condonatione digni, quòd propter tribus propriæ studium & vtilitatem sese eiusmodi periculo obiecerunt, vt; quas vltro vxores obtinere non poterant, arte & vi sibi compararent.* Non enim rapuerunt eas iure bellantium, atque victorum. *Ex verbo proprio:* Non enim accepimus vir vxorem suam in prælio. *Mos omnium gentium est, vxores non bello aut vi rapere atque vsurpare, sed affinitatibus contrahendis gratiam quærere, & amicitiæ nomine connubia expetere. id verò quod aliis omnibus vsui est, in nobis ipsis statuimus exemplum: nam neque nos vxores nostras bello accepimus; neque*

istas, quas nobis authoribus raptas dicitis, puellas nos ipsi nobis pugnando vsurpauimus; nec quisquam vsquam mortalium, nisi necessitate magna pressus & coactus, huiusmodi coniugiorũ rationem & formam admisit; cui necessitati & illi dederunt operam, vt quàm innocentissimè ac sine vlla cæde parerent: & ideo à crimine procul abesse, quin potiùs veniam à vobis mereri iudicandi sunt, qui id coacti fecerint, quod nullo pacto à vobis impetrare poterant: eáque re effectum est, vt & illis consultum, & vobis non inconsultum esset; quippe quibus nec voluntas, nec mens quidem fuerit, religionis piaculũ pati; vxorum illis vel facta, vel concessa, vel permissa vltro copia, quas vobis etiam inuitis raptas, res ipsa ostendit, & querela incusatioq; vestra profitetur, atque adeò ab omni criminis contra interdictum admissi suspicione positis immunitatem magni & communis illius voti dat, quod hoc tempore vobis minimè violatum est. Vt acciperent non dedistis: & vestra parte peccatum est. *Quo Latinæ versionis nostræ sententia cum exemplari lectione, atq; cum re ipsa cohæreat, negans vocula,* Non, *ad vtramque orationis partem pertinere debet, ex D. Augustini dialectica regula.* Non dedistis eis rogantibus, non & à vestra parte peccatum est. *Quod exemplar adnotat,* In tempore, *& Græcus interpres,* κατὰ τὸν καιρὸν, *id est, secundùm opportunitatem, idem significat, ac si Latinè dicatur, præsenti in exemplo, vel, vt Iurisconsulti loquuntur, in casu nullum crimen est vobis.*

Fecerunt́que filij Beniamin, vt sibi fuerat imperatum: & iuxta numerum suum rapuerunt sibi de his, quæ ducebant choros, vxores singulas: abieruntque in possessionem suam, ædificantes vrbes, & habitantes in eis.

RAPVERVNT sibi. *In exemplari,* Tulerunt, *siue,* duxerunt vxores ad numerum suum ex feria quas rapuerunt. *vt raptus causa ad coniugij necessitatem referatur, aliàs nullius futuri.* Ædificauerunt vrbes. *quas belli primùm tumultu & insolentia, deinde cultoris egestate vacuas breui corruisse, & tantùm non vastatas ac funditus dirutas esse, necesse fuit.* Et habitauerunt in eis. *antiquis retentis & conseruatis per singulas familias nominibus.*

Filij quoque Israel reuersi sunt per tribus & familias in tabernacula sua.

CONCILII *illius conuentusq; solutionem actiones duæ præcesserunt: altera recensio siue census familiarum ad singulas tribus pertinentium; ita vt nominibus acceptis, & subducta summa, Israelis filiorum numerus integer suis cum familiis constare obseruaretur. Altera verò fuit dimissio ac*

Universidad de Deusto
Biblioteca

diſceſsio cum bona, vti dicitur, gratia; facultas vnicuique facta, ſua loca, oppida, ac prædia repetendi. Vtraque res ipſis exemplaris diſpunctionibus atque verbis indicatur: Et contulerunt ſe inde filij Iſrael opportunitate illa vir ad tribum ſuam, & ad familiam ſuam: & exierunt inde vir ad hæreditatem ſuam. *Priore hemiſtichio recenſio publica, poſteriore concionis diſceſsio indicatur. Non inconcinnè hoc loco antiquiores homeliaſtæ adnotant interdictionis illius exceptione tantùm filias vetitas, non item neptes aut proneptes, vel vllas alias ex poſteritate eorum qui interdixerant. Nam cùm interdicti vnde vi, quæq; ratio ſit quæratur: verba ipſa filiarum tantùm collocationem abnuebant:* Vir ex nobis non dabit filiam ſuam Beniamin in vxorem. Vir ex nobis, *præſentes tantùm indicat, non item abſentes aut futuros. Namque & Galaaditarum, qui tunc aberant, filiæ permiſſæ interpretando declaratæ ſunt. Addunt etiam ſolertes illi ſermonis atque notarum examinatores, non potuiſſe illos de illare poſteritatem ſuam voto obligare, cùm Dei promiſſum atque omen in Iacobo quondam pronunciatum obſtaret: Reges de lumbis tuis egredientur. id quod Beniamini cauſa primò reſponſum interpretantur, ex cuius familia primus Rex creatus fuit Saulus, qui nondum hac tempeſtate natus erat: ex altera verò Dauid: atque ex tertia Ieroboghamus. itaque multitudinis numero Reges prædicti ſunt.*

In diebus illis non erat Rex in Iſrael: ſed vnuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat.

VNDE *hæc propter Leuitas duos ſpectata apud Iſraelitas monſtra, & quo de fonte orta requiſituris, hiſtoriæ huius author Spiritus ſanctus cùm in narrationū ipſarum principio, tum in fine etiam declarauit: ex eo nimirum, quòd, vbi legum vindices deſunt, ingenium hominum ad licentiam ac temeritatem pronum eſt: & vbi vitia ſemel incitata ſunt, in procliue labuntur, & ſuſtineri vel nullo modo, vel difficillimè poſſunt, propter ſuperbiæ illius & inſolentiæ concepta ſemina:* Eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum. *Nec deſunt tamen argumenta hominibus, quibus delicta ſua colorari videantur, vbi iam delictum defendere, quàm vertere, magis libeat: atque ita fit, vt qui factus ad veram libertatem fuerat homo, poſtquam licentia libertatem mutauit, niſi poteſtatis authoritate compeſcatur, turpiſſimorum vitiorum ſeruitutem ſubeat, idq; rectiſſimum ducat, quod non cum legibus diuinus, ſed cum animæ libidine & ſenſu non communi, verùm ſuo ipſius corrupto conuenit.* Vnuſquiſque quod ſibi rectum videbatur. *Exemplaris lectio ita ex verbo habet:* Vir [*illud*] rectum in oculis ſuis faciet. *Itaque epiphonema hoc, quo hiſtoriæ finis imponitur, catholicam continet animaduerſionem ſingularis inſolentiæ, ſuperbiæ, & contumaciæ hominum: in quibus vbi qui præſit, conſulat, atq; imperet, pro tempore deſideratur,* Genes. 3.

ratur, omnia priuatis ſingularibuſq; iudicijs & ſtudijs tractantur & agantur; neque illius iniuriæ inferendæ, neque vindicādæ & vlciſcendæ modus vllus tenetur, contrà atque diuina lege cautum prohibitúmque eſt: Non facies quod bonum videbitur in oculis tuis. Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Deo tuo. Itaque huiuſmodi documento diuinus Spiritus librum hunc abſolutum voluit, qui ad meliorem temporum, quæ poſt hac enarrabuntur, vſum paraſceuen facturus erat; hoc eſt, ad Samuelis ætatem, qui & huius & ſui voluminis fideliſſimus miniſter ſcriptorq; fuit. Huiuſmodi itaque exempla eſſe ſolent eorum qui à Dei præceptis & inſtitutis alienati, & monitore, vindice, animaduerſoréque carentes ingenij ſui, ex ingenio modóque ſuo viuere conſtituunt.

Hiſpali, in villa ſuburbana, Idib. April. 1589.

Benedictus qui dat laſſo virtutem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

BENEVOLO LECTORI S.

CVM in hoc Commentario passim mentio Terræ Chanaan fiat; operæpretium nobis visum fuit, descriptionem eiusdem, ab ipso authore olim delineatam, & nunc huius libri formæ accommodatam, adiicere: vt eo facilius, Lector, authoris mentem in locorum dispositionibus assequaris. Vale.

TABVLA TERRÆ CANAAN ABRAHÆ TEMPORE ET ANTE ADVENTVM FILIOR. ISRAEL CVM VICINIS ET FINITIMIS REGIONIB. ex descriptione Benedicti Ariæ Montani.

Universidad de Deusto
Biblioteca

BIBLIOTECA NAZIONALE
ROMA

INDEX RERVM, AC VERBORVM MEMORABILIVM.

A.

AA Ieremiæ, ahah. 206
Abimelech quid. 347
Abusus ex leui initio sensim. 589
Abusus rei primùm non malæ, tãdem in scelus prolabitur. 322
Academicis stultitia fons peccatorum. 640
Accentuum vis. 25
Acclamatio in electione Regum. 347
Adhortationum formula. 263
Aditus & exitus obseruatio in bello. 110
Admisisse & commisisse quid. 566
Adonai etiam ad homines relatum. 196
Adorare, latria, Dei cultus. 62.66. 251
Adulterium igni punitum. 533
Ædificij quod ruit per Samsonem, descriptio. 572. 573
Ænigmata Latinè scripsi. 523
A facie, id est, authore & voluntate. 169
Affines è diuersa tribu, Manasse & Isachar. 415.445.
Afflictio dat intellectum. 432
Aliena appetere suo non contentos. 616
Alij res intenta, se negligit. 354
Allusio ad nomen oppidi. 290
Alma dea quid. 57
Amalec 165. 224
Ambitio. 331
Ambitio peruertit officium. 610
Ambulationis labor. 355
Amicitiæ vtilitate initæ. 611
Amicorum res. 142
Amonitæ è Lot Abrahæ nepote. 80
Amor excæcat, exoculat, stultum reddit. 566
Amor in peregrinam personam. 515
Amore capti. 514.550.561
Amoris & voluptatis exitus. 565
Angeli pios instruunt & iuuant. 201
Angeli vultus. 503
Angelum videre, vel Deum. 206
Angelus, id est, nuncius, nomen muneris, non naturæ, datur & homini, & cacodæmoni, nõ soli bono spiritui. 19
Angelus Prophetæ. 180
Angulis quid indicatum olim. 652
Animæ immortalitas. 579
Anima pro sensitiua, animus & spiritus pro intellectiua. 577
Animæ quæ vel pars mortalis, quæ immortalis. 577. eadem aliter post Resurrectionem animabit idem corpus. 578
Animi constantiam vel debilitationem sequitur animalis seu corporis vis, vel debilitatio: vt metu potentia retentiua alui. 255
Animi passio acrior non erumpens. 646
Annorum ratio. 162
Annorum trecentorum ante Iephte summæ ratio. 472
Antiphrasis & ironiæ vis. 383
Apes è leone vt & vitulo. 522
Apologorum vsus. 350
Apostata. 369
Apparatus facer, liber authoris. 85.100
Apparere quomodo interpretatur. 183
Aqua edax, vigilia edax. 277
Aræ priuatæ. 208
Arborum & arbustorum genera. 369
Arborum natura varia. 360
Aracenensis rupes. 164
Arcana Regia. 88
Arenariæ cryptæ Romæ. 164
Argenteus quid, cuiusque ponderis. 582
Argumentum à nominis etymo. 219
Argumenta ex euentu rerum. 489
Argumentandi sacræ rationes. 189
Argumentatio & dialectica ex natura vulgoque 186.187.188
Argumentorum loci. 171
Argumentum ab absurdo & pugnanti. 219
Arma antiquorum. 242
Armorum oblatio. 13
Arocitana ciuitas. 192
Ars humana. 178
Artis in Cantico annotatio. 133.134.136
Aselli Asiatici laus. 138. Albus color. ibid.
Asseritarum tribus turpissimam conditionem tulit, vt & nomina vrbium victarum manere sineret, quæ Phœnicea, Panchaia, Sydon, Tyrus, Syria Palæstina. 25
Asinteger & minor. 552
Astaroth, id est, beatæ. 57
Astharte. 328.422.
Astharthis dea. 58
Astrologorum prædictiones generali nomine incertæ. 97
Astrologicæ diuinationis obseruatio. 596
Attentio auditorum re ipsa adducta. 655.660
Auaritia. 361
Audire pro obedire. 178
Augem quem vocent Astrologi. 162
Auguria maximè à mulieribus obseruata. 157
Augustini dialectica regula. 701
Aulicorum obseruantia. 88
Aures admonitionis sedes, hinc inaures. 317
Auspicari à religione hominib. commune. 340
Auspicium Alexandro captatum. 250
Auspicium in omni re à Deo placando. 689
Authoritas muneris & mandati non nomen

Universidad de Deusto
Biblioteca

gratiaque dicentis fidem postulat. 19
Author est Deus omnis rei, vt naturæ, non culpæ aut vitij. 53
Author solus facinoris petendus in pœnam. 668
Azymi nomen quonam tendit. 202

B.

Baalim, Baghal Hebraicè variè exponitur. 12. 57. 219. 658. Baal. 421. 428
Bacillum & virga. 205
Balsama. 321
Balsamum. 81
Barak, fulgur. 109
Beare, beata, beatitudo. 57. 421
Belgæ. 601
Bella & inimicitiæ magnæ non modò studiorum & morum, sed religionis etiam simultates retinent. 1
Bellica disciplina, & consilia, vt venationis. 294. 476. 477.
Bellicæ insidiæ vel stratagema. 678
Bellicum consilium. 240
Belli commeatus. 281
Belli communis & publica causa religio. 478
Belli consilia & curæ. 122
Belli extra pugnam occidere, vel captum vel dedentem se, crudele est. 301. periculosum quoque. 307
Belli iudicium, quo & Deus publicas iniurias iudicat. 473. 673 675. punit vtrimque. 684.
Belli iure qua modestia vtendum. 280
Belli iure panis impetriri potest. 279. 289
Belli mala vtrimque Deo puniente. 684
Belli ratio non fert vt vlla vrbs omnino vacua linquatur defensoribus 682
Belli præsertim ciuilis caducea victoria. 673. 676 684. 685. 691
Bello captorum ratio diuersa habenda. 304
Bello carere quomodo poterant principes, vel debebant. 475. 684
Bellum ciuile semper vtrimque malum, exitusque. 672. 674 677. 684
Bellum initio iustè initum, ita geritur iniustè. 672. 674. 684
Bellum quicum gerendum. 97
Bellum denunciatio præcedere, paxque oblata debet. 451. 454
Bellum venationis instar. 111
Belijaghal, Belial. 369. 634. 668
Blasphemi punitio. 648
Beneficia Dei. 174
Beneficentia Dei vt communis, ad commune nos commodum hortatur. 40
Beneficij obliuio turpis, magisque in præclaro vel nobili, quale verò mala pro bonis. 379
Benedicere quid significet. 515. 582
Bethania. 265
Bethel. 672. 688. 689
Bethlehem duæ, Iuda, & Ephrata. 586
Boni & mali. 161
Boni viri senis oratio. 276
Bonum agenti, malus inuidet, quasi exprobrans. 628
Brutorum animantium pauor. 357

C.

Cæsarea. 617
Caleb quæ gessit, quare distinctè scripta. 10
Caleb tergeminos fratres vicit, vt Hercules Geryona tricorporeum. 17
Campo pro castris. 253
Canticum Deboræ. 129. 133
Canticum, Psalmus; canere, psallere, differunt. 131
Capilli citiùs, densiùs, prolixiùs quando crescunt. 568
Capilli prolixi, nociui. 558. 562
Capillitij septem areæ seu regiones. 565
Capita sola consulunt & agunt, & puniendo. 299
Caput non raderi, luctus signum. 503
Caput omnis rei & belli, vt iugulus petendum. 6
Carmine disticho choriambico respondet Samson. 529. 542
Carminum interpretatio. 128
Caro & spiritus. 226
Carthago non eadem iam quæ Romani nominis olim æmula. 22
Cassiana veterum iudicia. 654
Castellum. 408
Castigatio diuina. 168 per malos. 169
Castra Israel & Iacob. 252
Causis quibus adscribendi sint euentus. 49
Cautio & cauere prudentis est. 448
Cautio rei periculosè agendæ. 87
Cautionem aut euasionem non docendi mali sunt. 346
Cedrus. 373
Celeritas &, nocuit differre. 605
Celeritas iudices fallit. 410
Chananæi regio vnde nomen sumpserit. 4
Chananæus firmus antiquitate manserat. 74
Christi resurgentis typos. 540. dantis secibum. 525. 528. vnius ad multorum salutem. 554
Ciuilis sermo, & ancillæ, & seruo, &c. 631
Clamor quando vsurpatur frequenter. 170
Cœpitque habitare, explicatur. 24
Cognatio. 580
Color eloquentiæ, fucus rei. 285
Comitia. 650. 651. 666
Commodum priuatum pernicies Regũ. 290
Commodum priuatum neglectus publici. 40
Communia propriis & priuatis anteferenda. 661. communi ope, opere, opera sumptuque gerenda, ordineque non tumultuario. 665. 666

Comparatio quid apud Rhetores. 470
Comparatio beneficiorum exprobrat exaggeratque contumaciam & stultitiam. 30
Comparationum efficacia. 148. 152
Complexio post inductionem. 140
Compositus sensus quid. 171. 187
Concha genericum vasis genus. 219
Concilium generale. 650. 651. 654
Concubina vxor non legitimis ceremonijs. 619. 645. 657
Confessio & pœnitentia integra. 428. 429
Confessio peccati cum pœna satisfac. 432
Conflictus solis & venti rationem habet. 398
Congregari ad patres, exponitur. 47
Coniecturalis status ac definitiuus. 174
Coniecturalis actio prima. 649. 661
Coniugium 60. liberorum per parentem. 497
Coniugium anno toto differebatur post sponsalia. 522
Coniugia vinculum consuetudinis. 75
Coniugia ex mente vel consensu parentum. 515
Coniurationis arcana. 91
Coniux, vxor, metaphoricè. 107
Connexa ordinata numero. 211
Conscientiæ cura & pauor. 355. 611
Conscientiæ vis ad metũ aut constantiã. 137
Conscientia malorum. 183
Consensu vibium & concordia res firmissima. 190
Consilia & ingenia præ studio & contentione minùs sapiunt. 674
Consilia in principes. 86
Consilij acuti matura expeditio. 399
Consilij fidelis & candidi animi exemplum. 113. 114. 115
Consilij priuati spiritus. 61
Consiliorum diuersitas. 351
Consilium infelix vnde. 28
Consilium per ironiam datum. 431
Consilium statur. 282. abusus eius. 283
Consuetudinis vinculum religio. 71
Consultationum bilanx & statera. 282
Consultationum loca tria. 602. 654
Contemni nullæ copiæ nec hostis debet. 402
Contemptio præceptorum causa malorum. 54
Contentio quid apud Rhetores. 470
Contraria contrariis curantur. 177
Contumacia humana contra promissa & beneficia Dei, ei sibique defuit Israel. 28
Conuentus sacri sunt coram Domino. 451
Conuiua quatriduanus. 621
Conuiuatio lasciua licenter & improuida. 570
Conuiuatoris & conuiuæ munus. 202
Conuiuia prisca. 199
Copiæ vicium. 167
Copia & fertilitas nocent. 604
Cor cogitationum primùm domicilium, deinde voluntatis regia sedes. 338
Cor contritum & humiliatum ante sacrificia ritusque. 38. 39
Cor officina sedesq; cogitationum, &c. 563
Corpora non pura quo plus nutris, plus lædis. 168.
Corripiendi modus & modestia verborũ. 641
Culpæ causa calamitates & iacturæ sequuntur. 13
Cultus Dei ad proprium sensum, neglectus est. 47
Culpa vel laus ex intellectu, delectu seu voluntate & conatu, non ex euentu semper in communibus & promiscuis rebus. 376
Cupiditas & ambitio peruertit omne officium 619
Curare animi affectiones. 207
Curæ quidnam efficiant. 355
Curruum vsus ferreorum. 103
Cymbrico sermone, Been, eius & os. 647
Cymbricorum lingua. 263

D.

Dan, & tribus Dan. 617
Danitica tribus vi capit & alteram regionem. 592
Daniis spatia per hostem arctata, per fratres Ioseph tribum defendendis. 271
Dauid vt orat. 171. 176
Deæ sacratæ in gratiam feminarem. 57
Debora nomen apis. 109. 135. mucus dupex. 114
Decemuiri, centumuiri, & nunc apud nos similes. 299
Decens, pulchrum, pro vero. 376
Decipimur specie recti. 586. 595
Decretum sapientum non ante vel citra consilium. 662
Decretum, statutum, mos. 484. 485
De, Ex, A, quam vim habeant. 29
Dei beneficia ex misericordia, supplicia ex iustiss. iudicio. 68
Dei clemeatia. 168
Dei cognitio quatenus, & vnde habetur. 55
Dei cura & sedulitas. 173
Defatigatio quæ mala. 277
Dei est beare vel iuuare. 429
Dei honor & nomen assurgere facit Reges. 90
Dei honor & religio pluris esse debent, & vindicari potiùs quàm alia minora. 675
Dei ira non citò fit, estque effectus, non affectus. 67
Dei nares ampliss. cùm longanimis. ibid.
Dei opera & dona sibi adscribit homo. 233
Dei pactum. 67. 68 ipse seruat, homo violat. 69. 70
Dei propositum constans. 61
Dei responsum vt oraculum an fallat. 672. 674. 677
Dei ratio habita & cura, quanti. 608
Dei Sanctorumque è templis Ecclesiasticorumque bonis militib. data stipendia, præsertim in sacro religionis bello, & salutem

Universidad de Deusto
Biblioteca

symboli sacri tesseræque nomine. 341
Dei viribus opeque non proprijs puniendus Dei populus. 102. 103
Dei vox neglecta. 25
Delectus virorum in bello. 239
Deorum contentio apud Homerum. 340
Deorum inueniendorum origo. 53
Depulsio. 470
Deum in aduersis inuocare. in prosperis obliuiscì rursus, detestanda ingratitudo. 430
Deum vtraque pars allegat æquè, ex euentuque rei iudicat de sua causa. 573.575. 576.
Deuouere se diis manibus. 571. 577
Deus creat multo antè rei causas. 116
Deus dimisit Gentes, explicatur. 71.74
Deus & Religio res pretiosissima. 612
Deus est vita æternalita Deo carentes, in morte æterna sint oportet. 578
Deus foris, vel intus, vel vtroque modo monet. 349
Deus vbi iuuat, inualida valent. 91
Deus vlciscatur se, explicatur. 219.220.221. 222. 223.
Deus vt omnia suauiter disponit, ita eligit ad officia sua qui aptum quiddam habent. 190. 191. 678
Dies ab Occaso cœpit antiquis. 527
Dij proprij 614
Dilemmatis vis. 184
Diuinatio genere duplici. 651
Diuina vis & tutela. 547
Diuini iudicij decreta quomodo obsignata. 404
Diuini iudicij exemplum. 306
Diuinorum cognitio misceri non fert humanis opinionibus & sententijs. 508
Diuitiæ & opes spectantur in eligendo Gubernatore 318
Diuitiarum & egestatis vires. 361
Diuitiarum & munerum collatio. 361
Dodrans mensuræ genus. 84
Dominatio potestas regia, Dominus. 314
Dominationem vel vnius ægrè fert nobilis. 333
Dominator Dominus Deus. 315
Domine siue Adonai, quid arcani dicat. 575
Dominos plutes & serui viles ægrè ferunt. 333.336.
Dominus tecum. 184
Domus patris, seu cognatio. 580
Domus. vide, Hospitium.
Duc, pro induc. 111
Duci non obtemperare, capitale. 301
Ducis & militis partes. 278.412
Ducis optimi exemplum. 252
Ducis partes tres. 117
Ducis prudentia. 289
Ducum partes, & culpæ euentus in alios. 42

E.

Ecce pro extemplo. 126 secus. 244
Ecclesia, & simul orans. 686
Ecclesiam quis numerus constituat. 212
Ecclesiastica actio, supplicatio. 178
Ego sum Dominus, explicatur. 186
Electi à Deo Magistratus. 368
Electio ad ministerium, & electi partes. 191
Electio ex virtute, non ex suffragio. 435
Electio publica. 311
Electionis genus tertium. 364
Electionum doctrinæ summa. 374
Eligi minus malum. 643
Elocutio feminæ. 521
Elohim. 423.574.575.596.687
Eloquentia sacra. 272.338
Ephod. 322.596.608
Ephraim sine tributo videtur in amicitiæ ius suscepisse Chananæum. 24
Eripere. 474
Erroris vitæ diuerticulum. 327
Et ecce. 603 645
Et factum est. 561
Et nunc. 375
Et, pro, itaque, ergo. 414.484
Euanescere. 205
Euangeliorum elucidatio. 272
Euentus prædictioni, & pœna culpæ conuenit. 56.59
Exaggerant rem antitheses. 627. circumstantiæ. 638.639.658. comparatio. 669
Exaggeratio peccati Israelitarũ, & pœnæ. 80
Exaggerat rem nuncius, & magis delator. 409
Excludere facilius quàm expellere. 403
Excusatio in Reip. duro tempore. 148
Exemplare delictum. 664
Exempli publici contagio pessima. ibid.
Exemplorum examen. 95.154.155
Exemplum vicinum decoris vel dedecoris quanti sit. 26
Experimentum periculosum. 73
Expiatio. 582
Exploratores, vigiles, custodes. 19
Expugnatio maiorum oppidorum vt facilior. 472.
Externis, generi, patriæ, religioni, &c. in vtrãque partem non nimis fidendum aut diffidendum. 625

F.

Facere, sacrificando apparare. 507.508.510
Factorum & formarum diuersitas ex parentibus. 306
Facinorosi, pestis & lues terræ, non modo vt mali inutile pondus, & reus qui fouet nec punit. 668
Facta, non verba æstimanda. 401
Fames & sitis in alio restinguenda, etiam (nisi in bello) hoste, ex humanitate & lege. 279
Familiaris rei augendæ rationes. 365
Famulus Dei, laus Veteris Testamenti, Filius Noui. 44
Fatum poëticum. 127.135
Felicissimi per se sapiunt, felices per alios, miseri neutro modo. 41
Felicitas & miseria non simul. 187
Felicitas, fides, & obsequium. 23
Femina. 584.619.622
Feminea inconstantia. 56
Feminei sexus, id est, exterioris hominis, appetentia, & ad virum inducendum, manans. 527
Femineum studium circa religionem veram aut falsam, est non parui momenti. 56
Femineus sexus blandiens & fallax. 524.554 arma. 525. 550. 561. 564. gloriæ & rei auidus. 551, 552
Femininum genus Hebræis pro neutro quo carent. 187
Festo Tabernaculorum non obstrictæ feminæ. 698
Ficus arbor, auari ditisque figura. 359
Ficus arboris natura. 362
Fidei alacritas vix sentit laborem. 19
Fidei cum industria iuncta datur euẽtus. 266
Fidei defectu fit timor. 237
Fidei obseruantiaque Dei præmia. 17
Fidei ni niterentur instructi & animati, alias nihil pari successu euenire poterat. 9.10.11
Fides adhibenda Deo, & efficax. 118.119.575
Fides cui habenda, è regulis iuris. 588
Fides diligentes, attentos, eruditos, discipulos suos reddit. 225
Fides ex denunciatione voluntatis Dei. 247. 248.
Fides fratri data seruata donatur felici successu, securitatem cumulans. 12
Fides Gentium. 112
Fides hosti seruanda magis aliis. 20
Fides omnium fundamentum. 192
vis & effectus. 193.265.297.501
Fides pietasque signa impetrant pro aliis. 252
Fides, virtutum dux. 212
Fide vicerunt regna. 478
Fiducia summæ æstimationis. 656
Filij virtutis, vt olei, mortis, &c. 594
Firmamentum in Rhet. 473
Flumina ad bellum. 150
Fœderatio & communicatio, per interiecta loca diuersa interturbatur. 2
Fœderis sanctitas & Deus. 318.319
Fœdus & socij quærendi. 616
Fœdus quemadmodum vetitum. 330
Fœdus securum esse nequit cum hoste diuersæ religionis. ibid.
Formulæ sacræ. 257
Fornicatio mystica vel spiritalis. 328
Fortitudinem vastat amor fœminæ. 550. 561
Fortitudo officiosa. 184
Fortuna ex hominum imprudentia. 478
Fortunæ numen nullum, vnumquemque suæ fortunæ fabrum esse. 23
Fratres qui dicantur. 580
Fratres lingua sacra cognati omnes. 333
Fulgur impios mouet. 109.110
Funus honestissimum. 579

G.

Galgala qui locus. 29
Garizim montis celebritas. 349
Gaudij mali extrema luctus occupat. 572
Gedeon credit Angelo Dei, sed signa petit ab alios. 230.231
Gedeonis pater Ioas. 182.209.212.213.214. 224.
Gedeon per fidem vicit regna 298
Geminationis vis & effectus. 638
Gemitus ad Deum ex metu pœnaque non rectus, tamen mouet ad misericordiã. 64.77
Generalis sine vlla exceptione lex & consuetudo, iniusta sæpè & noxia. 624
Generationis nomine qui comprehensi. 46
Generis & prosapiæ ratio è patre tantùm ducitur. 332
Genimen vitis quid. 366
Gentium religio & Israelitica diuersis cultib. & finib. constant. 70.649
Genua quare antiquis tractabantur. 564
Geographia temporum quare errorem admittat. 22
Geographica ratio ad loca. 227
Gerendarum rerum impulsiones. 113
Glossa, lingua vel adnotatio. 546
Gomer mensura. 86
Granatæ nomen vnde. 22
Gratitudo beneficiũ præmiumq. cumulat. 21
Gratulationes & supplicationes. 118
Gubernationis genera. 311

H.

Heluetiorum circuli. post præf.
Herculi collatus Samson. 569
Hiericho. 81
Hippocrates. 478
Historiæ sacræ mos. 109
Hodie, quid significet. 382.688
Holocausta differunt à victimis. 689
Homeri libros Alexander socium vocat. 321
Homeri laus. 259
Homicida consulto deliberatoque animo, lege Dei occidendus. 306
Hominis nequitia. 357
Hominum ingenia. ibid.
Homo arbor, homo consilij capax. 351
Hordei grani obseruatio. 245 247
Hospes defendens hospitem, simul tribus ciuet consulitque. 638
Hospitalior tutiorque vrbs maior, quàm minor,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nor, vt vel pagi. 615.616
Hospitalitas. 100.587.594.616.630.637
Hospitij domusque ius & violatio. 639.640. 658
Hostem in suis adoriri, quàm domi in propriis operiri præstat, & cur. 444
Hostes & inimici populi diuersi. 97
Hostiarum materia & ritus & virtus. 211
Hostis diuisus minori negotio debellari potest. 2
Hostium consilia explorare. 241
Humanæ miseriæ ratio. 36
Humanæ vires sine Deo vanæ. 72
Humana & scribarum lex & expositio. 315
Humana malitia sæpè grauissimis eget remediis. 104
Humanarum rerum exemplum. 385
discrimina. 497
Humana sapientia. 326
Humana vis & tutela ad diuinam. 547
Humani & vulgaris iudicij error. 604
Humano ingenio Dei orbitam egresso nullus est modus opinandi mutandiq; curiosè. 423
Humiliatus, id est, fractus. 100.127
Humilitas virtus aptiss. ad omnem Dei electionem. 191
Hyberniæ status. 137

I.

Iacob vt ad populum orabat. 171.176
Iactantia de donis Dei vitanda. 521
Ias dissyll. pro Deus. 129.132.133
Idem in diuersas partes à diuersis intellectu arripitur. 408.409
Idoli vanitas. 614
Idololatria cultus rerum naturæ. 54
Idololatria vt surrepat. 322
Iehuch Israelitarum Deus. 650.687
Iephte iniuria exclusus à fratrib. 446
Iephte virginem dicat Deo, &c. 481.484
Ierubaghal & Gedeon. 383
Ierusalem Salem appellata. 613.614
Iezraghel vallis fructifera. 225
Ignis duplex. 203
Ignis odore nondum admoti stupa ardet. 555
Ignis perpetuus (vt & Vestæ) in sacris, diuinæ efficientiæ imago. 354
Ignis tropo quid. 384
Ignominia grauior habita morte. 566
Ilex, quercus. 180
Imagines astrorum ad auguria. 584
Imperatores pro Repub. deuouere se diis. 573
Imprecationis metus. 582
Improuisa subita nocent, etsi læta. 479
Inaures. 317.319
Incantationes antiquitus. 554
Inclinare se, prosterni ad pedes, adorare. 66
Indignitas ex conditione & ingenio. 369
Infelicis successus origines. 13
Ingenium vulgi. 268
Ingenium (& studium & mos) vbi intenderis, valet. 671
Inimici nomen. 97
Iniuriosorum exitus, qui virga Dei. 159
Inopes, vagi, seminaria latrociniorum. 342
In pedibus suis, vel, prodib. fugit, quid. 320
Inquisitio authoris in facinore. 214
Insolentiæ superbæ exemplum. 8
Insultatio & irrisio miseri. 570
Intentio & mens artificis, vel agentis efficax. 557.
Interpreti negotium quid faciat. 13
Inuidia nociua. 267
Inuidia præclaris imminet. 166.485
Ioannis Baptistæ & Hieremiæ natiuitas sancta. 502
Iordanis fluuius exundans. 225
Iosue filius Nun, Iesus Filius Dei, quantum differant. 44
Ira fortis animi magnique non longa. 551
Iratus cur nunquam fuit Deus, quin misericordiæ recordaretur. 60
Israel à Deo factus dictusque desciscit ab eo. 80.
Israel ruit in omnem licentiam. 76
Israel, id est, potens cum Deo. 100.134.413. 425.688.689
Israel prius artis bellicæ expers, ope Dei vicit, post didicit à Gentibus. 73
Israel, vt adulteræ, degenerat nimium à vocatione & nomine. 61.649
Israelis causa factus orbis. 325
Israelis Deus. 111
Israelis filiorum appellatio. 127.254.661
Israelis in conuentu dodecagona figura. 696
Israelitæ præter ius fasque Chananæos habitare passi sunt, crescentesque. 23
Israelitæ vario consilio à Dei iussu discessere. 28.
Israeliticarum historiarum summa. 172
Itinera domusque vt sint tuta. 665
Iudæi huius temporis Romæ, Venetiis. 25
Iudæis nefas ducere vxorem è gentibus nisi captiuam, & raro. 682
Iudex Dux. 671
Iudicare est, domi belliq; regere, præesse. 78
Iudices ex singulis tribubus præter Simeonitidem ob libidinem. 101.415
Iudices hic, id est, summæ rerum gubernatores, vt Chaldaicè. 61.64
Iudicij Dei aduersus Chananæos pronuntiati satellitem se præbet Iudæ tribus. 9
Iudicis partes. 221
Iudicia violatæ fidei, tutelæ, societatis. 656 660.
Iudicialis causa. 174
Iudicij Dei causa occulta. 675.676
Iudicium causæ ex euentu non nisi miraculo. 575. 576
Iudicium non ex veri ratione, non ex æquo & bono, sed è verbis expressis summo iure. 529
Iudi-

Iudicium suum homini non præferendum voci Dei. 54
Iudicum ratio & duratio, non vt Regum. 310
Iumenta vt beneficia Dei, non male tractanda. 633
Iuramenti dispensatio, interpretatio. 690. 694.697.702.
Iugo non subesse. 634
Iuramenti vis; quod homini fit, reddendum Deo. 449.450.693
Iurisdictionis genera, ciuilis causæ vel criminalis. 77
Iuris Gentium de via transituque dando violati pœna. 461
Iuris translatio. 474
Iustè, quod iustum est, persequeris, ex æquo & bono, non iure summo & generali. 614
Iustitiæ munus. 667

K.

Kambron Hispanicè vt Hebraicè & Chaldaicè transpositis elementis. 290

L.

Lactis ad somnum efficientia. 124
Lactis vsus quibus interdictus medicè. 125. 153.
Lampas à Lapidoth. 107
Lapis pro ara, tropo, & ad contemptum. 344
Legati ante bella. 668
Legitimus status. 383
Leo à lais, vel lebi, & quid catulus. 520
Leodienses. 652
Leuitæ ab agriculturæ studio alieni lege Mosis. 388
Libanus excellit fertilitate & pulchritud. 74
Lib. Misdras. 181
Liber de miraculis. 250
Liberi vel soboles. 496.498
Liberorum doctrina. 307
Libertas mala seu licètia dum præfectus nullus est. 581.585.591.592
Lingua sacra ad distincta certaq; dimes. 654
Lingua sancta. 140
Linguarum idiomata, dialecti, mutatio vel vicia. 493.494
Linguarum omnium ars. 491
Loca ad bellum. 150
Loca alta ventosa. 295
Loca munita finium. 98
Loca synonyma. 22
Loci deligendi, explorandi, occupandi, cura prima ad gerendum bellum. 257
Loci temporisque commoditates ad res. 89
Locorum nomina. 606
Locorum variorum nomen, idem nec casu modò, sed & consilio è desiderioque. 22
Locus sacrificij. 509.689
Longa pueritia. 308
Lotio pedum. 633

Lucretianæ contra deos sententiæ explicatio. 223
Luna Ismaelitarum insigne. 317
Luna quòd non cernitur, bidui tantùm ies est, nunquam integri tridui. Simile ab ea. 317. 318.
Luza à nucum copia elegantiaq; vocatur. 19

M.

Madian. 165.224
Madianitarum lingua. 267
Magistratus. 652.696
Magistratus iudex & custos. 416
Magistratus qualis sit, permagni interest. 65
Magistratus sine sacerdote nil magni nouiq; in Repub. decernit; ac ne Iosue quidem, etsi Mosis spiritu donatus, Vatis etiam officio fungeretur. 3
Magnes, & simile ab eo. 206
Mahometo primi decepti adhæsere Arabes, post Persæ, ei manus insigne. 318
Maior pars vincit meliorem in tumultu. 368
Maius petitur vt magnum detur. 617
Maledictio & prædictio impleta. 414
Malorum genera, confessum, simulatũ. 49.50
Malum honesti specie difficilùs sanatur, estq; malum in conspectu Domini. 51.52
Malum vertit Deus in bonum. 441
Manasses. 263
Manus pro virtute. 234
Manus extentæ. 645
Manus, palma, vola. 287
Maria virgo mater. 158
Mariæ interrogatio non ex defectu fidei. 195
Mars Veneri cur addictus. 119
Maspha, Mitspah. 650
Mater cur Debora. 135
Mater inferens filio bonum aut malum. 584
Matris affectiones & naturas imitatur infans. 501.502
Matris cura & consensus de nutu. 517
Maturitas rei temporisq; ad opus. 99
Medicari. 168
Medicina diuina & medicina naturalis. 208
Medicinæ artis benignitas. 176
Melchomen (id est, Mercurium) animarum ductorem Ammonitæ colebant. 467
Menasse. 67
Mendacium vitans ambiguè respondit Samson primis duabus vicibus. 562
Mensurarum nomina. 84
Meretrix. 415.438.445.446.547
Metathesis. 212
Metonymia in quibus. 248
Militaris & violentorum mos. 615
Militaris prouidentia. 264
Milites plures ad spolia quàm ad, prælia prodeunt. 320
Militum & ducis partes. 278
Minæ obiurgatioq; amantis medentisq; 432
Mini-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ministrorum discrimen. 45
Miracula præpostere habita quæ non sunt, & non habita quæ sunt. 607
Miracula vt falsa surrepant. 322
Miseriarum humanarum caput. 316
Misericordiæ Dei constantia. 64
Misericordiam faciemus, interpretatũ. 20.21
Moabitæ è Lot Abrahæ nepote. 80
Monitor diuinus. 173
Morbum & peccatum nosse fateriq́ue, primus gradus ad sanitatem. 428
Mores mysticè Israelitarum ad nostros comparati. 41
Mortis modus generosus, stultis tyrannis 412
Mosis excusatio non defectu fidei. 195
Mulier iudex à Deo, ac Prophetis. 105.106. 108
Munus per gratos nec suspectos mitti. 83
Muscæ è canibus, crabrones ex asinis. 521
Munuscula viribus adferebantur. 198
Mutationi obnoxia humana. 616
Mysterium nominis Abigeser. 183

N.

Naaman Syrus. 208
Nasus pro ira. 67.397
Natio nulla vt Iudaica ab vno Abrahamo per 12. tribus impermixtas. 685
Nazaræi. 501. 534. 561. 567. 566. 568. 580
Necessaria dat primùm citiusq́ue Deus, alia pòst & paulatim. 1
Necessitatibus naturæ desperatis adest opportunè Deus. 501
Neruicer funes. 554
Nox apta quieti. 623 malè agenti. 644
Nox incutit metum. 254.255
Noctis horæ. 260
Nomen quid. 508.509.510
Nomen simplex. 83
Nomina arcana Dei prouidentiæ. 574.575
Nomina apta ad rem & spem. 110
Nomina locis victis mutanda erant. 26
Nomina virtutis traducta ad vitia. 635
Nominum omen. 221
Nominum propriorum impositorum ratio & significatio, ex Dei prouidentia. 346
Numeri notatio. 380
Numerus impar & septenarius. 554. 559. 593.
Numerus innumerabilis. 242
Nominis ratio habita, quanti. 608
Nux arbor umbrosa. 372

O.

Obesitas corporis. 86
Obesis cur minus sit sanguinis. 93
Obiectionum callidarum origo. 288
Obsequij exemplum. 112
Obsecro est cupientis doceri. 185.188.194
Occasio, tempus, hora. 347.473.695
Officia suscipi & ambiri fucata purgatione ambitionis & auaritiæ. 315
Officio nimio vel intempestiuo nocere. 621
Officium omne corrumpit ambitio & amor sui. 610
Oleum oliuarum. 352
Oligarchia. 436
Oliua. 352
Opinabilis diuinatio quænam. 655
Oportunitas temporis & loci. 294.662
Oppidula, semiurbes. 419
Opportunitas iudicij diuini. 531
Oracula generalia. 597.598
Orator. 637
Oratio & verba apta rei. 687
Oratio in necessitate cum fide. 544
Ordo rei gestæ alius quàm narrationis. 624
Orientis filij quinam dicti. 224.225
Otij pacisq́ue bonus vsus & abusus. 79
Otia paxq́ue ad vicia luxusq́ue ducunt. 69.70
Otium malum & securitas. 604

P.

Pacificæ victimæ. 689
Pacis & otij bonus vsus. 79
Pacti seruantissimus est Deus. 52
Pæan. 542.569
Palæstini florentiss. 74
Palmæ. 81
Palmus. 84
Panis. 508
Panis tumultuarius. 245
Paruulorum sagittæ. Psalmo 63. potentis. Psalmo 126. 309
Passus eadem compati didicit. 629
Pater incertos (non mater) at in coniugio iure certus habendus. 337. 338
Peccati semper color extenuandi vel excusandi. 642
Peccatorum fons stultitia. 640. reus qui non punit. 670
Peccatum nullum impunitum. 94
Pendere totos à Deo oportet, non à casu. 674
Peregrinandi, migrandi, vagandi causæ. 587
Peregrinationis vsus & abusus. 52
Peregrini & aduenæ. 629
Periculum amantis. 24
Perseuerantia in ardoa & omni re. 95
Perseuerantiæ, culpam agnoscentis & emendantis exemplum. 675
Petitio quibus partibus constet. 551
Phiala. 153
Phinees trecentos annos vixit. 675
Pietas quænam sit. 366
Pietas & fides impetrant signa pro aliis. 232
Piorum fides. 224
Piorum mos. 251
Platanus. 372
Platea & forũ noctu minùs tuta quàm ager. 63

Pœna & satisfactio. 431
Pœna publica publicæ inobedientiæ. 691
Pœnitentia. 567. 568
Pœnitentia ritusq́ue sacri non mutata vita. 38.39.
Pœnitentiæ argumenta, confessio & emendatio. 432.433
Poëticę orationis genus & stylus. 128
Pollices à pollendo dicti. 7
Pomponius Mela. 308
Ponere, offerre. 201
Ponere pro sacrare. 329
Popularis licentia ex boni principis defectu. 163
Populi tumultus vt ventus. 27
Populo in vrbis punitione parcendum. 299
Populus non exercitus aut copiæ. 233.236
Populus sequitur mores principum. 569
Populus tumultu iudicem agere non potest. 217
Potentia inuidiam, inuidia suspicionem parit. 76
Potestas omnis à Deo. 436
Præsentia Regis aut Ducis. 113.115.398
Prætextus & causa nũquam deest malis. 452
Preces votaq́ue iungenda fidei obsequioq́. 28
Princeps & senex. 502.
Princeps electione, non successione hæredis. 496.498
Principem minimè decet fugere. 7
Principes pingues terræ. 363
Principum & sacerdotum peccata. 664
Principum exploratores. 216
Principum opprimentium consilia. 82
Principum vxores non obligari pactis. 122
Pro formali. 171.187
Promissi sententia seu sensus. 295
Promissio Dei fides debetur, iussioni obsequium. 5
Præliari. 246
Promptitudo, celeritas, dexteritas, &c. in malis mala, bonis bona. 409
Propheta pro elocutore, &c. 135
Propheta Angelus. 180
Prophetarum varia ministeria. 106
Prophetica promissa complentur. 4
Propria ob laborem vel sumptum charioca. 612
Prouentus & reddit⁹ arborum. 365
Prouerbium Israeliticum, Violatio violationem promit, à feminis mala omnia. 584
Prouidentia Dei ad diuersa relata. 179.496. 501.514.519.544.547.
Prouidentia in rebus Israeliticis. 54.517.518
Prouidentia iustissimumq́ue Dei iudicium. 8.387
Prouidentia singularis. 78.81.105.168. 216.685
Prudentiã priuat Deus quem punire vult. 670
Prudentia virtutum moderatrix. 232
Publica peccata mali exempli. 664
Publica priuatis propriisq́ue anteferenda. 665
Publica res & communis. 35
Publica ruina vnde. 25
Publicæ calamitatis verus sensus paucos tangere solet. 188
Publicarum actionũ laus & culpa penes principes est. 191
Pudori, timori, & inuidiæ faciendæ parcendum. 235
Puer, ministerij, non ætatis nomen. 141
Pugnatoris artes & occasio nil negligentis. 19
Pugnatur Marte dubio, dum Deus neutram partem perire vel insolescere vult. 59
Punire non turbam omnem, sed partem, in exemplum omnium. 541
Punit Deus seuerè scelera contumaciæ, iniustitiæ, adulterij, raptus. 684
Punit Deus vt medicus, certis membris, modoq́ue. 433
Punitio iusta & apta. 384.389
Punitio res exempli, & contra rem mali exempli. 303
Punit Deus, nec refert per quos. 179
Purpuræ laus olim. 160
Pygmęi. 85

Q.

Qua manu pereat fortis refert. 309
Quare, quorsum, quando vsurpentur. 687
Quercus, ilex. 186
Qui vtraque manu pro dextera vtebatur, versio explicata. 83
Quid, Ex latinæ satis tribus. 200
Quid mihi & tibi est? 452
Quinatati quinam dicti. 242
Quomodo fiet istud, vt, obsecro, vel cur, Gedeonis. 185.188. 194.195
Quietis æmulatur malitiam curiosum hominum. 499.

R.

Racemi & vindemia. 293
Rachelis idola. 584
Rahab quo iure potens & Iahel. 124
Rahab vt meretrix. 547.548
Redemptor sanguinis. 306
Redundantiæ curatio. 168
Reges ab aratro, ab ouibus, &c. 365
Regia maiestas. 308
Regiarum ædium pars. 89
Regis loco Respub. à qua, & ob quam fit, non contrà. 665
Regis aut superiorum peccata magis nocent exemplo. 664
Regis aut præfecti defectus vel absentia. 618 619.624.702.
Regnandi miseria. 356
Regni administrandi vera ratio, Reipub. & regũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

regni recusati exemplum. 511
Regni cura & labor. 559
Regnum quid postulet. 552
Regum tituli varij. 105
Regum antiqua institutio. 555
Reipub status. 600
Reipub. & communis boni interest, scelera in priuatos admissa puniri. 661.662.663.665
Religio popularis politicaque, 48
Religionis ratio. 177
Religionis mutatio turbas concitat. 212
Religionis prætextus. 340
Religionis prætextu ex ambitione parricidium 70. fratrum. 344
Religionis pax & communio. 423
Religionis diuersæ vxorem Israelita non ducebat, nisi, &c. 527
Reliquiæ Sanctorum. 45
Rerum copia vmbræ. 186
Remorio argumentosa. 214
Rebus consulere, non potiri tantùm. 374
Repudij iusta causa sterilitas 10. annorũ. 500
Res magis quàm verba mouent & docent. 556.646.
Resipiscentia inconstans, inefficax, ac vulgaris, puerilis, pœnarum causa. 37
Respicere attentionem indicat. 191
Respondit. 655 Non respondit. 646
Responsa Dei aperta, &c. 97
Respub. & vrbes, quas felices vulgus appellat. 599
Restitutionis Israeliticæ causa. 64
Restitui furtiuum non satis est. 582
Restitutionis exemplum. 694
Resurrectio corporum. 45. 579
Rhamnorum genera. 290
Rhamnus pro Rege adscitus. 569
Rheriæ alpes. 164
Rixa, iurgium. 217
Ros mystice. 228.231

S.

Sabbatho longiùs progressi pœna. 301
Sacerdotum ac principum peccata. 664
Sacræ historiæ enarrator. 489
Sacra eloquia. 287
Sacræ linguæ fœcunditas in sensibus. 434
Sacra singularia, ad horam, pro tempore. 202 689
Sacrificandi ministerium soli mandatum homini. 201.481.484
Sacrificandum Deo soli. 508.509
Sacrorum genera duo. 689
Sacrorum scriptorum scopus. 315
Salomon quid petierit & impetrauerit à Deo. 351
Salutatio, pax tecum, &c. 597.631
Samuel scripsit lib. Iudicum. 592.618.703
Samson, Simson. 515
Samson iudex 20. annis, &c. 546
Samson vt iure se occiderit. 573.574.577.579
Samsonis historiæ veritas. 580
Samsonis vires vnde. 540
Sancti petunt signa ob alios incredulos. 231 239
Sapiens bonusque præit quò vocat. 129
Sapiens eligendus in gubernatorem. 358
Sapientia Gentium, idem quod nunc Status consilium. 69
Sapientia humana, &c. 224. 351.552
Sapientiam vastat amor fœminæ. 550
Sarræ risus non contra fidem. 195
Sat & satis ex Sad. 148
Sata tenera minùs lædit vastatio, 165
Saulis victoria. 142
Scindere vestimenta, grauissimi doloris indicium. 479
Scipio. 412
Scriptura non semper per capita distincta. 513
Scripturarum vsus & scopus. 48
Sectarum origo. 423
Sedere pro habitare, &c. 180. 199.687
Sedere, docentis & ius dicentis. 108
Seminatia latrociniorum. 342
Sensus multiplex. 271
Sensum suum sequi verat homini Deus. 703
Senecta veneranda. 636
Senectutis authoritas peritæ, piæ. 42
Sepulchrorum cura memoriæque omnibus, vt immortalitatis. 44
Senes, Senatus, Magistratus. 696
Sepulchri locus adnotatus cur. 579. 580
Sepultura extra vrbes. 496
Sermo hominis index: qualis vir, talis oratio. 133
Sermonum Iudicum ad Israel capita. 62
Seruit Israel homini, quia non Deo. 77
Sicera quidnam denoter. 502
Sichimitarum scelus duplex. 374
Siclus cuius ponderis. 342. 584
Signa dantur incredulis. 230.231
Silo, locus in quo oracula petebantur. 672
Simulatio & dissimulatio. 401. hypocrisis. 50
Sincerus aliis Deoque, non sibi seruit. 114 115.
Singularia signa. 291
Singularis pro plurali. 108. 309. 181.248
Sitis vnde, & quàm molesta. 543
Societas mali periculosa. 74. 75
Sodomæ peccatum. 628 665
Sol celerior & tardior, pro re varia hominum non in se. 626
Solis locus supremus. 162
Somnia ministrantia tum obscura. 225
Species recti fallax, & vnum genus mali. 49
Spiritus Domini vis vt fulminis. 540
Spiritus Dei. 478. 520
Spiritus & caro. 226
Spiritus timoris Domini vnde discedit, eodẽ Spiritus opinionis ac priuati consilij succedit. 46
Spi-
Spiritus vnus & idem sanctus domi bellique 78
Sponsi filij non ieiunant dum cum ipsis est sponsus, &c. 522
Stimulus boum. 101
Stratagemata. 123.254.678.681
Stultitia fons peccatorum. 640. 641
Stultitia numquam à tyrannide seiungitur. 412.413.
Stylus & radius. 141
Sughirath. 94
Sumptus ad opus præcogitandi, præaptandi. 671.
Surdos facit lingua ignota. 523
Surgere. 135.140.415
Sympathiæ & antipathiæ rerum. 554
Syria triplex. 422

T.

Tabernaculum pro quiete. 240.242
Taciturnitas consilij in bello. 409
Talabera vnde dictum. 265
Talenti euangelici defossi officia. 313
Talionis exemplum. 304
Tauri hostiæ significatio & virtus. 211
Telorum impetus. 258
Templorum & ædium genera. 571
Templum S. Laurentij in Damaso Romæ. 574
Tempus rei gerendæ in quo sit magis impendendum. 333
Temporum & morum mutatio. 102
Tempus, commoda opportunitas. 106
Tempus, hora, occasio captanda. 347.655
Tempus longum vitia affert omni rei. 63
Temporis ratio habenda, & itineris. 621
Temporis supputatio potit Samsonem. 581. 586.
Tentare Deum quid sit. 24
Terra mystice. 231
Terribilis non semper in malam partem. 503
Thabor mons editissimus. 111
Theraphim quinam fuerint. 589.596.608
Ter, tera Latinorum. 157
Terminos modosque suarum partium ne quis excedat. 217
Tessera bellica. 256
Testamenti veteris imbecillis imperfectio. 42
Testamenti noui excellentia. 43. 44. 45
Thesis orationis. 374
Timor Dei. 64. 65. 178
Timor Domini, hominum dux. 357
Timor & pauor defectu fidei vel conscientiæ bonæ. 237
Timor ignauiæ & degeneris animi nota. 308
Tribus Iudæ & Simeonis amicitia. 5
Tribuum 12. Israel conseruatio. 685
Trans Iordanem ad quam fluminis ripam referatur. 267
Trophæum. 550
Tumultuantis turbæ sententia, moresque. 215 368
Turbatio insolentiaque Sisaræ. 214
Tutela summæ æstimationis. 656
Tyrannus. 370
Tyranni exitus. 415
Tyrus & Sidon. 143
Tyrannis breuis & misera. 387
Tyrannorum sententia, Oderint dum metuant. 407
Tyrannum occidere quatenus liceat. 94.95
Tyranni ac mali tandem puniuntur, &c. 373
Tyrannorum consilia. 105

V.

Vagi seu vagabundi seminaria scelerum. 342
Vagi & profugi metus & cura. 555
Vellus mystice. 218.231
Vendidit eos, interpretatum. 188.425.426
Venatio bello comparata. 112
Venæ ventris raræ, in obesis tenuissimæ. 95
Veneti vnde originem ducant. 600
Venustas duplex, membrorum, & motuum. 514
Verba minùs quàm res ipsæ mouent. 646
Verbum Dei, & Verbum Deus. 135
Verbum hoc. 214.269
Veritas Dei. 297
Versus vnde. 128
Verum simplex semper. 376
Veteris Testamenti benedictio & felicitas. 417.482.483
Via, pro vitæ moribus. 66. pro instituto. 596
Viarum præclusio in bello. 98
Victarum gentium conditiones. 23
Victima & lucus apud antiquos. 210
Victoria vt vrendum, ne refugiat. 7
Victoria Samsonis morte venalis. 578
Victoria cur ad tempus, etiam causa peiori. 675.676
Videre Deum vel Angelum. 511
Vigiliæ nocturnæ. 269
Vindemia & racemi. 273
Vindices scelerum & speculatrices furiæ. 223
Vini degustatio ante Cantica sacra. 367
Vinum lætificat cor mœsti, & curis oppressi. 367.
Vinum ac sicera. 501
Vinum deorum nectar. 367
Viri Israelitæ fortes, strenui. 245
Vir, variis linguis mysticum quid significat. 213.263.266
Vir Dei, Propheta. 503
Virgines prædæ belli. 158
Virgo per antonomasiam Mater Domini. 58
Viri vis per fœminam deficit. 561
Virtus omnes strenui viri partes complexa. 99
Virtus pressa vel exsilio glorioſior emicat. 438
Virtutum fides dux, prudentia moderatrix. 212

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vitæ genera tria quæ plurimum inter se differunt. 144
Vita in Deo, & ex eo. 208
Vlyssipone Lusitanorum regio qualis. 163
Vmbra arborum quænam commendatur. 391
Vnctio Regis. 347.371
Vnguentaria theca. 321
Vociferationes in prælijs diuersæ, à variis nationibus vsurpatæ. 267
Vocum clamorumque ratio. 257
Votum ratio & vsus. 149
Voluntas magis propria homini & in fide. 192
Voluntas nostra conformanda diuinæ. &c. 482
Votum. 476.481.484.686
Votum Nazaræi. 502
Vrbes quæ nunc inter præcipuas. 599
Vrbium conditores honore dignos esse. 21
Vrbium vsus & inuentio à Caino. 639
Vsus historiæ. 94
Vulgi fauor & iudicium iniquum. 114
Vulgi numerus imbellis. 254. ingeniū. 18
Vulgi lenitas & cæcitas. 331
Vxor ex alia tribu. 415.438.445
Vxor qualis quærenda sit potissimum. 316
Vxor non legitima. 619.645.647
Zabulon conditione tributi cepit Chananæos. 25

FINIS.

ERRATA.

Pagina 82. linea 3. lege demittens 95.14.copiæ 101.34.familiæ 110.3.fulgurum 129.2.fumus 175.20.vobis 182.14.prouidentis 187.3.interrogandi 202.2.deligens 202.5.deligere 237.9.ibit 271.16.confirmatio 276.15.confirmatio 302.21.videantur 330.21.illis 584.3.vota 641.18.inuidia 689.17.fractrem 703.2.vllius.

APPROBATIO.

In his doctissimis in librum Iudicum Commentariis, quod sanctæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ religioni, bonis moribus, vel Regiæ Maiestati contrarium est, nihil inueni: & propter dignitatem & vtilitatem vtiliter & imprimi, & ab omnibus legi posse iudico. Datum Antuerpiæ, Anno 1590. die 13. Ianuarij.

D. Henricus Sibertus Dunghæus, Sacræ Theologiæ Doctor, Cathedralis Ecclesiæ B. Mariæ Virg. Canonicus, lib. censor.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS priuilegio cautum est, ne quis citra voluntatem Ioannis Moreti, Typographi Antuerpiensis, librum cui titulus est, *De varia Republica, siue Commentaria in librum Judicum*, BENEDICTO ARIA MONTANO HISPALENSI *descriptore*; vllo modo imprimat, aut alibi impressum in suas ditiones importet, venalémve habeat. Qui secus faxit, præter librorum omnium aliter quàm ex dicti Moreti voluntate impressorum confiscationem, pœna viginti florenorum pro quolibet libro, quotiescumque id fecerit, multabitur: vt latiùs patet in ipso diplomate dato Bruxellæ, XXX. Ianuarij, M. D. XCI.

Signat.

J. De Buschere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ANTVERPIÆ,
IN OFFICINA PLANTINIANA,
APVD VIDVAM, ET IOANNEM MORETVM.
ANNO M. D. XCII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca